UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam insignium memoriam in menses diesque ...

Nádasi, János

Antverpiae, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-9625

Visual Library

Th. 2326.

K IV
22

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNVS

DIERVM MEMORABILIVM

SOCIETATIS IESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNVS

DIERVM MEMORABILIVM SOCIETATIS IESV.

SIVE

Commentarius quotidianæ virtutis, notabilem vnius, vel plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam insignium memoriam in menses dieſque quibus obiêre partitè distributam complexus.

Ex legato Celsi Principis FERDINANDI Epi Paderb. et Mo, nister. An 1683.

AVTHORE

IOANNE NADASI *eiusd. Soc.* IESV.

Collegij Soc. IESU Paderb.

ANTVERPIÆ,

Apud IACOBVM MEVRSIVM.

Anno M. DC. LXV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CORNELIVS TACITVS

INITIO VITÆ IVLII AGRICOLÆ.

Hic liber honori Agricolæ (dico ego, *virtutis, ac pietatis*) *destinatus, professione pietatis aut laudatus erit, aut excusatus.*

GOSWINVS NICKEL

SOCIETATIS IESV

PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Annum dierum Memorabilium Societatis IESV à *P. Ioanne Nadaſi* conſcriptum aliquot noſtri Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos pertinet, ita videbitur. Cuius rei gratiâ has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus. Romæ 11. Aprilis Anno 1661.

GOSVVINVS NICKEL.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij. M. A. Epiſcopus Ierap. Viceſgerens.

Imprimatur. F. Seraphinus Bertolinius Magiſter & Socius R^mi. P. Magiſtri S.A.P.

APPROBATIO CENSORIS.

QVandoquidem, qui in virtute non proficit, deficiat, ad egregios eiusmodi profectus faciendos plurimum proderit, quotidianæ virtutis exempla ad imitandum ob oculos ponere, quæ Annus dierum memorabilium Societatis IESV, *Authore* R. P. IOANNE NADASI *eiusdem Societatis* IESV, *in menses dieſque ſingulos in hoc libro exhibet. Quem eapropter prælo dignissimum censeo. Datum Bruxellæ* 17. *Aprilis* 1664.

I. CERON

Pastor B. MARIÆ de Capella
Archipresbyter Bruxell.
Lib. Censor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS, Dei gratia, Hiſpaniarum Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis librum cuius titulus eſt. *Annus dierum memorabilium Societatis* IESV, Authore R. P. IOANNE NADASI *eiuſdem Societatis* IESV, citra *Iacobi Meurſij*, Typographi Antuerpienſis voluntatem vllo modo in Belgio imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemúe habeat, qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & pro ſingulis Exemplaribus peregrinis huc illatis, triginta florenorum penſione multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ die XXI. Aprilis M. DC. LXIV.

Signat

LOYENS.

PROTESTATIO AVTORIS.

CVm Sanctiſſ. D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. Rom. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5 Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel relationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata; Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Auctorem: huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle quàm quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

IOANNES NADASI
Soc. Ieſu.

LECTORI OPTIMAM

SALVTEM AVCTOR.

NOn breuiarium vitarum, sed breuem selectarum quarundam virtutum notitiam dabo nunc de ijs de quibus mortes & vitæ illustres, omnisque Societatis historia plura dedit, vel dabit. Duo habet hic *Annus* in quibus à vitis illis differt: alterum, quòd non agat latè nec annorum serie, vt illæ vitæ, mortes, historia; sed breuiter, & mensium ac dierum ordine, quædam virtutum documenta de viris tali die vitâ functis tradat: alterum, quòd plures viros memorabiles habeat ijs qui in tomo narrantur; nempe quorum latiorem vitam texere in longiore illa historia operæ pretium visum non est, & tamen taceri non debebant, ob aliquid quod in vno alteroûe capite notabile in ijs videtur ad imitationem, vel etiam admirabilitatem, aut certè raritatem. Neque nouam rem ago in titulo *Anni dierum*. Nam celebre est in diuinis literis nomen historiæ sub appellatione *sermonum dierum*. Talem ego nunc paro in hoc virorum ac dierum rationario historiam, quæ sit *sermo dierum* anno toto notabilium ab vno quopiam de Societate in medium adducto in singulos dies, aliquando etiam duobus aut pluribus, vt res feret. Cæterùm Patres hi ac fratres quorum hîc exempla referimus, tan-

4. *Reg.* 15

quam quotidiani noſtri *operum* noſtrorum *præfecti*, atque ad virtutem per exempla domeſtici hortatores, inſtant, & vrgent nos veluti ſtimulis aureis ad opera perfectè vndequaque complenda; quemadmodum *præfecti operum inſtabant dicentes*: *Completè opus veſtrum quotidie*. Præclarè terret, monetque S. Ioannes Chryſoſtomus: *Crimen eſt*, ait, *quòd cùm exemplum haberes domeſticum, virtutem non es imitatus*. Hoc ſit nobis manna, vt *egrediatur populus* DEI, *& colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies*. Hæc ſingulorum lectio cuilibet erit inuitamentum ad imitationem, & DEO *holocauſtum diebus ſingulis per ordinem*. Pythagoræi in arcanis ſuis documentis lege iubebantur manè quotidie cælum attentiùs intueri, ac vniuſcuiuſpiam *nomen*, & *exempla* memoriâ repetere qui in officio ſuo fuerit accuratus. In vetuſtiſſimo Epheſiorum Chartophylacio literis cõmendatum erat, vt *per ſingulos dies* alicuius è veteribus *nomen* in medium afferretur, qui ſingulari quapiam laude virtute excelluerit. Hoc ago & ego. Neque ſanctimoniæ, ſed virtutis alicuius laude commemorabiles haberi volo eos quorum nomina in hoc albo recenſeo. Neque enim Kalendarium ſanctorum ſcribo, ſed viros in quibus virtus aliqua in actione quapiam haud vulgari emicuit, licèt fortè horum aliqui næuo alicui aut labeculæ potuerint eſſe obnoxij. Nec velim arbitreris, omnes me hoc Anno dierum memorabilium complexum qui in Societate fuerint virtute ſingulari præditi; ſed eos tantùm

Exodi 5. 13.

Tract. in terræ-motum mihi pag. 26.

Exodi cap. 16. 4.

1. Eſdræ. 3. 4.

tùm quorum virtus explorata,& fideli,ſuperiorum ferè, calamo Romam perſcripta,vel etiam vulgata typis ad me peruenit.Eos qui hîc deſunt,dabo,cùm & de illis aliqua commemoratione digna ſingulatim accepero. Interea opto Lectori meo ſpiritum oculoſque S. Antonij, qui *tanto virtutum ſtudio fuit incenſus, vt quemcunque videret aliquâ virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet.* Cæterùm,ſatis ſcio, poterant hæc ad certa virtutum capita, claſſeſque referri: at abundè id præſtabit Index ; & viſæ ſunt hac dierum ſerie digeſtę virtutes,nunc hę,nunc illę attemperatè velut in theatrum prodituræ ad inuitamentum breuis quotidie lectionis ; & ſi fortè id cuipiam lubeat, etiam imitationis , id quod video nonnullis placuiſſe in meo *Diurno quotidianarum virtutum*, huius libri velut prodromo, Pragæ nuper impreſſo. Imitationi hęc ſcribo,non admirationi,& pompæ. vnde & ſtylus planus, modeſtus, ac facilis (& nonnunquam,prout fert occaſio,ferè aſceticus, etiam pro capacitate tyronum) parabili quadam perſpicuitate,citra magniloquentię affectationem, ita breuiter ac dilucidè res narrat,vt apud æquos rei æſtimatores, virtutes aliorum oſtendat,non ſe oſtẽtet,contentus intelligenter perlegi, non laudari.

Breu. Rom. 17. Ian. lect. 4

AVCTORES

E quibus hæc hauſta ſunt ſi omnes afferri deberent , impleremus margines moleſtis numeris, atque nominibus crebriùs repetitis. Do illos

nunc. Præter impressas, & M. SS. annuas, atque Societatis historiam, vitas, & Scriptores, vsus sum. 1. literis Prouincialium, & Rectorũ ad PP. Generales, vel PP. Assistentes datis, in quibus ponuntur elogia mortuorum. 2. Menologio M. SS. Iacobi Stratij, qui sua ferè habet ex annuis ; nonnulla tamen ex alijs, maximè cùm dies assignat: quem ego tunc sum secutus, cùm diem mortis apud alios non potui reperire. Vbi etiam aduerte, me illis quorum certum diem non comperi, ad marginem adscribere, *die incerto*; eos tamen collocare die ab alijs minùs occupato. 3. M. SS. P. Philippi Alegambe quę ille ex annuis iam olim ante annos plus quàm 30. collegit, & in orbis partes, Europam, Americam, Africam, Asiam partitè iam tum digessit; atque in Assistentias, vt vocamus, distribuit. 4. M. SS. Historijs Prouinciarum aliquarum, & Collegiorum, quæ penes me sunt ex Archiuo Societatis. 5. M. SS. P. Ioannis Valtrini, quæ ille è veteri Diario, & alijs primorum temporum chartis adnotauit; seruanturque in nostro Archiuo Romæ.

Aduerte etiam, Lector, me in visionibus &c. nihil affirmatè dicere ita vt ea pro compertis haberi velim ; sed probabili eorum à quibus hæc habeo fide niti.

ANNVS

ANNVS
DIERVM MEMORABILIVM
SOCIETATIS IESV
MENSIS IANVARIVS
PRIMO DIE.

P. IOANNES PELLETARIVS.

Gallus Toloſæ obijt 1. Ian. 1564.

PRimvs Collegijs, Romano, ac deinde Ferrarienſi naſcentibus Rector datus eſt ab ipſo S. P. Ignatio. Ferrariæ Renata Herculis Ducis coniux, Ludouici Galliæ Regis filia, cum illo contulit de hæreſi cum orthodoxæ fidei veritate commutandâ; & hæreſim exuit: ſimulque vniuerſa vitæ peccata in Sacramento pœnitentiæ, illo confeſſario vſa, depoſuit. Multa ille poſtea doctè, religiosè, fortiterque pro re Catholicâ geſſit Apamijs; quicquid contra fremerent, turbarentque hæretici: quorum furore deiectam Deiparæ ſtatuam, magnificâ ſupplicatione inſtitutâ, palàm ſuo loco reſtituit; concione quot-hebdomadis die Sabbati de cultu illius habitâ, & Orthodoxis ad illam vicatim ſono tintinnabuli inuitatis. Vnde glorioſo planè cognomento, DIVÆ MARIÆ DOCTOR eſt appellatus. Ibidem ab hæreticis datus eſt in vincula; ſed à Catholicis exemptus, Toloſamque deductus, ibi demum à glorioſis pro fide ſuſceptis laboribus requieuit, veneno (quod ei ab hæreticis clam propinatum affirmant) ſenſim gliſcente in venas, & omnem artis medicæ induſtriam ſuperante. Libenter latebat Ioannes ſuâ ſe humilitate inuoluens, etiam in illo ſplendore famæ. Quare & Cadurcenſis Epiſcopatus inſulam ſibi oblatam, demiſsè à ſuo capite auertit, vir quàm excelſus ad vindicias Catholicę fidei vbique faciendas, tam humilis; adeòque ingentes Toloſanæ vrbis laudes, lachrymaſque, quibus extinctum proſequebantur, abundè commeritus tantâ illâ ſuâ eloquentiæ, laborum, charitatis, atque auguſti ad ardua contra heterodoxos pro Catholicis agenda & ferenda pectoris granditate. Certè vel gemino illo elogio fuit inſignitè commemorabilis, quorum altero S. MARIÆ DOCTOR paſſim in Gallia; altero SANCTVS RECTOR à S.P. Ignatio, vt fama eſt, audiebat.

Fides.

Humilitas.

B. V.

Superior.

Fides.

B. V.

Sabbatis.

P. ALPHONSVS BARZENA.

Hispanus obijt Cusci in India 1. Ian. 1598. ætat. 70. Soc. 40.

IN expetenda Societate magnum perseuerantis animi documentum dedit, per ipsos xv. annos, vt sua domi componeret, ac optatum ad Societatem aditum impetraret, occupatus, nec exspectationis intercapedine tantâ fractus.

Constantia in vocatione.

In Americano Peru Regno passim pro Apostolo habitus ab Indis Diaguitis *Magistri* nomine appellabatur. Limæ homini, qui suam superbiam veste religiosâ tegebat, cùm inter theses Theologicas tacitum illius venenum aduerteret, prædixit, nisi vitæ ac doctrinæ suæ rationes ad religionis Catholicæ ac instituti sui normam componeret, fore vt apud Quæsitores fidei luculentas pœnas daret; id quod haud ita multo post factum, illo flammis mulctato, cùm stolidè se Antipam testem fidelem, suum verò filium, è sacrilegio natum, ipso Christo maiorem mundi seruatorem fore iactaret. Sancti Pauli omnes epistolas memoriâ complexus Alphonsus, vndecim gentium linguas cum vernaculo & indigenis grato dicendi lepore percalluit: & quinque linguarum lexica, grammaticam, catechesin, orandi formulas composuit. Anno 1589. ab illo Baptismi aquis abluta Tucumanorum sex millia & sex centi, Matrimonio ritè iuncti quinquies mille ducenti; cùm alibi quoque nunc centesimum, nunc millesimum fructum referret in horreum IESV Christi.

Zelus fidei.

Prædictio.

Felix memoria.

Fides propagata.

Apud Paraquarienses, vbi homines nudi, dæmonibus familiares, feri, ac celebres illi ab ingenti fronte Frontones degunt, cum P. Petro Anasco Caciquiorum filios perlætus Senex prima elementa docebat. Idipsum Hispanis præstitit trans *Flumen argenteum*, seu Paranam in vrbe *Vera*. Anno 1595. paralysi tactus, anno 1598. ætatis 70. Societat. 40. primo Ianuarij annum æternum ingressus est Cusci in Regia Ingarum vrbe, in qua Ingam vltimum Peruuij Monarcham Christo addixerat, in Baptismo Carolum nuncupârat, eidemque adstiterat morienti.

Flumen argenteum. Vrbs Vera.

IESV ac MARIÆ flagranter amans, & orandi auidus, nullam noctem præterlabi finebat, quin surgeret ad orandum; dæmone per ipsos duodecim annos hunc eius morem interuertere laborante, sed semper victo. Aliàs eundem per contemptionem scipione abigens increpabat: aliàs verò cùm disquirenti, quomodo gentes illæ ad Christum adduci possent, spectrum perquàm truculentum se spectandum daret, facilè illud fugauit, cùm nil territus dæmoni illi diceret: *Sede in mea ista sede: tu enim illâ dignior es, quàm sim ego.* Aiunt quidam se luculenter expertos, quædam sui cordis abscondita fuisse Alphonso perspecta. Solo cælesti pane, citra vllius alimenti opem, contentum sæpiùs quinque vel sex dies peruixisse: iter item, cui exantlando octo dies necessarij fuissent, ab illo intra interuallum horarum non plus quàm vndecim peragratum, si Nierembergio, & alijs eius vitæ scriptoribus fides habenda est.

Inuisa dæmoni nocturna oratio.

Humilitas.

Per plures dies Eucharistiâ solâ vixit.

Iter mirabile.

Ligneam paruuli IESV effigiem ad caput lectuli quotidie collocans, suum illi somnum dedicabat. Cùm verò supremùm æger à Valetudinarij curatore suum sibi paruulum consueto loco peteret collocari, forte hactenus obliuione omissum, adfuit coram paruulus ipse Alphonso, & citra curam esse iusso; *Ecce me*, inquit, *adsum tibi ego, non est quod te fatiges.*

Vesperi.

P. LVCAS

P. LVCAS ELLENTZ.

Germanus. obijt Treuiris. 1. Ian. 1607.

IPsis Ianuarij Kalendis de SS. IESV nomine ardentiùs ad concionem dicens Treuiris concidit, & intra duarum horarum spacium expirauit. Ob nefariam cum Dæmone consortionem ad rogum damnatis facilè ducentis salutariter adfuit, tanta dęmonũ rabie, vt in veneficorum senatu de illius capite fuerit deliberarum, deque morte illi cõsciscenda conclusum: illo ad hæc ab ipsis hæc narrantibus veneficis audita ridente, ac sæpè dies totos sine cibo, noctes sine somno in carcere pro illorum conuersione ducente.

Concio.

Mors.

Carcerum Labores.

P. ANDREAS DE ZEA.

Hispanus obijt Granatæ 1. Ian. 1609.

GRanatæ quotidie ternas vel quaternas horas ducebat in oratione; qua constans fuit opinio, illum quicquid à DEO peteret impetrare, sine vlla repulsa. Aegrum quendam extra mentis potestatem reperit; & à DEO tantillum illi lucis impetrauit, vt peccata dolenter fateretur, S. P. Ignatij ope adhibitâ ad impetrandum. Et verò statim à Confessione peractâ æger iterum delirauit.

Oratio.

S. P. Ign.

Quendam cuius corpus fœdus Asmodæus turpiter habebat, ad SS. Sacramentum misit, & opem ibi certam promisit. Fuit ille, & ita victor redijt, vt Asmodæus deinceps nunquam redierit. Grammaticam per 14. annos professus: discipulum in præcipitium iuuentutis ruentẽ Xaueriano exemplo reduxit, cùm se in schola coram illo dirè cecidit, lamentabili simul suspirio gemens, ac tandem durum illum emollicns. Pro mortis memoria semper cineres à feria 4. cinerum asseruabat in cubiculo instar thesauri, ad fouendum sub illis ignem amoris DEI absconditi.

Zuchar. Castitas.

Humilitas.

Zelus.

Mors.

P. GABRIEL SANCHEZ.

Hispanus obijt in Philippinis. Ian 1. 1617.

HIspanus in Bagamensi Philippinarum Insularum domicilio, vnâ post viaticum sumptum horâ, audito Sacro, & eâ, quæ ab ijs, qui ibi erant, fiebat, votorum renouatione, morte Sanctorum morti simillimâ decessit. Rigauit sudore Apostolico Bisgayarum gentem, in Insulis Pictorum Beholanorum plura millia baptismo lustrauit. Per 20. annos & egit & tulit heroe digna. In mari quinquies passus naufragium, Cumque sub aquis esset illud illi fuit solatio, quòd sibi probè præsens aduerteret, se aquâ necdum adeo plenum esse, quominus & mentis & vitæ sibi satis super esse videret ad actus amoris DEI, residuum illud vitæ interuallum sibi vendicaturos. In ijs DEVM amandi actibus occupatum vrinator Indus extraxit: sed nec tunc vestem sibi detrahi voluit; in ipso corde maris, quid castum, & quidem Religiosum, deceret potiùs memor, quàm quid conduceret ad faciliùs è periculo emergendum. Quatuor votorum professionem semper circumferebat in pectore: ac illam sexagies quotidie renouabat. Totæ illius diuitiæ & bibliotheca, fuit Breuiarium, Regularum libellus, & piæ aliquæ scriptæ chartulæ. Mira, quæ operabatur aiebat esse non sua, sed Sacræ Scripturæ, signi crucis, aquæ lustralis. De Diuinis perfectionibus meditabatur excelsè, ac inde solida depromebat incitamenta magnæ virtutis, idque tam suauiter, & prolixè, vt intra diei noctisque spatium facilè septem

Fides.

Amor Dei.

Verecundia.

Renouatio.

Oratio. horas orando impenderet. Sacris ad mortem vsque quotidie est operatus. Cùm extrema vnctione iam delibuto, sibi viriũadhuc aliquid supereſſe videret altero post illam susceptam die ad

Zelus. Indos concionẽ habuit, qualem facilè est è dicentis virtute, ac temporis extremi cogitatione conijcere. Certum

B. V. est plura illi diuinitùs accidisse, à Cæli Regina potissimùm, cuius nomini tantâ illâ suâ orandi, se afflictandi, semperque renouandi curâ erat addictus, & solers ad eius cultum solidum, omni totius industriæ suæ ingenio. Mira quædam beneficia, quæ à Dei Matre obtinuit, compertâ famâ percepimus, at ea particulatim referre illi per modestiam suam non libuit, eoque nec nobis licet.

II. DIE IANVARII.

ADAMVS FRANCISCUS SCHOLASTICUS.

Lusitanus in Commorino Promontorio decessit. Ian. 2. 1549.

ANno 1546. Aprilis 8. cum octo alijs de Societate missus est in Indiam, istic Sacris initiandus. In Commorino Promontorio continuatis continenter laboribus adeò nil desidiosè egit, adeò nullam benè gerendæ rei operam omisit, vt verè instigatu DEI agi & agere videretur. Quocirca Adami nostri ne tum quidem adhuc initiati & 2. Ianuarij anno 1549. è medio laborum abrepti vitæ instar esto, id quod 6. nonas Februar. 1549. de illo scribit magnus & virtutum perspicientissimus S. Franciscus Xauerius lib. 2. ep. 11. propè finem. *Visum est* DEO *dulcissimum fratrem nostrum Adamum Franciscum ex hac vita euocare vt ei plurimorum maximorumque laborum persolueret præmia. Mors antecta vita respondit, quæ quidem quantum ab alijs accepi, & ipse perspexi, sanctitate floruit. Vir fuit planè pius, magnique animi ardore in Ethnicis ad Christum aggregandis. Equidem magis illi me commendo, quàm ipsum commendo* DEO; *persuasum enim habeo eum iam beatitudine, ad quam natus erat perfrui.* Hæc de Adamo Francisco S. Xauerius.

Labores multi, & magni.

P. PETRVS BALBAS.

Hispanus Compluti. Ian. 2. 1572.

PEr ipsos decem annos rebellis lumini, quo ad Societatem inuitabatur, tandem ex Abbate S. Iusti factus est nouitius omni accuratione absolutus. Ad Magistri pedes supplex aperiebat sua intima vsque ad fundum cordis. Suspexerunt exempli illius magnitudinem Academici, & vrbs tota. Sub natales Christi ferias anno 1571. dixit se à Christo è Virgine nascente, loco strenę asperum quodpiam morbi genus flagitaturum, & qui boni haberet nihil quod illi offerret, certè ærumnosi mali quidpiam pro donario illi consecraturum. Et verò illa Christi nocte sacris tertium operatus, repentè eò redactus est, vt 2. Ianuarij anni 1572. animam egerit, cùm lætus identidem ingeminaret verba illa: *Viuat* DEVS! *Ad Cælum, ad Cælum abeo, & illam gloriam capesso! gloriam iam capesso.* Ita quarto initi sacri tyrocinij mense felix tyro ad capessenda breuis militiæ præmia est vocatus.

Vocatus. Nouissimo.

Desiderium patiendi.

Mors.

BER-

BERTRANDVS CORNELIUS COADIVTOR.

Belga. Louanij. Ian. 2. 1602.

HIc lautam illam ante cineres noctem lætus agebat in sæculo Iuuenis ingenio turbido, & ad vana proiecto. Repentè illâ nocte tactus Diuinæ lucis radio, de æternitate ad socios, efficacitate tantâ verba fecit, vt qui nugari hominem primò putabant, vbi seriò agentem viderunt, stupuerint mutationem dexterę Excelsi: duobus qui aderant viris primarijs repentè tunc ad meliora conuersis. Ipse verò Societate illâ desertâ, Societati IESV se addixit, exquisitè ad omnem rerum diuinarum, & officij sui apud ægros tractationem attentus. Mirum illud, cùm pungente semper conscientiâ irrequietâ inquies illum per omnem vitam scrupulis exercuerit, supremo in morbo timidas illas & anxias religiones omnes repentinò illi fuisse absterſas, ac mirabili cum tranquillitate commutatas.

Vocatio.

HIERONYMVS ABARCA SCHOL.

Hispanus 2. Ian. vt ait Menolog. Stratij. 1601.

CVm ad Peruanum Prouincialem eques iret, vt ab illo ad Societatem admitti peteret, vnà cum equo in rapidissimum flumen cecidit; & aquis ac ab equo superincidente obrutus, DEI Matris opem implorauit atque persensit, dum statim inde emersit incolumis. Cùm non admitteretur, nobilis licèt Iuuenis, ad tyrocinij fores sedit, Aethiopi pallium, pileumq; donauit, constantiâ euicit vt reciperetur. DEIPARÆ auxilio alijs omnibus nequicquicquam tentatis, à scrupulis conscientiæ tranquillatus est omnino. A pueritia, & etiam in Societate, id illi in perpetuo more fuit, vt eo temporis interuallo, quo bibebat, SS. IESV & MARIÆ nomina cogitatione identidem imploraret.

B. V.

Vocatio.

B. V.

Scrupuli.

Mensa.

Iesus Maria.

MATTHÆVS DE VOS SCHOLASTICVS.

BRugis natus, perpetuus in studio se fortiter subigendi atque vincendi animo planè insigni, ac erecto, & auido patiendi. Si vel vmbram suspicaretur interceſſisse, quâ domi quempiam offendisset, in genua & lachrymas fundebatur, vt veniam obtineret. Sanctissimum Sacramentum visebat frequenter. Diuinæ verò Matris coronam pietate singulari quotidie recitabat, idque tantâ constantiâ, vt posteaquam illam semel recitare incœpit puer, deinceps per omnem vitam nullo vnquam die, quo demum cunque obtentu omiserit.

Belga Louanij 1. Ian. 1623. ætat. 20.

Mortific.

Charitas.

B. V.

Constantia.

P. FRANCISCVS DE ENZINAS.

IAm inde à puero *deuotus Virginis Matris* dictus, quam omni precum quas reperiebat, genere, ac institurâ sæpe nouendiali pietate, colebat. Vir eximiè pius, & fide dignus persanctè retulit, conspectam à se DEIPARAM, quæ compositum & oblatum sibi à Patre Francisco Marianum librum, hilarè ab ipso acciperet. Visus est aliquando fusâ de vultu radij fulgentis luce ac in librum vibrata in templo, tenebris incubantibus è libro horas caconicas recitasse, cùm illas ob confitentium confertam vim prius exequi minimè potuisset. Per annos 30. Bisagaros Indos excoluit, dura ibi passus; & tamen se miris cruciatibus dirè exercens.

Hispanus Manilæ. 2. Ian 1632.

B. V.

Vide Annales meos Marianos 1632.

Oratio.

MAXIMILIANVS GRIMALDUS SCHOL. NOVIT.

Italus. Neapoli 2 Ian. 1643.

SOcietatis veste tunc in morbo primùm impetratâ, & votis ritè conceptis mortuus. Multa tenera de illo annuæ: Inter quæ illud, quòd ad Eucharistiam se persancto & longo silentio præpararit, quòd singulis noctibus acri flagello se ceciderit, quòd à Bma. Virgine mortem pro Christo cruentam petierit, quòd Seminarij grande fuerit in omnibus documentum; quòd denique illius mater, illustrissima fœmina, in templo Domus Professæ Neapoli, inter Societatis tyrones tunc templum fortè ingressos Maximilianum suum, veste Societatis insignem vigil, attenta, & læta conspexerit, cùm tamen ille æger domi decumberet. Ita catalogo nostro, & breui tumulo illatus est, ætatis anno 14. & illi in templo Domus Professæ, tanquam vni è nostris est parentatum.

Silentium.

Mortific.

S. Xauerius.

Pridie quàm supremùm decumberet, per quietem vidit S. Xauerium, qui contubernij conuictorum, in quo ipse degebat, adolescentes omnes accerseret, vnum ex eis Cæli candidatum selecturus, qui proximè mortem oppeteret, quemque ipse Xauerius ad superos asportaret. Coniectis omnium adolescentum in vrnam nominibus, vidit suum, *Maximiliani*, nomen primâ sortitione extractum.

P. HENRICVS SCHACHTIUS.

Germanus In Missione Hamburgensi 2 Ian. 1644. ætat. 71.

TRia vota Professus. In Suetiam penetrauit; vtque latens Catholicos iuuaret securiùs, artificem muscipularum simulauit, apud Zachariam Anthelium Consulem Vpsaliæ diuertit, & ibi cunas agitauit, gerulæque vices identidem subiuit. Demum à Regis musico, qui cum esset Apostata se Catholicum simulabat, proditus, è lecto in tetrum carcerem abreptus, planè nudatus, frigore, pædore, catenis, ter equuleo acerbissimè cruciatus, iamque gladij supplicio in fidei odium inferendo vicinus, tamen quia hospes non item ciuis erat, viuere permissus, at Regno proscriptus est. Anthelio consule, & Gregorio Vrsino Secretario in odium Catholicæ fidei securi percussis. Quæ ille omnia per quietem viderat, paucis antequam caperetur diebus, ita vt ipse in hæc verba descripsit, de se quasi de alio loquens: *dormiebat quartam inter & quintam matutinam, cum raptari sibi visus est in aulam magnificè ornatam, atque inter confertam, quæ collecta illic erat multitudinem collocari. Stabat in capite aulæ ingens ara, cuius in opposito, ad angulum sinistrum ex ostiolo progressus alta vir statura, vestem indutus attalicam albam, truci vultu turbam contemplatus, capite innuit Anthelio consuli, mox & Vrsino, vt ad aram pergant. Quorum, dum eunt, momento capita in ara collocata sunt absque trunco. Tertio dein adolescenti dum idem innuit, iuit & ipse, sed tristis admodum; cuius etiam caput dum eidem videtur ara imponi, repente tanquam inuisibili manu proiectum volutabatur in terra. Tandem idem trux ille vir Schachtium nostrum à summo ad imum aliquamdiu contemplatus; Tibi, inquit, tanquam peregrino parcam.* Hæc ille scripsit, & expertus est. Adolescens verò ille sub ipso gladij ictu fidem negauit, & tamen cæsus est. P. Henricus autem postea in Tillianis castris, denique per annos 24 in Rheno inferiore laborauit, vsque ad ætatis annum 71. & mortem obiuit in missione Hamburgensi.

Fides.

III. DIE

III. DIE IANVARII.

BALDVINVS CVVILLONIVS.

Belga Tornaci 3. Ianuarij 1592.

LAutæ, ac nobilis hæreditatis hæres vnicus. Hunc etiamnum nouennem & orphanum audita Sanctorum aliquot Patrum vita ita permouit, vt cum alio quodam, cum quo ætatis, amicitiæ, ac ſtudiorum ſimilitudo maxima illi erat, in collem vrbi vicinum abiret, quò ibi ſolitarius ea imitaretur, quæ de Sanctis illis eremi Patribus auditione acceperat. Deinde cùm apud Eccleſiaſticum virum educaretur, & mores patris de Societate cuiuſpiam (qui quas Aduentus & Quadrageſimæ vocant conciones habebat ad populum, & eadem in domo vnâ cum ſocio Nouitio religiosè admodùm diuerſabatur) itemque ſocij modeſtiam obſeruaret; ad idem vitæ genus exarſit, ac tandem poſt annos plures flexis humi genibus cum lachrymis Societatem impetrauit, & ingreſſus eſt, peruictis omnibus, quæ obſtabant, cùm identidem ingeminaret verba illa: *Væ vobis diuitibus.* Et: *difficile eſt* diuitibus *poſt delicias ſequi delicias.*

Exempla Sanctorum.

Exempli vir.

Nouitus. Vocatio.

Pecuniam quam pro itinere ad Nouitiatum acceperat Patri cuidam dedit, vt ab eo tanquam ex obedientiæ manu viaticum acciperet. In tyrocinio ad illatas Societatis veſtes exultabundus: *Saluete,* inquit, *auguſta eorum paludamenta, qui de mundo triumpharunt, ex quorum conſpectu longè plus haurio voluptatis, quàm vnquam ex aliarum veſtium pompa deguſtauerim.*

Obedientia.

Tum abiectus in genua libellum horariarum precum B. Virginis, Icones, Roſarium, & quidquid pij inſtrumenti habebat Magiſtro Tyronum dedit, ab illo accepturus, quod ille dare vellet, vt nihil, inquit, vllâ ratione dicere meum poſſim, vt nihil quamuis diuinum habeam, niſi à manibus obedientiæ, hoc eſt DEI. Reliqua quoque virtus in illo ea fuit, vt non virtutis rudimenta condiſcere, ſed excelſum eius faſtigium exemplis oſtendere diceretur conſummatus in breui.

Paupertas.

IOANNES VERENTIA COADIVT.

Nauarrus Mexici. 3. Ian. 1609.

HIc in ea quæ Mexicum inter ac Angelopolim eſt ſolitudine, nullo vocis authore deprehenſo, quidquid circùm omnia perdiligenter luſtraret, vocem primò, iterum, tertiò diſertè dicentem audiſſe fertur, quæ illi aut Religionem, aut æternas pœnas indicebat. Societatem complexus, in tyrocinio vidit B. Virginem inter duos ſenes mediam; quæ placidè ac blandè tyroni renidens, vt loquuntur annuæ, vadem ſe obtulit pro Ioanne nouam Filij ſui militiam ingreſſo. Mirâ laboris & orationis aſſiduitate fuit præſtans Coadiutorum exemplum, & qui Mariam Vadem ſuam verè non fefellerit. Sic de illo is, qui eius arcana per 19. annos pernouit, Rector Collegij Mexicani.

Vocatio.

B. V.

P. ANSELMVS CRUCIUS.

Belga Louanij 3. Ian. 1619.

IN ſæculo vir opulentus & liberalis erga pauperes, milites, Religioſos, potiſſimum erga Societatem. Catharinæ Daniels vxori, & neptibus pecuniam

Eleëmoſyna.

cuniam ad pauperes copiosam in corbibus efferre se dicentibus, respondebat: Efferte, sed mihi centuplum reportate. Cum Catharina sua (Cuius vita typis edita in lucem est) tanquam cum sorore per annos 28. in Matrimonio vixit: & illâ ad Annunciatas secedente, Societatem amplexus est, Beatissimâ Virgine Montis acuti prius in consilium opemque propositi vocatâ, Mathias Houius Mechliniæ Archiepiscopus cùm abeunti benè precaretur; Nunc dimittis, aiebat, seruum tuum Domine! gratiasque agebat pro tam raro exemplo, quo suum Episcopatum ac ætatem ornasset DEVS. In Societate tametsi *Humilitas.* & pluribus domicilijs, & sæpè, & magna beneficia præstitisset, se tamen infra omnes ducebat; & 54. iam annos natus ad infima quæque cum Nouitijs se demittebat. Superiori non nisi demissis per summam modestiam oculis, & aperto capite loquebatur *S.P Ignat.* S. P. Ignatij semper præcipua in illo memoria & pietas; quippe cuius beneficentiam erat expertus quando non sine miraculo per illum à difficili hernia est persanatus. Nunquam, etiam in senio, Coadiutorem vllum cubiculi sui administrum admisit, quidquid ætas id, & collata in Societatem tot luculenta beneficia postularent. Vesperi cubitum tardiùs concedebat, *Manè.* manè tamen quieti nunquam vltra præstitutam omnibus horam indulsit.

P. PETRVS LE CAMUS.

Gallus obijt Virduni, 3. Ian. 1654.

CVm aliquando vehementissimo patiendi desiderio accensus, flagranter petijsset plurima & maxima pro nomine IESV pati, è vestigio tor- *Desiderium patiendi.* mentis se corripi, ac toto triennio instar Iobi dirè cruciari sensit. Moritu- rus, non semel petijt à Superiore, vt sibi per illum liceret in triclinio coram omnibus publicam omnium totius *Humilitas.* vitæ noxarum exomologesim instituere.

IACOBVS DE ALAGON COAD.

COadiutor è diuite Marchionum de Villasor familia oriundus ætatis anno 44. in Societatem receptus est; quam & Ciuitatibus quas possidebat, & nuptijs quæ luculentissimæ offerebantur, præhabuit. In illa ad omnem perfectionis laudem perseuerantes intentus, stabuli, culinæ, verrendæ domus mediastinum se fecit, cùm hæc aliàs vehementer horreret: desiderabat carere illâ lætitiâ quam sentiebat in corde, quòd DEO soli seruiret. Hæc demissionis via illum ad in- *Oratio.* timam DEI familiaritatem perduxit, *Obedientia.* quæ illum aliquando à sensuum quoque vsu abduxit, mox tamen sibi redditum, si Superior loqueretur.

Sardus Calari. 1. Ian. 1614. *Humilitas.*

Cùm stomachum assiduis ieiunijs destruxisset, ac per vomitum continuum nec diuino Sacramento refici posset, P. Rectoris consilio Beatissimâ *B. V.* Virginem pro accommodando stomacho precatus. 1. Ianuarij Diuinæ mensæ accubuit. Vt stemmatis sui claritatem absconderet Iacobus de IESV *Cust. sensuum.* dici desiderabat. Oculis & Linguâ in castimoniæ leges iuratâ, fœminas non nisi quàm breuissimè, quamque rarissimè, ac demissis semper oculis allo- *Castitas.* quebatur. Feria sexta & Sabbatho *Mortif.* perpetuum illi ieiunium: adiectâ quoque publicâ disciplinâ Sabbatho quot- *Sabb.* hebdomadis. Fuit cùm vnico DEIPARÆ Matris aspectu ab vsu sensuum *B. V.* auocatus, non nisi auditâ Superioris voce sibi est restitutus.

IV. DIE

IV. DIE IANVARII.

BERNARDVS CANTABER COAD.

Hispanus 4. Ian. Toleti. 4. Ian. 1559.

AS. P. Ignatio ad Societatem admissus, eiusdem missu in Hispaniam pedes profectus est mendicato. B. Borgiæ fuit vnicè charus; & apud omnes in ea existimatione virtutis, vt illum summis elogijs honorarent. Lingua illi ad pectora inflammanda felix, & potens in familiari vsu. Toleti in Xenodochio inter ægros contagionem & mortem hausit, posteaquam illis præclarâ extremæ charitatis impigritate ita seruiuit, vt eius corpus postea non sine veneratione sit conditum, & fama viri desiderium testata eius virtutes fusè narrarit. Mens illius habitabat semper in Deo absorpta vsque adeò vt orantem dæmon interpellare non semel conatus, illum instar magni serpentis nunc circa collum, nunc ad lumbos cinxerit, varijs terriculamentis illi molestus; illo interea ad hæc velut cæco & surdo, nec idcircò à precibus desistente.

Charitas.

Oratio.

P. IOANNES BEIRA.

Lusitanus. 4. Ian. 1564.

ANno 1544. in Societatem adscitus, in Moluco immensis ærumnis toleratis; anno 1556. vt ibi narrat Orlandinus, cùm innumerabilis multitudo murium, Christianorum popularetur agros, & agricolarum labores effoderet, atque consumeret, nec essent vlla medicamenta veneni, quæ tantam soricum turbam extinguerent, sacris aquis per arua dispersis, mures omnes fugauit, qui Ethnicorum in agros & prædia abiêre magnâ eorum depopulatione, damnoque. Melchior Carnerius litteris ad P. Generalem datis ait, eum in virtutibus aurum fuisse purissimum.

Aqua benedicta vsus.

Aurum virtutis.

P. DIDACVS PVELLAS.

Hispanus Gandiæ. 4. Ian. 1576.

IN Aragonia natus, Obedientiâ planè insignis; cuius tunc etiam documentum dedit, quando per integri unius anni spatium ad assignatam sibi à Superioribus lectionem in scholis legendam seu docendam, constanter itabat; licèt non nisi vnicum discipulum haberet, à quo audiretur. Angelicum quiddam in eo elucebat, ex eo natum, quòd semper in DEI præsentis cogitatione versari assueuerit. Diuinitùs videtur didicisse, quando esset è vita discessurus nam aliquot diebus ante prædixit, se octauo post SS. Innocentium die migraturum è vita, & migrauit.

Obedientia.

Modestia pietas.

Mors.

P. MICHAEL A FONTIBVS.

Hispanus Valentiæ. 4. Ian. 1609.

ANnos viginti in Indiæ laboribus exantlauit, S. Thomæ Aquinatis imitatione Sacro alteri quotidie intererat, præter id quod ipse celebrabat.

B. V.

Fessum laboribus Beatissima Virgo illi spectabilis solari visa, citra Purgatorii pœnas ad Beatos iturum promisit; quod beneficium feriâ secunda acceptum perpetuâ quothebdomadis memoriâ coluit, illo die humi cibum capiens, & operam suam culinæ tran-

Feria 2.

Mortif.

scribens officijs, ad lances more consueto. De illo alicubi ad concionem dicente, Religiosus quidam magnæ virtutis, ecquis esset, percontatus, dixit se diuinitus accepisse (sic litteræ Aragoniæ ad verbum) Ideoque certum sibi, hunc ipsum Societatis Iesv Patrem, cælesti Patriæ ciuem esse designatum. Alius è S. Francisci familia, vir sanctimoniæ ac doctrinæ nomine insignis, apud Antistites ita de P. Michaële (vt Archiepiscopo ipse nominatim explicuit) locutus est: Paucis retrò annis ex hac vita migrauit è Societate quidam, cuius anima cæli regna conscendens obuios habuit Deiparam, Apostolorum Principem & B. Ioannem, Sanctum denique Patrem Ignatium. Gestabat veneranda Dei Mater suis ipsa manibus coronam, quâ mox felicem illam animam honoris ergò donauit.

Prædestinatio.

Mors.

B. V. S. P. Ign. Sancti.

VINCENTIVS DE ROCHA SCHOLAST.

Lusitanus. Eboræ. 4. Ian. 1610.

VItæ priùs quàm philosophiæ cursum absoluit. Quarto ante mortem die, sanus tum adhuc, breui se moriturum dixit. Inter morbi difficultates dicebat: non sat est Domine, non sat est. Mortem nuncianti, amplexum & cilicium, quod sub ceruicali habebat, dono dedit lætus. Quotidie per mediam horam coram SS. Sacramento in templo orabat. Cubitum iturus, priùs ad singulas per cubiculum imagines adibat, & Sanctos illos de genibus, veluti vale faciens, salutabat. Per Aduentum totum non minùs arcto ieiunio se afflixit, quàm postulet vernum Quadragesimæ Ieiunium. In se flagris & modis alijs animaduertendo, nunquam sibi satisfacere posse videbatur. Lucida illius modestiæ suauitas Academiæ totius oculos delectabat, seu dicendum illi esset aliquid seu silendum. Illud magni & felicis signi instar habitum, quod eâ die, quâ è paterna domo se in Societatem recepit Vincentius, luculenta fax hac atque illac domum illustrans, & istic velut obambulans, spectantibus id Vincentij parentibus, luce multâ domum occupauerit, ardentis ac lucentis Vincentij documentum.

Morbus.

Mortis desid.

Eucharistia. Vesperi.

Sancti.

Mortif.

Vocatio.

Nouitius.

V. DIE IANVARII.

EDVARDVS DE SILVA. COADIVT.

5. Ianuar. Lusitanus Tacasci in Iapon. 1564. ætat. 37. *Fides.*

SOcius S. Xauerio dilectus, primus fuit qui Iaponicam Grammaticam Lexicaque copiosè composuit magno Sociorum vsu. Funaij vnico baptismo ab illo centum è primoribus & triginta lustrati. Aiunt cùm à Rege Bungi ampla potestas fuisset facta fidei Christianæ quaqualibet propagandæ, Eduardum occasioni tam nobili flagrantiùs imminentem effusè in eos labores incubuisse, cibi, potus, quietis propè omnis immemorem, indeque morbum mortemque traxisse, primum qui in Iaponia vitam in sudore glorioso posuerit. Scribunt Socij, illum omnem sæuitiam inenarrabiliter in se afflictando exercuisse; tam fuisse feruentem, vt Ludouicus Almeida scribat, neminem adhuc ei parem à se conspectum. Pater verò Melchior Nunnez vocat hominem consummatæ virtutis.

Mortif.

P. IOAN-

P. IOANNES MALDONATUS.

Hispanus. Romæ. 5. Ian. 1583. *Mors.*

HIc Romæ mortuus in lecto repertus est, anno 1583. Ian. 5. sed morte ad quam se probè compararat.

Commentarios in 4 Euangelia scribere meditanti per noctes aliquot adfuit quispiam hortator, qui illum impensè incitabat ad opus flagranter prosequendum, & addebat fore vt operi supremâ impositâ manu non diu esset superstes futurus, simul certam partem corporis digito indicabat. Neglexit hæc, vt vana somnia, Maldonatus; rei tamen veritatem intellexit, cùm commentario exantlato & anno 1582. Decembris 25. ad Præpositum Generalem deportato, dolore acerrimo vrgeri se persensit eo in loco, quem olim nocturnus ille monitor indicarat. Solenne illi fuit quotidiè præstitutis eam in rem quinque temporibus, quinquies mortem sibi ob oculos ponere, ac seipsum introspicere numquid esset quod sibi morienti aliquid anxietatis posset afferre. Si quid artis occurrebat ad tollendum, tollebat statim; vt sibi leuamento quàm posset optimo pro necessitate illa vltima prouideret. Fuit, qui dum Sacris pro illo ad illius corpus operaretur, magnum humanarum rerum tædium & magnum Societatis ineundæ sibi esse iniectum desiderium senserit, id etiam postea executus.

Mortis meditatio.

P. IVLIVS FATIUS.

Neapolitanus in monte Regali Ian. 5. 1596. *B. V.*

DEIPARÆ Matri mirè addictus, cuius Angelicâ salutatione recitatâ è mortis præsentissimæ periculo mirum quendam in modum est liberatus, cum etiam tum puer in mare decidisset; cuius amori Senex librum conscripsit dicatorum MARIÆ dierum mysteria continentem; cuius obsequijs, & Societati Beatum Stanislaum Koskam & Claudium ac Rudolphum Aquauiuam Nouitios in spiritu educauit, Romæ illorum Magister. Crucifixo immoriens illa sæpius iterabat: Inter brachia Domini mei! mei! mei! & viuere volo & mori cupio!

P. PETRVS TORRENTINVS.

Brunæ. 5. Ian. 1615.

BRunæ magno sanctimoniæ nomine celebratus, & magnâ orandi, dulcissimè gubernandi, doloresque acerbissimos patiendi virtute præstans obijt.

Aiunt cadauer illius per ipsos 30. annos fuisse incorruptum, ac etiamnum esse.

P. IACOBVS GRANADUS.

Hispanus. Granatæ 5 Ian. 1631. ætat. 60. *Examen partic.* *Oratio.* *B. V.* *Mortif.*

GRanatæ mortuus, cùm examinis particularis accurationem vsque ad 4. Ian. perduxisset, torâ vitâ quotidie ad illud attentus. Inter sacrificandum, & orandum, lachrymis & miris quibusdam donis cælestibus affluebat, quæ scripto ad Confessarium afferens, addebat; ora pro me, & tace pro me. Illustris illi facies aliquando conspecta, & oratio tam attenta, vt Marianum Rosarium recitans non aduerteret strepitum portæ cubiculi, vel cuiuspiam conclaue ingressi. Quotidianâ flagellatione in se animaduertebat, habebatque Ephemerides beneficiorum à DEO acceptorum. Sunt qui dicant illius post mortem, salutem reuelatam; illum de sua salute certum.

redditum adhuc in vita; illos item non perituros pro quibus ipse preces cum lachrymis effudisset. Habent & alia plura in illo admirabilitatem, sed nos hîc imitatricem potiùs virtutem quę-rimus, quæ in Granadi magni theologi doctissimâ virtute habet plurima quæ consectetur. Eius vita in annum 1632. plura de illo dabit.

VI. DIE IANVARII.

P. ALPHONSVS DE CASTRO.

Lusitanus. In Molucis. Ian. 1558.

VLyssiponæ aurifice Patre locuplete natus, à S. Xauerio in Societatem receptus, inter varia quæ à Barbaris pertulit, cùm fidem propagaret, mansuetudine fuit omnibus admirandâ. Cibo vescebatur sine oleo, sine sale; ne palato placeret.

Mortific.

In Maurica regione à Mahometanis nudatus, & nauigio crucifixi instar alligatus, postea ad truncum vinctus, verberibus laceratus, sub dio cæli iniurijs, ac infestis bestiolarum aculeis toto corpore expositus, promissis &

Fidei.

crebris & grandibus ad Mahometi perfidiam inuitatus, cùm fortissimè id negaret, iterùm cruciatus, per octo dies inedià miserabili vexatus, atque ad fidem deserendam iterùm multifariam per dulcia & acerba inuitamenta tentatus, admirabili semper sibi compotis animi æquitate, constantiâ,

Patientia.

hilaritate, capitis sententiam, & mortem ipsam ore blando, ac orans accepit. Araldus ait, eum S. Andreæ instar cruci alligatum, nudum Soli, ac muscis expositum. Deinde sub costis

Crux.

securi saucio additi alij duo ictus. Cadauer ex littore in mare deturbatum, tertio die in eodem littore iterùm repertum est splendens miro lumine, ac vulneribus sanguine recenti manantibus. Aiunt oculati testes idem cadauer in scopulo per dies plures sedere visum, aquis in fornicis ferè modum supra curuatis. vnde illi admirabilitas, & apud Mahometanos etiam veneratio haud vulgaris; Rege quoque, magnitudine animi eius auditâ, dicente: *Quid simile nostri Caziquij?* Carnificum alij pustulis fœdè exesi, & sacro igne ardentes, vlulantesque, alij aliter perièrè. Is qui sacrum eius calicem indignè tractauit, corpore miserè tumido extinctus est. Addunt etiam hos dum interirent, Alphonsi nomen implorare auditos.

IOANNES MESEGVER. COADIVT.

6. Ian. 1580. Hispanus. Maioricæ.

HIc nocte intempesta sanus licet, interno tamen quodam instinctu Maioricæ ad Superiorem adijt, & pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis ad mortem sibi iam iam imminentem communiri enixè petijt. Illis perceptis ad cubiculum redijt, vbi Medico

Mors.

nullum isthic, nisi phantasiæ, morbum esse dicente, hodiè requieuit in pace.

IOANNES DIAZ COADIVT.

Hispanus. 6. Ian. 1611.

IN Philippinis Insulis. Dulachium missus, frigore, fame, naufragio squalidus, hodiè interijt. Tres tempestati superstites, aiunt illum cum alijs, 6. dies calamitosè iactatum, tertio post naufragium die illis ærumnis inter-

ternectum, cùm socios ad preces atque ad fortissimam extremæ famis, frigoris, & mortis iam incubantis tolerantiam fuisset flagranter hortatus, & vnum breui post extinctum, ab Idolis per Baptismum Christo lucrifeciſſet. Silentio, laborandi, & cum Christo semper aliquid patiendi desiderio fuit eximius.

Fortitudo.

Zelus fidei.

VII. DIE IANVARII.

IOANNES CARRERA.

Hispanus 7. Ian.

HOc die, quo anno incertum, fit memoria eius mortis, qui Angelo suo custodi familiarissimus anno 1553. Burgis dubia sua & consilia omnia cum illo conferebat, & responden-

Ang. custos.

tem ad interrogata habebat in promptu, ab eodem ad orandum quotidie excitatus. Cùm aliquando somno victus non statim surrexisset, Angeli consuetudine per dies aliquot veluti absentis caruit; sed multis ieiunijs ac precibus tandem vt rediret obtinuit, qui antelucani excitatoris apud Ioannem, & consultoris, ac Magistri vices iterum obiuit, absentiæ suæ diuturnæ causam, illam in surgendo negligentiam fuisse testatus.

Mane.

P. PETRVS MASCARENIA.

Lusitanus in Regno Manadæ 7. Ian. 1583.

HVnc hoc die veneno ab Ethnicis propinato internectum affirmat Index eorum, qui in Christi odium è vita sublati sunt. Salsetanos pagos sexaginta sex primus excoluit. Apud Ternatenses templum condidit: apud Selebes Moluco vicinos, Sionium & Manadium Regulos, Regem item Sangium, Reginam, Proceres plures quà ibi, quà alibi, Christi vexillo subiecit. Ad necem quæsitus à barbaris Euangelio infensis, per octo dies in silua latuit, herbisque victitauit. Aliàs ab ijsdem indagine cinctus, mirè tamen per montem se ac prærupta deuoluens euasit. Aiunt illum, cùm haud indiligenter quæreretur, ab ijs repertum, & visum: sed illi feram esse rati, non hominem quem indagabant, eum innoxium omisêre, nec deest qui illos fugisse affirmet. Fœminam ab alui profluuio, acerrimisque doloribus, adeoque à vitæ discrimine liberauit confestim ac Euangelium ritè super eam recitauit, oratione adiectâ. Virum biennio paralyticum, lectoque affixum eodem Euangelij ac orationis alexipharmaco persanauit. Illud verò sibi longè tenerrimo fuisse solatio affirmauit, quòd cùm è monte subiectum pagum non sine commiseratione (quippe à Dei veri cultu alienum) aspiceret, repentè pueri vocem è valle sese efferentem audiuerit, dicentis: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* quâ voce ad agendum & patiendum summa omnia maximoperè exarsit, in loco illo horroris laudem SS. TRINITATIS perfici dulcissimè gratulatus.

Oratio.

SS. Trinitas.

AMBROSIVS FERNANDEZ COAD.

Lusitanus obijt in carcere Omuræ 7. Ian. 1620. ætat. 59.

EMilite ac mercatore Societatis religiosus factus in Sinis, demissione ac pietate omnibus charus fuit. Nunquam verbo minus amabili aut perturbato vllum alloqui est auditus.

Fides propagata.

Paupertas. Illis vtebatur quæ alij suo vsu attriuerant: vnde per ipsos triginta annos nunquam nouum quicquam quo indueretur admisit; vino quoque ac bellarijs nunquam vsus, nisi id facere iuberetur. Hunc inter labores Euangelicos in Iaponia martyrium sitientem, & expectantem in carcere Iaponico per annum & 22. dies tolerato, tandem frigore, fame, paralysi, alijsque ærumnis consumptum mors hodie occupauit. P. Carolus Spinola erumnarum socius ac laudator, de illius capillis decerptũ quidpiam lipsanothecæ suæ ad priuatam veneration nem inclusit: & omnes qui vnà cum eo in carcere luculentæ in igne mortis gloriam opperiebantur, de socio in cælestem libertatem siccâ morte asserto læti, & collachrymantes, præeunte Religioso quopiam viro, *Laudate Dominum omnes gentes*, pro gratiarum actione cecinêre.

P. IOANNES FRANCISCI.

Belga Cortracj 7. Ian. 1614. ætat. 77.

TRes quotidie coronas Beatissimæ Virginis recitabat. 1. pro defunctis. 2. pro perseuerantia in Societa. Aiebat enim, auditam sibi tyroni ad aures allapsam vocem huiusmodi: *Ioannes, si in Societate perseueraueris saluabere. Sin tuâ culpâ ex ea dimissus fueris, damnabere.* Quocirca in omnem ætatem enixè orabat Socios: Orate pro me, ne excidam vocatione. Peccata quotidianâ confessione eluebat; & vt gratias referret Christo hospiti post Sacrificium celebratum, tribus quotidie alijs piè intererat. De peccatis venialibus, quòd quotidiana essent, anxius, sæpè sic suspirabat: Domine, impone mihi finem, qui finem nunquam impono! Si quid premeret; Domine, aiebat, da hîc patientiam, & postea indulgentiam. Celebrabat gratus beneficentiam DEI Matris, eius manu se aiebat vndis ereptum, cùm puer in eas decidisset. Omnem locum precibus idoneum inueniebat. Cubiculum in septem patientis Christi mysteria & stationes diuidebat, easque istic obibat. Vultus illi nunquam in diuersâ mutatus, quicquid accideret. Litanias è varijs DEIPARÆ laudibus contextas quotidie recitabat. In morte; Orate, aiebat iterum, pro me, ne vocatione excidam.

...itius.
Vocatio.
Conf quotid.
Venialia pcc.
Iaculatoria.
Passio Christi Cubiculum.
B. V.

VIII. DIE IANVARII.

P. IOANNES MANUEL.

Hispanus Granata, 8. Ian. 1579. ætat. 40. Soc. 15.

MAgnam Illustrissimi sanguinis gloriam, & spes inde gliscentes, non sine admiratione suorum ac dolore, cum Societatis humilitate coniunxit, fuitque vir inter socios primæ notæ quoad eminentiam virtutis, doctrinæ, ac rectionis. A B. Borgia Nouitijs instruendis præfectus, ibi, & postea in gubernandis Collegijs, magno Eliæ zelo ardens, nihil de Angelicâ modestiâ, nihil de paternâ suauitate in se desiderari est passus. Totum illi amoris, & lucubrationum thema erat thesaurus in Christo crucifixo nobis absconditus. Fama erat, illum & absentia & cordium arcana introspexisse non semel. Cùm extremùm æger decumberet, dicentibus breui meliùs valiturum, disertè respondit: Nihil estote soliciti: per hæc natalis Domini festa sentiam aliquid leuamenti; sed breui post implebit desiderium

Crucif.
Mort.

derium meum DEVS. Ita euenit. Ad sextum vsque Ianuarij diem valetudine vsus est mitiore: tum decubuit, atque occubuit.

FRANCISCVS A VILLA REGALI COAD.

8 Ianuar. Hispanus Mexici 1699. *Iaculatoria.*

MAgno planè orandi & lachrymarum dono insignis. *Laudetur Dominus noster* IESVS *Christus*, perpetuum illi acroama erat. Schedis eandem sententiam inscribebat, quas Sanctorum quoque nominibus inscriptas & in capsula conditas circumferebat per Vrbem, ac vinctis, & alijs donabat, ad IESV & Sanctorum venerationem. Grandis natu *Aue* MARIA simplicitate sanctâ dulcissimè modulabatur, triclinium perreptans ad pedum oscula; id quod moriens, vt ab alio, nomine suo, fieret impetrauit. IESV nascentis cunas in stabulo inter mîras exultantis animi delicias celebrabat, sæpe aliàs quoque fixis in cælum oculis noctu in suprema ædium parte repertus, abstracto à sensibus non absimilis.

T. V.

Oratio.

Charitas. Patientia.

Actus heroicus.

Mortific.

Taupertas.

Tabe ac odore horrido teterrimam Indi miserabilis cicatricem purgabat amanter, & S. Catharinæ Senensis atque Xauerij exemplo renouato penè quotidie lambebat. Etiam in festa ætate sibi & otio infensus verrebat domum; se vibicibus exarabat; genibus flexis horas nocturnas plures ducebat; manibus & facie lotâ nec absterså, ad frigus prodibat, vt se cruciaret. In cubiculo, non mensam, non sedem, non scabellum habens, libellum pium lecturus Bibliothecam adibat. Vestes illi tam viles, vt meliores quærendæ fuerint in quibus tumularetur, nec vlla vestis totâ in domo illius veste vilior est reperta. Fuit extraneorum quispiam qui decerptam vnà cum alijs de illius veste particulam, religioni sibi duxerit secum gestare, nisi priùs conscientiâ expiatâ; impium aliàs & sacrilegum se fore arbitratus.

P. IOSEPHVS SCAMACCA.

Siculus Panormi. 8. Ian. 1627. *Innocentia.*

HOdie innocentiam nullo vnquam (vt opinio est) lethali peccato temeratam secuto iam in loco per mortem collocauit. Conciones illius non vanæ, sed sanctè solidæ; quas dum haberet, visus est aliàs insidentem vertici columbam gestare, aliàs lucis radio illustrari. Dæmonem ab eius cubiculo Beatissima Virgo prohibuit, quam ille impigrè & religiosè colebat. Quendam de Societate vno mense post illius obitum vidit è Purgatorio glorioſum abire in cælum. Inter' suauissimos lætitiæ ac diuini amoris actus diem clausit. Vir magnâ virtute præstans, nec sine ijs, quæ admirabilitatem habent; de quibus in eius vita, ad annum 1627.

Concionator.

B. V.

Purgatorr.

P. IOANNES VAELS.

Belga Dunkerckæ. 9. Ian. 1628. ætat. 61.

HOc die moriens, filioli, aiebat, diligite alterutrum. Sacramento Confessionis conscientiam quotidie expiabat, semper intentiori animi curâ in id intentus, vt proficeret. Sub vitæ finem non priùs ad somnum ibat quàm à Superiore benedictionem acciperet. Superiores vt Angelos venerabatur, benedictione pro mortis quoque articulo petitâ obedientiæ Sanctæ nutu. Illius effata sunt ista: *Nunc incipiemus. Posthac melius.* Ad S. Ioſephi cultum præcipuum se voti Sacramento obstrinxit. Sabbathinum

Charitas. Conf quotid.

Obedientia.

S. Ioseph.

DEI-

B. V. DEIPARÆ amori ieiunium ita perseueranter tenuit, vt nec per iter, si in Collegio quopiam hospes esset, neque vllo laboriosorum itinerum obtentu illud laxare voluerit. Si qua in *Humilitas.* re monebatur, erat mirè facilis ad audiendum & obsequendum; quæ virtus in omni ætate vt laudem ita studium eximium commeretur.

P. PETRVS GROSSIUS.

Italus in Corfica. 8 Ian. 1633. ætat. 36. Soc. 19.

DEIPARAM Virginem tenero Matris nomine honorabat, colebatque vt filius perpetuâ virginitate atque innocentiâ ab omni mortalis peccati noxâ, vt constans de illo fama est. *B. V.* Vt animabus quæ in flammis purgantibus detinentur, & quas ille *sorores* *Anima purgat.* suas appellabat, opitularetur, plurima eis donabat officia pietatis; eademque de causa se acriter flagellis accipiebat quotidie, ac cilicio vexabat; adiecto gemino quothebdomadis ieiunio pane ac frigidâ circumscripto, quamdiu per Superiores id ei licuit. Vt sensim *Mortif.* se ad orandi assiduitatem scitè atque constanter exerceret, impensè studebat; iamque ad ducentos pietatis viuæ actus peruenerat, quos quotidie *Oratio.* religiosè exercebat: cuius rei egregium paradigma superiori aliquando oxhibuit in scheda descriptum. Intra vnius *Iaculat.* anni spacium ferè sexies illi eueniebat, vt contentione nimiâ diuinis operantem vires deficerent, & nec verba efferre, neque stare sine adminiculo posset, illis persimilis, qui diuina patiuntur à mente abrepti. Cùm ex *Sexies.* Indico itinere in Italiam redire cogeretur, nobilem operam posuit in Corsicæ missionibus; vt amissam desiderati apud Indos martyrij spem illis laboribus solaretur. Ligneam DEIPARÆ *B. V.* cum Christo icunculam semper gestabat è collo, ad extimulandam assiduam pietatem. hanc ille sæpè in morbo arctè complexus, in eius amplexu mori optabat, & non sine illa etiam sepeliri.

P. IACOBVS BAUNACH.

Germanus Moguntiæ. 8 Ian. 1655. ætat. 78. Soc. 52.

MVlta huic iam inde ab adolescentia inerat suauitas, & rerum spiritualium tum peritia, tum de ijs loquendi cupiditas; adeò vt cùm Philosophiæ daret operam, celebri apud æquales elogio *Spiritualis Magistri* cognamentum tulerit. In senio ad otium benè collocandum, DEIPARÆ rosa- *B. V.* rium ter quotidie, vt minimùm, recitabat. Cuius honori nobile post se monumentum reliquit, ædem DEI- *Domus Lauretana.* PARÆ, Lauretanæ illi (quantum ars imitatrix assequi potuit) longè simillimam, quam ille in Collegij pago Ciffeldorp à fundamentis extruxit, plus quàm mille imperialibus eam in rem corrogatis atque impensis. Mitis illi *Lingua. Charitas.* patientia, etiam in senio: vnde facilè cedebat; ne quid scintillæ non amicæ excitaretur, si suam sententiam tueretur. Fuit Confessarius duorum Principum tam religiosus, tam prudens vt aulis ille plurimùm profuerit, aulæ illi nihil nocuerint.

P. GVILLELMVS THOMAS.

Gallus Corisopiti. 8 Ian. 1657. ætat. 77. Soc. 50.

QVicquid labore ac industriâ poterat ad animarum salutem, totis viribus procurandam, inquirebat, nec omittebat Armoricam linguam didicit ætate iam prouectâ, vt pluribus prodesset, eodemque idiomate catechesin sacram composuit, ac typis vulgauit, & vndequaque dispersit; *Zelus animarum.* ad

ad missiones impigritate mirâ promptus, ac laborum patiens quos diligentis operarij munus in Societate affatim subministrat. Extrema vitæ canendis Deo laudibus, & Psalmis recitandis pretiosè occupauit. Non defuisse virum probum aiunt literę, de illo ex Gallia Romam datæ ad Præpositum Generalem, qui eum post obitum à se visum assereret in veste splendidâ cælum ascendere.

IX. DIE IANVARII.

P. IOANNES RUIZ.

Hispanus Madriti. 9. Ian. 1556. ætat 32. *Humilitas. Charitas.*

NObilem adolescentem ab alio alapâ percussum, & dedecus vindictâ eluere meditantem flexis humi genibus, fusisque vbertim lachrymis per Christi alapâ percussi reuerentiam, & modestiam verbis appositis rogauit vt parceret, permouitque adeo vt & ille se in genua proiecerit, iniuriæ memoriam omnem se abijcere ingenuè amanterque testatus: quippe hoc se Christi exemplo, & charo suo Magistro (nam eius auditor erat in Scholis) dare. Oblatum sibi munus, quo vires per iter Murciâ Madritum reficeret, vt acciperet, necessitas fecit, ne dantem offenderet; ne attingeret, effecit sui victoria. Integrum ergò Madritum attulit, Superiori dedit, dixitque se, vt illud veniâ non petitâ per iter admitteret, necessitate adactum; nullam tamen fuisse necessitatem vt acceptum libaret. Is qui septem annis illius intimâ familiaritate vtebatur, aiebat, videri sibi Ioannem in Adamo, vt dicimus, non peccasse. Castitatis tuendæ duo illi Summa præsidia, summus DEIPARÆ cultus, & summũ corporis sui odium. Disciplinæ, cilicia, inedia, lapides in lectulum coniecti, somnus breuis, prolixa oratio illi semper in vsu. Rectori lapides illos ecquid sibi vellent, petenti respondit: Flus animum suum inde commodi quàm carnem incommodi accipere. Moriens DEIPARÆ paruulum complexæ imaginem, eo ipso die à Duce quodam Collegio donatam tenero amplexu tenebat, amantissimeque adstringens, oculis, osculis, manibus versans, arridens, pedes paruuli suauijs veneratus, incomparabili dulcissimæ lætitiæ suauitate abijt è consortio mortalium, communi famæ testificatione semper innocens vitæ, sceleriseque purus. Vnum eorum lapidum, quibus in lectulo collocatis indormiebat, & mediam cilicij partem Dux Methymnæ, reuerentiæ ac suæ erga Ioannis virtutem obseruantiæ causâ, petijt, & impetrauit.

Paupertas. *B. V.* *Mortif.* *Lectus.* *B. V. Mors.*

P. IOANNES EMANVEL LEON.

MAgni fiebat à B. Francisco Borgia, ob exquisitam humilitatem nobilitati magnæ coniunctam. Voto concepto spopondit se in Societate Coadiutorem, non Sacerdotem velle degere in humilitate profundâ. Sed iussus est sacris initiari, & Domicilijs gubernandis præfectus. Præter multa alia, quæ mirè cognouit antequam euenirent, etiam quadriennem paruulum Societati nomen daturum ex vero prædixit. Puellis in sacro Cœnobio constantiam non tenentibus, magnas ærumnas minatus est. Earum vna nec ad matrimonium ad quod aspirabat,

9. Ian. Hispanus. Granatæ. 1579. *Humilitas.* *Prædictiones.*

peruenit, & vlceribus ac morbo pediculari contabuit, alia matrimonij pertæsa se infelici laqueo voluit alligare, ac tandem vnà cum prole paruula morbo eodem, quo prima illa consumpta, interijt.

Mors. Tertia in partu vnà cum fœtu quem enitebatur tristem animam exhalauit. Mortis suæ tempus prædixit. In morbo incredibili DEI videndi desiderio tenebatur, & quicquid diceret erat: *Calum, Calum, Calum.*

P. BALTHASAR GAGUS.

Lusitanus Goæ 9 Ian. 1583. ætat. 75. Soc. 35. *Fides;*

A Sancto Xauerio, & Bungensi Rege impensè honoratus, post generosos labores breui istic duo millia Christianorum numerauit; libro quoque contra Bonzios edito, quem Rex ipse suâ manu descripsit. Templa ibi, & alia pietatis domicilia excitauit; multifariam vexatus, nuditate, contumelijs, mortis minis, Euangelium felicissimè propagauit, signis quoque secutis ad fidei firmitatem.

P. HIERONYMVS TORRENSIS.

Hispanus Monachij. 9. Ian. 1611. *Sensuum custodia.*

VIr, qui non annis modò, sed etiam virtute ostendebat mores priscę illius ætatis, & S. P. Ignatium se nouisse. Oculis, ac linguâ modestissimus, nil de externis loquebatur; oculos in vultum ferè nullius conijciebat. E multis quæ merebatur hoc vnum aiunt de illo fuisse verissimum illi datum elogium: *Nunquam in silentij legem, vel verbulo peccabat. Nunquam quidpiam aut facere visus quod Societas prohiberet, aut omittere quod iuberet.*

Silentium.

P. FRANCISCVS DE VBIERNA.

Hispanus Alnionacidij 9. Ian. 1623. *B. V.*

BEatissimæ Virgini, seueræ paupertati, Crucifixo Christo insigniter fuit addictus. Quindecim annos vitæ à DEO per Beatissimam Virginem pro auctario impetrauit. Cùm enim Compluti Theologiæ cursum percurreret, ad extrema adductus dolenter tulit, se rapi ante labores, dum videret in se tantas à Societate factas esse impensas; & ad B. V. imaginem conuersus, vitam petijt saluti plurium impendendam. Respondisse fertur ex imagine Diuina Mater, preces illius exauditas esse, votoque potiturum. Persanatus per totos illos 15. annos velut à Bma. Virgine de sepulchro eductus, quantis potuit laboribus animarum saluti se impendit: domi verò in cubiculo non nisi coram Crucifixo inuenichatur supplex de genibus precibusque intentus. Paupertas illi vndequaque religiosissima. A morte nihil in eius cubiculo inuentum est, nisi tres è simplici charta imagines, testes illius pietatis & paupertatis.

Zelus anim.

Oratio.

P. MATTHIAS RORIVE.

Gallus Mussiponti. 9. Ian. 1636. *Confessio.*

HOc die Mussiponti benè manè vnà cum alijs, quartâ à media nocte horâ surrexit sanus; ad Confessarium aduolauit; & simul Confessarius illum absoluendi, simul P. Matthias viuendi finem fecit; præclarum confessionis ita semper, atque si postrema esset, accurandæ documentum.

Mors.

X. DIE

X. DIE IANVARII.

P. PAVLVS DE VALLE.

Lusitanus Punicali. 10. Ian. 1552. Societatis initæ 5.

NVllis verbis explicare se posse aiebat quantâ fuisset voluptate perfusus, cùm Cocini amplexum à S. Xauerio accepisset. S. Xauerius vicissim illum *virum egregia virtute* vocat, In ora Piscaria, cùm ad Bagadas pro concione vernaculo sermone diceret fidei ac morum normam tradens, repentè ab irruente barbarorum manu occupatus; probris, vinculis, cippo per mensem integrum oneratus; inediâ deinde torque, post libertatem adeptam, post maritimum discrimen (quod periculoso natatu euasit) incommodis vexatus est, vt ærumnæ tam variæ morbum illi, mortemque attulerint.

Fides.

Quendam imperato priùs silentio, de imminentibus turbamentis, & simul de modo consilij in ijs capiendi verus vates edocuit. Semel Bœticæ, bis Toletanæ Prouincialis fuit. paupertatis planè absolutæ, adeò vt ne vnam quidem pictam imaginem è cubiculo in cubiculum migrans efferret. Orationi artificio tanto addictus, vt orandi occasionem ex ijs ipsis quæ occurrebant petitè acciperet: vnde, quod ipse illi quocum arcana sua conferebat est fassus, vix dies abibat, quo non 12. horas orationi dedisset, omnia sua consilia primò cum DEO tractans. Pro Franciscæ de Leon 27. Aprilis anno 1589. mortua, oranti, illa cælesti pulchritudine decora se stitit, & ab eo tempore P. Ludouicus diuinæ misericordiæ thesauros largiùs in se effusos aduertit.

Prædicta.

Oratio.

Orat pro mortuis.

P. LVDOVICVS GVSMANIVS.

Hispanus Madriti. 10. Ian. 1605. *Mors. Sanct.*

S. Paulo primo Eremitæ impensè addictus fuit: cuius die se decessurum ante quatriduum cuidam asseueratione magnâ prædixit. Calumniæ illi impactæ authores, ne pœnas darent apud homines interceßit; sed breui à DEO punitos nemo non agnouit. Is, qui Societate postulante, rem examinabat Nuncius Apostolicus, dixit sibi ab eo, quem ad id delegerat, Patris laudes mirificè prædicatas, vtpote qui diceret se de illo talia comperisse, vt posset in Sanctorum numerum referri: paria enim à se de illo deprehensa ijs, quæ iussu Pontificis de aliorum vita inquirens audisset, vt Sanctorum Catalogo insererentur.

Charitas. Patientia.

P. FRANCISCVS FERNANDEZ.

Lusitanus. Porti, 10. Ian. 1615. ætat. 80. Soc. 50.

POrti per 45. annos Minister, Procurator, vice-Rector sine querela. Tentatus studio seuerioris vitæ, in tyrocinio aliò à Societate abiturus, Beatam Virginem Lapensem peregrinus adijt, veluti consultricem. Ibi illi mens repentè tranquillata est. & ille Conimbricam redux toto itinere virum præclaræ formæ ac Imperio dignæ comitem habuit, qui ad vrbis ingressum euanuit. *SS.* Eucharistiam populo cum lachrymis distribuebat. Beatissimam Virginem quoties per gradus ascenderet vel descenderet, salutabat. A mula cùm aliquando raptaretur, dispersâ iam omni supellectile, inuocatâ Bma. Virgine repentè & mulam

B. V. Vocatio.

Euchar.

B. V.

lam stitit, & quæ amiserat, licèt in tenebris recepit. Ad leges accuratè seruandas mirificè diligens, licèt præesset, ac aliqua sibi eò licere putare posset.

Oratio.

P. IOANNES DECKERIUS.

VIrginitatem, quæ illi perpetua fuit, vsque ad vitæ metas, emendatissimâ & manus potissimum ac oculos verecundè componente modestiâ sanctè vbique ornabat. Compertum est Neapoli, vbi tyrocinio ac ac Theologiæ operam dedit, quò se Ioannes in lachrymas, quibus affluebat, laxaret vberiùs, cubiculum illi datum in quo sine socio degeret. Mortis quadam præsensione cùm vltimum sacrificasset, illud vltimum fuisse Sacrum dixit, & verò fuit. Nam deinceps illi per ea quæ patiebatur valetudinis incommoda sacrificare non licuit. Opus ingens magno quadraginta annorum studio elaboratum & luce dignum; cùm tenebris damnari videret à quibusdam, dixit se id æquo animo ferre; neque turbandum si à Superioribus in ignem totum illud opus conijcere iuberetur. Duo Belgæ ingenuè fassi sunt, se ab illo paulò antequam mortem oppeteret accitos monitosque vt Græcij porrò studere pergerent. Cùm verò illi patriæ desiderium præ se ferrent, eorum alteri dixit, extra patriam moriturum; alterum verò è patria exulem in Germaniam rediturum, id quod euentus in vtroque firmauit. Morientis hæc suprema erant suspiria. Veni Domine IESV, veni, venio. P. Iacobum Tyrinum tunc adolescentem, fusis pro eo precibus, non sine singulari diuinæ prouidentiæ ductu, Societati lucratus videtur. A cœnula feriæ quintæ in Cœna Domini vsque ad prandium diei Paschatis ieiunus vixit, absconditus cum Christo Crucifixo in DEO.

Belga Græcij, 10. Ian. 1619.

Castæ modestiæ.

Oratio.

Mors.

Patientia.

Vaticinatio.

More.

Vocatio.

Mortif. Passio Christi.

P. FRANCISCVS DA COSTA.

MAgno animo, ingenio, doctrinaque, sed virtute maiore, inter paucos insignis, siue Romæ ac in Lusitaniâ: doceret, siue Eboræ præesset. Quinto ante obitum anno ex Italico itinere Massiliam cùm diuertisset, in Sancto illo S. Mariæ Magdalenæ ergastulo, post longas & multis cum lachrymis fusas preces socio dixit, se non nisi quinque annis victurum. Prædictionis veritas è morte post quinque annos inter admiranda, & inflammata cum DEO colloquia obita, manifestò apparuit, S. Mariâ Magdalenâ mortis tam piæ vt olim nuncia, vti credimus, ita etiam postea adiutrice.

Lusitanus Conimbricę 10. Ian. 1614. ætat 48. Societat 27.

Mors S. Maria Magdalenæ.

Oratio.

XI. DIE IANVARII.

P. FRANCISCVS PINTUS.

ANgræ in Tertia à bono IESV dictâ insula natus, in Societate spiritualis Coadiutor, & Brasilorum per annos triginta magister Apostolicus, atque orandi vt auidus, ita sciens fuit. Eum anno 1582. in Bahyensi Collegio ægrum, & iam de spe vitæ depositum P. Iosephus Anchieta Prouincialis allocutus, iussit se ad magnos pro Deo labores parare: nec enim leuem manuum lotionem præcessuram priùs quàm æternæ ac cæle-sti

Indus occisus in Brasilia 11. Ian. 1608.

Fides.

sti mensæ accumberet. Confestim ergò vestes illi porrigi præcepit, ac dixit: *Surge, age: atque ad Sanctissimum Sacramentum te confer, gratias Deo pro sospitate hac redditurus.* Surrexit obedienter Franciscus repentinò sanus: templum adijt; gratias egit. Postmodum ad barbaros Tapoias missus, per famem, sitim, frigora, per aperta securibus ardua & impedita itinera ad Ibiapanos vnà cum P. Aloysio Frigheria penetrauit. Sed cùm obstinatè pertinaces illas ceruices Christi iugo per nullas artes posset subigere, ac illi æterni Euangelij præcepta inuiti audirent: hoc die (vt habet Index MM) ab irruentium globo repetitis ictibus vecte ligneo est interemptus maxillis confractis, excussis oculis, cranio comminuto, in desertis Ibiapanæ montibus, eo ipso tempore quo operam dabat horis diuini Officij recitandis. Socio ad necem quæsito, nec reperto, sæuitia omnis in sacram supellectilem furenter effusa. Corpus, barbaris quoque deinde veneration i fuit, quòd dicerent, se beneficentiâ illius pluuiam è cælo in sitientes agros elicere. Huius nempe mortis gloriam ei P. Iosephus Anchieta prædixerat sub symbolo manuum ante cæleste conuiuium lauandarum.

Eucharistia.

Oratio.

P. FRANCISCVS ALBERTVS.

LIteraturæ, ac virtutis exactæ vir, & Orientalium linguarum apprimè peritus, eaque propter de plurimis præclarè meritus. Smyrna peste afflicta illius charitatem luculenter experta suspexit. Eadem nauitas in Naxo insula eluxit: vbi cùm epidemico malo afflatæ fœminæ opem ferre Sacerdos Græcus horreret, ipse adijt morientem, eamque Sacramentis expiauit, morbo lethali mox inde correptus. Aiunt qui morienti adfuêre, totum eius cubile (verba sunt epistolæ de illo conscriptæ) miro lumine per horam & amplius circumfulsisse; atque paulò post cùm corpus terræ mandaretur, suauissimum perceptum fuisse odorem.

Gallus in Naxo insula incerto die. 1651.

Charitas.

Mors.

XII. DIE IANVARII.

P. ANTONIVS MADRIDIVS.

A Pastoritia vita ad Scholas transgressus, & Salamanticæ Theologiæ Doctor, in Societate postea cùm vestem primam indueret mirabili gaudio delibutus, errorem correxit, quo putabat se nonnisi mœstissimam vitam in Societate ducturum. Nunc verò aiebat se proximas cælestibus delicias experiri, qui ferè hactenus in inferno vixisset. Asthma quo laborabat, vocabat suum optimum monitorem. In concione ardens & potens, prius in se sæuius desæuiebat, quàm in suggestum prodibat. Verùm illi postea non nisi 15. ictus permissi à Beato Borgia, dicente; reliquum obedientiæ daret. Fertur, quodam die Compluti, plurimas flagitiosæ frontis feminas concioni Antonij adfuisse, atque vnà omnes ab obscænitate suâ resipuisse, in tuto mox portu castimoniæ collocatas. Dono lachrymarum mirificè felix, in se excitando ac perurgendo flagrans, dicebat sibi: *Morere tibi: perpetua* DEI *laus vita tua sit: Orationis tempore sic vtere, quasi*

17. Ian. Hispanus Compluti. 1563.

Vocatio.

Latitia spirit.

Morbus.

Concionator. Mortif.

Oratio.

Iaculatoria. Cor.

cœlesti pane ad animi nutrimentum. IESV, *custodi cor meum in timore & amore ante oculos tuos, qui me vndique conspiciunt.* Vocabatur *carbo ignitus*, accendens domesticos & externos igne amoris DEI. Compluti 1. Ianuarij ita dixit, vt non Madridij, sed Angeli ea fuisse concio diceretur. Mox æger, sub mortem Sacrosanctam Trinitatem flagranter allocutus: *Valete Patres*, inquit, *ego eo.* Ad Crucifixum post plura: *Habes ait, vbi diuitias bonitatis tuæ ostendas. Tu Agnus* DEI *qui tollis peccata Mundi, & huius scelerati peccata tolle.* Mox Mariæ Matri gratiæ, vt in hora mortis susciperetur, se commendans, viuere desijt.

Mort.

B. V.

P. PETRVS AZEBEDIUS.

Hispanus Madriti. 12. Ian. 1573. *Mortific. Carnu, & sanguinis.*

VIr cùm alijs Virtutibus clarus, tum sui subigendi studiosus. Toleto diu abfuerat, neque tamen suos interuisere voluit, illac postea iter habens Madritum; vt quibus iam pridem non viueret. Impetrauit Socium, à quo de culpis, quas fortè aduerteret, corriperetur; vtque ille haberet quod diceret, earum ille catalogum adnotabat & dilectum illum amicum illas legentem fixis humi supplici gestu, aperto capite, genibus, cum significatione voluptatis audiebat.

Humilitat.

P. PETRVS MANRIQUE.

Hispanus Compluti. 12. Ian. 1577. *Vocatio.*

HIc opulentam domum speſque ingentes & Sacerdotij luculēti lautitiā cur Societati post haberet, prēclaro commentario testatum fecit, & multis ad religiosam vitam eo maiori exemplo fuit, quo è maiore gigante factus est vnus de minima Societate IESV, quæ res multos ad lachrymas, nonnullos ad imitationem quoque permouit. Vita illius in Societate ferè illustris ad mortem apparatio fuit. Sub Crucifixi Christi effigie affixit hæc verba in cubiculo: *Sepelire, cum sis mortuus: fœtebis insepultus.* Hanc in curam prouidenter omnia referebat, vt morienti prodessent, quæ ageret. Hunc in finem libellum extremo tempori destinatum, delectis Psalmorum & SS. Patrum sententiis impleuit, legendis tunc à quopiam ad id iam destinato. Prædixit sanus, se ad finem sequentis septimanæ migraturum è vita. Et migrauit suauitate, ac pietate tantâ, vt Dominico Fernandez Coadiutori, moriendi desiderium iniecerit; petentique vt sequi posset, id se à DEO impetraturum receperit; id quod & impetrauit vt 8. May dicam in Dominico.

Cruciſ.

Mort.

P. IACOBVS LEVANTUS.

Siculus in Missione Pattensi. 12. Ian. 1598. vel 99. *Vocatio. Tentatio.*

HIc à Societate olim defecerat, sed reditu impetrato, damnum inconstantiæ mirabili ardore, ac vocationis æstimatione, fusis perspē vberrimis lachrymis pensauit, magnum Domi & foris exemplum. In Pattensi Missione, cùm de Philippi Regis obitu concionaretur, vates mortis suæ factus prædixit. Quis scit vtrum ad decimum quintum diem (de meipso primùm loquar) sit peruenturus? Tertio decimo die febri accensus, impensè desiderabat nostros audire loquentes, ideoque rogabat enixè socium, vt loqueretur, incredibile enim est, inquiebat, quantum solatij capio ex nostrorum colloquio: videor enim mihi cum Angelis colloqui. Sic ille à casu suo fortior ad magnam virtutis præstantiam assurrexit.

Mort.

P. IOAN.

P. IOANNES GERARDINUS.

Belga Pultoriæ. 12. Ian 1606. *Obed. Mort.*

HIc moriens aiebat, eum qui lætus mori vellet, illam sibi lætitiam vt obedientiæ alacritate pararet. Animam suam ad felicem breui exitum è parietinis corporis mirâ plenus fiduciâ hortabatur. Promissum Religiosis regnum Cælorum, qui nempe Patrem, Matrem &c. reliquerit, syngrapham suam vocabat; illam verò Christi affirmationem, *Amen, Amen*, dicebat esse duo sigilla. Quocirca negabat se inuitum mori, vtpote syngrapha gemino illo sigillo munitâ pro Cælo luculenter instructum. Inter suprema, quæ dixit, fuêre hæc. O MARIA! *certè tribularer nimium si nescirem tuum patrocinium. Quæsopia Mater, clemens Patrona, dulcis Virgo in hora mortis tuo præsidio fulciar, tuo munimine protegar. Tu quasi Terebinthus extende ramos, & me lassum refocilla.*

Vocatio.

B. V.

P. HIERONYMVS RAMIREZ.

Hispanus in Mexico in missione. 12. Ian. 1621. ætat. 63. Soc. 43. *Mortif. Vocatio.*

ANte initam Societatem, non vnam, eamque nobilem de se victoriam retulit, cum pauperibus ad cœnobiorum fores aliquando vesci, & vlceroſum mendici pedem osculari conspectus. Repentè vir specie venerandâ illi apparuit, & disertè dixit, DEI voluntatem esse vt se Societati Iesu adiungeret. Vt de Diuinis rebus colloqui posset ardentiùs, collegerat dicta & facta insignia Sãctorum, quæ narrabat. Ante alios vnâ horâ semper orabat manè, alterâ deinde cum alijs. Per iter crucifixum è sinu educebat, & suauissimè illi loquebatur. In Mexico Tepegnanos & Parras primus adijt, eoque lucem Euangelij primus inuexit, perpessus plurima, & semper animabus intentus. Adolescentem quendam in conclaui repentè adijt, & monuit, ne cogitationibus quibus impetebatur locum daret, ac in ijs aspellendis esset magis experrectus & celer. Collegio Conuictorum cùm præesset, sæpe arcana cordium adolescentum ei aperiebat Deus. Vnde veniam exeundi aliquando petentibus, eam negans dicebat quid acturi exire vellent, adeoque illos ad confessionem hortabatur. Quare illi ab eo ad confessarij pedes abibant. Et si quis non satis benè conscius sibi esset, cauebat ne in oculos illius incurreret, quippe cui corda iuuenum manifesta esse credebant passim. In missionibus plurimos ad fidem Christi adiunxit.

Colloquia.

Oratio.

Fides.

Castit.

P. CORNELIVS MURGIA.

SIlentij, cubiculi, studiorum, ac animarum DEO quærendarum enixè amans, internos DEI loquentis instinctus obedienter audiebat, præclarum piæ semper modestiæ spectaculum. Morituro adfuit Beatissima Virgo Mater, & paruulum è sinu IESVM illi ostendens, magno illum solatio impleuit, vultùm verò radijs lucis perfudit. Hinc illi suauissimæ lachrymæ, fortis dolorum patientia suspirijs piè condita.

Sardus. 12. Ian. 1640

B. V.

XIII. DIE

XIII. DIE IANVARII.

P. FRANCISCVS ADORNVS.

13. Ian. Italus Genuæ. 1506 æt. 53.

S. Caroli Cardin. Borromæi Confessarius, ab eodem in amore ac reuerentia vnicè habitus. Carolus Episcopus Nouarienſis teſtis eſt, Franciſcum ſuum obitum prædixiſſe, ac pro concione dixiſſe; viſum ſibi in gloria Carolum Borromæum iam mortuum, qui bene ſecum agi dixerit, adieceritque. Tu quoque breui accerſêris. Id quod ita haud multo poſt expertus eſt, mirâ quadam pulchritudine poſt mortem afflatus. Procacem fœminam (quæ liberali eius formâ pellecta, ſcelus ab eo blanditijs flagitare aggreſſa fuerat) caſtiſſimo ingenio eluſit, quando turpificatâ ſordibus, ſeu retrimentis è latrina petitis, facie fœdiores illius amores in horrorem nauſeamque conuertit.

Mors.

Caſtitas.

P. BARTHOLOMÆVS IACOBI.

Potoſinal. 13. Ian. 1589.

NEſtor quidam, & Xenophon Indicus videbatur duabus illis quas percallebat Linguis, tam eleganti ſuauitate loquens, vt ab Indis *Mizqui*, *Simi*, id eſt, *Lingua Mellea* diceretur. Nec minus vtiliter ac ſalubriter quàm ſuauiter fluebat illi oratio, magno fructu cùm aliorum tum eius quæ domi noſtræ eſt Sodalitatis: in qua cum non niſi 80. capita reperiſſet quando appulit, poſt quatuor menſium interuallum in eadem mille quingentis plures è vita diſcedens reliquit. Peſtis inundans in populum ſæuiebat. Hunc ille dum toto niſu adiutum iret, magnâ id genus heroum morte ad immortales abſceſſit.

Concio. Colloquia.

Charitas.

P. CONSTANTINVS PVLCHARELLVS.

Italus Neapoli. 13. Ian. 1610 æt 41. *Mortif.*

MOrbis ſuis non ſatur, corpus ieiunijs, oratione, communis diſciplinæ perſeuerantiâ, lectuli loco terrâ nudâ, puluilli vice trunco afflictauit. Ioannes Paulus Carcauellus in præfat: Poëſis Pulcharelli, Conſtantinum, inquit, etiam infantem, cum tabes ignota conficeret, Mater Laurinis foliis tumulatum ſoli expoſuit, quâ re illi ſalus reddita. Præclarum, ſed breuis æui ingenium, quia quartam annorum decadem non niſi anno vnico ſupergreſſum.

P. IOANNES DE OLIVA.

Bahyæ in Braſilia 31. Ian. 1652. æt. 80. Soc. 60.

DE hoc è Braſiliæ literis ita ſcripſi in annuis 1657.

P. Ioannes de Oliua 4. vota profeſſus, olim tyronum inſtitutioni atque Collegiorum plurium rectioni præfectus, eo in officio ita rem geſſit vt cum facilè primis poſſit conferri. Incorrupta illi conſtitit ſemper Virginitas; illibata circa leges noſtras, citra vllam violationem in eo vnquam viſam religio. Comis erga omnes reuerentia, etiam cùm præeſſet. Quo tempore, ſicut ſe immunem eſſe à nullo reliquorũ onere volebat, neque quicquam commoditatis, vel minimæ in cibo, potu, aut alijs, clam vel palàm admittebat; ita nihil patiebatur vel committi eorum quæ lex prohibet; vel eorum quæ

Regula.

Superior. Moreſific.

quæ mandat, omitti, omni perattentæ curæ ac exempli pondere in id intentus; atque si quispiam sociorum aliquid voluntariæ afflictationis, palàm susciperet, semper illius in ea comes. De diuinis familiaris illi sermo ac frequens, nec siccus à lachrymis; maximè cùm de Christo paruulo nascituro ad socios diceret pridie eius festi. Ab Hollandis per iter captus, & in Belgium asportatus, Amsterodami in carcerem, ac vincula constrictus est post multas ærumnas nauigationis. Biennio istic summa egestate exacto, liber tandem Romam, inde in Lusitaniam profectus, & suæ Brasiliæ restitutus, istic maturum vitæ tam piæ ac laboriosæ finem inuenit.

Colloquia spirit.

XIV. DIE IANVARII.

P. IOANNES DE LA HAYE SERVIVS.

14. Ian Belga Duaci. 1614.

EXperrectæ semper, & quæstuosæ in DEVM fiduciæ vir, etiam in re domi valdè arctâ, magno Duacensis Collegij bono. Quidquid litterarũ dabat ad viros maioris nominis, eas primò ad Patrem spiritualem expendendas afferebat. In suo conclaui pro stationibus obeundis imagines hac & illac affixerat, quas obibat, cum in templo id æquè crebrò ac vellet, non posset. Hunc Belgæ inter magis illustria Belgij lumina censuêre. Permagna illi semper, quantę demumcunque occupationes irruerent, ad Sacrificium diuinum persanctè celebrandum apparatio, vita vbique attenta, paupertatis tanta religio, vt ne, repertæ quidem vnius aciculæ vsumadmitteret, nisi magnâ reuerentiæ significatione rogatus Superior annuisset.

Fiducia.

Humilitat. Pietat.

Sacrum.

Paupertat.

P. MARTINVS DE MELLO.

CVm Collegijs, vel Prouinciæ præesset pollebat suauitate nulli suspectâ & arte obliuionis, quâ delebat, quicquid vllus deliquisset, si tamen emendasset. De Societate tam tenerè loquebatur & audiebat, vt animi sensum dissimulare non possent oculi, & cadentes ab illis vbertim lachrymæ. Fidelis erat & seuerus alienæ famæ custos, ne quid maculæ ab vlla lingua illo præsente acciperet. Obedientia erat illi norma examinis, ad hanc enim expendebat quicquid totâ die dixisset aut egisset, an id obedienter sit factum. Castitas illi tam nitida, vt illum nunquam expiatione vllâ eguisse affirment. Paupertatem habuit reuerenter vt matrem, & velut illius verè filius haberi voluit. Per totos triginta annos eadem illi vestis, si tamen eadem dici potest, cùm cento fuerit è frustulis, maiore paupertatis, quàm vel sui commodi, vel alieni oris de hoc aliquid fortè dicturi curâ.

Lusitanus Eboræ. 14. Ian. 1617. ætat. 70. Soc. 55.

Superior. Vocatio.

Obed.

Paupert.

XV. DIE IANVARII.

P. ÆGIDIVS GONZALVS DAVILA.

15. Ian. Hispanus. Madriti. 1596.

HVnc vtero gestans Mater aiebat visam sibi videre se radios lucis ex vtero vndequaque circum effundere. Fuit vir eruditionis reconditæ, suaui ac modesto & sagaci ingenio, siue Prouincias gubernarat, siue pro Hispania Romæ Generali Euerardo Assistens adesset, ab Hæreticis in Gallia captus, & grauiter, neque citra vitæ periculum saucius. Moriens canebat Hispanicè, videam te, bone IESV! oculi mei videant te! & ego statim moriar.

In vtero.

Mors.

ILDEPHONSVS LOPEZ COADIVTOR.

Hispanus. Mexici 15. Ian. 1597. ætat. 62.

E Medico, in Societate factus est Coadiut. anno ætatis 50. postquã opibus suis cœnobiũ virgin. condidisset; vnum item Nosocomium partim suis, partim aliorum impensis corrogatis erexisset. Per annos 12. in Societate transegit, semper nudis asseribus indormire, corpus variè vexare, semper ad ea, quæ humilitatis & laboris plurimùm habent officia sese vltrò abijcere illi in delicijs fuit. In primo tyrocinij aditu alteram barbæ prolixioris partem ipse sibi vltrò abstulit, alterâ relictâ, vt ne ad seculum remitteretur. Hilaritate tantâ se difficillimis quibusque laboribus dabat, obedientiæ vbique oraculo DEI voluntati obsecutus, vt diceret excepto Patre Ignatio neminem in Societate vitam lætiorem duxisse, quàm ipse duceret, malle verò se vitam, quàm obedientiam dimittere.

Mortif.

Obed.

Vsearia.

IOANNES DE CRVCE COADIVT.

Hispanus Laureti. 15. Ian 1599.

EMilite anno 1559. Societati adscriptus Florentiæ, vir simplex & rectus, cui etiam simplicitati datum quòd dissimulanter permitteretur generalem (quam horrebat) confessionem tantisper differre, sed libenter illam obijt, posteaquam visa DEIPARA illum noctu in lecto, at vigilem, & vultu & verbis increpuit, quòd parùm obedienter ageret, auderetque in Societate sui Filij esse, confessione generali pro more necdum expiatus. Opem DEIPARÆ inclamantem, & omnia promittentem, species illa deseruit: & Ioannes ijs, qui ad illas clamantis voces excitiaccurrerent, rem candidè ita vt erat exposuit Florentiæ cùm emptoris munere fungeretur, militi cuidam egeno carnes emere volenti pecuniam mutuam dederat: Rector simplicitatem hominis risit, quòd putaret eam sibi à milite restituendam. Quocirca ioco adiecit, vt à carnibus interea abstineret, dum pecuniam redderet miles quam acceperat. Plures hebdomadæ, & fortè menses, abierant, cùm Ioannes à carne abstinuit; id quod vbi Rector aduertit, rei iam pridem oblitus, laudatâ hominis obedientiâ, iussit illum carnes comedere. Et mirâ DEI rem ita disponentis voluntate, miles eodem die restituit pecuniam mutuò pridem acceptam.

B. V.

Confess. gen.

Simplic.

Obed.

P. LEON.

P. LEONARDVS LESSIUS.

Belga Louanij 15. Ian. 1623.

MOrborum, & dolorum Seminarium illi fuit fœda contagio, quæ per iter in diuersorio in lectulo illum adorta, & se in pedes potissimùm exonerans, totâ illum vitâ exercuit fortissimis persanctæ patientiæ documentis. Pro capiendo consilio cor eleuans, DEVS *qui corda* &c. recitabat. Inter surgendum, de B.V. *Concede quæsumus* &c. & Litanias Lauretanas pro constantia in Societate quotidie. Noctu verò surgens Litanias de Passione Domini, & Iubilum S. Bernardi. Colicâ, stomachi doloribus, calculo, herniâ duplici, dirè exercebatur; & tamen ieiunio ac flagellis in se in clemens fuit, insuper totis 30. annis non nisi semel quotidie comedisse contentus. *Amor meus crucifixus est*, erat epigraphe quam ipse cubiculo suo fixit. Multa de illo eiusque imagine circferuntur, quæ admirabilitate non carent, sed ea percensere erit alterius loci.

Patientia.

Consilium.

Manè. B. V.

Noctu.

Mortif.

ANDREAS WILSONIVS SCHOLAST.

Anglus Audomari. 15 Ian. 1634.

PVlcherrimo ad amandum DEVM & fortia pro illo ferenda animo præstans adolescens. Aiebat moriens, laboraturum se pro DEO totis viribus etiam per mille milliones annorum, si hoc DEO sic placeret. Carnem penè totam locis quindecim ad ossa vsque penetrans morbus, doloresque absumpserant; hiabat illa, & ossa multifariam ostendebat, videbat illam exuri & indies magis deficere consumique Andreas, & gaudio gestiens has animæ veluti parietinas dissolui, anhelabat ad eam, cui suauissimo desiderio imminebat, æternitatem, spei desiderijque inter dolorum diritatem plenissimus. Suprema eius inter mortales vox fuit, magno & illius & audientium sensu vibrata: *Auge*, DEVS, *dolores*; *auge patientiam*; *fiat voluntas tua!*

Pia desideria.

Patientia.

P. PETRVS CRAVINA.

IN noua Hispania magnâ sanctimoniæ famâ excelluit, & animarum zelo. Cùm Christianus miles contra barbaros confligeret, vidit Capitaneus Xuarez P. Petrum (qui tamen procul aberat) seu eius speciem sublatâ in altum manu Crucifixi Christi simulacrum tenere, alterâ verò flagello armatâ se cædere. Et victoria à P. Petro iam antea promissa stetit penes Christianos. Sed Petrus Xuarezium, qui hæc viderat, impensè rogauit ne diceret quid vidisset. P. Ferdinandus de Santaren, in fidei odium postea cæsus, aiebat Spiritum S. in eo habitare. Atque à se luculenter visum cæleste lumen in eius conclaui, quod certum esse aiebat non fuisse humanâ ope accensum, aut ab igne nostro, verùm è cælo. Multa de illo varij & mira testati sunt quæ fecit, quæ prædixit, de ijs agetur in eius vita ad annum 1635.

Italus Yamoritæ. 15. Ian. 1635. ætat. 60. Soc. 30.

Oratio. Mortific.

Cubiculum.

P. IACOBVS BRENTVS.

PEritus verbo & exemplo Nouitiorum Magister. Creditur amissum in sylua pileolum ope Angeli custodis recepisse, cùm illum diligenter sed nequicquam quæsitum, intactum à pluuia, quæ cadebat, in præalto ar-

Lithuanus Vilnæ 15. Ian. 1657.

Ang. custos.

S. Thadeus boris ramo pendentem inuenit. S. Thadæo Apostolo cum primis addictus, ægri cuiusdam pueri parentibus dixit: si illum sanum vellent, Thadæum illum (nam hoc in baptismo nomen acceperat) vocare non erubescerent. Paruêre illi Patris consilio, & & puer conualuit. Sed illi inepto pudore ducti, illum Thadæum appellare desierunt: & simul ad puerum conflictandum aduersa valetudo redijt. Nullius vnquam grauioris criminis sibi conscium fuisse ipse Patri arcanorum suorum conscio dixit, & virtus eius fidem facilè inuenit. Nec iudicare vllum temerè, nec suspicari de vllo, nec vlli quicquam ferè promittere volebat. Verùm ipsum quod petebatur dabat vel agebat: vt promissionis vicè factis impleret. Cùm à Diuinis ad humana auocaretur à P. Ministro Collegij, ipse tunc Rector; O mi Pater; aiebat suspirans, quàm graue est auelli à DEO! nocte vltimâ cum dæmone acriter luctatus, auditus est in conflictu dicere: Domine vim patior, respondepro me. Quàm execrabilis, quàm turpis, quàm mâlus est diabolus. Et Patri cuidam venienti. Quantam, ait, ego habui luctam cum diabolo! voluit me adducere ad spiritum blasphemiæ; sed iam DEI gratiâ superaui. Nouitios suos monuit: Quo magis sine vobis eritis, eò magis cum DEO eritis.

Resp. humani.

Oratio.

Mors.

Collegio pestis tempore oranti Crucifixum ei respondisse ferunt le Collegij custodem. Plures illi post mortem conspecti sunt; quos inter quidam, qui aiebat se cruciari, quod alio quam synceræ charitatis instinctu errores quorundam ad Superiores detulisset. Alius ignitis carbonibus magno cum sensu doloris inambulans, aiebat; id se pati, quod, (cùm euitare id facilè potuisset) sæpius tamen domo prodierit quâ necessitas postulabat. Alius iam se post purgatorium in cælo esse dixit, iussitque illum DEIPARÆ nomine de cõragiosâ hactenus tyronum Domo esse securum, eò quòd Dei Mater dicat, se illam Domum in suam tuitionem & fidem recepisse. Et mox cessauit morbus. Effigiem DEIPARÆ in lamina ærea de collo gestabat assiduè, cum ea Virginitatis suæ custode, ac rerum agendarum consultrice dulcissimè collocutus. Visæ sunt inquietæ viperæ ac serpentes volui ad pedes Agnadi nocte intempestâ coram B. Virginis *de Bono Consilio* dictæ imagine orantis, & multi lumine vndequaque conspicui. Hoc ipso quo diem extremum obijt die cuidam apparuit, & dixit, se in hora mortis permultùm passum à toto inferno, qui totus coniurasse tunc videbatur ad intercludendum suum iter in cælum: sed per diuinam misericordiam victorem ire in cælum. Postea quoque eidem visus, eam in aduersis quæ patiebatur præclaris ad sanctam eorum perpessionem documentis instruxit. Plura de illo dedi in Annuis 1654.

Mortif. Crucifixus.

Purgat. Charitas.

Exire domo.

B. V.

Mors.

P. FRANCISCVS AGNADVS.

Hispanus Madriti. 15. Ian. 1654. ætat. 81. Soc. 65.

CORporis per varia instrumenta afflictandi studio fuit adeò addictus, vt chirurgi Madritenses, & Complutenses non semel, nec pauca putridæ carnis frusta è conciso eius dorso prosecuerint, ne interiret. Oratio illi prolixa, & efficax. Oceaniæ pro suo

P. RODERICVS DEZA.

Hispanus Madriti 15. Ian. 1660. ætat. 73. Soc. 54.

HIc, si quis vnquam, à dicendi præstantia, & ab assiduâ corporis afflictatione fuit celebris, ac propè mirabilis.

rabilis. In tyrocinio, impetrarat, vt in Coadiutorum, seu Laicorum classem referretur: sed postea Scholasticorum ordini est restitutus, ac post studia
Humilit. præclarè confecta, professis adscriptus. Conciones multo studio è S. Scriptura, & Patribus, oratione verò plurimâ, elaborabat. E cubiculo illum
Concio. non nisi necessitas, vel charitas, aut obedientia extrahebat. Vnde nihil superuacanei otij habuit ad tempus
Oratio. ignanè aut otiosè fallendum. Abrumpebat somnum ante alios; vt vnâ, vel alterâ horâ orare inciperet priùs quàm alij; cum quibus postea consuetam comprecandi horam peragebat suauissimâ continuatione; idque coram SS. Sacramento, vel ante aram S. P.
Paupertas. Ignatij. Vt Apostolicum S. Xauerij apud Indos decennium imitaretur, per decem annos obijt Missiones absque viatico, eleemosynâ pro se, ac socio corrogatâ. In quodam loco dæmon è religiosa energumena pellebatur: sed negauit se inde priùs abiturum, quàm eò appulisset è Societate Iesu Apostolicus quidam Xauerij imitator. Appulit Deza; & religiosis Ecclesiæ carminibus dæmon erupit. Habebat penes se DEIPARÆ Christum paruulum complexæ imaginem quam ei de-
B. V. derat P. Mastrillus, IESVM, & MARIAM scribens obsides perpetuæ memoriæ quam ei promittebat. Iaponiam per 20. annos flagranter petitam impetrauit tandem; sed nauis quâ eò vehebatur, illuc penetrare non potuit, in Lusitaniam redire coacta. Ibi dum aliquamdiu moraretur Deza priùs quàm in Hispanicam rediret, tanto fructu & plausu est auditus ad Concionem dicens, vt à septem leucis venerint ad eum audiendum non pauci eius famâ exciti; & religiosus quidam eum petierit istic à P. Generali relinqui; vt esset Magister concionatorum, quemadmodum ipse scribebat. In Hispaniam redux, nihilo se minor fuit, à sacris fidei quæsitoribus etiam adscitus ad illud, quod Qualificatoris vocant, officium.

Sed nec seipsum negligebat in assidua illa seu confitentes audiendi, seu ad populum dicendi, seu ad animas variè adiuuandas excurrendi contentione. Quotidiano sacrificio meditatè *Sacrum.* valdè, sed non vltra horæ dimidium, operabatur. Decem illis diebus tamen, quibus asceticas S. P. Ignatij meditationes obibat, in sacello priuato duas omninò horas cælesti illi sacrificio dabat. Orandi studiũ armabat cruciati- *Mortif.* bus corporis mirificè excogitatis, fortiterq; susceptis. Corporis habitudo cibi plus requirebat quàm quantum nostræ mensæ inferri solet. Ille tamen eo contentus, adijciebat etiam ieiunia, quæ per decem exercitiorum dies tanta erant, vt intra 24. horarum spatium non nisi panis frusto vesceretur. Lectulus illi erat è cortice, vel subere *Charitas.* cooperto. Somnus adeò vigil, vt semper primus paratum se promptumque offerret cùm aliquis noctu ad ægros vocabatur. Cùm in se flagris sæuiret, horrendum erat audire strepitum ictuum inclementer vibratorum. Fa- *Flagra.* ciebat verò id varijs, & crudelibus instrumentis. Nam præter flagra consueta habebat vnum è caprinis filis contextum, & rosulis siue stellatis in fine armatum. Aliud constabat è septem funiculis, in quorum singulis erant nodi plures, insertis sexdecim stellis è metallo acutis. Vnde centenarum & plurium illarum stellularum & pondere & aculeis altius impressis *Cilicium.* lacerabatur caro. Habebat & cilicinum textum è setis; aliud è ferro aculeis in humeros incumbente, de quo in dorsum aut pectus lignea crux pendebat ligneis clauis consita & acuta. Præter quam, aliam quoque habebat clauis ferreis foras eminentibus ar-

matam. Deinde subuculam quando gestabat è lino, assutis ferreis acutisque cilicijs permolestam. Aliud item cilicij genus è minutis veluti forcipibus textum, paruulis ceu caniculorum dentibus è ferro inuicem innexis, qui carnem altiùs penetrarent, ac mordicus acerbe adstringerent. Atq; horum vestigia, etiam in mortui postea cadauere cernebantur. Addit eius socius, qui ei comes ibat ad cõciones; mirari se quomodo gestare potuerit cilicinam quondam vestem è setis contextam, quæ illius etiam brachia vsque ad cubitum, & corpus reliquum ferè vsque ad genua contegebat. Persuasit cuidam de sua Congregatione quam regebat, vt in tenebris ab eo ab humeris nudus cæderetur vsque ad cingulum vndequaque inclementer, capite solo excepto. Et quod ille tertiò aliquando fecit intra diem, multis ictuum millibus Dezæ inflictis, adeò vt id postea sibi religioni duxerit is qui id faciebat. Aliquando petijt, & impetrauit, ab eodem suos humeros ferreis aculeatisque cilicijs perfricari, & lacerari. Atque hoc perfunctum officio Deza veneratus, illi supplex pedes osculabatur, gratiasque impensè agebat. Moriens, *Imus ad æternitatem?* inquit. Et abijt morte planè optabili.

XVI. DIE IANVARII.

P. STEPHANVS BENASSAI.

16. Ian. Lucensis Romæ 1610 ætat. 52.

ANte initam Societatem in foro adeò felix fuit, eruditus, & fortis, vt parti aduersæ formidini esset. Paulus V. Pontifex maximus illum ad Archiepiscopatus celsitatem euehere spontè voluit. in Societate quinquagesimum iam ferè annum natus, linguam Illyricam à primis elementis condidicit, vt ad Barbaros, id quod sperabat, mittendus, idoneam Euangelio proferendo operam collocaret. Magna illius charitas eluxit in Aegyptijs Romæ doctrinâ Christianâ erudiendis. Centumcellas Decembri pedes vt iret impetrauit: vbi dum Pontificijs triremibus, pestiferâ lue correptis gnauiter omnem operam nauaret, inter expiandos eos, quos ea lues prostrauerat, anhelitu illo tetro & peste haustâ correptus, illud ingeminabat ad socios ad quos ad Collegium fuerat deportatus morti iam proximus: *O benè est, beate est, Patres, in Paradisum imus.* Eodem quo decessit planè tempore, quidam è Societate ad S. Andreę apud Nouitios agens, iucundiorem solito lucem in cubiculo suo nocte vidit, & in illa virum in veste candida vultu hilari ac iucundo: in quem dum oculos habet intentos menti P. Stephanus obuersabatur: & breui ex Collegio Romano perscriptum est, Patrem Stephanum obijsse.

Zelus animarum.

Mors.

P. GEORGIVS HOSSER.

Germanus Eberspergæ. 16. Ian. 1621. ætat 85.

HIc præter alia multifariam nobilia virtutis documenta, illud quoque in more habebat vt post preces canonicas absolutas, illa semper pro felici morte verba è litanijs subiungeret: A subitanea & improuisa morte libera nos, Domine. Et verò dum pro more Litaniæ dicerentur, ille mortem obijt non improuisam.

Mors.

Litaniæ

XVII. DIE

XVII. DIE IANVARII.

P. IOANNES ASPILQUETA.

17. Ian. Nauarrus Baticæ. 1555. *Zelus animæ.*

S Francisci Xauerij vnicè amicus, Conimbricæ anno 1545. 22. Decemb. Societatem. 1549. Brasiliam impetrauit, & penetrauit. Glorioſos eius labores iſthic exhauſtos, itinera, fructum luculentum, latè eius vita exequitur. Vbi etiam de Braſilica humanarum carnium fame, coquinâ, choreis, de illius ad *auri venas* peregrinatione, ac de illo digna plura & latiùs Alegambe ad annum 1555. in eius vita DEVS iras obſtinatas, & ſurdas P. Ioannis vocibus aures incendijs vindicauit. Orationem Dominicam Braſilico ſermone reddidit, docuit, & plures illâ morbos diſcuſſit. Per pagum tranſiens, omnes ferè dolore capitis conflictatos inuenit; rogatus pro illis preces fudit; reuerſus, omnes reperit ſanos, & gratias agentes ſoſpitatori DEO. Ad hæc obſtinatum quendum ægrum, quem ad bonam frugem reducere non poterat, peruicit patientiâ & officijs charitatis, eumque allato ad illum Crucifixo, & flagello ſe coram illo cædens, conuertit.

Concionet.

Pater noſter.

Oratio.

Mortif. Charitas.

ROBERTVS CARDINALIS NOBILIVS.

Italus 17. Ian. 1559. ætat. 18.

HIc ſe Societati deuouerat, nec per illum ſterit quominus purpuram quoque cum noſtra veſte, aulam cum Collegio commutaret; ideoque Sacrificia & preces pro illo æquè indictæ atque ſi in Societate vixiſſet. Sancta illi familia, mira erga P. Generalem obedientia, erga ſe aſperitas, in orando aſſiduitas, contemptio vanitatis. Vitam ad regulas & normam Societatis ac Romani Collegij componebat, quà licuit. Modeſtia in vultu angelica. Per ſex menſes attritus doloribus, per ipſos 80. dies vni ſemper lateri ab vlcere iam putreſcenti coactus incumbere, miſerandum doloris ſpectaculum, & patientiæ triumphus fuit, ſæpè interea diuino epulo recreatus. Aiebat mortem ſibi videri ſupra quàm expectaſſet, longè ſuauiſſimam. Romæ moriens illam ſupremam vocem, paulò antequam edidit: *Humilitas, Humilitas Humilitas*, hoc Societati, hoc Sacro Collegio Cardinalium, hoc nobilitati omni, & Orbi teſtamento relicto.

Patientia.

Humilitas Humilitas. Humilitas.

P. IACOBVS BENEDICTVS.

VIr fuit cæleſtium meditatione, atque ad præclara virtutis exempla præcipuus. Inhorreſcente ac intonitrua & fulmina maximè exaſperato cælo in ſuperiorem domus partem ſubibat & DEVM flagrantiſſimè precabatur vt minari porrò & caſtigare pergeret corda rebellia. Cauſam rogatus, dixit: Cælo ſic ſeueriſſimè velut clamante, obſtupeſcere peccatores, expergiſci obſtinatos, & ad vocantis per has minas DEI vocem terroremque perſæpè conuerti. Fœmina, cui ob virtutis præſtantiam magna fuit fides atque authoritas, dixit viſum à ſe ſplendorem è P. Iacobi mortui facie erumpentem, qui feretrum totum circumdaret.

Hiſpanus Barcinone. 17. Ian. 1586.

Oratio.

Mors.

P. IOAN-

P. IOANNES BAPTISTA VANINUS.

Italus in mont. Reg. Prou. Mediol. 17. Ian. 1599.

POst Philosophiam, & Mathesin explicatas, conciones habuit acres, casus conscientiæ docuit, contra hæreticos, dictis, factis, calamo vtiliter armatus. In Oppido Bricherasio SS. Eucharistia in festo Corporis Christi circumferebatur, cum pompa per vicos & plateas. Sed erant qui tunc ludos & iocos exercerent, In illos inuectus acriter P. Vaninus, cùm illi non desisterent, illos diris execratus est. Post biduum eorum vnus mortem oppetijt; breui & alter morti se vicinum videns, misit qui Patrem rogarent, vt diras illas à misero ægri capite auerteret. Ad Montem Regalem missus, gaudebat se laborem ac vitæ finem, obedientiæ iussu in Bmæ. V. æde facere. Morte imminente, *Iustitia* DEI! *Iustitia* DEI! exclamauit. Patre Rectore misericordiam suggerente. Timeo, inquit, ac tremo iudicem qui dixit: Ego iustitias iudicabo. At se in Societate mori cogitans, magno leuamento recreatus, extremum vixit.

Eucharist.

B V.

Vocatio.

P. IACOBVS ALVAREZ DE PAZ.

Hispanus Potosij. 17. Ian 1620.

SEuera illi, & perpetuis ieiunijs, ciliciis, flagellis armata fuit Virginitas. Voti Sacramento se adstrinxit, ne voluntariè de industria vllum veniale peccatum admitteret, vtque nullum librum profanum legeret. Quotidie priùs ad confessionem quàm ad aram accedebat, vbi viſus est à Christo amplexum accipere cùm diuinis operaretur: in cubiculo verò cum scriberet, cælesti lumine splendere, atque grauem quempiam virum ad aures habere quasi Magistrum eorum quæ scribebat. Inter precandum ignea quadam in luce non semel sublimis à terra conspectus est. Cadauer incorruptum fragrantem liquorem dedisse, locupletes testes affirmant. Plura de illo vita.

Venale prec. Lectio spirit. Conf quotid.

Sacrum.

Oratio.

P. DIDACVS DE ALFARO.

PAnamæ in America, Hispano Regio Senatore Patre, ad mare pacificum natus, anno 1614. Societati, ac postea Indorum saluti se dedit: & huic quidem tunc maximè, postquam ex aquis & morte præsentissimâ Indi natatoris operâ est ereptus. Innior cùm esset, felici carminis venâ DEIPARAM, postea vbique cultu quàm potuit augustissimo, celebrauit. in Hispania inter studendum, in DEIPARÆ vigilijs, & Sabbatis, æquales suos ad communem in cœnaculo verberationem inuitabat: & valebat in plures exemplum. Aliquando noctem integram impendit describendis in schedas plurimas hisce verbis: MARIA *sine originali peccato concepta.* quas ille schedas ante lucem singulis conclauium portis affixit; & sub immaculati illius mysterij tutela res ac spes suas perfanctè collocauit, sæpè celebratis de illo votiuis sacris. In Vrbe Assumptionis Collegij Rector, & S. Inquisitionis commissarius postea Reductionum Præses, ac omnibus omnia factus est, insigni animarum lucro. Ad amicum scripsit; se hostili Ethnicorum globo casurum: id quod barbari cuiusdam ex insidijs in eum iaculati manu factum, cùm ille (omissâ quam capere poterat fugâ) Indis Christianis contra Ethnicos furentes, & sacris omnibus perinfensos, fidelis adesset, magno solatio animarum, ad quam ille mortem

Hispano-Indus, in Paraquaria. 17. Ian. 1639. ætat 43. Soc. 25.

Beatiss. Virg.

Sabb.

Mortif.

Præuisa mors.

Exercitia S. P. Ignatij.

Morti

tem se per ascetica vnius mensis Exercitia secessu accuratissimo præparat. Corpus illius in summis caloribus per triginta leucas vectum, citra vllius tetri odoris molestiam.

XVIII. DIE IANVARII.

VINCENTIVS ALVARUS.

Lusitanus ad vrbem Dabul. 18. Ian. 1606. ætat. 27. Soc. 11.

CVm Goam pergens ad studia, à Mahometanis piratis captus fuisset, vnà cum alio de Societate, minati sunt Saraceni sæpiùs, se lytrum pro duobus his non admissuros; daturos vtrumque ceruice præsectâ in mare præcipites, quòd Mahometo, eiusque legi essent aduersi, & eam expugnarent. Interea feriâ 6. die apud illos Mahometo dedicatâ, Mahometani senaculo inito, diem illum celebri Christiani capitis sacrificio pro piaculari victima cædendo solennem habere decreuêre. Quocirca Vincentius in prorâ tunc orans delectus est cuius Christiano capite religiones Mahometo persoluerentur. Cum se occidendum audisset, lætus quòd Christiani nomen sibi in mortis obeundæ causam verteretur, Deo se totum, totum Deo in victimam iterùm & iterùm dedicauit, pulchro iterùm gaudio delibutus, & religiosè gestiens vsque ad mortem, ac *Miserere mei, Deus*, canens. Sub ipso ictu *Miserere*, aiebat, *anima mea, Iesu bone!* Aliqui ad ipsam Mahometi aram immolatum fuisse aiunt: sed ille se in fidei odium cædi lætus, Deo se vnicè consecrabat. Corpus in mare abiectum est.

Fides.

Feria VI.

Oratio. Mors.

P. IOANNES RAPHAEL COBONCELIVS.

HVnc acerrimus calculi cruciatus 14. horarum interuallo extinxit. In vitæ periculum ab eodem morbo aliquando adductum B. Franciscus Borgia liberauit. Duobus quotidie Sacrificijs aderat, præter illud cui ipse operabatur. Eodem quo extinctus est est tempore, cuidam 26. circiter leucis Viennâ dissito, & luce clarâ vigili conspectus est ante meridiem, pileo ac baculo hilarè ad iter accinctus, & vultu amabilis. Diuino officio quotidie addebat è Breuiarij ritu duo officia, alterum de Sanctissimo Sacramento vel de Spiritu Sancto, alterum de Sancta Barbara cuius fidei se totum pro vita & morte commiserat.

Carniolus Viennæ. 18. Ian. 1627. B. Borgia.

Sacram.

Mors.

Euchar. Sp. Sanct. S. Barbaræ.

P. PETRVS VESPINUS.

EOdem die quo hic P. Petrus Vespinus moriebatur, Coadiutor quidam Catalauni socios enixè rogabat, vt pro P. Vespini anima DEVM impensè orarent, eius mortis conscius, cùm tamen Catalaunum Altisiodoro ferè tridui interuallo sit dissitum. Rogatus postea, dixit illum à se aspectabili specie conspectum. Adiecit, illum per mediam quadrantis horæ partem, de ea quam apud illum non ita pridem fecerat generali confessione locutum. Putabat etiam se in illo lucis aliquid conspexisse.

18. Ian. Belga Altisiodori. 1637.

Mors.

E P. FRANC.

Ille verè ita vixit vti decet sic in Societate retentum.

PETRVS HVCKMISVVAGEN. COADIUT.

Germanus Treuiris. 1586. 19. Ian. *Confess.*

FRaternæ charitatis obsequijs inter domesticos peste contactos hoc die immortuus est Treuiris an. 1586. Generalem cõfessionem tantâ lachrymarum & singultuum vi fecit, vt lachrymæ pœnitentis & Confessarij confunderentur. Flagellum ex hamatis ligulis ipse confecit, & quam potuit sæuitiam in semienectum corpus exercuit. Mortem suauissimè arridens obijt, cùm amplexu stringeret crucifixum & diceret; IESV fili Dauid miserere mei!

Mortific.

Mors.

P. EDMVNDVS AUGERIUS.

Gallus Comi in Italia 19. Ian. 1591. ætat. plusquam 60. Soc. plusquam 40.

RVsticis, at pijs ortus natalibus, & primus de Societate IESV Carolo IX. ac Henrico tertio Galliæ Regibus à concionibus & Confessionibus fuit. Romæ ab ipso S. P. Ignatio in Societatem admissus. A morbo periculi pleno diuinitùs momento sanatus est, concionator, professor, Superior, operarius, in singulis & omnibus excellens; in Gallia de fide catholica & de Societate mirificè meritus, ac ærumnis multifariam exercitus, & iam ab Hugonotis propè patibulo appendendus, non tamen appensus, quòd illum studerent sectæ suæ adiungere. Calumnias & quidquid ab hominibus venire mali potest animo erectior generosè pertulit. Comi supremùm eger cæli symphoniam & choros beatarum mentium audiens id verbis quoque testatus est, & adiecit Abeamus ergò, abeamus. Angelos visos aiunt morientis lectum circumdare, vno stolam immortalitatis illi paratam ostentante. Tum conclaue ingressus cælitum ordo pulcherrimus, viâ splendidâ ad Cælum vsque porrectâ Edmundum vultu maiestatis gloriâ pleno deducebat ad Cælum, veste intus niueâ foris variâ magnificè coopertum pro præmio puritatis, & charitatis. Præcedebant suauissimè canentes paruuli, qui cum vt festinaret inuitabant ad mensam cælestem apparatè instructam, ad quam à Societatis IESV Patribus expectabatur Edmundus, qui & postea P Clementi Puteano apparuit, & de adepta beata æternitate illum reddidit certiorem.

Fides.

Patientia.

Mors.

Cælum.

XX. DIE IANVARII.

P. ALEXANDER VALIGNANUS.

Italus Macai. 20. Ian. 1606.

ORientis Prouincialis, Visitator, & per 33. annos cultor magnanimus. Huius vitam complecti scribendo, esset operæ propemodum infinitæ. Indicæ, Iaponicæ, Sinicæ Epistolæ de illo multa narrant, quæ ferè sunt de illius zelo, fortitudine, prudentia, item præclaro ad regendum ingenio. Quatuor Dynastas Regulorum legatos Romam ad Sedem Apostolicam ituros, in Europam adduxit. In Sinensis Regni velut limine, vt olim Sanctus Xauerius, magnam animam exhalauit, & suo nomine Societatis in Oriente fastos impleuit, sui quoque afflictatione, ac orandi studio perinsignis.

Zelus anim.

P. FRANCISCVS GARDINERVS.

Anglus in Anglia 19. Ian. 1648.

PIj candidiq́ue ingenij laude amabilis; quicquid arduum occurrebat, præsentissima bonarum in Purgatorio animarum ope fultus aggrediebatur. Si quid periculi ingrueret, si obstinatus quispiam animus ad deponendum odium, vel conscientiam expiandam molliendus, si quid domi forisue petendum, vel vitandum, omnia se posse sibi persuadebat, si se pro illis vindicandis diuinâ hostiâ litaret, si preces funderet. Nec illum fallebat spes experimentis vtilibus confirmata. Fuit cùm Sacram hostiam ægro ferens, in exploratores, imò apparitores, incidit. Illi saccos, vestes, omnia perscrutati, iam extrema minabantur, vt omni planè ad lineam vsque subuculam veste illum exuerent. Tum ille candidè Christum quem in pyxide gestabat allocutus; serua te iam, inquit, mi DEVS! nam ego plura non possum. Interea pyxidem manu condidit, & quod mirêre, tametsi totum exutum excusserint, ac vndequaque peruestigarint nemo tamen manum introspexit, nemo id quod vnum quærebatur à suspectantibus, deprehendit.

Purgat.

Crucif.

Euchar.

XIX. DIE IANVARII.

P. IACOBVS LAGNEZ.

Hispanus Romæ, 1565. 19 Ian.

PRoximus à S. P. Ignatio præfuit Societati vniuersæ Generalis. In Concilio Tridentino pro Immaculata DEIPARÆ Conceptione, doctè, fortiter, feliciter perorauit, ibi à modestia quoque ac sententijs eruditè dictis celebris. Omnium in Societate morientium nomina, vt seruarentur instituit. De illo ad Purpuram, imò & ad Pontificatum, promouendo actum: sed ille felici successu fugit, etiam cum XII. Cardinalium suffragatio illum ad summum Sacræ Sedis apicem postularet. Integritatis castissimæ laude ad mortem vsque conspicuus. In Monte Regali Moniales diserrè contestatæ sunt, in P. Iacobi Lagnez, cum coram illis diuinum Sacrificium celebraret, capite, conquiescentem columbam esse conspectam, quæ de Cælo descenderet. S. P. Ignatium sinu gestare visus est Patri Sebastiano Romæo vltima Iunij. visi veritatem explicuit dies 2. Iulij quâ Lagnez in Successorem electus Ignatij est, qui dicere solebat neminem vnum esse in Societate, cui plus quàm Lagnio debeat Societas Vniuersa: Lagnez vero aiebat B. Virginem datam à Deo Ignatio tanquam instrumentum eximiæ sanctitatis.

B. V.

Morientes.

Humilitas.

Sacrum.

S. P. Ign.

P. ALPHONSVS DE SOTO COADIVT.

Hispanus Gadibus. 1571. 19 Ian.

PErpetuo illi ad virtutem plusquam mediocrem stimulo fuit, quòd cùm vehementissimo quopiam turbamento perculsus Societatem olim deserere cogitasset, iamque portam aperuisset fugâ se in libertatem noxiam daturus, elegantem in porta cælestis venustatis paruulum viderit, qui portam occupans elato digito, ac seuero vultu, minaciter illi quiddam innuens, illum salutariter conterruit, & vt pedem referret effecit.

Tentatio. Vexatio.

Ille

Ille verè ita vixit vti decet sic in Societate retentum.

PETRVS HVCKMISVVAGEN. COADIUT.

Germanus Treuiris. 1586. 19. Ian. *Confess.*

FRaternæ charitatis obsequijs inter domesticos peste contactos hoc die immortuus est Treuiris an. 1586. Generalem cõfessionem tantâ lachrymarum & singultuum vi fecit, vt lachrymæ pœnitentis & Confessarij confunderentur. Flagellum ex hamatis ligulis ipse confecit, & quam potuit sæuitiam in semienectum corpus exercuit. Mortem suauissimè arridens obijt, cùm amplexu stringeret crucifixum & diceret; IESV fili Dauid miserere mei!

Mortific.

Mors.

P. EDMVNDVS AUGERIUS.

Gallus Comi in Italia 19. Ian. 1591. ætat. plusquam 60. Soc. plusquam 40.

RVsticis, at pijs ortus natalibus, & primus de Societate IESV Carolo IX. ac Henrico tertio Galliæ Regibus à concionibus & Confessionibus fuit. Romæ ab ipso S. P. Ignatio in Societatem admissus. A morbo periculi pleno diuinitùs momento sanatus est, concionator, professor, Superior, operarius, in singulis & omnibus excellens; in Gallia de fide catholica & de Societate mirificè meritus, ac ærumnis multifariam exercitus, & iam ab Hugonotis propè patibulo appendendus, non tamen appensus, quòd illum studerent sectæ suæ adiungere. Calumnias & quidquid ab hominibus venire mali potest animo erectior generosè pertulit. Comi supremùm eger cæli symphoniam & choros beatarum mentium audiens id verbis quoque testatus est, & adiecit Abeamus ergò, abeamus. Angelos visos aiunt morientis lectum circumdare, vno stolam immortalitatis illi paratam ostentante. Tum conclaue ingressus cælitum ordo pulcherrimus, viâ splendidâ ad Cælum vsque porrectâ Edmundum vultu maiestatis gloriâ pleno deducebat ad Cælum, veste intus niueâ foris variâ magnificè coopertum pro præmio puritatis, & charitatis. Præcedebant suauissimè canentes paruuli, qui cum vt festinaret inuitabant ad mensam cælestem apparatè instructam, ad quam à Societatis IESV Patribus expectabatur Edmundus, qui & postea P Clementi Puteano apparuit, & de adepta beata æternitate illum reddidit certiorem.

Fides.

Patientia.

Mors.

Cælum.

XX. DIE IANVARII.

P. ALEXANDER VALIGNANUS.

Italus Macai. 20. Ian. 1606.

ORientis Prouincialis, Visitator, & per 33. annos cultor magnanimus. Huius vitam complecti scribendo, esset operæ propemodum infinitæ. Indicæ, Iaponicæ, Sinicæ Epistolæ de illo multa narrant, quæ ferè sunt de illius zelo, fortitudine, prudentia, item præclaro ad regendum ingenio. Quatuor Dynastas Regulorum legatos Romam ad Sedem Apostolicam ituros, in Europam adduxit. In Sinensis Regni velut limine, vt olim Sanctus Xauerius, magnam animam exhalauit, & suo nomine Societatis in Oriente fastos impleuit, sui quoque afflictatione, ac orandi studio perinsignis.

Zelus anim.

MANCIVS TAICHICV. COADIUT.

Iapon. Macai.10. Ian.1615. ætat 41. Societat.8.

REligiosam pietatem eâ quâ istic præstabat pingendi arte alebat, & incitabat; pingendis Dei, DEIPARÆ, ac Cœlitum imaginibus piè assidueque intentus: quibus templum ornabat; vt fidei mysteria ob oculos poneret, fidemque ac virtutis amorem exemplis accenderet. Exilium in fidei odium è patria sibi indictum pati maluit quàm, in patria Christum & religionem exuere; ad quod inuitabatur. Post alia ergò perpessu aspera hoc etiam lubens subijt, licèt tunc æger; cùm relegari iuberetur, ni Deos Patrios præ Christo eligeret. Morbo nauigationis ærumnis increscente Macai felix exul in cælestem patriam, vt spes magna est, appulsus est.

Mors. Imagines.

IOSEPHVS MATTHEUS SCHOLAST.

Hispanus Baeo nonæ. 20.Ian.1621. ætat. 21. Soc.4. *Caßit.*

CVm Philosophiæ operam daret obijt diem felicissimum Barcinone Virginitatis decimo ætatis anno voti religione firmatæ, custos fidelis, Diuinæ Matris, S.Ioseph, & B.Aloysij præsidio ad id vsus; deinde cilicijs ac flagellis quoad licuit; legumque accuratâ ad apices omnes custodiâ. In prima veluti aurora seu diluculo rationis, vouerat se Beatissimæ Virginis amori & honori rosarium quotidie recitaturum. neque id vllo, nisi penultimo, & vltimo, vitæ die omisit; dolenter questus quòd id per morbi vim non posset. Cor illi tenero erga diuinam Matrem amore sui verò despicientiâ profundâ plenum; Lingua, silentio mirum in modum, ac perseueranter addicta; oculi, semetipsum etiam erubescentes, nec vnquam in fœminæ vllius vultum coniecti, vnde nulla illi nota è facie. Vbertim lachrymatus est sub vitæ finem, quòd de Virginitate sua Confessario fuisset locutus, dixitque se verè nec in ea re nec vnquam per omnem vitam aliud quam diuinam gloriam spectasse.

B.V.

Silentium.

Custod. sensuum.

IOANNES LAVERNANS SCHOLAST.

Germanus Ruremundę 20.Ian.1621. ætat.18. Soc.3. *Vocatio.*

IN tyrocinium ingresso augusta & diuina illi visa omnia. Dixit in prima, quam vocant, lectione, de vocationis gratia, vsque ad lachrymas audientium; & ipse lachrymis oppressus dictionem abrupit. Ad suauissimę, quâ pollebat, modestiæ laudem; illum componebat, ea quæ illi sempet obuersabatur species crucem gestantis paruuli DEI IESV; quem sibi velut monitorem videri aiebat ad modestiam, ad aspera, potissimùm, ad gulam frænandam. In nullam vnquam Societatis legem illum deliquisse aduertit vllus. Leges modestiæ sibi condebat exemplo DEIPARÆ, coram qua in Nazareth animo habitabat; & non manum, pedem, linguam, oculos aliter mouebat, quàm si coram illâ versaretur. Libens exequebatur, quicquid eius nomine rogabatur. Sanctorum minùs notorum in dies in Belgio occurrentium vitas alijs exponebat; eos dies illis & facta eorum dierum illis dedicabat. Ad Angeli Custodis cultum P. Petri Fabri exemplum & patrocinium adhibebat. Christi honori, & animarum saluti innocentem suum sanguinem cum Christi sanguine sub diuino Sacrificio quotidie conceptâ formulâ offerebat in holocaustum amoris. Post perceptam diuinam Eucharistiam (quam septies quotidie inuisebat) tenerè solitus lachrymari;

Modestia.

Regula.

B.V.

Sancti. Pia colloquia.

Sacrum.

Holocaustum amoris.

Euchar.

si

si vel post tres horas orando ductus auocaretur, obedienter quidem abibat, perbreuem tamen sibi aiebat moram omnem ad sua & aliorum negotia tunc meditatè cum Domino pertractanda.

SIMON DE LIVONIA SEV TICONIENSIS. COADIVT.

Lublini. 20. Ian. 1621.

FVit Simon legum nostrarum, laboris, Superiorum, citra vllum respectus humani timorem accuratè obseruans in quo nihil se deprehendisse quod reprehenderent aiebant ij, qui perdiu cum eo vixêre, si quid ferendum esset, patiebatur hilariter; & ipse sibi non parcebat, quin se fame ac labore acriter exerceret. Quantâ poterat contentione animi procurabat, vt coronam B.V. & aliarum precum pensum perattentè perageret. Rector Collegij, qui Domo aberat, persanctè affirmabat, sibi Simonem eo quo animam agebat tempore conspectum, gratias pro beneficijs omnibus habuisse, addidisseque se, vbi Cælo receptus foret, futurum pro illo supplicem apud DEVM.

Mortif.

B.V.

P. HIERONYMVS ALVAREZ.

Lusitanus. Ebor. æ. 20. Ian. 1624. ætat. 60. Soc. 47.

CVm puer Societatem inire meditaretur, dæmon quà horridis terriculamentis, quà etiam alapâ illum absterrere conatus, cùm vinceretur videri desijt, sed redijt ad Hieronymum iam religioso Sacramento post biennium auctoratum, & quidem patris mortui os, oculos, omnemque corporis speciem perscitè mentitus, multifariam illum versans, magna promittens, denum & falsis lachrymis abundè perfusus. At Hieronymus IESV illi nomen, crucemque obiecit, ac iterùm victum coëgit facessere. Innocentiæ, atque ea propter seuerę sui custodiæ retinentissimus, nobilioris quàm castioris fœminæ pronam in scelus impudentiam in lachrymas conuertit, quando in prauè suadentis eius manu pallium, vt castus Iosephus, reliquit. Doctrinâ & virtute magnoperè luxit in Scholis, & vbique. Ad acerbiora verba erat propensior quàm volebat; sed si quod excidisset, veniam positis coram offenso humi genibus, flagitabat. Paupertatis honori hoc dabat, vt nihil haberet, ne quidem numisma quod è rosario gestaret. Morientem magna planè patientia, multæque sociorum lachrymæ coronarunt.

Vocatio.

Castitas.

Charitas.

Paupertas.

P. IOANNES PEREZ MENACO.

Paraquarius Limæ. 20. Ian 1626. ætat. 61. Soc. 44.

INgenij planè singularis laude celebris cùm esset, quotidie tamen per horas decem, aliquando per 12. studebat. Theologiam per annos 27. docuit. Humilitatis suæ retinentissimus, cùm ad aulam vocaretur, vt Proregi in re ardua consilium daret, scripto sibi mitti petijt quæstionem, de quâ consulebatur, ne ad aulam iret. Parochus locuples 4000. pondo (id est 4000. numorum quorum singuli valent 8. regales Hisp. Ioanni miserat, vt lucubrationes quasdam suas prælo & luci daret. Remisit omne argentum; & respondit se nihil habere prælo, ac luce dignum longa 16. annorum paralysis illius patientiam, & exercuit & ostendit, cùm captu manuum vsu omni, alienis vti ad omnia cogeretur, semper sui ac mirabilis patientiæ suæ compos.

Aula fuga.

Patientia.

P. MELCHIOR RVIZ.

Hispanus Xerecij 20. Ian. 1629. ætat. 66. & Soc. 50.

CVm Granatâ à suis ad Societatem abiret, nihil rei aut spei splendidæ sibi foris relictum voluit, seque omnibus adeò exuit, vt disertè dixerit nolle se vllam sui apud suos extare memoriam, nisi cùm Deum orarent. Scopus quò sua destinabat, erat vt Societatem pro Matre haberet omnesque boni filij numeros erga illam vndequaque expleret. Nihil sibi parci voluit quin labores & maximos & difficillimos exantlaret, maximè si nihil splendoris præseferrent. Licèt impiger ad omnia se se porrigeret, atque cum summis & infimis versaretur, nunquam tamen oculis ac reliquo corpori quicquam indulsit quod Angelicas modestiæ in tyrocinio acquisitæ leges vel latum vnguem laxaret; semper Nouitius, semper veteranus, & in vtroque vtilis omnibus atque amabilis; clero potissimùm cuius sodalitium perdiu gubernauit, magnâ plus quàm ordinariæ virtutis famâ.

Modestia.

Votatig.

XXI. DIE IANVARII.

PAVLINVS CECOTTVS COADIVT.

21. Ian Italus Romæ. 1612 alius 20 Ian. ponit alius 22. *Oratio.*

CErtum est illum horas duxisse, imò noctem aliquando integram pernoctasse in oratione DEI: cuius dono adeò pollebat, vt cùm P. Mutij Vitelleschi vita iam pro deplorata à Medicis haberetur Aquauiua Præpositus Generalis Paulinum Schedâ perscriptâ iusserit tamdiu in preces incumbere, donec Mutio vitam à DEO obtineret. Acceptâ schedâ, Paulinus octo horas integras flagranter orationi dedit, & lætus surrexit; quo ipso die P. Mutius Tusculi sensit plurimùm lauamenti, postea penitus restitutus. Illud quoque compertâ famâ de Paulino traditum est, illum, cùm plures reliquijs B. Patris Ignatij curaret, easdem cæco Blondi cuiusdam Societatis desertoris oculo admouisse: verùm contrariè ac sperabatur accidisse. Etenim desertor ille iusto DEI iudicio, alterius quoque oculi lumen illâ reliquiarum contrectatione extinxit. Cùm ætas illi otium à laboribus permisisset, septem horas orandi contentioni dabat quotidie. Vix duorum cochlearium fuit id quod comedebat: aiuntque id quoque breui per os ab illo reiectum. Aegrorum curam gerente illo, æger quispiam stomachi vitio Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum vomitu eiecit, id omne Paulinus auidè sumpsit in reuerentiam SS. Sacramenti.

S. P. Ign.

Cibus.

Euch.

P. RAYMVNDVS DE FUNES.

POst alia munia Magister Nouitiorum, sui affligendi studiosissimus. Nullum diem sine pœnitentiæ Sacramento transire sibi voluit. Litanias omnium Sanctorum eorum quos à Societate inita quot mensibus acceptos descripserat, quotidie recitabat. Vultus illi ad admirabilitatem vsque semper idem in prosperis & aduersis, animo nunquam aut quassato, aut erecto, imò ne voce quidem impetu quopiam

Hispanus Oscæ. 11. Ian. 1646. *Mortif.*

Conf. quotid.

Sancti.

piam elatâ, vel fractâ. Vitæ communi ita in religione asuescendum aiebat, vt nullo valetudinis obtentu aliter diceret faciendum. Debet, inquiebat, debet decem annos lubens de vita sibi detrahere, vel pati vt deterantur, quisquis virtuti serio se addixit. In Sanctorum quorundam, potissimùm in Bmæ. Virginis vigilijs pane frigidaque constanter contentus ieiunabat, quidquid contra obsisteret pertenuis valetudo. Imago vultum patientis Christi exhibens, in delicijs illi erat. Ad hanc ille libro impositam, cum diuinum officium recitaret, aut quidpiam legeret, oculos referebat, & colloquia diuina miscebat suspirijs tenera, & sæpè repetita. Cùm sederet, non se acclinabat, vt ægrè sibi faceret. Intemeratum castimoniæ suæ florem sine macula conseruauit, Mortificationis & & humilitatis curâ insignis. Ad alios eâ in re stabiliendos, vt de cælestibus libenter colloquerentur, neque terrena libentius aut vana, quàm diuina sermone tractarent, atque hac etiam in re nullo humano respectu ducerentur, certum quendam constituerat qui quot hebdomadis semel narraret illud exemplum de quodam Societatis nostræ Sacerdote, cui se conspiciendum præbens Christus, manifestis indicijs ostendit, quantam inde caperet voluptatem cum de spiritualibus rebus sit Sermo in ea, quæ apud nos consuetis horis fit, recreatione: & quantâ contra auersatione se habeat ab ijs linguis, quæ pretiosa illa, & cælestibus vt colloquijs, ita lucris destinata animi relaxandi tempora, ijs verbis impendunt, quæ à fine nostro sunt aliena. Bilbilitano Collegio tantum dedit, vt inter Benefactores insignes censeatur: nunquam tamen vel verbo id ab eo indicatum, vel aliud quippiam, quod vanitatis fumum saperet, in illo aduertit quispiam, Moriturus, Confessarium enixè rogauit, vt omni quâ posset arte adhibitâ suæ morti adiuuandæ adesset, vt eam summo quo id fieri posset spiritus animique ardore obiret.

Contemptio vitæ.

B. V. Mortif.

Passio Christi.

Oratio.

Cast.

Pia colloquia.

Benefactum.

Humilitas.

Mors.

P. IVDOCVS SCHAPELINCK.

SOcietatem anno 1607. ingressus, Collegij in quo degebat Angelus dicebatur. In studijs, missionibus, rerum spiritualium præfectura, orandi studio, eximius. Verum aiunt de illo illud non semel repetitum elogium: *non offendit in verbo* idque non solùm ne quid alienum diceret, sed etiam ne audiret. Sibi vehementer attentus, in charta designabat, quid quoue modo sibi esset agendum. Quidquid sensus delectat horrebat, & quâ poterat abstinebat. Corpus perpetuò exuere videbatur, artibus assiduis in id intentus, vt spiritu solo viueret. Inde illi spiritualis lectio, & maximè Iacobus Aluarez de Paz, in delicijs & vsu perpetuo fuit. Humilitatis perquisitæ studio nil vnquam dixit aut fecit, ex quo vel suspectare liceret laudis illum aliquid aucupari. Quare nec benè de se, nec malè locutus est vnquam. Confessarium particulatim de ijs consulebat, de quibus Magistrum solent Nouitij meliores. Manus contra frigoris vim, quantumuis accerrimam, nunquam munire voluit, licèt à gelu rigerent, & cruentæ hiarent. Aliquis per septem annorum spacium, nonnemo (& quidem valdè perspicax) per ipsos duodeviginti annos, in illum attentè intentus testatur, se in illo nihil vnquam aduertere, per omnem suam diligentiam potuisse, quod vel venialis peccati notam præseferret. Aiebant alij, se illius aspectu magis accendi ad accuratam disciplinæ ac legum obseruantiam,

Belga I. o-uanij 21. Ian. 1 53. ætat. 69.

Lingua, custodia.

Mortif.

Lect. spir.

Humilitas.

Mortific.

uantiam, quàm cùm leges ipsas legunt, aut legi audiunt; adeò viuæ in eo regulæ omnes relucebant. Virgo DEO sacra, fidem ob mores laude dignos commerita, ingenuè fassa est; nunquam se absentis etiam Patris Iudoci precibus commendasse, quin impuræ, quibus infestabatur imagines confestim è mente abierint. Modestia illius omnibus nato, grata, constans, ac animi totius fidelis & castus index. Reliqua in vita fusiùs ad annum 1653.

Castit.

XXII. DIE IANVARII.

P. IACOBVS DE YEVENES COAD.

Hispanus Granatæ. 22. Ian. 1585.

APud B. Ioannem de Deo per 7. annos ministrauit in Xenodochio pauperibus, Societatem anno 1556. ingressus, cùm 24. ætatis annum ageret. Perpetua illi innocentiæ laus constitit, & viua quædam miseratio ergà omnes afflictos totis viribus adiuuandos. Diues quidam vir, & nobilis illius monitu mirum in modum liberalis erga inopes factus est posteaquam Iacobus illi dixit: Daret eleëmosynam non parcâ manu? fore vt experiretur id quod se experiri ipse aiebat. Quotidie, ait, è paucis illis herbis quas habeo in horto aliquid decerpo pro Christi pauperibus: & tamen nunquam mihi deficiunt. Parendi studium in illo fuit promptum semper, & cæcum. Iussum cribro aquam haurire, opinio est obedienter id præstitisse, nec aquæ guttam vllam è cribro effluxisse: Orandi efficacitate quædam non ordinaria patrasse: visum in culinæ angulo, in oratione à terra sublimem non semel. Circa cibum duo in eo singularia cernebantur; alterum, quòd parcè admodum vesceretur; alterum, quòd ea sibi deligeret ad vescendum quæ vix famulorum vllus admitteret. Si minimum quidpiam næui in se aduerteret, castigabat flagris sibi inclementer inflictis, alapis quoque adiectis.

Obed.

Oratio.

Mortific.

P. MATTHÆVS ALBENOSA.

MAnsueta quædam placidè agentis vbique ingenij erga omnes charitas, erga disciplinæ domesticæ accurationem sanctimonia, erga DEIPARAM obseruantia, cum insigni erga seipsum duritie couiuncta in illo eluxit. Mira item in diuinis religio atque integritas, hostis omnis inertiæ. Morientem dulcissimis delitijs impleuit conspecta illi cum S. Petro Apostolo DEIPARA Virgo morientium fidelis Mater, vltima spirantis vox cantus fuit in hæc verba: videant te oculi mei, dulcis & bone IESV, videant te oculi mei, & ecce me vt statim emoriar. Cecinit, & oculos in vitam clausit Bilbili; Hispani Calatayud vocant.

Hispanus. Bilb. li. 22. Ian. 1585.

B. V.

Mors.

P. MELCHIOR FRANCISCUS.

AB ægro Beatissimæ Virg. Sodali, quem confitentem audiebat, haustâ lue decessit Beatissimæ V. Matris Sacellum domesticum & cùm Scholasticus, & cùm Sacerdos iam esset, scopis verrebat, componebat, ador-

Lusitanus. 22. Ian. 1608.

B. V.

adornabat, idque constanter, valdè tener in illa erga diuinam Matrem pietate, ac valde solidus.

P. MARTINVS COSTENSIS.

Polonus Varsauiæ. 22. Ian. 1614

INter alias ærumnas die ac nocte (quas ab hæreticis pertulit) coronâ ferream gestabat in capite, librarum sexdecim. Coronæ duo cornua ferrea inerant, quæ clauus ignitus adstringebat. Sic per semestre coronatus vna cum socio, ludibrium & dolorem, ventos, niues, imbres, frigoraq; perpessus, spectaculum fuit DEO auream his coronam splendidè apparanti.

Fides.

P. FERDINANDVS DE HERRERA.

Hispanus Limæ 22. Ian. 1607. ætat. 60. Soc. 42.

APud Peruanos magna fecit, in eo laudatus potissimum, quòd quos instituebat, ad insignem perfectionem proueheret. Sed patientia illius omnibus antecelluit, quando per ipsos 30. annos variè cruciatus morbis, diuinæ voluntati se vndequaque addixit. Supremo vitæ biennio cancer genu illi depascebatur, adeò vt vltimis 6. mensibus lecto illum affixerit, semper eidem latcri incumbentem, adeoque fœtentem, vt teterrimum odorem ferre nemo potuerit. At Ferdinandus inter sæuos dolores, patientiâ, & cælestibus delicijs plenus, dulcissimis lachrymis perfluebat, petitis è Sacrâ Scripturâ sententijs se solatus, & tantæ dolorum moli ferendæ animo semper par, imò superior. Ab eius morte repertũ est in eius diurno illius manu notatum quod anno 1625. Nouemb. 25. interno diuinitùs instinctu intellexerit, & à DEO scripto adnotare sit iussus, futurum, vt intra sesqui anni spacium decedat è vita.

Patientia.

Mors.

P. IOANNES ALMEIDA.

Brasilus 22. Ian 1649. ætat. 76. Soc. 60.

PRæfuit, post alia munia benè gesta, in promontorio capitis frigidi per annos 30. pago S. Petri Apostoli, quem pagum ipse fundarat; aliquot Indorum familijs eò adductis. Magna illi fuit sanctimoniæ passim opinio. Magnam diei, ac noctis partem humi prouolutus, iunctis manibus, orando cum lachrymis traducebat, callo iam obducto, ac etiam velut rimas iam agente in genibus. Coram SS. Sacramento preces varias quotidie duarum horarum spatio exequebatur. Christi cruciatibus cogitandis tenerè constãterq; addictus vbicumq; illius videret imaginem, eam demisso capite salutabat amanter atque dolenter, manantibus persæpè lachrymis ad mysterium Christi flagris atrociter laniati. Quicquid piarum precum ad Virginem Matrem nanciscì poterat, ijs vtebatur, vsu partitioneque idoneâ pietati. Fassus etiam sub mortem est, ab illa beneficijs longè maximis cumulatum. Emicabat in eo ad extremum adducta paupertatis cura; austera ad sensus reprimendos, & ad nullam vnquam fœminam aspiciendam attenta castitas, ac perpetua in corpore sæuum semper in modum habito virginitas; denique incredibilis demissionis plena vbique pronitas ad parendum. Addunt qui eum per vniuersam vitam intimè pernouêre, perpetuam illi ab omni grauioris noxæ macula innocẽtiam extitisse. Ad eam tuendam, humilitatis, orationis, ac religiosi vbique silentij præsidio potissimum vtebatur. Mansueta quædam, & nunquam perturbata pax illum

Oratio.

Euchar.

Crucif.

B. V.

Castit.

Silentium.

sui semper moris compotem sibique simillimum conseruabat. Itinera & plurima, & maxima, & difficillima non nisi baculo nixus exantlauit. Ad accipiendam ægri confessionem cælo pluuio aliquando eunti pepercit imber, siccumque dimisit. Indus fuit magister, medicus, seruus, frater, & omnia quæ charitatis & obsequij nomen aut rem sonant, etiam quando latè percrebrescens bullarum, vt vocabant, lues in populo grassabatur. Futura illum ex vero prædixisse fama est, & docuit euentus non vnus. P. Prouinciali de socijs solicito, prædixit illos adfore eo ipso die incolumes. Et ita euenit. Indos paruâ manu cum Batauis conflicturos, certos esse iussit de victoria; prædixitque Indorum numerum cæde nullius minuendum. Et respõdit euentus. Ianuariensium cuidam metuenti quòd Bahyam euocaretur, dixit, eum 15. Augusti Bahyam appulsurum; ibi lucroso munere ornandum; & incolumem rediturum. Prædictioni fidem fecit quod factum est,

Pauper.

Charitas.

XXIII. DIE IANVARII.

P. IOANNES DE CASARRUBIOS.

Hispanus Antegnete. 23 Ian 1646 ætat. 97. Soc. 64.

CVm à Patre, viro nobili, adduci ad studia non posset, capris pascendis admotus resipuit. Postea in Societate per omnem vitam horæ matutinæ aliam orationis horam adiungebat cùm poterat; cum Collegia, vel Prouinciam gubernaret, alias duas horas adiecit; deinde horas octo eidem impendit quotidie. Idcirco & vestitus, & parùm dormiebat, vt plus oraret, duabus tribusque ante alios horis vigil, etiam 97. ætatis anno. In Odeo coram SS. Sacramento per plures horas perstabat immotus. Per iter, sub meridiem secedebat; & aperto capite, compositis ante pectus manibus, examen conscientiæ instituebat. Horâ quintâ post meridiem eodem gestu B.V. Rosarium recitabat, noctu examine secundo adiecto. Nouitio cuidam dixit dolorem stomachi, quo vexabatur, non amplius rediturum; nec redijt. Fœminæ nobili, diu sterili, prædixit fore vt sex filios masculos pareret; eorum vnum Societati daturum nomen: & visuram illam omnes sex suæ mensæ assidentes. Id quod factum. Omitto id genus prædictiones plures miras, & veras. Ad extremã vsq; ætatem quotidie in se flagro animaduertebat; quoad ob senectam iussus est id non nisi ter facere quothebdomadis. Aiebant se rubore perfundi, & ad virtutem incitari, ij qui manè ad eius cubiculum transibant, & audiebant quantâ se diritate cædebat bonus senex. Non quadragesimæ solùm, sed & Aduentus, vigiliæ DEIPARÆ, feriæ sextæ omnes illi sacræ fuerunt ieiunio arcto, atque perpetuo. In sensuum coërcitione fuit eximius; at in silentio planè singularis. Nunquam extra locum ac tempus recreationi assignatum verbum vllum dicere est auditus quod silentium oblæderet. Videbatur sepultus in cubiculo, cùm foras ire non iubebat obedientia, vel necessitas. Si quid occasionis aduerteret pro se afflictando idoneę, illam auidus arripiebat. Nullam vllius, qui eius cubiculum lectumue componeret, operam admittebat, eiam senex, & altero brachio iam infirmo. Ubedæ Rector cùm esset, per nouem annos excitatoris officio est functus. Expiandis confitentibus, sæpè sex, non rarò octo horas

Eucharist.

Examen.

B. V.

Mortif.

Silentium.

Superiori

Confessarius. tas impendebat; idque tam sanctè, vt locus ille non angulus fabularum, verùm schola perfectionis diceretur. Gubernabat suos cum admirabili significatione amoris, quâ eos intra cor

Charitas. velle recondere videbatur. Omnes honorabat; aiebatque in hoc non dari paruitatem materiæ. Cùm ob oculorum caliginem legere iam non posset, si in excipiendis in templo Confessionibus occuparetur, clauso cubiculo

Oratio. flectebat, vel humi sedebat orâs. Tertio ante mortem mense, Generali confessione vitam omnem expiauit pro mortis apparatione; sed vitam immaculatam sine graui næuo. Epigraphe sepulchro Hispanicè addita sic habet! Hoc est corpus Venerabilis Patris Ioannis de Casar rubios. Obijt 23. Ian. 1646. ætat. 97. Relig. 64. Exequiarum frequentiam, & celebritatem prætereo. Mira quædam tum in vita, tum post eius mortem dabit annus 1646. in eius vita.

GASPAR GELOSVS
Coadiutor.

Italus Oeniponti. 23. Ian. 1696. MAgnâ erga Dei Matrem, magnâ erga obedientiæ ac orationis cultum religione præditus. De illo dici possent non indigna exemplo; sed vnum excerpo, non ita vsitatum. Antequam se ad socios pro more à mensa conferret ad animum colloquio relaxandum, aduertêre nonnulli illum defixo in Christi Orbem iudicantis imaginem vultu illam tabulam firmè spectare consuêsse. Interrogatus, ecquid causæ subesset illi spectaculo id temporis vsurpato, respondit: Animum, & linguam ad hoc tempus ex huius Iudicis sententia bene transigendum compono, tanquam rationem illi de verbis singulis, & de toto etiam hoc tempore pro tribunali decretorio redditurus.

Linguæ custos.

Iudicium extremum.

P. AMBROSIVS
Gaudinvs.

Hibernus Dilnigæ. 1619. 23. Ian. MOriens nunquam satis à se prædicari posse aiebat abyssum diuinæ bonitatis à qua id nunc domi acciperet, quòd qui per omnem vitam animo erat vehementer dubio & angusto atque perplexo, nunc demum corde dilatato serenam mentem haberet. Olim militiæ operam dante Ambrosio, comes ad latus è militonibus vnus in prælio Nauali hostili globo ceciderat. Inde ille vehementius incubuit in eam deliberationem quâ in vitę statu Deo sibi militandum esse putabat. Varie fluctuanti noctu cælestis vox ad aures mitti visa monebat, vt Societatem Iesv capesseret. Ita illi sacrâ velut anchorâ firmata voluntas à iactatione quieuit; & Ambrosius diuino imperio manus obedienter dedit.

Mors. Scrupuli.

Vocatio.

P. GASPAR
Paranymphvs.

Siculus in Collegio Narensi. 23. Ian. 1614. *Concionator. Mortif.* VIr in Missionibus, & aliàs, potens opere, ac sermone. Ad concionem dicturus prodibat asperrimo vestitus cilicio, præmissâ prolixâ oratione, longoque sui verberatu, ad quem catenâ ferreâ vtebatur. Negabat se concionari posse sine cilicio. Visus inter dicendum splendor è crucifixo in illius faciem euibratus. Ardente cælo, & populo pro pluuia supplicante, in concione dixit, preces esse à Deo exauditas, & pluuiam vesperi adfuturam. Rei exitus prædictionem, & & sanctitatis de illo conceptę opinionem affirmauit. Moriente illo aiunt auditos cælestes cantus, & vocem quę illum cælo recipi aiebat. Visus etiam

Crucifixus.

Mors.

cuidam per idem tempus absenti cælos intrare sublimis calicem manu gestans. Illius conciones, semper aliquid habebant de Christo patiente. Oratio illius in medio cubiculi citra vllum adminiculum quo se fulciret. *B. V.* Amantissimus gloriæ Matris Dei, à quâ etiam cuidam laudatus est, dicente: illum DEO charum esse, propter singulare studium paupertatis. *Paupertas.* Plura & mira de illo dabit vita prolixior anno 1624.

tētus vitam verò suam in sacrificium offerens. Nec rarum in eo erat, diuina sic meditari, vt crebrò in siluis reperiretur supplex proiectus in genua, seipsum sæuum in modum diuerberans, atque ita lacer & sanguine lachrymisque perfusus; bidui quoque aliquando inediâ toleratâ. *Mortif.*

P. GVILIELMVS AVBERGEON.

Gallus in Insula S. Vincentij. 1654. 23. Ian.

IN meridionali America vsque ad omnium admirationem laborabat, stupentium quomodo vnus par esset tantis laboribus. Visus est sæpè ab eo qui hæc oculatus testis memoriæ commendauit, flexis ante aram genibus, fixis in cælum suaui lachrymarum imbre manātibus oculis æstuans, & animarum illarum salutem petens; *Oratio.* *Zelus.*

P. IOANNES LAVARDVS.

IN Societatem anno 1628. nomen dedit. Huius vita religiosa fuit semper; sed mors habet singularis aliquid documenti. Ad S. Agnetis templum inuitatus vt cōcionem istic, & sacrum in S. Agnetis Festo haberet, eò concessit, vtrumque facturus. Concionem ex eius diei Euangelio ita exorsus est: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Vix per quartam horæ partem dixit; & catarrho superfuso concidit, eodem die vnctus extremùm, atque extinctus 23. Ian. *Germanus Moguntiæ. 23. Ian. 1636.* *Mors.*

XXIV. DIE IANVARII.

P. LAVRENTIVS BRIXIANUS.

Italus Foroliuij 24. Ian. 1608. ætat. 76.

ROmæ anno 1553. à S.P. Ignatio Societati adscriptus, & in ea formatus Coadiutor, cùm per effætam ætatem vires illum ad ea, quę foris cum proximo agenda sunt defecissent, totis quindecim extremis vitę vsque ad 76. annum productæ annis, nulli temporali Coadiutori in operosioribus domi laboribus cessit; toto 15. annorum interuallo mensæ lector; & instruendo triclinio occupatus; id quod ipse vnicus & magnâ cum accuratione perfecit, orationi semper in- *Humilitas.* *Oratio.*

& meditationi sex ipsas horas impendens quotidie: indeque silentij mirum in modum amans, ad legis tam sanctæ reuerentiam nullo illius ætatis ad loquendum pronæ obtentu violatam. Etiam grandæuus licèt excitaretur à nemine, primus exsurgebat è lectulo, nec ad focum etiam in acerrima hyeme accedebat, vir accuratissimæ vsque ad vltimum senium, & vsque ad famam sancti nomine celebratam disciplinæ. *Silentium.* *Mortif.*

P. MAT-

P. MATTTHÆVS BOYS.

Germanus Spiræ. 24. Ian. 1611.

OBijt hoc die admirabili gaudio gestiens, & multâ laude cumulatus. vnam è tyrocinio accersam. Assidebat mensæ Matthæus pro more tyronum peregrinus nescio vbi per iter, cùm effæminati oris quispiam impuras quisquilias obscænâ lingua iactare ausus, tanto Matthæum rubore, tantâ indignatione ac dolore impleuit, vt mirabili omnium qui aderant approbatione, simul illi ex oculis lachrymæ vbertim, simul è naribus sanguis abundè proruperit; responderitque causam petentibus: Mihine istud ad omne iustissimi doloris, & indignationis, adeoque ad lachrymas iuxta sanguinemque fundendum non sufficiat, cùm video tam licenter infinitam optimi & pulcherrimi DEI mei maiestatem hâc tam fœdâ obscœnitate in ipsius DEI præsentis oculis violari?

Lass.

P. THOMAS CORNIERVS.

Anglus. 1639 24. Ian. ætat. an. 77. S. V.

ESocietatis tyrocinio ob violentas renum ac vesicæ obstructiones dimissus, toto animo conuersus ad optimam DEI parentem, opem ab illa flagitauit, in quâ spes suas omnes collocarat. Neque fefellit Mater pijssima. Omnis enim mali vis ita remisit, & abscessit omninò, vt nihil nisi post annos plurimos, paucis ante mortem diebus deinceps senserit, vt de illo scribit Fisen in floribus Leodiensibus pag. 72. Redijt ergo ad Societatem anno 1586. & illam egregiè ornauit. Sed & Comes Nogellius Limburgi Præfectus commemorabat sæpè insignia diuinæ pietatis in se beneficia, quæ sibi P. Thomas obtinuisset, interprete apud DEVM B. Praxede Virgine. Hanc enim P. Cornierus & colebat ipse, & alijs commendabat; optabatque pro fide Christi mori, cum nomine S. Praxedis schedulæ inscripto, quam manu teneret. Dionanti Collegium ab illo procuratum; excultа Bastonia; magna vbique authoritas, adeò vt Aureæ vallis Abbas in silua in terram se abiecerit coram illo, neque assurgere voluerit, nisi priùs benè illi precato P. Thoma. Multi vota sua illi dabant ad Forensem DEIPARAM deferenda; fueruntque qui credebant se per illum obtinuisse alij alia quæ petebant: vt legatus ad Beatissimam Virginem fuisse videatur. Sæpè orabat pronus humi in faciem. Cum hebete esset auditu, sub mortem acutè audiebat ea quæ suggerebantur. Bastonienses illi vt patri, publicè patentarunt.

Oratio. S. Praxedis. Mors. B. V. Oratio.

XXV. DIE IANVARII.

P. ROBERTVS PECHAMUS.

Anglus in Anglia 25. Ian. 1621. ætat. 34. Soc 9. *Mors.*

B. V.

Fer 6.

Fides.

Pia colloquia.

Linguæ custodia.

B.V.

Patientia.

DIe Sancti Pauli Apostoli æger Sacramentis iam procuratus rogauit num in Sacro quod celebrabatur, Sacerdos iam consecrasset: vbi audijt consecrasse. Itaque, inquit, moriendum est, vocat me IESVS Christus, vocat me B. V. MARIA, & placidè expirauit. Quidquid è carne erat etiam infans, à nutrice sibi obtrusum aspernabatur sextâ Feriâ. Carceres & ferrum non semel ab hæreticis sustinuit, quòd esset catholicus; magnas ærumnas perpessus, fame, vermibus, citra quietem vllam. Lingua illi eucharis, & adeò cælestis, vt veluti DEO sacram, nunquam ad humana laxarit, neque vnquam vllum verbo lædere sit auditus. Doloris vi perculsus tremebat vnà cum lectulo. Vbi remisit dolor, alium se adhuc aiebat exspectasse conflictum sed B. V. inquit, quam semper colui, me liberauit. Vri se dicebat doloribus, at simul delicijs magnopere affluere. Vnde Christi Crucifixi effigiem teneriore sensu arripiens; Amor, aiebat, meus, crucifixus meus. Horrendo dæmone noctu conspecto; En, inquit, aduersarius meus diabolus omnia extrema minatur: apage, apage, immanis bellua, nihil in me habes potestatis.

P. IOANNES WORTHINGVS.

Anglus in Anglia. 1651.

SIue nostros regeret, siue cum hæreticis Catholicis suè ageret, fuit prudentiâ morumque suauitate singulari. Missiones per 46. annos obiuit strenuè in Anglia. Supremi aliquot vitæ anni illi in carere fluxêre, in quem fidei catholicæ odio coniectus, ibi morte inclytâ, sed incruentâ, illud feliciter est adeptus: Educ de custodia animam meam. Quanto ingenio citra mendacium ad varia quæsita, variè agitatus responderit, quam cautè se vbique circumspecteque habuerit, quàm feliciter sæpiùs ex ipsa velut acie nouaculæ prudens euaserit, quanto animo sibi præsens & latuerit, & prodierit, quanta tulerit, feceritque, habet prolixa de carcere illius narratio, digna legi ab omnibus, qui id genus missiones obeunt, ad condiscenda pro simili rerum articulo religiosæ sapientię documenta.

25. Ian. ætat. 80. Soc. 55.

Fides.

FRANCISCVS HERNANDÈZ.

MAuris parentibus in Murciæ regno natus, cùm puer tum adhuc opilio oues pasceret, DEIPARÆ illustri Maiestate fulgentis aspectu recreatus, iussus ab ea est Murciam se conferre. Franciscæ, aiebat, relictis ouibus illicò Murciam iter intende. Ibi Sacerdotes quosdam sanctimoniâ vitæ insignes reperies. Illorum dictis obedienter attende, vt iussis pareas: & aduerte vitæ tuæ cardinem in eo verti: Abijt illa ex oculis: & Franciscus Murciam ad nostros recta contendit; rem exposuit, admitti petijt, adimpetrauit. Gandiæ post fuit Coadiutorum exemplar, cùm alijs virtutibus, tum silentio ac patientiâ singulare. Mortis imminentis diem diuinitus intellexit

Maurus. Gaddiæ, 1570. 25. Ian. vel Nou.

B. V.

Vocatio.

Silentium.

Mors.

tellexit. Vnde cùm sibi suprema parari videret Medicis obnunciantibus, disertè affirmauit se non nisi duodecimo post die de vitâ cessurum. Verum dixisse mors 12. post die obita affirmauit.

XXVI. DIE IANVARII.

P. ANTONIVS CORDOVA.

Hispanus Oropesæ. 26. Ian. 1567.

COmitum de Feria filius, & Academiæ Salmanticæ Rector, quod munus non nisi excelsę nobilitatis est. Hic Beati Borgiæ consobrini sui exemplo ad Societatem venit, cùm Iulius III. Pont. Caroli Cæsaris rogatu, illum in Cardinalium Collegium vellet adlegere. Cordubensis Collegij rem opibus suis constabiliuit, Fundatoris nomine non admisso. Illud cùm regeret, abdicato rectionis magistratu, infimæ classi Grammaticæ operam suam vt addiceret impetrauit. Fuit, cùm obsonator è scholis euocatum sportâ onerauit, & carnis frustum non minoris quàm sex argenteis nummis vendendum ei imposuit. Immoderatum inconsuetumque pretium alijs stomacho, pueris cachinno, Antonio rubori, venditor ipse ijs, qui eum norant admirationi fuit. Vir fuit quem ad præclara humilitatis exempla edenda videtur Societati donasse bonus DEVS. De hac appositè, ac persæpe quà palam ad socios, quà priuatim dicebat. A vino penitus abstinebat. Oraturos ad fiduciam cohortabatur: cogitarent se ad Patrem ire. Orandi quoque arte præstans, singulis noctibus vnâ horâ orabat, etiam valetudine iam attritâ. Post mortem conspectus est mirabili splendore illustris, vt perhibent.

Vocatio.

Humilitas.

Mortif.

Oratio.

Mors.

P. MELCHIOR VITRIMONTANVS.

Bohemus Monachij. 26. Ian. 1614.

HIc tristi stomachi fastidio inediaque confectus est. Summa illius & perpetua laus fuit humilitas, ac labor in confessionum auditione assiduissima, & prælo subiectis libris corrigendis impensus. In elementis primæ litteraturæ tradendis ipsos viginti annos pari acuratione ac patientiâ fructuque consumpsit, decoro in puluere se versari ratus, & semper ad illa officia quæ contemptioni obnoxia sunt perseueranter propensus, dum 72. ætatis anno miserandâ inediâ, sed lætâ patientiæ insignis excelsitate requieuit à laboribus suis.

Humilit.

MELCHIOR DE SEQVEIRA COAD.

Lusitanus Vlyssiponæ. 26. Ian. 1636. ætat. 77. Soc. 52.

AD SS. Synaxim percipiendam tantâ se apparatione componebat, quasi ea prima esset, vel vltima. Charitatis, paupertatis, ac silentij longè studiosissimus: & quod illi cum paucis commune est, adeò amans cubiculi religiosæque quietis, vt è Domo Professorum, in qua habitabat, per ipsos 30. annos nunquam exierit; nè quidem ad Collegium, aut ad Domũ probationis. Optabat stans, id est laborans, mori; vt nulli esset molestus in morbo aut morte. Impetrauit. Etenim illicò atque sacro ministrauit 26. Ianuarij, morbo correptus, in lectulum depositus, vnctus, consuetis morientium

Enchar.

Mortif.

Silentium.

Sacrum.

Mors.

tium precibus Deo commendatus, extinctus est. Creditur diuinitùs certior fuisse factus de sua morte; quam incredibilis populi de illius sanctimonia existimatio est consecuta.

IGNATIVS SOIER SCHOLASTICVS.

Germanus Ingolstadij. 26. Ian. 1647

PRo Collegio Ingolstadiensi se victimam obtulit DEO, desiderans vnus mori pro omnibus, si pestis gliscens Collegium quoque inficeret. Voto porita est adeo flagrans charitas. Etenim Ingolstadiensi Collegio vndequaque saluo, vnicus ille, velut piacularis victima decessit; Contagione nullâ in Collegio subsecutâ. *Charitas.*

XXVII. DIE IANVARII.

IOANNES DE BRIONES COADIVT.

Hispanus Navalcarneri. 27. Ian. 1580. *B. V. Vocatio.*

EX pastorculo Coadiutor factus est; illatâ secum in Societatem, à quâ nutu capitis vocari sibi aliquando visus erat, Beatissimæ Matris imagine, quam in culina, in qua per annos 16. laborabat, collocauit. Eâ in arte se apprimè perfecit, speculum Nouitiorum factus, & tentatorum firmamentum. Quotidie in se flagellis voluntariâ sæuitiâ animaduertebat. Sabbathi ieiunio & creberrimis alijs, orandi assiduitate, labore improbo, salutatâ illâ suâ quoties culinam ingrediebatur, vel egrediebatur imagine, superatis dæmonis, quem videbat, & à quo percutiebatur, & cum ad se flagellandum noctu consurgeret, variè tumultuantem audiebat, terriculamentis, futurorum ex vero prædictione, mirabili extasis instar silentio cùm Sanctissimo viatico accipiendo se compararet moribundus, humilitate denique incomparabili, mirabilis, omnium fuit exemplum & viua lex.

Mortif.

Oratio. Noctu.

P. STEPHANVS TVCCIVS.

VIr ingenio ad vsque admirationem, sed sui affligendi, ac dolores tolerandi maiore fortitudine stupendus. Totis annis nunquam vestes ponebat, nisi cùm sæuire in se vellet; id quod singulis noctibus factitabat, se ab humeris ad pedes vsque atque inde sursum ad humeros vsque, vndequaque diuerberans. Somnus illi super nudo assere, nec vltra quinque horas productus; cùm quinas alias orandi assiduitati daret flexis genibus in medio sui cubiculi. Enata illi in ceruice natta ad capitis molem intumuit; & neruos, gulam, os ita contraxit, vt semicadauer, ac miserandum dolorum spectaculum ægerrimè respiraret, ac famem non aliter posset quàm odore calidi panis, & coctarum carnium quoquo modo solari, seu potiùs cruciare. Et tamen premebat dolores tam longæ mortis magno sanctoque silentio, IESVM tantùm ac MARIAM ingeminans; ac testatus *libenter, libenter* se & hæc, & his decuplo acerbiora, adeoque vel æterna Purgatorij carceris tormenta pro suo erga

Italus Romæ. 17. an. 1597. *Mortif.*

Noctu.

Patientia.

Amor Dei

Amor Dei. erga bonum DEVM amore tolerare paratum. Ita dolorum finem accepit Romæ hoc die; Clemente VIII. Pon. Max. post auditam eius mortem dicente: Ergo demum mortuus est Sanctus.

P. HIERONYMVS DE ZARA.

Hispanus Hispali. 27. Ian. 1600. FVit & hic omnium virtutum splendore illustris, vt aiunt, qui sic discipulorum per ipsos sex & triginta annos (tot enim annos fuit Grammaticæ facultatem professus) animos ad se conuertit, vt omnes collachrymabundi suo amantissimo parenti parentarent.

FRANCISCVS DOMINICVS COADIVT.

Hispanus Vallisoleti. 27. Ian. 1615 ætat. 80. Soc. 62. *B. V Sensuum cust. Mortif.* BEatissimæ Virginis festa arcto ieiunio, publicâ sui verberatione, ac nocturnâ de illius virtutibus meditatione colebat. Vallisoleti per 18. annos ædituus cùm esset, nullam fœminam de facie nouit. Per iter, cùm alij iam conquieuissent, ad stabulum se recipiebat, & ibi in se acriter sæuiebat. Plusquàm ducentis selectissimis exemplis memoriam instruxerat quæ appositè narrabat, vt alios ad diuina hortaretur; quemadmodum regulæ Coadiutorem iubent, multis ad bonam frugem reductis. Coram SS. Sacramento sublatis in Cælum oculis, & iunctis porrectisque sursum manibus longo tempore perstabat orans.

Pia colloq.

Euchar.

BARTHOLOMÆVS PVZZOLVS COADIVT.

Italus Panormi. 27. Ian. 1631. *Regula.* SEmper locum vltimum; & quæ abiectissima sunt eligebat. Legum accuratione mirabili obseruantissimus, nulloque humano respectu ab illis vnquam absterritus. Lingua illi religiosè castigata, & patientia inuicta quicquid illi contra eum dicerent, quibus vestes faciebat breuiores quia breuiores fieri regula sartoris iubet. Supremâ vitæ nocte (vt eius acta cum fide conscripta testantur) â S. Anna Matre DEIPARÆ salutatus, vidit postea Simonem Bucerium non ita pridem vitâ functum, & Alphonsum Rodriquez, ac denique B. Aloysium Gonzagam quos ille voce, vultu, gestuque hilari consalutauit primùm deinde quasi in Aloysij collum, brachia circumiecturus, exurrexit, porrexitque manus vltimo virium conatu ad fratrum amplexum, Aloysij potissimum; quasi ad ægrum propius aduentantis, & inter suaues lachrymas verba quædam singultiebat, quibus se dicebat honore illo indignum. Ita bonam inter dulces singultus animam exhalauit ætatis anno 72. Soc. 52.

S. Anna.

Mors.

B. Aloysius.

Mors.

P. IOANNES DE PINEDA.

Hispanus 27. Ian. 1637. ætat. 80. Soc. 66. *Obed. B. V.* ERuditione magna, at virtute nil minor. ad obedientię nutum omnẽ attentus, ac celer, adeò vt ad signum æris campani, eò quò socij vocabantur primus accurreret. Hispali DEIPARÆ honorem ingenti celebritate auxit. Germano suo author fuit, vt Hispalense Collegium conderet, cui postea ipse præfuit. Castitas illi semper Virginea, cibo ac somno parco,

Deuot. Castit.

Mortific.

Paupertas. seueriſſimaque ſenſuum cuſtodia, & multis afflictationibus ſubacto corpore cuſtodita. Veſtis illius tam abiecta, vt ne tyronum quidem vlli vſui eſſe potuerit. Publico PP. Carthuſianorum diplomate decretum, pro illo anniuerſarium Sacrum per totum Ordinem in Kalendarijs Domorum ſingulariter deſcribendum.

P. BERNARDVS DE PONTE.

Italus Neapoli 17. Ian. 1644. *Oratio-Sacrum.* ILlius ad aram operantis facies, orantis verò aliàs corpus totum, cæleſti ſplendore illuxit, etiam à terra ſublime. Procaci fœminæ mortem prædixit; & illa ſequenti die mortua in lecto reperta eſt. Occultâ vi ad S. *S. Andreas.* Andreæ ſepulchrum delatum eſſe aiunt, ædituo id ſtupente, ſed ſilentij fide obſtricto. Lauretum pedes ibat, & valde feſſus in antro quieſcebat, *B. V.* cùm ecce B. V. illi adfuit, & ad abſtergendum ſudorem byſſum porrexit. *Mortifie.* Mortui humeri reperti flagris vndique exarati.

P. IOANNES DEL CAMPO.

Hiſpanus in inſula Mindanao 17. Ian. 1621. ætat. 30. Soc. 14. FVit Ioannes vir ingenio: doctrinâ, eximiâ dicendi facultate præſtans: & actuoſæ induſtriæ; amabilis conſuetudinis, ac pulcherrimis plurium animarum, apud Samboangas potiſſimùm lucris felix. In Inſula Mindanao Sioconenſium erudiendorum curam perdiligentem habebat, cùm nonnulli ferocis, ac ad obſcœnam libertatem propenſioris ingenij barbari ægrè ferebant quòd à turpi fœminarum conſuetudine ad caſtiſſimas Chriſtianæ fidei exercitationes, ad diuinum ſacrificium, ad doctrinam Chriſtianam, ad mores religioni ſuſceptæ conſentaneos auocarentur. Quare necis illi clam conſciſcendæ conſilia cum finitimis inière. Ergò cum eo ad littus formoſi, vt vocant, fluminis profecti ſunt; vt eò alij alia; nouo quod Ioannes ad flumen illud moliebatur templo condendo idonea deportarent. Ibi in deſcribendis, menſurandis, concinnandis templi ſpacijs ac interuallis occupatum, quinque milites, ex eorum cenſu quos Pampangos vocant, ex inſidijs inuasêre: ac primus quidem, lanceam validâ manu in Ioannis pectus impreſſit; inde aliam ei in humeros defixêre; & concidentem, ac alijs ſuper alia vulneribus ſaucium confecêre; corpore vndique perfoſſo ac lacero, in pulchrum, ſeu formoſum, quod iſtic præterlabebatur, flumen abiecto. Atque hæc omnia ſic geſta fuiſſe, ab ijs templi miniſtris qui Patrem eò fuerant comitati, & poſtea fugâ ſe ſaluauêre accepimus. *Tumultum*, qui lanceam in Ioanem defixerat, duabus lanceis breui poſtea temporis interuallo confixus, & in flumen demerſus interijt, vindictâ ſcelus ſat citò aſſecutâ.

XXVIII. DIE

XXVIII. DIE IANVARII.

BARTHOLOMÆVS PEREZ COADIVT.

Hispanus Villaregij. 1606. 28. Ian.

DO de illo verba litterarum à Prouincia Toletana: Vir magni laboris, simplicitatis eximiæ, Excelluit in castitate. Rogatus enim, cùm admissus est in Societatem, quo studio seculum relinqueret, respondit, quærendæ castitatis ardore. Media quibus assecutus est excellentem hanc virtutem, hæc fermè fuêre: ingens sinceritas cum Superioribus, quâ nihil illis vnquam occultum esse voluit: paupertas & sui vilipendiũ eximium: pœnitentiæ magnæ verberum, atque etiam victus. Nam fermè in agro vbi res nostras curabat, scutellâ tantum iusculi vitam aluit: assiduitas in rebus spiritualibus; nullus enim agri labor ademit illi tempus spiritualium exercitiorum.

Castitas.

Moreific.

B. V. Mors.

Vide de Lugo de Eucharist. mihi pag. 495.

Euch.

premi visus. Per xxv. annos quot hebdomadis (quantum per Ecclesiæ leges licuit) vnum de Beatissima Virg. Sacrum faciebat, vt feliciter Sacramentis expiatus, & nulli grauis moreretur. Et verò impetrauit. Nam eodem, qui supremus illi fuit, die Sacris mysterijs operatus est sanus. Postea vbi se in vitæ periculo repentè vidit, repetitâ exomologesi, cælestique viatico ac vnctione comparatus vitam finijt nulli molestus, vtpote qui non nisi per octo horas ægrotauit. Bis eodem die Diuino epulo pastus quòd sit (semel in Sacrificio, ac deinde per modum viatici) præmij instar illi fuisse dici potest, quòd pluribus ante mortem annis quotidie vnam coram Sanctissimo Sacramento horam pietate eximiâ collocarit; deinde quòd id videatur illi à Beatissima Virgine liberaliter impetratum quod ille Sacro quot hebdomadis de B. V. eam in rem facto enixè atque anxiè per ipsos quinque & viginti annos petierat.

P. IOANNES BOUVETUS.

Gallus Nancij 28. Ian. 1943. ætat. 78. Soc. 60.

VIr semper sibi similis, nec vnquam aut lætitiâ efferri, vel mœrore

XXIX. DIE IANVARII.

P. GVLIELMVS LIMBURGVS.

Germanus Treuiris, 1583. *Confessio.*

ROmæ olim à S. P. Ignatio Societati adscriptus. Hic documento est ijs, qui peccata expiant, vt id agant tanquam à Confessione mox morituri. Sic de illo habent litteræ. Noxas animi vt expiaret æger è cubili surrexit, prædixitque ei apud quem se expiauerat; horam illam sibi esse supremam; atque ita contigit. Mox enim, nec opinantibus socijs, in Domino conquieuit.

IACOBVS DAVTHONVS NOVITIVS.

Camberij. 29. Ian. 1606

PVdicitiæ ac legum amore tenerrimus à regularum Societatis lectione haud cessabat, etiam inter morbi suprema. Illis euoluendis mortuales manus, illis legendis claudendos morte breui oculos vsque adeo auidus occupabat, vt cùm fractæ iam vi morbi manus elanguissent factæ impares regularum paginis euoluendis, Iacobus ore ac dentibus pro supplemento vsus, labijs folia molitus, libellum voluerit, donec oculos mors clauserit, aliàs adhuc plura lecturos.

Regulæ.

Mors.

P. SALVATOR SVSA.

Italus Biuonæ. 29. Ian. 1619 ætat. 53 Soc. 38.

PLenus morborum licèt esset, nil tamen peculiare, quo foueretur, admittebat: ad ægros perdius & pernox vigilabat. Nosocomium bis quothebdomadis visitabat, & sanctimoniæ odore implebat, magnâ optimi nominis famâ foris, domi autem instituti amore, particulatim in obseruandis singulis legibus magno, atque operibus contestato; se se vbique peruincens, si quid arduum videretur. Quo in genere illud obliuione obterendum non est, quod fama non obscura celebrauit, illum, vt se superaret S. Catharinæ Senens. & S. Xauerij stimulatum exemplis, conspecto ægri hominis cancro, saniem, ore admoto exuxisse ac ægrum illâ sui victoriâ persanasse; vti olim S. Franciscus Seraphicus leprosum osculo persanauit.

Mortif.

P. IACOBVS GRETSERVS.

Germanus Ingolstadij. 29 Ian. 1625. ætat. 63. Soc. 47.

SCribendis libris, & instruendis per pagos rudibus assiduè addictus, verborum ac somni parcus. Non prius cubitum se conferebat quàm in vicino Cœnobio æris campani sonum, quo matutinæ preces indicabantur audiret. Illud habet speciem admirabilitatis, quòd per quietem visus sibi fuerit videre supplicationis pompam, in qua quidquid Sacrorum Lipsanorum vniuersa habet Germania circumferebatur. In illa supplicatione se augustissimo Sacramento refectum, & itineris longinquitate lassum aiebat interrogasse, quousque tandem procedendum esset; comites itineris respondisse, ducenta adhuc milliaria supereresse, vsque ad Caroli Magni ædem. Et verò ipse 28. Ian. dixit se die sequenti tali horâ moriturum, quicquid alij aliter existimarent. Prædictionis fidem, & visi nocturni mysterium ipsa mors explicuit, quam ille ipso die Caroli magni memoriâ per Germaniam celebri oppetijt, post ducentas horas ab eo somnio euolutas. Nempe milliaria singula horas singulas, ædes verò Caroli Magni diem eius memoriâ celebrem indicabat. Libri eius omnis à Marckdorfensi (natale id Gretsero solum est) Senatu coëmpti, & posterorum memoriæ asseruati. Fundatoribus Collegiorum, præter consueta Societatis IESV sacra, quinquagies coronam Bmæ. DEIPARÆ persoluens parentabat: domesticorum virâ functorum etiam nomina describebat, vt illos liberalitate pijssimâ prosequeretur; quin & amicus illius quispiam è nostris eâ quâ Neapoli mortem obijt nocte, Ingolstadij P. Iacobo conspectus preces ab

Mors.

Reliquiæ.

Eucharist.

Vita est via.

Horæ sunt milliaria.

Dies templum.

Gratus animus.

Purgat.

ab eo pro suo leuamento enixè flagitauit.

P. FRANCISCVS PALIOLA.

Italus in Mindanao. 29. Ian. 1648. Societ. 16.

ORtu Nolanus, iam Sacerdos in Societatem nomen dedit. In occidentis Indias anno 1641. profectus, ibi sudauit magno charitatis, demissionis, ac auidæ ad agendum, & patiendum impigritatis exemplo, vsque ad Sancti cognomentum ore vulgi illi datum. Inter orandum duo agebat potissimùm; alterum, vt quicquid ageret, diuinæ gloriæ in sacrificium daret: alterum, vt gratiam obtineret, post sudorem, sanguinem quoque fundendi. In Insula Mindanao, vbi laborabat, eo voto potitus est, cùm apostatam quendam sanctæ fidei reddere niteretur. Illum ad se sicariorum globo stipatum aduentare certior factus, ad supremæ luctationis gloriam in genua sese supplex composuit, & MARIANVM rosarium pro moriendi tesserâ manu arripuit, victimæ in modum suprema expectans. Ita mortem opperienti sicarij lato cultro, seu gladiolo, ictum primum in maxillam latè atque altè ad extrema vsque colli adegêre. Franciscus IESVM & MARIAM dixit; & auerso vulnere lanceâ in tergo confixus, humique collapsus; iterumque lanceâ, & alijs truculentæ mortis instrumentis per transuersaria vulnera transuerberatus, pretiosam animam ita reddidit, vt optarat, DEO, Sacrâ altaris patenâ pro disco abusi barbari, calicem quoque sputis temerare ausi, ligneam Crucifixi effigiem columnæ alligatam dirè ac sacrilegè fustibus cæcidêre: atque sacrificiales etiam vestes variè ludibrio habuêre.

Oratio.

Fides.

B.V.

IOANNES. BAPT. MAYR. SCHOLAST.

HIc Viennæ cùm adhuc in seculo versaretur, si quem pauperem sub dio nocte reperisset, non priùs quiescebat, quàm vrbem tamdiu circumiret, donec illi misericordiam ac tectum in domo quapiam reperiret. Inter supremos morbi dolores, Benedictus aiebat, DEVS, qui me doloribus ad suam gloriam dignatur: mitte cruces, auge dolores qui sunt ad gloriam tuam, Deus!

Germanus. Leobij. 29. Ian. 1635.

Charitas.

Morbus.

XXX. DIE IANVARII.

P. ANTONIVS AROZIUS.

Hispanus Madriti. 30. Ian. 1673.

S.P.N. Ignatij consanguineus. Tibure 27. Septembris anno 1540. datam Societatis à Paulo III. confirmatæ Bullam Ignatio attulit, primus post decē primos quatuor votorum professus. Româ semel in Lusitaniam, in Hispaniam sæpiùs pedibus & mendicato per iter cibo profectus, cùm ad populum diceret Angelus dicebatur. Ad eos qui animam agunt iuuandos incredibili [illegible]iâ valuit. Corpus nimiâ, & obedientiæ fræno Româ per literas postea coërcitâ, immanitate cruciauit. Beatissimæ DEIPARÆ mirè addictus, eiusdem dolentis imaginem itineris sui comitem habuit, eam S.P. Ignatius è suo sinu acceptam illi dono dedit, quam à primo conuersionis suæ die vsque ad senium in pectore amanter circumtulerat, & per illam à DEO multa beneficia impetra-

Itinera. Paupertas.

Mortif.

B.V.

petrarat. Nunc illa Romæ, ac postea in Germania typis vulgata S. MARIÆ *à corde* nomen obtinuit. Prouincialis, Commissarius, Assistens creatus aulæ proceribus ad virtutem prouehendis aptus natus, cùm in aula increbuisset illum, ac socios herbâ quapiam esse armatos, quæ illos ab ijs quibus oculi capiuntur, seu fœminarum seu aulæ illecebris immunes reddat, Principi herbæ nomen petenti nunciauit; *herbam* illam esse *Timorem Domini*. Studio paupertatis ad cibum non tantùm nihil non commune cum omnibus admittebat, verùm etiam non nisi à mensa relictis panis frustis vescebatur. Orandi tam auidus fuit, vt aliqui dicant illum sæpe ipsas 14 horas intra diei vnius spatium orationi transcripsisse. Reliqua in eius vita latius dedi ad annum 1573.

Timor Dei. Castitas.

Paupertas.

Oratio.

P. PETRVS CVTIONEVS.

Hic olim è tyrocinio propter morbum grauem quo conflictabatur, magno suo, nostrorumque dolore dimissus, adeò tamen à Societate alienatus non est, vt Messanensi tyronum Domui 200. aureos annuos in perpetuum assignarit. Foris Sacris initiatus, per annos aliquot charitati pietatique totum se dedit, ac Societatem iterum impetrauit, sub finem secundi ab inito secundo [illegible]cinio anni extinctus. Lætabatur cum ingraueſcetet morbus: ægrè ferebat si vitæ spes suggereretur à medicis. Aiebat se inter celebrandum ad altare DEI dolores suos non sentire. Didicit instinctu diuino ad ea orationis Dominicæ (quam maximoperè æstimabat) verba, *fiat voluntas tua*, reuerentiam DEO exhibendam capite inclinato. Mentem in meditandi studio tam attentam fixamque habuit, vt nunquam per id tempus vanas cogitationes in animum suum senserit irrepsisse Mira, sed totidem verbis de illo testata, & è fideli eius ore accepta res.

Icarus Messanæ. 1605. 30. Ian.

Vocatio.

Mors.

Sacrum.

Pater noster

Oratio.

P. IOANNES LABRADOR.

Mensæ accumbens cogitabat quot essent qui cibo illo magis egerent; tum desiderabat illum illis dare, si per se staret. Voto castitatis à pueritia nuncupato stetit fidelis vsque ad tumulum. Omnibus anni Sabbatis in in abiectis culinæ obsequijs Beatissimæ Virgini suas operas dedicabat: de qua quicquid inter colloquendum audiret, in cubiculum redux accuratè adnotabat in libello ad id præstituto. A mensa ad colloquij locum vbi veniebat, defixis in crucifixum istic oculis, nudo Christo se oblaturum aiebat tacitus, si haberet, quicquid cælum ambit. Pro libris aiebat se Crucifixi effigie, flagelloque contentum.

Hispanus Tarraconæ. 30. Ian 1606

Mensa. Castit.

B. V.

Pia colloquia.

Crucif.

P. IOANNES PVIOLVS.

Magnæ in illo simplicitatis, charitatis, patientiæ luxêre virtutes, atque in Nouitijs excolendis perita per ipsos 12. annos dexteritas, quam nobili quodam successu probasse videtur DEVS. Etenim Sebastiano Dauin tyroni ad illustrissimam cæcæ obedientiæ laudem exercendo imperauit Ioannes, vt iacentem & siccum in horto ramum tamdiu irrigaret, dum ille virorem acciperet. Perstitit perseueranter Ioannis mandatis parere Sebastianus: & ecce tibi (vt plures testantur) ramus ille viuere, *atque in ignotæ indolis arborem* excrescere

Gallus Auenione. 30. Ian. 1633. ingress. Soc. 1572.

Obed. cæca.

Siccus ramus.

Arbor obedientiæ.

re est aduersus. Eoque arbor illa diu postea superstes *arbor obedientiæ* nuncupata est à socijs, donec fabricæ locum vt daret excisa est digna quæ in omnibus religiosis hortis crescat, ne illius memoria vnquam intereat.

P. FRANCISCVS DE SOTO.

Hispanus Gadibus. 30. Ian. 1634. ætat 66. Soc. 49.

SIue palàm, siue priuatim de DEO loqueretur, diffusa in labijs eius gratia illiquefacta cordibus mirâ vi percellebat audientium voluntates, etiam antehac pertinaces ac ferreas. Quadraginta missiones obiuit immortali fructu. Sanctissimum viaticum vt ad ægros apparatè ferretur, effecit: SS. Ioachimi, ac Annæ honores mirè propagauit: examen conscientiæ in rudem plebem ita induxit, vt illud celebri vsu passim firmauerit, ac frequens & facile populis reddiderit pœnitentiæ Sacramentum. Cùm à quadam morbum simulante ad confessionem audiendam vocatus id audiret quod olim castus Ioseph à Domina sua inuitus audiuerat, id fecit quod Ioseph; nisi quod non pallium, sed rosarium (quod illa fortè arripuerat) in conscelerata trahentis manu reliquerit fugâ victor. Verba illius erant ignea qualia ab ore Eliæ expectares: opera verò amabili suauitate condita, miro studio opitulandi omnibus quibus posset. Vir locuples Hispali magnam auri vim eius arbitrio commiserat, vt eam quò vellet conuerteret. Franciscus nihil sibi, nihil Collegio, vel Societati decerpendum duxit, verùm educandis illis paruulis qui à parentibus deseruntur destinauit, & fuêre annua quinque millia aureorum. Mors illi vitæ haud impar obuenit, morbi contagione contracto apud ægrum cui morienti nauus adstiterat.

Migiones.

Zelus.

Castit.

Charitas.

P. RICHARDVS BRADLÆUS.

Anglus Manchestriæ. 0. Ian. 1645. ætat. 41.

OPerarius laborum, & periculorum amans ob animarum lucra. Vnde cùm nil metuens, inter plumbeam glandium grandinem, vulneratis militibus pœnitentiâ expiandis diligentiam nauaret, globo plumbeo in capite ictus ille quidem est, at illæsus; quia paulò ante militum quispiam prouidenter suam illi cassidem in caput impresserat. Manchestriæ postmodum in carcerem ab hæreticis in fidei Catholicæ seminatores, ministrosque infestè intentis coniectus, ibi glorioſis ærumnis confectus est, adeoque sola illi vita defuisse videtur ad mortem cruentam in causa tam nobili oppetendam.

Zelus animarum.

Fides.

P. EDMVNDVS DONATVS.

Hibernus Corcagiæ incerto mense, ac die an. 1580.

HIc Summi Pontificis literas ad Geraldinum Catholicæ militiæ Præfectum cùm deferret, ab hæreticis tentus. Limerici, in patria, in carcerem coniectus; Corcagiæ post carceris ærumnas & cruciatus in patibulo strangulatus, dissectusque, vitæ finem glorioſum in causa nobili reperit; eò quòd fidem Catholicam nec ipse vellet damnare, & alios ad illam adduceret, in eaque firmaret; Elizabethæ Reginæ titulo illo liberâ voce damnato quo illa se caput Ecclesiæ dici haberique volebat. Hinc reus læsæ maiestatis, ac patibuli pronunciatus, & carnificatus est.

Fides.

XXXI. DIE

XXXI. DIE IANVARII.

P. PETRVS PAVLVS DE AZEREDO.

Hispanus Madriti 31. Ian. 1573. *Humilitas.*

HVmilitati exercendæ sua sibi vitia petebat in triclinio exprobrari; monitore quoque impetrato, qui cùm nil se Petro notasse diceret, Petrus ipse sua errata describebat, & chartam monitori legendam dabat, legentem ipse de genibus humi supplici gestu audiens, manibus ante pectus coniunctis, neque sine copia lachrymarum. Orationis ac versuum sancta in illo facundia, suauis & ad animos DEO lucrifaciendos mirum in modum potens eloquentiq, maximè cùm de amore DEI loqueretur, quo argumento multas ab infami quæstu ad castiora conuertit.

Pia colloquia. Amor Dei.

P. ELEVTHERIVS PONTANUS.

Belga Attrebati. 31. Ian. 1611. ætat. 84. *Mortif. Charitas.*

HIc in thorace cilicino, & quidem ieiunus, sæpè in æstate 14. Belgica milliaria confecit pedes. Cùm præesset, si venam cuipiam incisam domi sciret; illum etiam nocte mediâ visitabat, id quod aiebat se ab ipso S.P.N. Ignatij. cui Romæ conuixerat, exemplo didicisse. Tornaci ad ægri Nouitij lectulum orans noctem integram flexis genibus duxit insomnem. Domi, & foris ea quærebat; quæ cum contemptione sunt coniuncta. Fœminam quæ se energumenam mentiebatur deprehendit, cum ossa animalium, purpurâ inuoluta, illi admouit, aquam simplicem, & carmina exorcismi loco adhibuit. illâ adhæc mirè se agitante, tanquam si sacrorum verborum, aquę, Lipsanorum vim ferre non posset. Exibat egestate domesticâ vrgente ad eleemosynam corrogandam: & ecce ignotum virum, qui ei centum aureos in manus dedit. Septimâ ante mortem die quicquid in cubiculo erat, Superiori transcripsit. Aiunt illum per sex horas orasse quotidie, prætereaque assiduè, facie ipsâ illustre quiddam ac sanctum spirante. Asperrimum cilicium induebat quotidie, flagris nullo die omissis. Parisijs toto anno cilicium nunquam deposuit. Virtus illius ad sanctimoniæ vsque famam illustris fuit. Etiam senex itinera conficiebat pedes, & nudipes aliquando, ac cilicio coopertus. Attrebati carceres adeò amanter visebat, vt captiuorum Parochus diceretur. Octoginta quatuor annos natus decessit, animam hisce verbis inuitans: *egredere anima mea, egredere.*

Paupert.

P. CLAVDIVS AQVAVIVA GENERALIS.

Italus Romæ. 31. Ian. 1615. ætat. 72.

HIc etiam dies anno 1615. extinxit Patrem Claudium Aquauiua Ducis Atrij filium, Societatis IESV Præpositum Generalem quintum, virum verè cordatum, Instituti scientem, ac retinentem, DEI præsentis, vbique inter occupationes attentè memorem. Hunc Beatissima Virgo non vni conspecta est magni comitij Patribus offerre, vt eligeretur Oranti noctu Christus dixit: *Noli timere quia ego tecum sum.* Per Beatissimam Virginem Societati tria potissimùm flagitabat, accuratissimam castitatem, profundissimam humilitatem, flagrantissimam diuinæ gloriæ prouehendæ auiditatem

B. Vir.

Spes.

tem. S. Philippus Nerius illum à se multo lumine perfusum conspectum dixit? alij testati sunt illum inter precandum sublimem in aëre per semihoram conspectum. Vixit annos 72. Societatem rexit annis 34. De hoc plura in eius vita, & in Annalibus Marianis Societatis IESV.

Oratio.

EDMVNDVS RENARD. COADIUTOR.

Belga. Leodij. 31. Ian. 1643.

PLuribus pestiferorum vlcerum cicatricibus fuit insignis postquam vigesies, bonâ obedientiæ veniâ se, caputque suum in periculum dedisset inter obsequia peste tactorum, vigesies malo illo superstes reuersus. Mortuum tandem Leodij memores heroicæ illius charitatis omnes Parochi exequiali sacrificio palàm honorauêre.

P. SANCIVS DE MENDOZA.

Hispanus Gadibus. 31. Ian. 1649.

IN obsequio peste infectorum magnam animam pro charitate posuit P. Sancius de Mendoza nobilitatis apud Hispanos claritudine, in Societate verò Grammaticâ diu traditâ, missionibus celebratis, charitate in vinctos ægrosque liberali, vltimâ demum heroicâ, cui hodie immortuus est, charitate memorabilis. Etiam in vltimis illis charitatis occupationibus post meridiem quotidie semihoram orationi consuetæ addebat, sensu magno ac tenero, P. Ioannes Auellaneda eiusdem gloriæ consors in eodem opere charitatis, priùs quàm è vita discederet, dixit P. Sancium iam ante mortuum, à se conspectum læto vultu renidentem, atq; etiam inuitantem. De hoc plura dedi in Heroibus, & victimis charitatis ad annum 1649.

Charitas.

Orat'o.

Mors.

P. ROBERTVS NOBILIVS.

Huic tum adhuc adolescenti eius in scholis magister P. Nicolaus Orlandinus disertè prædixerat, fore vt apud Indos pro DEI gloria magna patrarer. Apud Madurenses per annos 40. magno vitæ seuerioris exemplo, magnâ doctrinæ ac sanctimoniæ famâ ita laborauit vt ab alijs Ambrosius, ab alijs nonnisi Pater Sanctus passim vulgato nomine diceretur. Aiunt cum nemine collocutum de fidei veritate cui illam si non persuaserit, certè ostenderit. Inter alios libros perbenè lucubratos scripsit etiam solidam *narrationem fundamentorum quibus stabilitur Missio Madurensis.* Quo libro in sententiam suam, postea etiam oraculo Pontificio approbatam, adduxit eos qui ei obiectabant quòd Brachmanorum ritibus se plus æquo accommodare videretur. Attemperatè id, ac sapienter factum exitus ipse ostendit, & ea viuendi ratio iam communi secutorum illum sociorum vsu laudatè approbata. Asperum illud vitæ genus ultrò suscepit; vt exemplo suo legem Christi lege Brachmanicâ suauiorem quidem illam, sed in virtute nihilo laxiorem aut molliorem, asperioribus quibusdã (quę nonnisi admirabilitate capiuntur) ingenijs persuaderet. Extremo vitæ decennio oculis planè captus, iussus est in Collegio S. Thomæ quiescere; vbi pristinæ suæ virtuti haud impar, omnium tam Christianorum quàm Ethnicorum admiratione laudabatur. Per totos 50. annos istic nobiliter impensos, neque carnibus, neque piscibus vesci voluit; idque ex voto; per extremos annos nonnisi paucis herbis in cibum ad reficiendas vtcunque vires admissis.

Italus Madurè in Ian. 1656, Soc. 6.

Mortif.

Cæcus.

Mortif.

H MEN-

MENSIS FEBRVARIVS

PRIMO DIE

P. IOANNES PONCE.

Hispanus Villaregij. 1. Febr. 1606.

Humilitas.

DVcis de Arcos filius; nunquam tamen illum, vel consanguineum vllum nominare auditus, ne aliquid inde vani pulueris illi adhæresceret. Aegros tractabat amantissimâ accuratione; ciboſque illis ipse coquebat. In Deiparæ atque castitatis cultu, & in omnibus ijs, quibus castitas comparatur, mirè excelluit. Orandi arte studioque insignis cùm esset, eos morbos, qui mentem ægro eripiunt, eo ex capite horrebat, quòd illud tempus totum sine Dei amore transigatur: ipse verò nullum vitæ suæ momentum volebat huius amoris non esse pleniſſimum. Iam appetebat illud, quod antea prædixerat moriendi tempus; quo ille tantæ iucunditatis signa edidit, adeò excelsos virtutum actus elicuit, vt religiosus quidam è S. Benedicti Ordine Abbas, qui eius morti interfuit, & tunc, & pro concione postea diserte dixerit; nulla se vnquam in vllo vidisse maiora exempla virtutum. Extrema ferè, quæ identidem reguſtabat verba illi fuêre: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.*

Castit.

Amor Dei.

Mors.

Vocatio. Humilitas.

HIERONYMVS CIGNARDVS.

MEdiolani nobili domo natus; quem vtero gestans Mater dicebat se in explicabili orandi fame sitique teneri. Si quod conclaue ingressus B. V. imaginem videret, illam priùs quàm vllum alium salutabat. Huic modestiâ, solitudine, Virginitate custoditâ gratificabat. Cogitationem in tyrocinio si quam pateretur inuitus, eâ illicò Magistro aperiebat: nec illam deinceps reducem, aut importunam habebat. Eius in se verberando immanitas, alijs admirationem, illi ægritudinem induxit. Religiosa vota posteaquam nuncupauit, eadem Beatissimæ Virgini accommodata concepit, seque illi dedicauit. Alta, & sublimis quidam diuinæ pulchritudinis imago in mente relucebat impressa. Inde illi læta, pia, & ferè perpetua Dei præsentis memoria. Per menses aliquot apud fratrem in villa cum suo confessario esse iussus, ita se ibi habuit, vt affinem suam, seu fratris vxorem, nunquam in vultu viderit, & illâ non visâ redierit. Spectra ibi importuna signo crucis discussit. Cremonæ vltimũ ægrum phrenesis crebra concussit: sed & tunc sancta loquebatur; in hoc sibi constare visus. Eadem quâ mortuus est horâ, Mediolani cuidam suo olim socio nostro, nominatim appellato, & excitato, ac vigili se spectandum dedit, & dixit: *Ego vado.* Ipsi verò longam restare viam. Dubitanti, & oranti

Italus, Cremonæ. 1. Febr. 1608. ætat. 20.

B. V. Præ alijs salutata.

Nouitius.

Mortif.

B. V.

Casta modestia.

Mors.

Ego vado.

oranti se iterùm ostendit iucundâ luce conspicuus, eumque solatus plenum reliquit dulcium, ac per plures dies durantium lachrymarum.

PETRVS DE VEGA COADIVTOR.

Cantaber Peru. Coll. Cinquiaben. 1. Febr. 1619. ætat. 97. Soc. 4. *Prædictio.*

LImæ in Societatem cooptatus; vt ei esset vtilior, sutoriam artem didicit anno æratis 60. Totus in labore, totus in obediendi studio ad extremum vsque intentus, dixit se non nisi extremo vitæ suæ die decubiturum. Et verò non nisi quartâ ante mortem horâ decubuit, & se ad mortem post quatuor horas obeundam suauitate mirâ composuit, magno apud omnes nomine præclaræ virtutis honoratus.

Mors.

P. IVLIVS PASQVALIS.

1. Februarij. Italus, cæsus in vico Varo hiorum, 1632.

IN agro Brixiensi natus, in occidentis India inde ab anno 1616. versatus, Cinaloam Mexicanam primus excoluit. Cinipas primus è lustris in cœtum collegit; templa condidit; & ea istic egit ac passus est, quæ apud barbaros hactenus à nullo domitos & multa, & haud mediocria esse solent. Cinipæ monilia gestabant è conchylijs: Iulius Beatissimæ Virginis Matris insignitè amans, illis Rosarium, vt illud eius monilis loco gestarent, & alternis choris recitarent, persuasit. Primus vbique vadum, primus periculosa loca tentabat, tanquam vilius caput, opinione suâ; eoque minore iacturâ periturus. Itinera tot exantlauit, vt eorum conscij stupuerint vitam ei ad tot ærumnas sufficere. Induxit morem; vt si quis in agone morti esset proximus, ad æris campani sonum omnes pro eo de genibus precarentur. In annonæ caritate paruulis cibos in os, maternum in morem, ingessit; ipse non nisi parco, eoque parabili, & ferè auium potiùs quàm hominum cibo contentus. Cùm diuinis operaretur, populo templi ruinam timenti persuasit, ne fugeret; prædixitque, templum non nisi post peractum sacrificium ruiturum. Sacro peracto, populoque dimisso, templum illicò collapsum est. Vbicunque partium esset, horam vnam orationi mentali, mediam examini gemino, præstitutum tempus lectioni spirituali dabat. Ardebat intimè, sæpè altùm suspirare auditus: *Deus meus. cur te non amo? O quando te perfectè diligam, Domine? O fac, Deus, vt amem te ita sicuti dignum est à me amari te.* Dicebant qui eum pernorant, illum Deo semper adesse, ac velut in beata vita versari. In sacello coram SS. Sacramento erat pernoctans in oratione Dei. Vt menti, moribusque humilitatem altè imprimeret, descripsit sibi, & semper præ oculis habere voluit illud Isaiæ: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Pudicus vultus, & decora modestia, ei *pudicissimæ Virginis* nomen fecit. Inedia illi longa, & constans; asseres, lectulus; è setis cingulum castitatis; & quotidiana, eaque repetita, flagellis ad sanguinem vsque incussis in carnem suam sæuitia. Christophorus Martinez Hispanus chirographo suo testatus est, oculum sibi altè in caput recessisse, os verò fœdè ad auriculam vsque detortum; vtrumque repentè à P. Iulio persanatum, cùm de absente tunc P. Iulio noctu cogitans Christophorus suspiraret: O Si P. Iulius Pasqualis, vir ille sanctus, adesset, is me procul dubio incolumitati restitueret! Hæc eo cogitante adfuit iumento vectus Iulius; & ægro pro-

B V. Rosarium.

Humilit.

Charitas.

Mortif.

Sacrum.

Accuratio in ordinarijs.

Amor Dei.

Oratio. Euchar. Humilitas.

c. 66 v. 2.

Mortif.

procurrenti, Domine Christophore, inquit, si ego sanctus essem tu quoque sanus fores. Sed flecte genua. Indesuper flectentis caput Euangelium recitauit, & malum cruce signauit; quod intra quartum ferè diem discussum abscessit, nullo post se relicto vestigio. Alius ait sibi dictum à P. Iulio: *Ego pro re quam mihi commendare cogitaras, sacrificabo.* Et verò hoc ipsum aiebat ille se à P. Iulio vt peteret designasse. Anno 1632. 18. Ian. missæ sacrificium offerenti corporalia sanguine repentinò tingi sunt visa; id quod etiam is qui sacro ministrabat vidit, & alij plures. Idem in sacrario introspicientibus visum: prostridie nulla in ijs sanguinis nota comparuit. Dixit Iulius; id vel magnæ cladis, vel suæ necis esse indicium, & velut anticipationem. Euentus 1. Februarij secutus: quo die quidam apostata, collectâ barbarorum manu, in domum Patrum irruit; dicens; velle se, ac suos ciues frui voluptatibus quas è lege Christi tam ipse Iulius, quàm P. Emmanuel Martinez prohiberent. Domui ignis circumpositus. Patres rosarijs manus armant; atque iam antea intus inuicem expiati, prodeunt, & humi prouoluuntur ad preces; ac venenato illitarũ sagittarum imbre à barbaris obruuntur, dum IESVM, & MARIAM pronunciant. Canes obiecta sibi eorum cadauera ne quidem attigere. Barbari calices orgijs adhibent, sacrificale instrumentum omne diripiunt. Scheda sanguine P. Iulij exarata reperta est post eius obitum, in qua Sacramenti religione se obstringebat ad sanguinem pro Deo fundendum, si id posset. Nomen Iulij è literis ab illo perscriptis decerptum; permultis, nec rarò, saluti fuisse affirmant: quos inter est miles arcis Monteclaros, eo admoto è febribus, & dolore capitis quantocyùs persanatus.

Sacrum.

Fides.

Rosarium.

Amor Dei.

P. EMMANVEL MARTINEZ.

NObili genere in Algarbijs natus, Beatissimæ Virginis ope occasiones lubricas, & vnam potissimùm difficiliorem, incontaminatus euasit. Anno 1632. in Ianuario P. Iulio Pasquali adiunctus, dum ad Cinaloas iret, dixit; primum qui de se venturus esset nuncium fore baiulum suæ mortis; id quod ita euenit. Dixit etiam; P. Iulium fidei odio non priùs se mortis socio perimendum. Quotidie in se perdiu sæuiebat verbere iam consueto; DEI Matrem studiosè colebat; rosario illius è collo in pectus sub veste pendente semper munitus. Cinaloę tanta de illo inter socios opinio, vt planè, contra quàm fieri amet, nostri vestem illius ac pedes exoscularentur. Elucebat in illo innocens charitas erga Deum; & proximum. B. Virginis officium, rosarium, aliud item de Immaculata Conceptione officium, quotidie recitabet: Sabbatum ieiunio, tergendis in culina lancibus, eiusdem festa verò etiam inflictis dorso verberibus pridiè in triclinio, celebrabat. Cùm studeret necdum Sacerdos, bis quothebdomadis ad Angelorum epulũ accedebat, duas horas dans gratijs inter dulces lachrymas peragendis. Extremò, cum P. Iulio (ita vt prædixerat) sagittis venenatis confixus est, quarum prima statim brachium illius corpori affixit; reliquæ illum penitùs confecêre.

Lusitanus ibidem. 2. Febr 1632. ætat. 52. Soc. 12. *B. V. Prædictiones.*

Mortif.

Rosarium. B. V.

Cultus Deiparæ.

Euchar.

P. HENRICVS MORS.

SOcietatem Romæ impetratam, in Anglia ingressus, tyrocinium in carcere

Anglus Londini. 1. Febr. 1645. Soc. 20.

carcere Neocastri posuit triennio, statim captus atque istuc appulsus est. Ibi quidam de Societate illi socius carceris fuit, magisterque virtutis. Ærumnæ carceris effecêre, vt *mors* non minùs in grandi macie quâ torridus rigebat, quàm in illius nomine reluceret. Aiunt, vix vllum reorum ex illo carcere ductum fuisse ad mortem, quem Henricus non priùs addixerit Catholicæ veritati. In exilium amandatus, in Vvatenensi domo vixit inter Nouitios; quorum deinde magistrum egit, magno disciplinæ studio, quia pari exemplo. Non vnâ amandatione à patria exulauit. Vltimùm tandem eò redux, de Sacerdotio damnatus est. Mirus ad morituram affluxus: & ipse vltimis viribus satagebat pro salute consulentium, confitentiumque peccata. Post noctem insomnem, 1. Februarij horâ 4. manè sacris vltimùm operaturus, pro Anglia consuetas B.V. Lauretanæ, ac Sanctorum omnium Litanias recitauit. Ab his, de SSS. TRINITATE sacrificauit, votiuo sacro; vt gratias ei redderet pro morte quam adibat. Mox horæ canonicæ dictæ, ac vale socijs; à quibus in secreto cubiculo cum alio de Societate se abdens, totâ quantâ potuit virium contentione se in nobilissimos virtutum excelsarum actus pectore liberè in Deum exporrecto explicuit, vsque dum felici nuncio accerseretur ad mortem. quo accepto, exquisitis verbis gratias Deo teneras reddidit, seque obtulit in victimam. Altero Patre, vt in IESV, MARIÆ, ac Sanctorum omnium expectantium amplexus porrò iret perquisitè hortante, exarsit, succlamauitque flagranter Henricus: *Veni, mi IESV dulcissime! vt deuinctus tibi, à re nulla aeternitate auellar! Venite, vincula, crates, tormenta, laniena mortis. venite! IESV amore placetis.* Ita Mors mortem optauit vt superaret. Raptatus ad suspendium, egregiè ad populum perorauit. Deinde versâ ad SSS. Trinitatem oratione, actus amoris Dei, & contritionis conceptis verbis, edidit. Particulatim se de irâ, & de attentionis in precibus negligentiâ in eo doloris actu accusauit in palàm: postremò; *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum meum*; dixit: pectus in signum animi de peccatis dolentis percussit, simulque ex mutua pactione à Sacerdote turbæ permisto à peccatis absolutus, simul subducto carro pependit, & mox quadrifariam in partes carnificatus est.

Fides.

Mortis apparatus.

Confessio.

B.V. Zelus.

II. DIE FEBRVARII.

P. IOANNES DE ZUNNIGA.

Hispanus Limæ, 2. Febr. 1577.

COmpluti inter studendum vnà cum Ioanne Sebastiano admirabile perfecti Scholastici exemplar fuit. Anno 1569. in Peru appulsus, necdum Sacerdos Limano Collegio præfuit Rector. Æstimabat omnes, & mirè ab omnibus æstimabatur. Sed ne in corpus licèt virginitatis honore integrum, æquo inclementiùs desæuiret, eguit rectione. In dicendo vis in illo efficacitatis planè de cælo data. Quidam alapâ percussus à quopiam, eum vsque in Peru ex Hispaniâ fugientem secutus est; vt eius morte alapę illius ignominiam extingueret. Hic P. Ioannis acerrimâ dictione adeò subactus est, vt ad reperti tandem eius quem quærebat, hominis pedes accide-

Concio.

derit, veniam petens ac dans. Oratio illi pro lectionis arte fuit. Supremùm ægrum & de recreata valetudine, adeoque de morte dilatâ mœstum inuisit, & solata est ea, quæ illi assiduo in amore & cultu fuit Deipara: promisitque fore, vt proximo sibi sacro festo die abiret è vita. Ita factum 2. Febr. 1577. Ioanne hymnos pro supremo carmine concinente. P. Ioannes Sebastianus eius cranium postea in cubiculo præ oculis habere semper voluit, vt se ad virtutis decus egregium excitaret exemplo adeò singulari. Tanti fiebat, vt per 40. dies, quibus æger decubuit, per omnia Limæ cœnobia pro eo in vita retinendo varijs quà precibus, quà corporis afflictationibus fuerit supplicatum.

Cast.

B. V.

Mors.

Exemplum. præ oculis.

AVGVSTINVS PETRA-SANCTA COADIUT.

SAnctimoniæ nomine Roma primùm deinde in Peru clarus. Fouendo dulcissimo igni amoris Dei, veluti cinerem, silentium constans, & ferè pertinax adhibebat; parcè admodum circumspecteque locutus, vbi necessitas id extorsisset; cùm autem necessitas non erat, nihil. Pistoris perfunctus officio, si quid in pane laudaretur, Aethiopibus qui vnà laborabant, siquid vitij notaretur, suæ ignaniæ adscribebat. Mox adhuc ita vt erat fessus à massa, & furno, ad P. Ministrum adibat, petitum nunquid laboris haberet, quod peragi veller; faciebatque perlibenter, quidquid iuberet. Tum se ad SS. Sacramentum recipiebat oratum. Non semel sensuum fuit impos inter cælestia quæ pati videbatur, dulci mentis excessu: maximè diebus festis; & sæpè noctu, cùm pistor esset. Nec aliàs delicias, aut quidquid sui amorem saperet admittebat. Cilicium, & disciplina quotidie illi in familiari vsu: somnus breuis admodum: reliqua noctis labor & oratio obtinebat. Laborem psalmis & Dei amore condiebat. Semel quot mensibus in triclinio se de omnibus, quæ in leges peccasset accusans, inclementer se verberabat. Quotidie verò Rectorem adibat: & quidquid ea die à se aberratum conscientiâ exploratâ reperisset ei aperiebat; veniam, rectionem lachrymis vbertim manantibus, postulabat. Fama illius sanctimoniæ latè porrigebatur. Moriturus, ex tractatu Ioannis Auilæ de amore Dei aliquid sibi legi voluit, & in cælesti æstu totus à se abripi videbatur. Per 12. horas immotus iacuit, & requieuit in pace. Laborum illius præmium fuerit, quòd repertum post aliquot annos in crypta eius cadauer, manus planè integras habuerit, nempe quibus fidelis & pius hic Dei seruus tam sanctè laborarat. Digitum non nemo è viris pijs ac sapientibus auulsit & argento inclusum veneratus, secum circumtulit.

Italus Limæ 2. Febr. 1587. ætat. 84.

Silentium.

Humilitas.

Indefatigabil.

Mentis ex-cessus.

Mortificæ

Ratio conscientiæ vesperi.

Mors.

Lectio spirit.

Ob labores. Manus incorruptæ.

P. PHILIPPVS CUPPONAGVS.

HUnc in diem referunt etiam huius obitum quidam, licet Annuæ diem omiserint. quæ visum quoddam mirabile de illo sic referunt: Eius obitum dicitur Deus piæ cuidam mulieri, cui ille erat à Confessionibus, præmonstrasse. Fundebat pro eo illa preces, antequam Missionis obiret munus, cùm arborem intuetur, in magnam altitudinem expansis ramis excrescere, è quibus flores, fructusque vberrimi: statim mortuo trunco rigentibus foliis exarescere; sed egressam ex eo columbam miri candoris in cælum euolare. In missionibus laborauit enixè, alicubi maiore labore quàm fructu,

Italus Aronæ. 2. Febr. 1588. ætat. 61.

Mors.

Arbor. flores, fructus.

Columba.

fructu, alibi verò messe laborum granditati optabiliter respondente, ac propè superante.

nuæ, & in morbo, & antequam in morbum incideret, quotidie bis Confiteri ei solenne esset. *Confessio quotid.*

P. HIERONYMVS RVIZ DE PORTILLO.

Hispanus Limæ. 2. Febr. 1592. ætat. 71.

EFormato Coadiutore factus quatuor votorũ Professus, Generalis Præpositi iussu; vt primus Peruanæ Prouinciæ præesset, quam fundarat. In Peruana illa nauigatione tempestatem quassantem omnia, immersâ in mare sanctissimæ Crucis particulâ sedauit. In terram è naui cùm descenderet, spectante magna mortalium vi, terra contremuit, quasi energumena, sed à dæmone liberanda. Vox eius ad concionem dicentis & spiritus erat veluti tuba Angelica. Efficacitas ab orandi seque mirè vbique demittendi assiduitate mirabilis. Hic est ille, qui B.P Borgiam orantem vidit splendore cælesti vndequaque circumdatum. Ipsum verò læta conuersarum animarum messe diuitem, & morti iam proximum ea quam studiosè diligenterque semper coluerat Dei Mater in in Cœlestium Virginum comitatu amanter inuisit, & ad supremum æternitatis iter apparatè ac hilarè ineundum ipso suæ Purificationis sacro die veluti Simeonem accinxit.

L Crux. Terræmotus.

Concio.

B Borgiæ. Oratio.

B. V.

Mors.

P. ALPHONSVS GVILLERMVS.

Italus. Oropesæ. 2. Febr. 1594.

ORopesæ obijt Mexicanæ Prouinciæ Procurator, magnâ lætitiâ gestiens quòd in Societate moreretur. Ne ab Anglis piratis in mari caperetur, aiebat se Maternæ Virginis Matris pietati debere. Purificationis Marianæ die decessit, Confessione generali priùs expiatus, cùm, vt aiunt An-

B. V.

P. BALTHASAR BARREIRA.

Lusitanus. In Missione Guineensi. 2 Febr 1612. *Oratio.*

GVineensis Missionis ferè author fuit, certè columna princeps. Orandi ad Deum & homines potens. Anno 1585. Paulo Diaz non nisi 150. Lusitanis, pauciscque Aethiopum manipulis stipato, infinitâ Angolanorum vi iam imminente, Deum præsentem propitiumque pollicitus, illis potenti dictione animatis, in tabernaculum se abdidit, & supplex proiectus in genua Deum precatus & nouus Moyses. *Etenim eo vel intentiùs in orationem defixo* (verba nunc sunt Annuarum) *vel animum remittente ab eadem idem modò victoriæ, modò cladis euentus Lusitanis incidebat.* Vt proinde tunc Lusitani illi, & pauci Aethiopes, duodecies centena millia Angolanorum profligarint. Inde à Philippo II. accitus & honoratus multa impetrauit, pro earum gentium salute, idonea. Alius Barreiræ consilio minimè obsecutus, cùm fortissimis Lusitanorum à barbaris prœlio cæsus occubuit. Eboræ Patribus persuasit lachrymis, ne Guineensis, ardua licet nostris, Missio tolleretur, in qua ille annos 14. laborarat. Ipse iam 70. annos natus eò cum alijs mitti obtinuit. Regem Toræ 130. annorum, sed senectâ viridi senem, Christo initiauit, & per illum apud Regulos alios rem Christianam egit. Omitto hic tantisper eius vaticinationem, & quo vel illum alij, vel ille alios viuus & mortuus amore ac beneficentiâ sit prosecutus.

Moyses nouus. Oratio.

Lusit pag. 751.

Conuersio Regis.

P. ANNAS

P. ANNAS DE NOVE.

Gallus in noua Francia 2 Febr. 1646. ætat. 66. Soc. 46. *Mors.*

Anno 1646. 30. Ian. è Residentia trium Fluminum ad Gallicam quandam nouę Franciæ munitionem, vt istic sacris operaretur profectus, in sylua horrida, in niuibus frigoris sæuitiâ obriguit 2. Febr. repertus submissis humi genibus, aperto capite, oculis in cælum erectis, manibus pectori crucis in modum impositis, nonnihil ad niues acclinatus. Frigus istic tam immane, vt manus ferro admotæ illis adhæresçant. Deiparæ Virgini Matri perpetuo Sabbati ieiunio, dulcissimis de illa colloquijs, quotidiano Immaculatæ Conceptionis officio recitato insignitè addictus. Pulchra illi, & nobilitate illius digna oris casti species: Virginitas non semel tentata à proteruis ante initam Societatem, semper tamen ad mortem vsque seruata, id est, in sæculo per annos 30. in Societate per annos 36 In ea Missione 16. annis versatus, difficilis erat memoriæ ad linguas barbaras condiscendas. Demulcebat illos obsequijs, & quæsitis per summum laborem inter ardua montium radicibus, quas illis dabat in maxima caritate annonæ fame omnia & mœrore complentis. Obedientiæ sanctitatem adeò venerabundus coluit, vt aliquando, id ætatis vir, vbertim instar paruuli lachrymari sit visus, quòd putaret se in re quapiam mentem obedientiæ minimè assecutum.

B.V.

Castit.

Charitas.

Obed.

P. HIERONYMVS ANSALDVS.

Sardus Romæ. 2. Febr. 1652.

Sardiniæ Prouinciæ Præpositus Romam ad generale Comitium destinatus, in domo Professa felicem diem clausit. Aiunt illum etiam puerum ægrè ad mensam ab orando auocatum. Toto tyrocinij tempore nunquam silentij legem violauit, maturè sui victoriâ potitus. Inter studendum cõstare de se voluit, se nullius humani suspectus obtentu quidquam agere velle, vel omittere; & velle, vel tacere, vel vbi loqui licet, non nisi de studijs, aut animi ad virtutem promouendi vtilitatibus loqui. Idem illi cum Philosophiam, Theologiamque doceret, cùm Rector vel Prouincialis socios gubernaret, agendi tenor. Humilitatis votum Sacramento concepit, promisitque se nullam rectionem velle admittere, quin Prouinciali & Præposito rationes contrà scriò perscriberet; id quod & præstitit: & Mutio Vitelleschi vt ad Prouincialatum iam illi impositum admittendum ne compellaretur persuasit. Debitum quoddam vrgente iniquo quopiam, cùm soluendo non esset, nec ille moras pati vellet, flagranter ad orandum se cõtulit: & diuinitus intellexit, velut voce auditâ, ne se torqueret, rationum libris introspectis respecturum illa, quæ exigerentur nomina, deleta iam esse. Atque ita reperit lætus & gratus Deo. Diuinæ voluntatis vbique faciendæ studio accensus est è lectione quadam spirituali, in qua exemplo P. Gregorij Lopez didicit quauis quasi respiratione dicere: *fiat voluntas tua.* Sæpe inter orandum se in conspectu orantium Nouitiorum suorum, quibus præerat, primus collocabat immotus, & exemplo docens. Inter sacrificandum eleuari visus, & nubes lucida super illum descendens conspecta est, in qua Christus cor suum aperto P. Hieronymi Ansaldi. Pectori inserere videbatur. Dicitur Beatissima Virgo illi disertè nunciasse, vt ne tam parcus esset ac verecundus

Respectus humanus.

Silentium.

Humilitas.

Oratio.

Iaculatoria.

Oratio.

Cor Iesu.

B.V.

dus in petendo. Sed fidentior, plura deinceps postulare auderet.

M. NICOLAVS HAGAIS.

Gallus Molinis. 2. Febr. 1615.

MOlinis Grammaticæ præceptis instituebat iuuentutem, religiosi planè ingenij iuuenis. Hic est ille, quem de Societate ineunda deliberantem ac timentem, ne esset parum idoneus, Beatissima Virgo adspectabilis illi facta, solata est, & S.P. Ignatio commendans auxilium illi suum promisit semper adfore in vita, & in extrema vita.

B.V. Vocatio. S.P. Ignat.

III. DIE FEBRVARII.

P. LVDOVICVS QUIROS.

Lusitanus in Florida. 3. Febr. 1671.

DVm ad salutis mysteria Floridani, libenter quidem audiebât quàm impensè amaret, ac beneficijs ornaret, bonos Deus; ac de supplicijs æternis nihil ad aures admittebant, dæmonem iuuenum Deum esse dicentes.

Deus iuuenum apud Floridanos.

Hos dum quà potest excolit Ludouicus cum socijs, & Ludouicum quendam perfidum Neophytum à perfidia conatur ad Christi sacra reducere; ab eodem bona verba accipit, quippe qui se omninò rediturum promittebat. Eâ spe hilaris reuertebatur P. Ludouicus: & ecce collecto barbarorum globo Ludouicus apostata illum per iter aggressus, eius *cor* sagittâ transfixit.

Fides.

Cer.

IOANNES BAPTISTA MENDEZ ET GABRIEL DE SOLIS NOVIT.

Ibid. eodem die.

HI sacris necdum initiati cum P. Ludouico Neophytum apostatam ad frugem conati reducere, ab eo optima omnia promittente reduces, cum ille P. Ludouicum perimeret, ab eius socijs trucidati sunt, postridie post festum Purificationis Virginis Matris. Hunc Ludouicum, Cacicham vocat Catalogus. aitque illum insulæ Floridæ principem fuisse, baptismum simulatè in Hispania suscepisse; ac se ducem Patribus obtulisse.

IOANNES PETRVS DIVITIA, COAD.

LAbore vtilis; atque assiduitate & orandi studio insignis. Obtentâ à Maioribus veniâ, horam quæ recreationis est à mensa siue colloquij, ipse agebat ad Sanctissimi Sacramenti aram in gradibus prouolutus. Ter illi quothebdomadis ad S. Synaxim adeundi facta est potestas. Quotquot in triclinio legi pro more audiebat Nostros vbicunque mortuos recitari, singulos adnotabat. & pro singulis DEIPARÆ coronam ter persoluebat. Nullum frigus illum adigere potuit vt ad ignem accederet, vel vt culcitram linteaminaque ad somnum admitteret. Ieiunia propuè ad inediam crebra habebat, & quando comedebat, non nisi vnico cibi genere vescebatur.

Italus. Perrariæ 5. Febr. 1907. ætat 72. *Eucharist.*

Purgat. B. V.

Mortif.

IOSEPH BRACCVS
COADIVT.

Italus Nouillariæ 3. Febr. 1620. ætat. 57.

NOuellariæ semper ferè socius Magistri Nouitiorum. Omnium quas in Coadiutoribus desideramus virtutum vir. Familia illi honesta & locuples; officia antè initam Societatem honorifica, vtpote qui Comitum Rangoniorum Mutinæ, vt vocant Magister domus, & Cardinali à cubiculis fuerit: & tamen in Societate se infra omnes, etiam Coadiutores, habebat, nullo pilei quadrati vsu admisso, & veste è tela tectus, tametsi domiciliorum Regiensis & Nouellariensis eximius benefactor. Quothebdomadis bis se verberibus, bis cilicio, ter ieiunio affligebat Relaxationis rempus omne dabat laboribus. Virtutem, quam Indifferentiam dicimus, petebat à Deo quotidie: sine hac aiebat religionis paradisum esse infernũ. Aiebat Dei vocem in Superioribus agnoscendam, qua tanquam per fistulas ligneas ad nostras aures descendit per officiales; per Rectores, tanquam per fistulas argenteas; per Prouinciales, tanquam per aureas; per Generalem, tanquam per fistulam auream gemmis distinctam. Singulis horis quiddam orationis dicebat, quâ opinabatur vnam in Purgatorio animam liberari. Omnes morbi supremi dolores ijsdem animabus dono dedit. Vnde lætus sustinuit, quidquid sentiebat ab igne sacro, quo tota illi pellis per omne corpus exusta est.

Humilitas. *Mortific.* *Oratio.* *Obed.* *Dei vox per Superiores sonat.* *Sing. horis Oratio.* *Purgat.* *Morbus.*

IV. DIE FEBRVARII.

IVLIANVS FLANDER.
COADIVTOR.

Belga Panormi. 4. Febr. 1550. *Aulanum. 6.*

AB ipso S. P. Ignatio ad Societatem admissus, in Sicilia vulgo Beati nomen intulit, vitæ sanctimoniâ in aula omnibus amabilis. Illud memorabile de illo refert Orlandinus. Consultum, inquit, à laico Fratre Iuliano Flandro publicæ custodiæ. Qui cùm ægrotos vinctos animaduerteret squalore situque carceris extremum vitæ discrimen adire, cubicula quædam separatim, quò illi transferri curarique possent, extruenda curauit.

Charitas.

P. MARCELLINVS
BOMPAR.

Gallus Anicij 4 Febr. 1623. ætat 67. Soc. 8. *Mortif.*

MVltâ, & magnâ virtute, constanter domi ad singulos legum apices diligenter expensos vigil, & in corpus inclementer seuerus, ac ad omnem obedientiæ nutum persancte intentus. Extremum spiritum ijs, qui à pestifero morbo ægrobatant militibus impendit, & obijt.

Charitas.

P. MATTHÆVS
CVBERVS.

Germanus in Resid. Valcensi 4. Febr. 1646. *B. V. ægrum solatur.*

HVic Augustæ adolescenti, cùm æger decumberet per quietem apparuit Dei Mater, & conualesces, ait, fili; per te multa bona Filius meus operabitur. Societatem ingressus, Patrem suum hæreticum, ac fratres Ger-

Fides.

Germanos tres, & pagorum deinde integrorum partem insignem veræ Christi Ecclesiæ adiunxit. Magna in illo humilitas, pulcherrimæ ad cælestes operarum spiritualium labores impigritati coniuncta: Virginitas verò ad mortem vsque perpetua: & mors felix, ac eo die obita, quem ipse nominatim prædixerat. Ita vixit, vt verè DEIPARÆ prædictionem vndequaque impleuerit.

Castitas.

P. AVGVSTINVS DE ESPINOSA.

Hispanus Ezyæ. 4. Febr. 1618. ætat. 45. Soc. 12. Vocatio. Mortif.

TRes fratres habuit in Societate, viros magnæ virtutis. Ad tyrocinium eunti obuius dæmon in specie sororis miserè plorantis, & reditum suadentis apparuit, cùm soror domi esset: at Augustino tacente, ac porrò pergente, tandem euanuit. Habebat arculam plenam flagris cilicijsque assiduo vsu attritis, quæ vel videntibus horrorem mouebant. Verbera, quibus se contundebat, illi erant quotidiana, vsque ad sanguinem, quem stellulæ catenulæque è carne lacerâ affluenter eliciebant, vsque ad animi deliquium quo humi collabebatur postea quàm sibi duo, sæpè tria & ampliùs, ictuum millia inflixisset; nocte feriæ quintæ sanctioris hebdomadæ, etiam quinque millia, idque bis, teruè, aut quater. Crucifixus illi assiduè præ oculis: cuius amore cruci affigi optabat. Et si quem fidentiorem nanciscereturr, iubebat sibi eam pelliculæ partem, quæ indicem inter pollicemque interiacet, clauis in vtraque manu configi: atque ita crucifixum imitabatur quà poterat. Alapis ab eo se cædi, funibus ligari, appendi, brachia capillosque sibi velli, plantas, tibias, dorsum concidi, os conculcari iubebat. Amarissimum quoddam herbæ genus ori ingerebat, vt fel Christi gustaret. Omitto singula, dira cruenta, varia, eoque admirationem potiùs quàm imitationem commerita. Miror eum (vt sic dicam) carnifices reperisse, qui eum tam inusitatis modis cruciarent. Expansis in crucem manibus orabat manè, vsque dum fessa illi brachia concíderent. IESV nomen inussit pectori; & alias notas reliquo corpori: indices seruitutis IESV, & MARIÆ. Non minore se infra omnes demittendi ingenio ac industriâ vtebatur. Quicquid noxæ in se aduertisset, cuidam aperiebat; & ab illo coargui, pœnisque inflictis plecti petebat. Humi prostratus in cubiculo Nouitium ad id delectum iubebat pedi ori iacentis superimposito, è charta exprobrare illa quæ ipse de se adnotarat. Rogabat Superiores, vt palàm afflictaretur, ac difficilibus imperijs exerceretur. Illustrium capitum consortionem fugiebat: neque offendebantur summi quique cùm non veniret, etiam sæpiùs vocatus. Cuidam præ illius desiderio obortæ sunt lachrymæ; quæ tamen dicebat se illum eò pluris facere ac magis desiderare quò ipse aulas horreret magis. Eorum à quibus consulebatur animos perscitè ac persanctè tractabat arte amabili, & libros legendos appositè præscribebat: quâ industriâ familias integras ad virtutem egregiam deducebat. Pro ijs quorum animas gubernabat, orabat, seque, multifariam afflictabat coram Deo; vt pro illis optima quæque obtineret. Multa prædixit quæ ipso euentu affirmauit Deus. Singulis diebus Sabbati Xenodochium visebat, & ægros breui conciunculâ solabatur, sanis quoque permultis eò secum adductis. Cùm Cordubam fuisset missus, fœmina insigni virtute celebris Christum impensè rogabat vt illũ Ezyam reduceret, magno animæ suæ com-

Orationi. Manè.

Humilitas.

Lectio.

Sabbato.

modo. Ita oranti visus est coram Christi throno supplex P. Augustinus noster, Christo dicente ad fœminam: Veniet, & per annos istic erit: sed tu modicum illo gaudebis. Venies enim ad me breui. Venit Ezyam Augustinus: & illa intra trimestre migrauit è vita. Et in missionibus, & domi in alijs accendendis totus erat viua flamma diuina amoris, sacrarum literarum testimonijs ad rem aptè adductis. *Charitas.* Adolescentem in vocatione vacillantem cùm in suo conclaui nequicquam ad constantiam hortatus fuisset, Xaueriano exemplo permouit; neque priùs in dorsum suum sæuire desijt, quàm ille asseueranter constantiam promisisset. Quam & seruauit. Cùm *Purgator. Euchar.* noctu in odeo, facultate à P Rectore acceptâ oraret, vidit quendam de Societate Sacerdotem, nuper mortuum, coram SS. Sacramento ad Summum altare profundè inclinatum, & alta ducentem suspiria. Alius quidam externus illi ante mortem confessus, & ante dies aliquot sepultus, illum in cubiculo adijt, secum (permittente id cõscio superiore) in silentio abduxit, & *Discè à mortuis.* reduxit, eique aurum dedit vnà cum charta in qua scripta erant nomina creditorum quibus mortuus ille aliquid debebat. Aiebat; velle Deum, vt Pater eis qui istic notati essent tantum auri penderet quantum istic scriptum esset; reliquum verò in alia opera pia expenderet, prout ei optimum videretur. Dixit; & videri desijt. Eadem nocte P. Augustinus Rectorem orantem adijt, & omnibus ritè narratis, probante illo, postridie omnia est executus. Interea tamen dum Pater cum defuncto illo domo abesset, Rector socijs coram aperto SS. Sacramenti tabernaculo preces pro successu rei tam miræ indixit. Rebus expeditis, defunctus ille post octo dies ad conclaue P. Augustini redijt: Gratias egit quòd ad amussim omnia sit executus, & sacrificia obtulerit. Horum vi se à Purgatorij supplicio absolutum abire ad Beatos in cælo. Ibi se illum Deo serió commendaturum. Et abijt. Orabat P. Augustinus sine intermissione; *Oratio. Hora.* ac singulis horis omnia prospera & aduersa diuinæ prouidentiæ offerebat, diuinæ voluntati suam vndequaque submittens, semperque contentus, & ad Deum vbique præsentem attentus. Cùm oculos haberet ægerrimos, & Medicus diceret, fore vt oculorum lumen planè perderet si foras domo exiret; à superiore foras missus, id *Obed. cæca.* quod erat dixit, sed adiecit se ire paratum, si porrò ita vellet superior. Eo ita volente prodijt, & cæcus domum reuertit; lætus quòd lucis huius vsum *Cæcus.* ex occasione obedientiæ amisisset. Ita extremo vitæ triennio cæcus, & multis alijs morbis obnoxius, at semper lætus, vixit. Voto ad Deum in S. Xauerij honorem concepto mori potiùs *Mors.* petijt quàm sanari, si Deus ita vellet. Intellexit se esse exauditum; idque alijs dixit, vno post votum mense extinctus. Toto illo mense in vicinam ac præuisam, optatamque mortem erat intentus; fuitque post mortem quoque maximis laudibus tum domi, tum foris celebratus.

Euchar.

V. DIE

V. DIE FEBRVARII.

P. PAVLVS VALLIVS.

Punicali 5. Febr. 1552.

HIc etiam ad deuexam vsque ætatem Indiæ Orientalis impiger operarius fuit, quem Xauerius *insigni perfectione & virtute virum* appellabat. Hunc de Christo ac fide pro concione dicentem Bagadæ circumfusi post contumelias ac probra comprehensum interiorem in plagam, adeoque in custodiam abductum, inedià diu vexauêre, modico orizæ & & aquâ illi appositis, quo vitam vtcunque traheret ad ærumnas. Ita squalore ac demum morte istic absumptus est.

Fides.

Carcer.

GREGORIVS CABEDUS.

Italus apud Fanum Feb. 5. vel 8. 1557.

HVnc in diem refertur mors Herculis olim, postea mutato profano in Societate nomine, Gregorij Cabedi, pij admodùm, & virtute solidâ insignitè præditi adolescentis, nuper in Societatem admissi, postquam semel à primâ Christum in Societate sequendi flagrantiâ elanguerat sed eò flagrantiùs postea exarserat ad nuncium remittendũ mundo fallaciter vbique insidioso. Româ Perusianam, inde Laurètum, mox Ferrariam ad natalem auram valetudinis curandæ gratiâ missus, in itinere ad Fanum expirauit. Iulius Cabedus eius Pater æger Mutinæ diuinis meditandis intentus, videre sibi visus est suum Gregorium inexplicabili cũ lætitia in cælum ferri. & eius mors post dies aliquot nunciata. Ferrariæ quoque illius Amita sibi eum videre visa est, quasi concionaturum mirâ quadam vultus modestissimi maiestate.

In cælum ferri visus.

Tres Sancti Martyres PAVLVS, IOANNES, ET IACOBVS.

PAVLVS MICHI Scholasticus nobili apud Iapanios domo natus, in Seminario Gregoriano literaturâ à nostris excultus, & Scholasticorum classi in Societate adscriptus, concionandi facundiâ, & felicitate floruit magno fructu.

Iapones Nangasachi. 5. Febr. 1597.

IOANNES DE GOTO adolescens 19. annos natus, & ipse inter Scholasticos referendus; *& Iacobus Ktsay* Coadiutor, erudiendis catechesi rudibus adcti, atque in Societatem recepti, ac Ozacæ breui, vnà cum Paulo, custodiâ circumscripti, cùm latam in se crucis sententiam accepissent, læti exclamauêre: *Benedictus sit Dominus noster* IESVS, *qui nos elegit è tot alijs ad cõmoriendum sibi in sancta cruce.* Et Paulus, *Triginta tres*, ait, *ætatis annos natus dedisti vitam tuam pro me in mortem, ô bone Iesu! Ecce & ego totidem annos numero, dum pro te subeo mortem crucis.* Meacum ductis, sinistræ auriculæ pars abscissa, tam his quàm ijs, qui vnà captiui tenebantur è disciplina S. Francisci, ac alijs Christianis, omnium numerus erat 24. quibus duo Adaucti postmodum accessêre. Ibi alij alijs curribus impositi, præfixa in tabulà sententiâ, quæ dicebat; hos crucis damnatos, eò quòd, contra Iaponum Imperatoris legem, Christi legem sint amplexi, eamque alijs prædicarint,

Desid. patiendi.

Auricula abscissa.

Fides.

dicarint. Ita per Plateas in custodiam vecti cum illa epigraphe.

Iacobus Kisay Christo crucifixo mirificè addictus, & iam 64 annos natus, incredibile est quanta dederit signa lætitiæ, quòd se Christi crucis videret esse participem. *Paulus Michi* in carcere de fide, ac Martyrij gloria ita dixit, vt duo qui eum audiebant Iaponij se Christo nomen dare velle receperint. Iumentis impositi, & alligati, 27. dierum itinere per summum frigus Nangasachum perducti sunt. Flebat ubertim Pauli veteris amici sortem, tyranni germanus; at mortem pro fide Christi obeundam aiebat Paulus esse sibi vitis omnibus chariorem. De cruce iam sublimis, veniam à Deo precatus omnibus, flagranter ad suos ciues dixit.

Postea *Ioannes de Soan*, seu *de Gotho* floridus adolescens, præsenti suo Patri, ac martyris filij cruore aspersо, Beatissimæ Virginis coronam precariam, quâ vsus fuerat, donauit, & in crucem sublatus est. Post hunc denique Iacobus Coadiutor. Tum coortâ Christianorum circùm in genua abiectorum comploratione, barbarorum admiratione, IESVS MARIA conclamatum est, cùm martyrum latera configerentur hastis à latere altero per cor ad latus aliud penetrantibus; Iapone hinc alio per sinistrum, inde alio in dextrum latus martyris hastam cum impetu adigente. Vrbanus VIII. hos vnà cum socijs Sanctorum Martyrum Catalogo ritè adscripsit anno 1627. 10. Iulij. Non desunt qui affirment, primâ post eorum agonem sextâ feriâ per noctem conspectos esse in cælo, ad eam partem quâ pendebant Martyres, tres ingentes radios, ac velut igneas columnas; earum columnarum mediam cùm duabus horis fulsisset, supra templum Societatis Iesu constitisse, ac videri desijsse; noctem claram luxisse; in eo loco in quem ea columna visa fuit subsidere, multas scintillas conspectas stellis consimiles; per longum temporis spatium sexta quauis feria supra campum martyrij multas apparuisse stellas, candelarum instar, quæ ad ritum quendam supplicationum motæ, ad locum, qui Eremus DEIPARÆ dicitur, ferebantur. Alia non libet his addere, quæ à nonnullis dubiæ fidei esse censentur. Videri potest Bollandus 5. Febr. vbi huius martyrij velut prænunciæ repertæ cruces. In Obama vico, anno 1589. Dec. in taræ arboris (quam sacram ibi vocant, putantque contra malignos spiritus vim habere) trunco fisso, in vtraque parte, crux reperta: Protasio Regi dictum per quietem à duobus de cælo venientibus; breui in eius terris signum IESV non manufactum detectum iri. In Facunda vico. anno 1592. 7. Febr. in horto, in arboris, securi atque cuneo fissæ, frustis, seu lignis, nigræ cruces aptè formatæ conspectæ, geminis singulæ brachijs, pede, titulóque insignes. S. *Iacobus Quisay* ne dilecti sui Crucifixi obliuiscereturtotam patientis Iesu historiam secum in libello descriptam gestabat continuò, eamque legebat quotidie: vt de illo refert P. Ioannes Nierembergius de adoratione in spiritu lib. 2. cap. 5. vbi etiam de splendore sextâ quauis feriâ conspecto super locum martyrij.

Radij cælestes Feria 6.

Crucesin arboribus.

Lectio spirit.

VALENTINVS SANIER COADIUT.

DIgnus quem vel sanctum illud, quo celebrabatur, otij odium, & se affligendi, ac Orandi studium memoriæ omnium, & Coadiutorum imitationi commendet. Verùm illud illi si non cum omnibus, certè cum non paucis est commune. Istud singulare;

Callus Rothomagi. 5. Febr. 1608. ætat. 64.

gulare; quòd cùm illi paralysis & vires, & omnem propè sui etiam nominis memoriam pessumdedisset; ad vnius tamen DEI nomen, ex alto illo velut somno, in quo defectus sensibus iacebat, experrectum, & si vel modicum respiraret, de Deo aliquid moliri conatum viderint nostri, non sine grata omnibus admiratione. Adeò Dei magis, quàm sui memor vixit.

Nomen Dei.

Morbus.

P. GEORGIVS VONDERAU.

Pratensis Vilnæ. 5. Febr. 1609. ætat 50. Soc. 30.

SEu veteranos seu Nouitios regeret, nunquam verbo, nunquam vultu iræ vmbram vllam præsetulit, mirabili semper mansueti animi suauitate mitissimus. Die Purificationis Bmæ. Virginis è templo redux disertè pronunciauit se quoque breui cum Simeone dicturum: *Nunc dimittis, Domine, seruum tuum*; id quod quarto post die factum, illo mortalitati erepto.

Mansuetudo B. V.

Mors Prædicta.

P. FRANCISCVS DE MONTMORENCI.

Belga Duaci 5 Febr. 1640. ætat. 62. Soc. 22.

RElictis & familiæ titulis; & Ecclesiasticis honoribus; è Præposito Casletensi, ac Leodij Magno S. Lamberti Decano, trium in Societate votorum Professus. Statim ac tyrocinium iniit, pedes omnium tyronum est exosculatus. Demissione animi, atque constanter adamatâ in cultu, cibo ac omnibus paupertate inter nos emicuit: at patientiâ plane suis admirabilis, cùm ischias & luxata coxendix illum per annos ferè 20. cubiculi circumscriptum limitibus, nec se, nisi fulcrorum adminiculo, mouere valentem, in solitudine, paupertate, doloribus attinuit. Verè ille tunc id agebat, ad quod illum eius libro præfixum de illo anagramma hortabatur: *Franciscus de Montmorenci: Constans ser Domini Crucem.* Sacrâ poësi pium ingenium occupabat, æquo semper animo, sorte suâ lætus, & Psalmos atque Cantica è diuinis literis lucubratione poëtica Deo canens, calamo typi quoque lucem commerito. Mortis apparatio illi fuêre exercitia S. P. Ignatij: tum reliqua de more. Cælestis patriæ desiderio, & suauissimâ erga Deum fiduciâ plenus, gratias agebat, quòd in Societate moreretur. Negabat enim sibi foris morienti tanto vnquam gaudio ac voluptati futurum fuisse supremum Agonem suum; quem confecit Duaci, vbi Theologorum Seminarium iam ante fundarat. Vltima illi verba fuêre, IESVS, MARIA! sit Deus benedictus.

Humilitas.

Patientia.

Mors.

P. IOANNES DE KRAECKERE.

Belga Aldenardæ, 5. Febr. 1647.

INgenti animo Indias complexus, nuper Louanij Theologiam propugnarat, & Aldenardæ humaniores disciplinas tradebat in scholis. Vbi nocte quadam inconsultum parentum suorum (à quibus iter Indiacum sciebat sibi apud Superiores intercelusum) amorem expendens, doloris & desiderij lachrymas vberes fundebat, queribundi mœroris vndique plenus; cùm ecce tibi P. Paulum Hentini septima Octobris anno proximè præterlapso mortuum sibi adspectabili specie præsentem videt, auditque disertè affirmantem, fore vt sibi in cælo breui sociaretur. Ita ille consolatoriâ mortui amici vaticinatione mœrorem in mortis quæ haud multò post secuta est, apparationem conuertit, vixitque

7. Oct.

Vino mors prædicta & mortuo.

que tanquam breui migraturus in cælum in omnibus quæ agebat accuratus, quia à beata mortis expectatione suspensus.

VI. DIE FEBRVARII.

P. CAROLVS PHARAO.

Italus Mes sanæ 6 Febr. 159

Vocatio.

HVnc adhuc puerum cùm parentes ad Societatem ire prohiberent, eoque domi clausum attinerent, ille nocte intempestâ, occasioni imminens, eamque nactus, arrepto tantùm linteo, semi-nudus è paterna domo ad nudum Crucifixum fugit: & consentaneam primæ flagrantiæ vitam in Societate duxit, Philosophiâ Theologiaque perdoctâ, & insignibus quos obijt laboribus ac virtute præclarus.

P. HENRICVS HENRIQUEZ.

Lusitanus Pnnicale 6. Febr. anno 1600. æt. 80. Soc 55.

Vocatio.

Eleemos.

Lingua cust.

Fides.

Quotid. Confes.

COnimbricæ in Societatem cooptandus, sua dispersit, & dedit pauperibus, eleëmosynâ quatuor millium aureorum. Linguæ suæ magnoperè potens erat; & cautus. Vnde nihil erat, quo quemquam læderet, vel in quo argui posset. Piscariam per 53. annos excoluit, Apostolus Comorinensium appellatus. Ausus Brachmanas etiam ad experimentum ignis prouocare, ad ostendendam fidei veritatem. A barbaris breuissimâ catenâ collo ac pedibus iniecta vinctus, eoque in globum miserè curuatus, ac doloribus tumoribusque plenus iacuit plures dies & noctes, nec nisi trimestri exacto redemptus est. Diuino Sacrificio non prius operabatur, quàm animum expiasset, si Sacerdotem nanciscì posset. Templa, & Nosocomia plura erexit: multa & magna passus: inter quæ tantis è cœlo delicijs abundabat, vt diceret neminem fore qui illarum conscius, non labores illo præ omneo, quod multùm delectat eligeret, optione oblata. Neque religiosum sibi videri dicebat, qui perpessione quotidianâ non quotidie aliquam id genus velut lineam duxisset. Per 20. dies, quos posttemos habuit in vita, bis quotidie se Sacramento pœnitentiæ perpurgabat, vt mundo corde compareret pro tribunali extremo. Diuinam misericordiam sibi optabat, rogabatque pro mortis articulo impensius inculcari. Neque enim alio niti firmamento spem suam: in inferno autem pœnas se dare paratum, idque sibi beneficij loco fore, si tamen citra odium Dei fiat; nam horrendam sibi præ supplicijs omnibus eam videri, quâ in Deum blasphemiæ istic vomuntur diritatem. Sepulchrum eius frequentes visunt; qui persanctè aiunt se à Deo per illum luculenta beneficia obtinere. Inde ibi anathemata & lampades; inde iurisiurandi formulis insertum illius nomen ad fidei firmamentum. Referunt, qui id ipsi oculis vsurpauere, obtrectatorem quendam, quoties obloqui P. Henrico conatus os aperiebat, toties illi carnis frustum instar pomi, vel pugni, os ad obstrectationem apertum occupasse, illudque obstruxisse, ac illum obmutuisse.

Cæli delicia.

Mortif.

Confessio quotid.

Amor Dei.

Obtrectator.

P. FER-

P. FERDINANDVS PATERNO.

Italos Catinæ. 6 Febr. alius ponit. 7 Febr. 1694 ætat. 64.

CAtanæ nobili domo natus. Vir consilio & solidâ virtute commemorabilis. Ad fœminam aliquando, vt illam exomologesi expiaret, vocatus ab illa, & à pluribus istic procacibus fœminis obscœno igne ardentibus, nec per illecebras, nec per vim, ad scelus pertrahi potuit. Fortiter & castè se ex illo luparum lustro euoluit ad fugam. In Hispaniam ad Philippum II. Hisp. Regem bis missus, ibi B. Aloysio familiaris, eidemque à conscientiæ secretis fuit, etiam eo tempore, quando *S. Maria de bono consilio*, vt istic eam vocant, Aloysio consilium de Societate ineunda dedit atque vt id aperiret Confessario, imperauit.

Castit.

B. V.

P. GABRIEL CRVCIUS.

Lusitanus in India Orient. 9. Febr. 1611.

LAbore felici de Orientis Indijs præclarè meritus. Nam apud Tolenses, Samoforanos, ac passim expetitus, præter 172. desertores ad Catholicam fidem reductos, baptismo initiauit alios facile bis mille sexcentos, quos inter fuit & Dynasta Samofori.

Fidei.

P. CHRISTOPHORVS CLAVIUS.

Germanus Romæ. 6. Febr. 1612. ætat. 75.

ASsiduissimè agebat, quidquid sui muneris esse intelligebat. Inde sæculi sui alter Euclides habebatur. Inde confusum Kalendarij veteris chaos Gregorij XIII. authoritate ordinatè digessit, atque instaurauit; nullius ingenium aspernatus, & modestiæ retinens. Bamberga illi statuam promittebat, si patria in vrbe degere vellet. Sed quia Collegium tunc istic necdum erat, & fastum oderat; non admisit. Interrogatus â Gregorio XIII. Pont. num commodè habitaret; affirmauit: nisi quod, vt erat candidus, adiecerit; se lectulum debere hac in conclaui atque illac variè collocare ad arcendam pluuiam, quæ se per tectum ad lectulum penetrabat. Ea res Gregorij cogitationes de vrgenda Collegij Romani ædificatione maturauit. Suum Clauius singulis horis pensum, & velut iugum distributè imposuit; vt ne quod temporis punctum otio corruptum amitteret, vel ne aliud ab eo ageret quod debebat. Sui peruincendi & oculorum in officio continendorum studio excelluit. Fenestræ geminæ illi patebant è cubiculo ad plateam. Per alteram earum aliquando per inconsiderantiam prospectans, feminam vidit ex aduerso degentem: quem ille fortuitum oculorum errorem seuerè castigauit; neque deinceps vnquam per omnem vitam id sibi licere voluit; fenestrâ illâ ita clausâ & firmatâ, vt illam ab eo tempore nunquam aperuerit.

Temporis partitio.

Oculi.

CLAVDIVS ESRANGIN COAD.

Gallus Viennæ. 6. Febr. 1616. ætat 62. Soc. 42.

CVbicularij munere fungebatur in domo lauta & nobili, castimoniæ semper vnicè studiosus: quam cum aliquando actiùs à carne oppugnari aduerteret, è lectulo prosilijt, & Deo Castimoniæ Sacramentum dixit: etiam in Societate postea in se virgis inediaque inclemens; & de mulierculis, à quibus impetebatur, castè victor. Non vno ante mortem mense diem suum extremum præuidit. Laboris mirum in modum auidus. Sub mor-

Castitas.

Mortif.

Mortis

tem Coadiutoribus erga Superiores candorem & obedientiam; erga omnes charitatem & pia colloquia commendauit. Somnum in lecto capere noluit; verùm in sella humili vestitus, aiebat, se hostem suum operiri. Denique quasi solenne illud S. Henrici: *Post sex*, legisset, vltimo sex dierum, quos vitæ supremos habuit spatio, viuendi ac moriendi, atque se morti comparandi seriem digessit in hunc modũ. 1. die Sacramentis confessionis & communionis refectus est. 2. die vitam vniuersam examine & exomologesi nouâ expiauit. 3. diem sanctæ vnctionis Sacramento dedit. 4. Sanctissimo viatico, & socijs complexu vltimo valere iubendis. 5. selectis cum Deo & sanctis, colloquijs. 6. denique, eumque supremum, morti.

Somnus.

Vltimorum 6 dierum occupatio.

P. IOANNES DE LA CHAUSEE.

Gallus Flexiæ 6. Febr. 1654.

AD Societatem mirabili casu accitus est. Etenim cùm 32. ferè annos iam natus, breuique in suprema Parisiensi curia senatorum numero accensendus, per Bacchanalium dierum licentiam personatus hilaritati per choreas cum vndecim alijs indulgeret, tertius etiam decimus saltator ignotus adfuit, eoque omnibus timorẽ incussit. Postridie in templo Ioannes hîc Sacrificio diuino intererat, quo tempore qui ex energumeno pelebatur, Ioannem indicans inclamauit: *Ille meus est: calamistratus ille meus est, ni caueat. Ego hesterni causa timoris fui, vtpote qui agebam tertium decimum saltatorem.* Ergo Ioannes, re altiùs expensâ, voti religione firmauit se Societatem initurum in qua postea Coadiutoris spiritualis gradum obtinuit, Romæ per ipsos 25. annos Præposito Generali ab epistolis, seu vt aiunt, Galliæ substitutus. Fuit vir insignitè religiosus ad omnem amussim, etiam cùm alijs Minister præesset. Sub vitæ finem patientiæ laude virtutes reliquas est supergressus; quando & solitudinem, & ademptum audiendi visum, & eam, quâ horrendum in modum coopertus erat, lepram animo perquam magno, ac tolerantia planè palmari sustinuit. Aiunt quotidianum ei fuisse, vt se ab ipso temporis articulo manè horâ surgendi flagellare inciperet, quando æris campani sono excitabantur nostri, quique cum illo sono inchoato se flagellare inceperat, non priùs absisteret, quàm ille æris campani sonus destineret.

Bacchanalia.

Dæmon saltator.

Calamistratus.

Vocatio.

Patientia.

Leprosus.

Castigatio in matutinis.

VII. DIE FEBRVARII.

P. ANTONIVS CRIMINALIS.

Italus Puncale 6 Febr. 1549. æt. 79.

SIssæ ad Parmam 7. Februarij natus; ideò in hunc diem refertur: nam dies cædis est in incerto. Ab ipso S. P. Ignatio ad Societatem Romę admissus, & ad Xauerium destinatus, ibi totum Comorinum semel quotmensibus, nudipes per ducenta & ampliùs passuum millia concursabat. Petentibus id socijs præfectus est, & factus spiritualis adiutor. S. Xauerius S. Ignatio scribens, illum enimuerò virum sanctum esse ait, ac omnibus ita charum vt explicari vix possit: eius similes se pro illis oris desiderare. Brachmanorum cum Bagadis coortâ conspiratione pro restituendis idolorum

Itinera.

Fides.

rum honoribus, iamque ſæuientibus in Chriſtianos Ethnicis, Antonius nullam (quæ tamen haud vna offerebatur) ſe in tutum recipiendi occaſionem arripuit; verùm ſubmiſſis humi genibus, ac oculis manibuſque ſublatis in cælum, corpus & animum ad mortis expectationem apparationemque compoſuit. Ita extrema opperientis latus ſiniſtrum Saracenus haſtâ aperuit. Antonius verò irruentes ad ſpolia diripienda barbaros, in veſtiſtibus detrahendis iuuit, vſque ad ſubuculam ſanguine adhuc calentem illis haud repugnanter datam. Tum ad ædem ſacram ſe agebat vt poterat, quò ibi moreretur; cùm ſecundo vulnere haſtâ inflicto ſaucius, in genua iterùm ſe deiecit; telum è vulnere eduxit, ad templum iteratò ſe moliens, vt ſupremum ſanguinem iſtic Deo aris vicinus offerret. At coorto Bagadarum tumultu, obuiam ſe illis vertit Antonius, & aduerſo pectore haſtam tertiam excepit, in genua iterùm ac preces effuſus. Quartum denique vulnus tulit in humero; quo proſtratus, quinto vulneri iugulum, & ſpiritum Deo dedit, è Societate Ieſu prima victima in odium fidei cæſa. Punicale caput abſciſſum ex alto ſuſpenſum. Quotidie trities, & ſæpè quadragies; poſitis humi genibus, precabatur. Ad virtutes eius deſcribendas ait Alphonſus Cyprianus integro volumine opus eſſe. Anno 1595. *Ioannes Dominicus Criminalis*, Antonij noſtri fratris filius, iureiurando affirmauit, ſe cùm à ſpe vitæ depoſitus iaceret, nocte intempeſtâ flammis circumdatum, vidiſſe totum ſuum conclaue igne compleri. Ingreſſum ad ſe horrendum dæmonem: ſed ſimul P. Antonium adfuiſſe: prehenſoque infirmi timentis ne à præſente dæmone illum ſecum rapere connitente abriperetur brachio, Italicè dixiſſe: *Ioannes Dominice, firmus eſto animo: & ne dubitaueris, quia hic ſum ego, vt te adiuuem.* Mox fugatum ab Antonio minacem dæmonem abiiſſe: ſimul videri Antonium patruum deſiiſſe. Hæc ille iuratus dixit; & valetudine breui receptâ, melioribus quàm antehac viuendi conſilijs etiam confirmauit ea quæ iureiurando affirmarat.

Fortitudo.

Oratio.

Apparet.

Iuuat contra dæmonem.

NICOLAVS COMATIVS COADIVT.

HIc Peruani Prouincialis ſocius fuit & apoplexiâ ictus diem vltimum ſanctè expleuit, ſed non ſine interuallo, quo ad ſe redierit. Morientem Chriſtus incredibili iucunditate perfudit. Media enim ante migrationem horâ mirificè exultans Comatius dixit; ſibi Chriſtum mirabili gloria circumdatum adſpectabilem adfuiſſe.

Peru. 7. Febr. 1577.

Mors.

Chriſtus.

P. IACOBVS SALESIVS, ET GVILIELMVS SALTANOCHIVS COAD.

VTerque in odium fidei Catholicę ab hæreticis Albenaci captus, longâ fame, ſiti, ærumniſque vexatus eſt. Saleſio pro fide doctè loquenti os luto impletum. Inde pro inimicis orantis humerus ſclopo traiectus; & Iacobus IESVM clamans ferro in pectus adacto confoſſus eſt. Amplexus illum Guillelmus Coadiutor pugionibus trucidatus. Cadauera per ſex dies iacuere. Autores necis alij aliâ clade puniti diuinitùs, delirio, triremibus, infamiâ; quidam etiam corroſi à vermibus interiêre. Cæterùm Saleſius Philoſophiam, ac Theologiam Scholaſticam primùm, deinde moralem, docuit, linguarum ſacrarum, inſignitè peritus. Aſthmate, ac immodicæ

Galli Albenaci. 7. Febr. 1595.

Fides.

Humilit. famis morbo afflictus, laborabat tamen æquè ac valens. Vbi vbi esset, vnum sibi è socijs monitorem deligebat fidelem, atque assiduum. Dulce illi fuit silentium; & inde facilior ars orandi vsu firmata. Vnde tenerè, ac facilè abripiebatur ad Deum ab ijs quæ videbat. Aiebat; debere quemuis impensè gratulari Deo cum Sanctis de illa iucundirate quâ ipse infinitè gaudet. Cubiculi ianuam pulsante quopiam, curuatis genibus dicebat: *Intra, Deus meus, intra animam meam.* Sanctissimam Eucharistiam ferè horis singulis adorabat; sæpè etiam visitabat. Dixit Superiori; se a Deo singulis horis martyrium petijsse. idipsum petebat quotidie coram SS. Sacramento, recitatâ quinquies Dominicâ, & Angelicâ oratione in honorem Regis Martyrum boni Iesu. Dixit etiam cuipiam annis aliquot ante mortem; optimum genus mortis fore, si sclopo inter orandum ictus concideret: benè quoque illi quâ esset cædendus manui precabatur. Totus in amore Dei erat, seu ad socios diceret, seu familiari vsu colloqueretur. Affectus aliquot hisce versiculis illigauit:

Oratio. *Iaculat. Euchar. Hora.* *Oratio.* *Amor Dei.*

Gusto Deum, cupio, zelor, gratusque reuoluo:
Offero, depono, atque resigno, mortificorque:
Confero, magnifico, admiror, congratulor ipsi.

Anno 1612. 5. Iulij Bruxellis dæmon ex energumena dixit, se libello de fide ab eo compositio mirè vri; cæsum esse illum Albenaci ab ijs quos ipse suos amicos appellabat. Nocte post cædem proximâ, in eo, in quo Salesius natus fuerat cubiculo, per horæ spatium, & ampliùs, mirus quidam splendor eluxit; cuius rei mysterium postea eius nunciata mors enucleauit.

Cubiculi.

GVILIELMVS SALTAMOCHIVS COAD.

SVtor officio, & postea P. Salesij socius fuit. Cùm in Patris eiusdem morientis amplexibus mori peteret, iamque configeretur, manus in crucis formam ante pectus composuit, seque ad mortem heroicam breuium dolorum, ac æternorum præmiorum commemoratione cohortatus, *Patere*, aiebat, *caro patere!* Et Iesum pro dolorum condimento ingeminans vixit felix.

Gallus ibid. 7. Febr. 1593. ætat. 38. Soc. 12.

Patientia. Caro.

P. SIMON RIVIERE.

SP. Ignatij opem quotidiè septies, & S. S. Xauerij quinquies implorabat. Per annum integrum & amplius constanter ad quartam quamuis horæ partem Sanctissima IESV, & MARIÆ nomina piè pronunciauit. Tota illi meditatio erat Dominus Crucifixus: è cuius pedibus pendentem illam orandi formulam S. P. Ignatio tam familiarem, charactere magno descriptam præ oculis habebat æger, eamque legebat; cumque non posset, petebat eam sibi ab alijs legi: *Anima Christi sanctifica me &* quam etiam sanus in mente sæpè, & ore versabat. Licèt indoctus non esset, tamen septem vltimis vitæ annis Coadiutoris subiuit officium. Quidquid blandum erat sensibus, illi vel hoc nomine erat inuisum. Fugiebat cùm laudaretur: & sæpè morienti illi in ore illud: *Fugiamus vanam gloriam.* Tunc & illa sibi crebriùs voluit inculcari. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce D. N. IESV Christi.* vel: *Gloriabor in infirmitatibus meis.* Semel pro nostro quodam febribus afflicto

Gallus fuscis 7 Febr. 1610. æt. 80. Soc. 50.

S. P. Ign. Xauer. Iaculat. Crucif. Humilitas. Mortif. Mors. Missa.

cto sacrificauit, & ille mox valuit. P.Simeon verò febri correptus, ac demum Sabbatho extinctus est, cum ante octo dies dixisset, sibi huius vitæ adhuc octiduum superesse.

Mors.

VIII. DIE IANVARII.

P. IOANNES LEONIVS.

Hispanus Trigueri. 8. Febr. 1506.

OB suauissimam morum facilitatem Agnus dictus. Venit in Societatem iam doctrinâ & virtute insignitè instructus, anno ætatis 33.

Concionator.

Facundia illius fuit *vox virtutis* ad animos ad Deum conuertendos, & retinendos. Sciebat vti diuinarum literarum sententijs non violento ingenio adductis, sed quasi ad rem præsentem natis. Ingenti gaudio accepit Medici vocem mortem nunciantis; manumque poposcit ad osculum. Nolebat

Humilitas.

ille in vita Theologicos honores, ob modestiam: sed Xerenses mortuo cænotaphium vti Doctori erexêre cum pileo, & palmâ; vt reiectus à viuo Ioanne doctus honor, mortuum sequeretur.

P. IOANNES BAPT. SEGVRA, ET 7. SOCII.

Hispanus in Florida 8. Febr. 1571.

CVm Valliſoleti Rector præesset, à B. Borgia in Floridam anno 1568. missus, ibi pro fide nauiter laborauit; donec à Ludouico Neophyto (qui ex Hispania ad patriam, & simul ad barbaros mores, desertor fidei Christianæ, redierat) & alijs barbaris, securibus concisus est post eos quorum 3. Februarij commemini. Socij huius in glorioso hoc agone fuêre

Gabriel Gomez,
Petrus de Linares,
Sanctius Sauallius, &
Christophorus Rotundus. Nouitius.

Horum corpora cùm conderentur, singulorum manibus crux vna inserta, iussu Neophyti desertoris.

Sacrum omne instrumentum in ludicrum versum. Alius patenam è collo, vt monile, seu bullam, appendit. alius casulâ indutus se iactabat: calicem alius, ceu poculum, gestabat manu. Alphonsus adolescens à Neophyti desertoris germano seruatus, ait

Crucifixus.

ficarios Crucifixum è cista extractum non sine contemptionis significatione contemplatos, alios quidem repentinò conterritos aufugisse, tres autem ipso in loco mortuos concidisse.

MANCIVS MIZOGVCCI COADIUT.

Iapon in Iaponia. 8. Febr. 1615. ætat 43. Soc. 13.

FVnai natus in Regno Bungensi cùm mysteriorum fidei, ac patriæ linguæ peritiâ pro concione ad suos magno cum fructu vteretur, Neophytos in religione firmabat tempore tempestatis à Daifuo excitatæ. Socijs à tyranno è Iaponia amandatis, Mancius more primæ Ecclesiæ latitans, Christianos omni ope solabatur, atque seruabat, ærumnas multas perpessus; quæ illum etiam extinxêre.

P. DIDACVS YVKI.

Iapon Ozacæ. Feb. 1636. æt. 62. Soc. 40.

APuero in Iaponico Societatis Seminario educatus, post Philosophiam Theologiâ Morali triennio eruditus, humaniores disciplinas tradidit quinque annis. Daifusanæ furore proscriptis è Iaponia socijs, perstitit ipse dissimulatâ personâ in patria; magnis pro re Catholica itineribus, magnis laboribus exantlatis. Viua nascentis Ecclesiæ ac heroicorum illorum temporum imago in illo eluxit, cùm per ipsos viginti annos per siluas vagatus, ijs vescebatur quæ vltrò dabat terra non culta, nullius vnquam vsus hospitio; ne vlli noceret qui omnibus proderat, satagens pro Christianis in fide inter illa turbamenta seruandis. Februario mense, Ozacæ totius tridui suspendio pronus capite pependit in foueam, certauitque legitimè fortis ad mortem vsque seruatâ fide; quam vt alij quoque Christiani seruarent, tam longinquis itineribus, laboribus, ærumnis effecerat.

Fidei.

Aerumna.

P. ÆGIDIVS MOUTON.

Belga Montibus. 8. Feb. 1617.

IN Societatem â P. Francisco Costero receptus est post longam repulsam, quam passus est, ob tibiam vlceros am. Vt ergo recipi posset, sanitatem à Deo per S. Vrsulam Coloniæ multis precibus ac votis mirabilibus obtinuit: & per annos 20. sanus ac valens vixit: postremis tamens annis vlcera iterum redière.

S. Vrsula.

P. MAXIMILIANVS VAN HABBEKE.

Belga Antuerpiæ, 8. Febr. 1674

PAucos habuit pares in diuinarum scripturarum studio & eruditione: in poëti quoque præstans; at in Ecclesiastæ munere potissimum, quod Antuerpiæ magnâ laude ac fructu pari per ipsos 25. annos obtinuit. Pâter illius Gaspar, Regius in Brabantiæ Curia aduocatus, in fidei Catholicæ odium ab hæreticis in carcerem cõiectus, tortusque: deinde cum hoc Maximiliano tunc nato in exilium est abactus. Castimoniæ tenera custodia, & Societatis bonus vbique odor, curæ illi comprimis fuit; tum animi erga diuina propensio, & sui contemptio. Per 15. ante mortem dies iacuit in apoplectico quodam silentio. Viuum & mortuum, ob dotem quanta sufficiebat cuidam collegio assignatam, prosecuta est grata Societas ijs suffragijs, quæ de more Fundatoribus decernuntur.

Fidei.

Benefact.

IX. DIE

IX. DIE FEBRVARII.

M. ANTONIVS MILO SEU MELLVS.

Lusitanus Conimbricę 9. Febr. 1593.

CONimbricæ Grammaticæ docendæ præerat eo nomine, vt summa in eo omnia dicerentur, quæ Societas in nobis requirit, amat æstimat. De Societatis progressibus benè multa & accuratè adnotarat. Mirum fuit & planè ad B.V. honorem propagandum natum ingenium, quidquid ageret diceretue. Morienti qui aderat Pater, illum enixè rogauit, vt vbi in Cælum appuliſſet, præcipuum quoddam ſtudium ſibi aduerſus DEIPARAM impetraret; ſubriſit ille; & orare pro ſe iuſſit, vt in Cælũ appellat: curæ ſibi fore, vt promiſſi immemorem non experiretur. Illo vita functo, eorum licèt oblitus Pater, ille, ſenſit luculenter ſibi pectus intimo & flagranti erga DEI Matrem religiosè colendam ſtudio magnopere accendi, eamque flammam indies creſcere, ſibique ſtimulos addere ad DEIPARAM omni ope colendam.

B. V.

Mors.

P. MARTINVS PELAEZ.

Hispanus 9. Febr. 1614. ætat. 55. Soc. 34. Vocatio.

HVic in ætate adhuc tenera deliberanti, num exemplo Germani ſui natu maioris militiæ nomen dare deberet, Chriſtus adfuiſſe monuiſſeque dicitur, vt latinis literis operam, deinde Societati nomen daret. Compluti literas aggreſſus, in ſancta illa deſtinatione elanguit. Sed Chriſtus paruulus per quietem bis illi iam 21. annos nato ſpectatus, illum iterùm ac tertiò monitum minaciter, propoſito ſalutis diſcrimine, iuſſit ſtatim Societatem inire. Paruit Toleti adoptatus: in Societate ſiue Nouitios Mexici, ſiue Peruanam Prouinciam regeret, attentus diſciplinæ cuſtos, ſenſus omnes in fræno habuit, ſilendi & orandi ſtudio, ac charitati præcipuè addictus; vnde & *Patris pauperum* nomen tulit. Illius rectio ſuauis, minimè violenta. Graui morbo preſſum dulcis paruulus IESVS inuiſit, ſolatus eſt, & mortem iam in foribus adeſſe prædixit, quam Martinus incredibili deſiderio expetebat: & rogantibus, vt pro vita proroganda Deum oraret, negabat ſe id in animum ſibi poſſe inducere; dolere ſe, quòd omnem vitam ductui diuinæ prouidentiæ non vndequaque accommodaſſet.

Christus paruus vis.

Mors.

P. GASPAR MASIVS.

Gallus Turnoni. 9. Feb. 1617. Soc. 10. Euch.

CONſtantiâ vitæ ſibi ſemper ſimilis; & accuratâ ſilentij; ac diſciplina reuerentiâ inter primos habitus. Cùm Societati ineundæ ſe pararet, nocte ante S. Synaxim percipiendam proximâ ſolebat peruigil manere in oratione Dei. Id in illo præcipuum, quòd adeò attentè vixerit, atque ſi in quauis occupatione mortis nuncium operiretur. Vnde roganti; *quid faceres, ſi tibi ad ſcholas, vel recreationẽ eunti nunciaretur mors poſt horæ ſpatium obeunda?* Reſpondit, ſe tum etiam ad ſcholas, vel recreationem ex obedientiæ deſtinatione iturum. Quod religiosè intellectum indicat, quàm parato ſemper animo fuerit, quamque nobile ſit, vitam in obedientiæ ac diſciplinæ religioſæ accuratione finire.

Mors.

Obed.

R.P.MV-

R.P.N.MVTIVS VITELLESCVS PRÆPOS. GEN. VI.

Italus Romæ 9 Feb. 1564. *Modestia.*

ROmæ illustri domo natus 1563. 2. Decemb. In sæculo castitatis voto se obligans. Excellùm, sed modestum ingenium. Nostrorum modestiâ mirificè capiebatur, quæ illi ferè facem prætulit vt Societatem amaret, se illàm aditurum voto promitteret, obortà obstaculà peruinceret; denique illam anno 1583. 15. Augusti iniret: quem ille diem quotannis palam in triclinio pridie se flagellis cædens honorabât gratus, dum per ætatem licuit: eoque die ad Societatem aliquem recipiebat, honori DEIPARÆ triumphantis. Magnæ in illo dotes elucebant. cùm Romæ Philosophiam, Theologiamque doceret, cùm ad concionem diceret Assistens, & aliàs, cùm prouincias regeret, ac demum Societatem vniuersam à 15. Nouembris anni 1615. vsque ad annum 1645. gubernaret. Præpositorum Generalium ad admirabilitatem vsque longè suauissimus, sibi semper simillimus; ad leuamentum afflictorum mirè dexter, ac perspicax agendorũ. Apertæ illi semper ad audiendum aures, patientiâ maiore, quàm sperari posset ab homine adeò occupato: erectus animus, & quantum citra iniuriam instituti licebat, indulgens. Honorare omnes illi planè innatum. S. P. Ignatium & Xauerium, Paulum, Ioannem, Iacobum tres Martyres in Sanctorum, Franciscum verò Borgiam in Beatorum catalogum ritè adscriptos annum sæcularem confirmatę Societatis, suæ rectionis tempore vidit, & gauisus est. S. Philippo Nerio familiaris fuit, & charus. Hunc â se in Ecclesia Saluatoris in Laterano cum S. P. Ignatio visum fuisse scribit P. Iulius Mancinellus, celebris à sanctimoniæ opinione vir dictumq; à S. Francisco Assisinate, qui & ipse tunc aderat, hunc fore Societatis Generalem. Idem illi aliàs quoque ostensum diuinitus. de quo in vita plura.

Vocatio.

B. V. Mortif.

Superior. Charitas.

S. P. Ignatij.

S. Francisc.

P. IOANNES AVELLANEDA.

Anglus Gadibus 9. Feb. 649. ætat. 28. Soc. 13.

GAdibus ita vixit, vt pietatis odore afflaret alios; eoque aliqui diuinum officium cum eo recitare desiderarent, inflammandæ vicino studio pietatis. Inde operiebantur studiosè externi, vt sacrificio diuino operantem audire possent; adeò sanctè sancta tractabat. Angelica illi castitas micabat in oculis modestiâ summâ custoditis. Ad ægrum adeundum aliquando se acriùs incitari animo sensit: adijt, & morientem, atque quod Angelus hic sibi tam opportunè adesset gaudentem inuenit. Parentes illius fortunis ob fidem exuti, in re tenui exules obiêre: auunculus de Societate, Londini in eiusdem fidei odium internectus. Ipse Gadibus ad inclytam inter peste afflatos in obsequio charitatis moriendi spartam egressurus, domi omnium pedes humili osculo salutauit. Peste contactus, & in destinato socijs eo malo afflatis valetudinario Sacramentis omnibus instructus, P. Sancium Mendosam, qui eo in munere nuper obierat, sibi videre est visus. Nec desinebat illi aduentum gratulari, illius pulchritudinem laudare, illum amplecti velle, ac demum ad felix iter inuitare. Ita decessit eodem die ac anno, quo Carolus Angliæ Rex Londini à rebellibus capite truncabatur. Ago de illo fusiùs in heroibus & victimis charitatis ad annum 1649. à pag. 448.

Missa.

Modestia.

Moribundi.

Charitas.

Mortuus apparet.

X. DIE

X. DIE FEBRVARII.

P. CAROLVS CARLANTINUS.

Italus Nouocomi. 10. Febr. 1610.

SAnctæ apud Nouomenſes memorię, ac authoritatis hic ſenex totis triginta annis ibi ad templi portam pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrauit ibidemque ſepultus eſt. Multos habuit filios lachrymarum, cùm conſceleratorum plurium corda ſaxea guttis illis felicibus excauauit, molliuit, & finxit vt voluit; etiam in dæmonem potens fuit. Etiam feminæ maleficio cuipiam obnoxiæ pomum a ſe benedictum vbi porrexit, illudque illa, ita vt à P. Carolo iubebatur, comedit, mox glomum euomuit ferro informi, clauis, filo, chalybeiſque acubus, aliiſque multifariam refectum, & valuit. Mortique imminenti ſe parans vetuit ſibi multa in aures dici. Vnum illud ingeminari deſiderauit. *Memento, Pater, Redemptoris, qui peccatorum miſeretur.* Tantus erat in omnium opinione, vt poſt eius obitum docti ac nobiles quidam viri vel de ſolea eius calcei aliquid ſibi dari poſtularint. Profunda eius animi demiſſio texit ea, quæ de illo dici poterant. Et Medico aliquando dicenti duos filios ſaluos ſibi atque ſuperſtites P. Caroli precibus ſe debere (vtpote quibus deſperatâ iam vitâ iacentibus benè precatus fuerit P. Carolus, & illi meliùs actutum ac breui optimè planè habuerint) reſpondit minax P. Carolus, licet amiciſſimo: neſcire illum beneficijs vti, eoque de ijs vnum eſſe, in quos malè collocarentur beneficia. Deo gratias debere illum; amico verò, fidem ſilentij. Religioſus quidam & probata virtute vir de ſe, deque P. Carolo ita teſtatus eſt. Sibi die feſto in templi foribus inimicum ſuum cum ſclopo & armis opperienti ad necem, repentè è ſuperueniente in templum, P. Carolo quaſi ſanguinariæ mentis conſcio, diſertè dictum: *Quid tu hic ſpectas, miſer? quid meditaris, infelix?* Dixit, & apprehenſum manu duxit, adiecitque: *Veni, ſequere, confitere de peccatis tuis.* Aiebat ille ſe tunc in timorem; ac propè in amentiam datum, quòd hæc audiret. Iuiſſe tamen, quò ille ducebat; & peccata confeſſum; diſſidium illud ſoluiſſe, mundoque nuncium remiſiſſe.

Oratio.

Dæmon.

Mors.

Humilitas.

Secreta cord.

BARTHOLOMÆVS CAMERLENGHUS COAD.

MVrarius tenerrimæ vt conſcientiæ, ita pietatis. Tam alto in lumine introſpiciebat quoſuis næuos ſuos, velut atomos, vt acerbo cum ſenſu doloris ad lacrymas vſque ac ſingultus effuſo, ſe in pœnitentiæ Sacramento de minimis quibuſue noxis accuſare conſueſcerit. Sub vitæ finem ſignificauit (vir aliàs ad verba valdè attentus, & animi demiſſione inſignis) ſibi Beatiſſimam Virginem ſpecie admirandâ excelsè illuſtrem ſæpè ſpectabilem, cum pulcherrimo in ſinu paruulo adfuiſſe. Hinc nimirum excelſum illud lumen ad illum permeabat, in quo introſpiciebat, quid ſit tantum Deum vel in minimis offendiſſe.

Italus Regij in Lombard 10. Feb. 1629.

Pecc. Ven.

B. V.

P. LEONARDVS PERINUS.

Lotharingus Vesontione 10. Feb. 1638. ætat. 72.

VIr tam absolutè virtutis, vt de illo esset opinio, quòd si primi Societatis authores ad vitam redirent, & ijs quibus ille officijs fungerentur, nihil videri, quod vel priuatæ illius in viuendo disciplinæ, vel publicis rebus cum dignitate perlanctè tractandis ab ijs addi posset ad ea, quæ in Leonardo emicabant. Fuit ad communem vitæ nostræ normam nullo in apice negligendam incredibili studio perseuerantèr attentus, & hac semitâ eò euasit, quò vix pauci. Modestia illi tanta, quanta maximæ cuiuis sanctimoniæ testis esse possit Obedientia ad extemporalitatem prompta, ita vt conciones pro singulis Aduentûs diebus habendas ex tempore, nullâ præparatione præmissâ, nil excusans, susceperit: & cùm Theologiam doceret, ad docendam Rhetoricam iussus lubens descenderit, eoque munere per annos plures laudatè functos, ad conciones, tum ad Theologiam iterùm redierit; expeditè vbique ad omnem nutum vt idoneus, ita promptus. Vir sapiens, & cui Perinus totus erat propè perspectus, de illo mortuo dixit palàm in corona confidentium nostrorum: certum sibi videri, eum vndequaque innocentissimè vixisse. Petrus Forerius ex Ordine S. Augustini illum vocabat columnam Sanctissimæ Societatis; eiusque meritis adscribebat, quòd cùm Leonardus ad illius Parochiam diuertisset, atque veruecis coxendicem in frusta partitus, illa ad ægros parochiæ misisset, illi omnes conualuerint. Per plures annos in cubiculo nunquam sedit; sed stans; ac librum manu tenens legebat: & in frigore quantumuis acerrimo stabat nudipes. Si quando in publico sedendum erat, nunquam se fulciebat à tergo. Sanctimoniæ illius opinio fuit tanta, vt abeuntem è quadam vrbe in genua fusi ciues, quà quà ibat, orarent, bene vt omnibus precaretur. Vesontione, & Mussiponti ante SS. Sacramentum orando vnam quotidie horam ducebat. Henricus IV. Rex modestam P. Leonardi (ignoti sibi licèt) in sacrificio diuino peragendo pietatem, cui semel interfuerat, laudauit. Morti proximus medico illam vitę integritatem amicè gratulanti; *Deus*, inquit, *meis peccatis, offensus dignitatis est infinitæ.* Et vixit.

Accuratio. in agendo.

Regula.

Obed.

Mortif.

Euchar.

P. FRANCISCVS DAIX.

IAm inde à triennio aiebat se Dei nutu ac effatis regi velle: vnde ad ea se magis promptum exhibere velle dixit, & scripsit, quæ alij recusarent. Vbique quidquid ageret colendę quęrendæque maiori Sanctissimæ Trinitatis gloriæ studebat, aiebatque illum sibi vnicum finem esse; tantique mysterij venerationem se didicisse à Christo. Huc ille quotidianas preces, huc afflictationes corporis varias & quotidianas diregebat, vt spirituale quoddam Sacrificium augustissimæ Trinitati offerret. Ad visendum persæpe SS. Eucharistiæ Sacramentum, se interdiu ac noctu sæpiùs conferebat; item quoties ad portam accersitus ad cubiculum redibat, id non priùs faciebat, quàm Domino istic salutato ac visitato. Vt Lugdunenses ad celebrandam toto triduo Imm. Conceptionis solennitatem in templo nostro inuitaret, pro illo triduo 40. horarum indulgentias impetrauit, per quod tempus ferè flexis coram SS. Sacramento genibus pernoctabat. Sæuiebat in se cilicijs,

Gallus Lugduni 10. Feb. 1656. Soc. 32.

Obed.

SSS. Trinit.

Intentio excelsa.

Euchar.

Festum Imm. Concept.

Euch.

Mortif. cilicijs, flagellis, ieiunijs, licèt valetudo illi esset adeò afflicta, vt vir dolorum meritò diceretur. Cùm sæpiùs per quartam horæ partem in se flagris sæuire audiretur, rogareturque vt sibi parceret, respondit, molestum sibi fore diem illum quo expressum à se sanguinem non libaret Christo: se, si Martyr esse non posset, daturum certè operam, vt aliquam dolorum Christi partem acciperet. In magna scientiarum complexione mirum quanta illi animi demissio, quanta in diuinis teneritas semper fuerit. Sacræ Scripturę aliquot capita perlegebat quotidie flexis genibus, & aperto capite. Frater quidam Lugduni mortuus aliquot ab obitu diebus cilicina in veste pilis acerbioribus horrida inclusus opem ab illo petijt. Aegro cuidam nostro prosperam valetudinem, ac vitam longiorem, & alijs alia plura, prædixit. Morti vicinus, cruces duas, nigram alteram, alteram radiantem vidit; illam mortis, hanc æternæ gloriæ nunciam. Quidam Deum per eius mortui merita precati, gauisi sunt se esse auditos. id quod narrant annuæ: vbi etiam plura ex vero prædixisse fertur, ac illius anima in luce ad superos euolare conspecta fuisse.

Cilicium. Purgator.

Lectio S. Scriptura.

Mors. Crucet.

Mori.

XI. DIE FEBRVARII.

RODERICVS MENESIVS SCHOLAST.

Eusitanus Vyssiponæ 11. Feb. 1548.

EXcelsæ vt virtutis, & stirpis, ita expectationis iuuenis, acerbo laterũ dolore hoc die lætus extinctus est. Magnus in illo paupertatis, vt Matris, amor; quod ferè fieri amat in ijs, qui post lautiores fortunas ad Christi pedes abiectas, paupertati se mirificè vel præ alijs, vel cum alijs eâ virtute insignitè illustribus dedunt.

Paupertas. Nec sororis, nec Matris deliciæ tantum potuêre, vt pannos viles & quisquilias electæ Matris suæ paupertatis non pluris quàm quicquid offerebatur æstimaret atque amaret. Iacobus de Murica è familia S. Hieronymi Conimbricæ Acad. Rector, Cardinalis, Henrici iussu, dissimulanter, & sine Societatis nota in exercitia inquirebat, cùm eos qui ijs exercebantur, musto plenos, Niniuitis similes, & visa videre diceretur. Interrogatus inter socios & Rodericus Menesius de visis, affirmauit se cùm exerceretur, horrifica visa videre. Accersito actuario, qui narrantis verba describeret, respondit: Memetipsum vidi, quem nunquam ante probè videram, terrum sanè monstrum, & cuius simile nunquam vidi.

Exercitia.

P. MICHAEL A FONTIBVS.

Hispanus Valentiæ. 11. Feb. 1606.

SOcietatem ingressus, incredibili suo solatio in illa se confirmatum sensit à femina quapiam, sanctimoniæ famâ illustri, quæ illum veluti cælestis moniti baiula in eo consilio stabiliebat Christi nomine; quem dicebat Cruce onustum sibi fuisse conspectum. Fuit Michael vnus de primis qui Peruanam Indiam cultione euangelicâ perdiu excoluêre, orandi & sui despiciendi artibus prorsus excellens, ac S. Vincentio Ferrerio eximiè addictus, multisque ab illo beneficijs auctus. At summa quæque consecutus est à Deo per Dei Matrem, quam religiosè ac eminentiore quodam studio percole-

Christus.

B. V.

bat. Indicis aliquando laboribus fessus, ac iacens, (vt aliàs narraui in Annalibus Marianis Soc.) à Regina gloriæ visitatus, & bono animo esse iussus est: fore enim aiebat Virgo, vt hæ illi ærumnæ Purgatorij instar essent, atque his purgatus secura morte absque vllo ad Purgatorium diuerticulo abiret in cælum. Hoc illi per omnem vitam postea, sed morienti potissimùm solatium fuit. In eius rei memoriam secundâ quauis feriâ, cùm in triclinio, tum in culina, consuetis sese afflictandi exercitationibus boni nuntij memoriam recolebat. Religiosus quidam à virtutis celebritate fide dignus habitus in omnium opinione, dixit suum Societatis Iesv Patrem, ignotum sibi licèt, cælesti patriæ ciuem esse designatum. Alius è nudipede, vt vocant, S. Francisci familia religiosissimæ virtutis vir, de hoc P. Michaele loquens palàm; paucis, inquiebat, retro annis ex hac vita migrauit è Societate quidam, cuius anima cæli regna conscendens obuiam habuit Deiparam, Apostolorum Principem, & D. Ioannem; S. Denique Ignatium. Gestabat veneranda Dei Mater suis ipsa manibus coronam, quâ mox beatam illam animam honoris ergo donauit. De quo autem locutus fuisset, petenti Archiepiscopo, P. Michaëlem à Fontibus nominauit.

Purgat. huius vitæ.

Feria 11.

B. V. Suo clienti obuia cum corona, & S. Petrus, & Ioannes, & S. P. Ignat.

P. IOANNES DE RENESSE.

Belga Namurci. 11. Feb 1612, ætat 67. Soc. 45.

E nobili apud Leodienses domo miles, tum ante annos 45. Societati autoratus, & in illa tria vota professus, erga Tornacenses beneficus, & Namurci Rector, per annos 12. quibus mirâ optimatum beneficentia augustum, & maiestate inter prima Belgi templa visendum templum erexit. Diuæ Matris officium, & illud quod de Immaculata Conceptione dicitur, nullo die, ne quidem in morbis varijs, neglexit. Animas purgatorij totis viribus iuuit, ac ea propter tam ipse preces pro illis quas potuit fudit, quàm per ipsum 22. annorum interuallum, quo peccata confitentes audiuit, nullum (qui id posset) dimisit, cui psalmum, De profundis, pro defunctis recitandum pœnæ loco in Sacramento non imponeret. Fortitudo in illo admirabilitatem habuit planè magnam: quippe qui morbos diros, & horrendam nobilissimæ suæ familiæ ac fratris ruinam atque catastrophen tanto animi robore sustinuit, vt pro publico patientiæ spectaculo haberetur. Sub vitæ finem ingens illum desiderium moriendi, & suauissima erga Deum fiducia dulci quadam tranquillitate composuit ab illis, quos hactenus à conscientia futuri anxiâ, & ad mortis ac nouissimorum cogitationem palpitante, patiebatur terroribus, incredibili panidi semper animi cruciatu ita repentè discusso, vt nihil per omnem vitam ita vnquam optauerit, quàm dissolui, & esse cum Christo. Religiosus verè Iob fuit Ioannes, siue afflicta bona fortunę ac familiæ, siue corporis diuturnos dolores, siue animi cruciamenta, siue hæc omnia læto exitu terminata spectemus.

B. V.

Anim. Purg.

Patientia.

Scrupuli.

XII. DIE

XII. DIE FEBRVARII.

P. ALPHONSVS NVNIVS BARRETVS.

Lusitanus 12. Feb. 1587.

MElchioris, & Ioannis Barretorum iunior natu germanus, vt cum ijsdem germanitatem religionis iniret, è Matris eius consiliorum ineonsciæ complexu clàm Conimbricam fuga elapsus est ad tyrocinium. Inter eius decora fuit illud specimen se vincendi, quòd Magistri, vt opinor, assensu, ad Conimbricense forũ lugubri veste atratus, nudipes prodierit, ad infamem columnam, illiq́ue (cingulo tenus à capite nudatum aiunt nonnulli) alligatus, quantâ laterum, & vocis contentione potuit à IESV columnæ infami alligato misericordiam pro peccatore populo postularit, turbâ ad spectaculum horridum confluente. Infimæ quoque plebis, quæ ex Gallecia ad operas, & ad onera baiulanda istuc affluebat misertus, vt altâ insciticæ nocte cæcis luminis aliquid adferret, impetratâ ad id potestate, simili illis cultu instructus, inter illos familiariter egit quasi vnus è numero; eosq́ue suaui quà dictione, quà exemplo eruditos atque mollitos in admirationem, & ad frequentanda Sacramenta pertraxit Sacerdoti deinde cuidam se famulum addixit, vt eum à flagitioso vitæ obscœnæ sacrilegio auelleret. Rogauit, monuit, sed non nisi, risum & deinde indignationẽ retulit. Quare inde ad eam, quæ Sacerdoti illi scelerum socia erat, abijt, eamq́ue ad vitam vniuersam non solùm expiandam, verùm etiam insigni castimoniæ documento deinceps emendandam adduxit. Eborensi deinde Collegio præfuit, mox Grammaticæ per annum ferè addictus, ac Vlyssiponæ demum Rector, vbi non nisi 27. annos natus vitam insigni erga res diuinas flagrantiâ, permagnâ modestiâ & charitate laudatam, cum æterna, vt spes optima est, commutauit.

Humilitas. Mortif.

Inductria.

Zelus.

P. CHRISTOPHORVS RODRIGVEZ.

HVnc literæ Neapolitanæ vocant virum patientiâ suiq́ue despicientiâ admirabilem; cui cùm alia multa, tum obitus dies præsignificatus diuinitùs est. Fuit hic vir magnis itineribus laboribusq́ue pro fide Christi susceptis celebris; Cayrum & Alexandriam adijt, à Pio V. Pontifice ad magna quęque adhibitus. Vilis illi de cingulo B. V. corona pendebat, vestis semper paupertatis magnæ index: cilicio quotidie coopertus, flagris ferreis in se dirum in modum animaduertebat, quotidie peccata, & sæpius quandoque confessus. Prouinciæ cùm præesset, Collegia pedes, & suæ sarcinulæ baiulus, nec alio viatico, quàm voluntariâ mendicitate instructus concursabat. Dicebant ij quibus præerat, illius aspectu ipso perturbatos animos tranquillari. Humilitatem viri, quâ se infimo loco natum aiebat, non sine lacrymis admiratus, cum complexus est Euerardus Præpositus Generalis. In nauali Ioannis Austriaci expeditione, sæpiùs se per tres ipsas horas cecidit vsque ad sanguinem, & crucifixum inter globos volantes Christiano militi ostendatit. Plura de hoc in vitis illustribus in annum 1581.

Lusit. Neapoli. 12. Feb. 1581. *Mors præuisa.*

Mortif.

Confess. Quotid.

Humilitas

Mortificat

P. FRANCISCVS PEREZ.

Lusitanus Nagapatan. Ind Orient. 12. Feb. t. 83. ætat. 70.

IN Bisnagensi regno rex bellum meditabatur in quendam è Malabaribus Regulis, qui non plures quàm mille milites numerabat. Huic, Ethnico licèt, opem apud Deum, Franciscus vexillum misit Sanctissimo IESV nomine insignitum, idque vt suis præferri iuberet, atque hoc nomen inuocaret iussit. Fecit Regulus imperata; & bis pugnauit cum suis mille contra sex hostium millia, bis victoriam retulit IESV nomine ab his mille publicè inuocato. Vexillum illud IESV etiam à successoribus in facti memoriam honorificè conseruatum. Vir fuit planè pacificatoriæ suauitatis, mirâ inter sibi inuicem infensos flexanimis eloquentiæ felicitate. Rexit nostra ferè omnia domicilia in India. Fidus S. Xauerij & veteranus socius, eidemque dilectus magno animarum zelo. Sed, vt sic dicamus, humilitas eius super omnia opera eius; cui soli se sanctè inuidere dicebat S. Xauerius. Capilli, & vngues illi abscissi, & alia ad venerationem. Factus videtur in pace locus eius. Nam eo loco, vbi sepultus est aiunt pacem ortam incolæ, neque se amplius ab hoste infestari, & à multis alijs calamitatibus esse immunes. Aperto illius sepulchro vt auferretur, obstupuêre, qui aderant. Sub eius capite enata tenera quædam radix reperta est, quæ per omne Franciscí corpus porrecta ad calcem vsque perueniens, totum sceletum, ossa omnia illigauit. Pro eius corona, quâ ille B. V. opem ardenter implorate consueuerat, & cui fortè obtigerat, quidam elegantis picturæ tabulam, & nonaginta aureos promisit. Ethnici non minus; quàm Christiani morti eius illacrymati sunt; aiebantque si suos inter obijsset Franciscus, cum in deorum numerum referendum fuisse, æde quoque illi extructâ.

Vexillum IESV.

Pax.

Radix enata sub capite.

Corona B. V.

M. IACOBVS MLOCZKI.

Lithuanus Rigæ. 12. Feb. 1611.

HIc vix peracto in Societate octo annorum spatio, dum iuuentutem in scholis bonis literis & pietate optimâ erudiret, decerptus est. Hunc Annuæ ab admirabili se ad moderationem in omnibus componendi, ac lectionem sacram per omnem vitam, at in morbo maximè, etiam inter puncturas acerbissimas, attentè audiendi, atque adeò ab aliarum Religioso Magistro dignarum virtutum studio ita laudant, vt mores, & nomen Angeli occuparit. At B. Virginem præcipuâ veneratione prosequebatur. Quotidiana illi munuscula, pro felici vitæ fine dedit constanter, quotidie officium & rosarium, quotidiani & muneralis pensi instar. Neque parcam expertus liberalissimam Virginem Matrem, decimo ferè ante vltimum die, qui à Sacris luminibus Beatissimæ DEIPARÆ purificatæ illustris, & sacer erat. Patri cuidam è templo reduci, vt narrant Annuæ, cùm de Bma. Virgine colloquerentur; Reuera, inquit M. Iacobus, hic mecum duabus alijs comitata Virgin. Fulgenti admodum formâ & decore fuit, significans me breui hinc ad cęlestem Societatem migraturũ: *modicum adhuc ferendum.* Et biduo ante mortem, valetudinis suę ministro fratri: Magnos aiebat, hîc habemus hospites, exhilarante me præsentiâ suâ Beatissimâ Virgine. Addidit, se in cubiculi medio currum gloriæ Beatissimæ Matris intueri, quo illa animas in cælum auehere soleat. In agone oculos in Crucifixum; digitum, in abducturam

Lectio sacra.

B. V.

Mors.

Medicum adhuc ferendum.

Currus gloriæ B. V. pro morsenti.

cturam se DEIPARAM intendit, & felici morte currum illum conscendit, cælo, vt speramus, inuectus.

P. NICOLAVS GALLETTVS.

Siculus Panormi 12. Feb. 1656. *Vocatio.*

ES. Cataldi Marchione Societatis IESV tyro anno 1645. 5. Octob. mox ab exacto tyrocinio tria vota professus Postea Sacerdos Theologiæ curriculo Romæ confecto Duo in illo eminere visa supra communem morem: vnde illi laus & admiratio à domesticis extrariisque haud vulgaris. *Patientia.* Alterum erat patientiæ firma semper constantia in valetudine afflicta, quæ illi vberem huius virtutis messem offerebat: alterum quòd in ipso aditæ *Paupertas.* Societatis vestibulo excelsitate quadam animi se suis titulis & fortunis omninò exerere promptus voluerit, nihil procrastinatâ eâ, quàm dicimus, renunciatione. Potior illi fuit omni titulorum opulentiæque splendore humilitas virtus Christi.

P. IOANNES E SALCEDO.

REgiæ familiæ confessarius cùm esset, illâ cautè, ceu *speciosa exilia*, vt aiebat, est vsus. Fuit quàm inuitus, tam bonus Rector, benè de Collegio, temploque meritus. Ante matutinam orationem quotidie, etiam in senectâ extremâ, se flagris accipiebat acerrimè. Inde illi ardens oratio: cui vesperi horam integram addebat. Mortuo, celebritate publicâ tertiò parentatum.

Hispanus Bilbai. 12. Feb 16 5. ætat 87. Soc 67.

Manè. Mortif.

Oratio.

XIII. DIE FEBRVARII.

P. ALPHONSVS SALMERON.

Hispanus Neapoli 13. Febr 1585. ætat. 70.

EDecem primis Societatis primipilis vnus, anno 1547. à Paulo III. Pont. cum Paschasio in Hiberniam missus cum Nuncij Apostolici potestate. Concilio Tridentino vnà cum Iacobo Laynez interfuit Tridenti, Bononiæ, iterùm Tridenti. Ingolstadij sacras literas docuit. Primus Neapolitanæ Prouinciæ autor & Prouincialis. Vbi cùm pro domicilio nostro *Humilitas.* fundamenta iacerentur, ipse baiuli *Fides.* subibat officium, per dies aliquot humeros cophino portando supponens; Lutheri errores ibidem clàm gliscentes in quodam, qui eius zizania seminabat, initio statim compressit; diuina etiam Scripturâ postmeridianis horis doctè ac germanè explicatâ. A Paulo IV. in Belgium, & Poloniam missus, Romæ postea pro Layne in Galliam misso Vicarius Societati præfuit, mox Tridentum tertiò destinatus ad Concilium à Summo Pontifice. Demum Neapoli habitauit, nisi quòd ad Generalem Societatis cœtum Romam venerit Præpositis Generalibus suggerendis B. Borgiæ, Mercuriano, & Claudio, & Pio V. iubente in verno ieiunio, coram eodem conciones Romæ habuerit. Neapolim redux totum se ad scribendum contulit vsq; ad fractas vires: tunc enim libros clausit, vt se pararet morti, quam optabat, cùm diceret, quòd melior sit misericordia Domini super vitas. Viaticum accepturus, expectate, inquit, Venis, Deus? Cùm extremo oleo vngeretur, ecquando octauus esset à B. Agathæ festo

Mors.

sto dies, interrogauit: & socio, cras fore respondente: *Hic*, inquit Alphonsus, *hic vitæ nostræ terminus est.* Nocte vltimâ illud balbutiebat: *In vitam æternam! hodie vitæ ærumnis tandem eripiar. Lætabitur anima mea in Deo meo.* Ecquid ita lætus esset, roganti, respondit. Quòd misericordiæ vias patefacere inceperit Deus: & Sanctorum litanijs sæpiùs repeti iussis, Euangelium de Christi cruciatibus auscultauit, & in Crucifixi ad DEIPARÆ Matris effigiem figens oculos clausit. Clerus, atque nobilitas, magnaque vis populi ad funus confluxit. Capilli, vngues, vestes præcisæ ad venerationem. Sabbatis in iciunio verno conciones instituit de B. Virgine, fortè primus; certè tunc raros, & paucos imitatores inuenit, quos tamen inuenit, experimento constitit, id non maiore illis opera, quàm operæ Dei Matris impensæ pretio constitisse.

Mors prædicta.

B. V.

SANCIVS DE AVSA, NOVITIUS.

Hispanus Vallisoleti. 13 Feb. 1585.

CVm in longo 80. dierum morbo siti æstuaret, linguâ totâ exustâ & aridâ, licèt aquam semper ad manum haberet, quâ os elueret, nunquam tamen bibit, vt obedientiâ suam patientiam redderet pretiosam, sitientem interea in cruce IESVM, pro patiendi regula, contemplatus. Biduo ante mortem Christus illi talis in cruce apparuit, qualem ille sitientem fuerat meditatus, & siti sua imitatus. Videbatur sibi vasculum liquoris pretiosi, & Christo valde grati crucifixo porrigere, ac illi dicere: Domine mi, sumne inter electos tuos? Affirmante Christo adiecit æger: Domine accipiesne me tecum? Tum Christus: Ita fili, accipiam te mecum. Et biduo pòst eò abijt, quò sperabat, ad torrentem voluptatis, quo pòtat suos Deus.

Morbus.

In siti solatium à patiente IESV.

Crucif.

Mors.

P. SIMON DE ESQVIVEL.

Hispanus Astigi. 13. Febr. 1597.

ASTigitani Collegij curam tantâ domi forisque apud Clerum, Religiosos, sæculares approbatione obibat; vt mortuum primarij viri multi fleuerint, funus Religiosi omnes, Clerus vniuersus, omnisque ciuitas celebrauerit. Sed illud commune ille cum multis: hoc non item, quòd octauo ferè ante supremum die (tametsi viribus tum adhuc integris) præsensione anteceperit, se breui migraturum è vita; id quod Collegij Procuratori disertè affirmauit, cùm illo accersito rationarium rei familiaris introspexit, omniaque ritè composuit, mox morbo correptus, & septimo pòst die morte abreptus. Extrema illâ vitæ hebdomadâ, nihil voluit vel dicere, vel audire, nisi quod cæleste ac diuinum esset, coque idoneum ad parandam viam Domini pro itineribus æternitatis, quam sibi iam imminere singulari Dei benignitate didicerat.

Mors præuisa.

P. IGNATIVS DE IVLIIS.

Italus in Collegio Theatino. 13. Feb. 1616.

TOt vnus obibat munia, quot gerendis ab eius obitu tres Patres sunt destinati. Præstabat ingenio, & industriâ voluntatibus ad diuina trahendis, colloquio, missionibus, sodalitijs: verùm illud singulare visum, quòd quotquot supremo se agoni parabant, licèt alias à Societate animo alieni, sub illum articulum P. Ignatio accersito vitæ vniuersæ rationes exponerent. Ter quothebdomadis inediâ se vexabat, & quidem sextâ feriâ non

Morienti.

Mortific.

non nisi pane & aquâ in cibum & potum admissis. Cingulo ferreo plerumque armatus, ter flagris acerbè in se desæuiebat, secundis mensis è saccaro numquam admissis in cibum, nec palato blandiri citra necessitatem videretur. Ad ignem nulla illum frigoris sæuities, ad frigidæ leuamentum nulla æstatis flagrantia, ad lectulum nulla corporis lassitudo pellere poterat. Vestitus duram quietem in asseribus capiebat. Biduo ante supremum morbum coram SS. Eucharistia enixè oranti, clarâ vox: *Festina*, inquiebat, *Ignatij festina: quoniam perpauci tibi superant dies.* Eos ille tanquam à Deo sibi ad apparationem datos quàm pretiosissimis potuit modis impendit, & vixit. Fuit qui dixit acerbum cruris dolorem sibi abstitisse Ignatij nomine implorato.

Fer. VI.

Euch.

Mortc

P. IOANNES BALSTERER.

PRæter insignem animi candorem, & expeditam ad obsequia omnia charitatem, paupertatis integritati fuit quàm maximè addictus. Idcircò perdiligenter aduertebat, examinabatque se atque suum conclaue, vt videret quid sibi detrahere, id est, quid seuero paupertatis paucissimis contentę genio posset addere. Et hoc illi quotannis in perpetuo more fuit. Cantato vnâ ferè ante obitum horâ MARIÆ Matris gratiæ carmine, ad illam suaui fine concessit.

Germanus Eberspergæ, 13. Feb 1650. ætat. 66.

Paupertas.

B.V.

Mors.

XVI. DIE FEBRVARII.

P. IOANNES HAMELIVS.

APud Zelandos natus, trium Sacrarum linguarum eximiè peritus, & inter primos Belgij viros ætate suâ habitus. Huic à peste apud eum cui operam dederat contractâ morienti, quartâ ante supremam horâ, dum socij litanias omnium Sanctorum in sacello recitarent, Angelus custos se spectandum dedit: id quod ille non suis, sed sociorum litanias piè recitantium meritis tribuebat.

Belga Louani. 14. Feb. 1589.

Litaniæ.

Angelus custos.

GASPAR DE GARAY COAD.

NAuarchus in sæculo, in Societate Coadiutor, quem externi magnâ in veneratione habuêre, ob eminentem virtutem. In Zebuano Collegio totis 32. annis vixit insigni ad omnem laudem exemplo, quidquid demum officij obiret. Extremis 12. vitæ annis captus oculorum luce quicquid in templo sacrificiorum celebrabatur audiebat, diuinæ Matris Coronæ manibus, ore, corde voluendæ diu noctuque intentus, ter quothebdomadis diuinæ synaxi accumbens. Quoad illi per vires & obedientiam licuit, singulis hebdomadis ter inediâ se macerabat, crebro ac aspero, nec rarò duplici accinctus cilicio. Nul-

Hispanus in Zebu Insula Philippina. 4. Feb. 1627. ætat. 88. Soc. 37.

Cæcus.

B.V.

Mortif.

lum diem sine lineâ, seu sine acri vsque ad effusum sanguinem sui verberatione transigebat. Cibus illi longè abiectissimus; nullus, ne in supremo quidem morbo, culcitrę aut lineæ supellectilis pro lecto vsus; vita denique longè asperrima; mors verò longè suauissima & placido somno persimilis.

P. HERMANNVS BAVING.

Germanus Coloniæ 14. Feb. 1656. ætat. 81. Soc. 61.

CVm Rheni inferioris Prouinciam gubernaret, ac aliàs, Magistros impensè hortatus est, vt inter discipulos Angeli Custodis cultum studiosè propagarent. Angelica illi in vultu & animi sui semper compote, nec vnquã turbari viso serenitas. Ter quotidie vt minimum coronam B.V. recitabat, idque constanter. Paupertas semper cordi illi fuit quàm maximè. Vnde non nisi perpaucos, eosque nullius elegantiæ libros in cubiculo est passus. Breues illas temporis particulas, quæ incautis ferè pereunt, orandi supplemento implebat. Vnde quando cubiculo egrediebatur, vel per collegium aliquò se conferebat, Lauretanas B.V. Litanias recitabat, quò minima etiam temporis analecta prudens colligeret, ne perirent, eademque hac arte redderet pretiosa.

Ang. cultus.

B.V.

XV. DIE FEBRVARII.

FRANCISCVS DE ANDRADA NOVIT.

Nouitius Vlyssiponæ. 15. Feb. 1569. *Morientium cura.*

MAgnus illi ante initam etiam Societatem, eorum qui supremo in agone agunt, enixè iuuandorum ardor & studium fuit. Sagaciter illos inuestigabat, Crucifixi Christi signo, & candelabris instructus, & inuentos perscitè ad Sacramenta hortatus, eaque agens, quæ illi articulo à peritis adhibentur. Vnde siquis ad extrema veniisset, aiebant vicini tempus esse vt puer (id est Franciscus) accersatur. In Societate duorum tantùm annorum totidemque mensium interuallo fuit, cùm peruenit ad mortem tantâ opinione virtutis, vt Rector datis ad B. Borgiam literis disertè scripserit; *neminem pari cunctorum motu ac desiderio post conditum collegium obijsse, idque meritò*, inquit, *pro eo quantum in illo Dei erat.* Ingenium illi acutum & acre. Sed illud ille ita perdomuit, vt instar hebetis duci se sineret, acuens ingenium nobiliore cote virtutis è Diuina voluntate suspensæ. Innocentem carnem flagris & cilicijs atterebat. Ad sui contemptionem petebat, vt posset clàm chartis inscribere quidquid de ipso mali nosset: velle se chartas illas dissimulanter spargere, vt repertæ ab omnibus legerentur. Ne vestem nouam accipere cogeretur, supplex de genibus & manantibus vbertim lacrymis deprecabatur. Moneri optabat adeò vt in hoc genere nihil se illi simile hactenus legisse vel audisse diceret eius in tyrocinio Magister. Nunquam vel in re leuissima bis debuit admoneri. Ad hoc pro industria vtebatur illo libello, qui postea repertus est, in quo quidquid admonitionis ab vllo vnquam accepisset adnotabat, vt caueret Oculis vnum, alterumve pedem pro limite circumscripsit: nec excedebat, nisi necessitas perurgebat. Assueuerat ad dextrũ IESVM, ad sinistram MARIAM cogitare,

Paupertas.

Obed.

Modestia.

Mors.

Humilitas.

gitare; ac velut in medio eorum vbique attentè versari. Christi tormenta in horas partitè distributa colebat. Gratulabatur Dei Matri, quod à Deo tot esset ornamentis inclyta: in conscientiam singulis horis, sæpè quartâ quauis horæ parte introspiciebat. Examine particulari admirabili constantiâ & industriâ vtebatur ad suam voluntatem diuinæ subigendam; eamque diuinæ intra quartam quamuis horæ partem quinquies, intra horam vicies submittebat. Inde voluntatem totam in diuinâ collocarat, mirabili & amabili tranquillitate. Inde illi morienti amor Dei & obedientia pro responso fuit, quidquid ab eò quæreretur.

Horæ B. V.

Examen.

Conf. cum voluntate Dei.

Mors.

P. IOSEPHVS A COSTA.

Hispanus Salmanticę. 15 Feb. 1599. ætat 60. Soc 45. Angelus.

QVatuor Germanorum suorum Societatem ingressorum exemplo, quintus ipse Societati nomen dedit; natu illis minor non item ingenio, & virtute. Rhetoricâ primùm, deinde Theologicas disciplinas cum dignitate explicuit. Atque hisce intento aiunt adfuisse Angelum specie cælo dignâ, qui Iosephi conclaue ingressus, & accensam facem manu gerens; *Sic*, aiebat, *tu in Indijs resplendebis.* Et simul videri desijt, ac audiri. Eâ face, spectaculoque inexpectato accensus, ac plenus manantium vbertim ab oculis lachrymarum, se totum offerebat in holocaustum DEO. Ita æstuanti redditæ sunt à B. Francisco Borgia Societatis vniuersæ Præposito literæ, quibus in Indiam destinabatur. Paruit illicò, cælestis genij, ac Angelicæ facis ardentis memor: & Limam anno 1572. appulsus, præclara ibi gessit pro domo DEI; etiam contra quendam nescio cuius conditionis Theologiæ Professorem, qui callidæ mulierculæ familiaritate deceptus, credebat se ab Angelo diuina doceri, fore Regem atque Pontificem, imò legislatorem & Saluatorem mundi; iamque maiorem Apostolis ac Angelis omnibus se sibi esse persuadebat. Hic à sacris quæsitoribus ad rogum damnatus est. Iosephus autem in scholis, in concionali pulpito, in consilijs, in eius Prouinciæ gubernatione, in scribendis libris præclarè suo functus officio, nil tamen de orandi spacijs decerpebat; imò vesperi quotidie addebat, benè longum orando tempus ducens. Claudij Generalis inuitatu, & iussu in Hispaniam redux, Boëticam & Aragoniam Prouincias, demum Vallisoletanam Domum, denique Salmanticense Collegium rexit, ac vixit; vir integritate, orandi studio, facundiâ, doctrinâ variâ, labore assiduo, consilio, dexteritate tantus quantum in India, & in Hispania summi quique suspexerint.

Zelus.

Fax.

P. FRANCISCVS ANTONIVS.

Lusitanus Madriti 15. Feb. 1610. ætat. 75. Soc. 53. Confessarius.

PRæclarè meritis in ponendis Societatis in Sardinia fundamentis: item in Germania contra hæreticos. MARIÆ Augustæ concionator, confessarius eiusdē, & B. Stanislai Kostkæ, ac Edmundi Campiani fuit; & Augustæ quidem per annos 36. Honorum, & otij hostis, nec vllo aulæ splendore langueſcens in operibus pietatis. Quotidie præter illud quod ipse celebrabat, vni sacro intererat: flexis genibus diuinum officium, officium B. V. & litanias è menstruorum Patronorum suorum nominibus concinnatas quotidie recitabat.

Oratio.

B. V.

P. PETRVS MATVRVS.

Gallus Lugduni. 15. Feb. 1611. ætat. 66. Soc 47. *SSS. Trinit.*

DEspicientiâ sui, & suauissimâ erga Sanctissimam Trinitatem teneritate pietatis dignus memoriâ & imitatione. Sæpè quotidie, sed matutinis horis potissimùm, & in recitando S. Athanasij symbolo, augustum illud mysterium memoriâ repetebat; quo tempore redundabat illiquefactis in animo cælestibus illis delicijs, quæ in illum ex æterno fonte manabant, adeò vt nota iam domi ea patris pietas, propè neminem non excitarit ad idem mysterium augustiùs percolendum. Aiebat identidem dulcem sibi è vita migrationem futuram, eò quòd in domo Sanctissimæ Trinitati dedicata (id enim est nomen Collegij Lugdunensis) de vitæ statione ad domum Dei abiret. Et abijt maturus cælo.

Mors.

P. ANTONIVS SVCQVET.

Belga Parisijs. 15. Feb. 1626. ætat 52. Soc. 29. *Charitas.*

COllegiorum, domus Probationis & Prouinciæ totius religiosâ rectione, modestiâ, miraque pietate laudatus. Aiunt illum olim puerum in plateis medijs se rixantibus viris immiscuisse ac positis humi genibus, aperto capite, pacem vt inter se inirent obsecrasse. Illustre quoddam iubar se menti eius cordique infundebat identidem, in quo ea videbat, quæ religioni sibi ducebat in schedulas non referre. Vnde liber ille, quem æternæ vitæ viam inscripsit, emicuit. Eum ille librum singulis DEIPARÆ templis donauit, vt in sacrario peregrini illum legerent. Eiusdem Virginis memoriæ conseruandæ rosarium illi ferè ad manus erat, cùm domi fortè per ambulacra, vel quocumque itaret. Mechliniæ celebrem à miraculis B. Virginis ædem pedes prius adibat, quàm Collegium accederet, cùm istuc veniret Prouinciæ iam tum Præpositus. Romam à Prouincia missus Procurator, pretiosissimum itineris tam longinqui & laboris pretium duxit, Lauretanam Virginem, cùm veniret, cumque rediret, religiosè inuisisse. Id quod cum faceret magnoperè toto animo recreatus; *Bene est*, aiebat socio, *quicunque nunc casus eueniat, nihil deinceps recuso.* Si noua illi vestis obtruderetur, ad illam humilitate veluti expiandam, primo quoque tempore ad culinam descendebat, ollis perpurgandis operam diligentiamque accommodans. Aegros quotidie, cum præesset visitabat. Ex oblatis eleëmosynis partem suam, & quidquid nostris è Via viatici supererat, pauperibus destinabat. quo in genere fuit exemplis pluribus singularis erga Religiosos & alios; nullum sine subsidio dimitti volens, licèt bis in die rediret ad petendum. Perpetuus illi capitis dolor, ab ea quam semper alebat cum Deo consuetudine natus, vt putant, illum extinxit Parisijs, Româ in Belgium redeuntem. Ibi inter præstantia virtutum illi articulo maximè consentanearam documenta, diem æternum inijt corpore hic relicto; quod ille adeò inclementer habuit semper ieiunijs, vigilijs prolixè productis, asperitate ciliciorum, crebritate flagrorum, vt dorsum verberibus sæuitate nimiâ contusum & lacerum sæpiùs chirurgi manibus eguerit, ne periculum illi exitiumue accerseret.

Inspirationes.

B. V.

Humilit.

Eleemosyna.

Mortif.

P. MI-

P. MICHAEL SONNET.

Gallus Niuerni 15. Feb. 1629. ætat 69. Soc. 41.

PRo innocente ac sancto habebat hunc virum fama communis. Secundam ac tertiam Grammaticę Scholam per annos vndecim exercuit iam Sacerdos. In suaues aspirationes toto pectore, in lacrymas totis oculis sæpiùs soluebatur, maximè si peccata fatentes audiret. Vnde ad illum confluebant plures, vt sua peccata fletu eluerent, suasque lacrymas illius lacrymis inuitarent. In suam conscientiam bis terue quot hebdomadis expiandam attentè introspiciebat, dimidiæ horæ interuallo ad id præstituto. Tum demum quæ per illud spacium in se comperta chartæ commiserat, ne memoriam fugerent, dolenter, & sæpiùs fusis lacrymis confessario fatebatur. inde illi religiosa semper citra vllas vmbras tricasque conscientia. Diuinum in horis Canonicis pensum æstu incenso, voce pietatis teste, nec parcus temporis, exequebatur; duabus etiam tribusue horis ei nonnumquam datis, quò conceptum expleret incendium; quod etiam in diuino Sacrificio, è Sacrificantis gestu, voce, modestiâ corporis elucebat. Otio suo nunquam abusus est; pijs laboribus foris, domi verò legendo ac orando Deo intentus. Legum apices Religiosè constanterque obseruabat; quos inter silentium adeò cordi illi fuit, vt ne supremo quidem in morbo eâ lege soluì voluerit, signo quopiam, aut nutu, verborum loco vsus. Panum sub genu 30. annos habuit, cuius demum vi ad extrema deductus est, inter admiranda, vt aiebant Medici, plusquàm communis patientiæ documenta, cùm concretus ille tumor ferro variè tractaretur. Moriens gratias egit Societati, & rogatus vt Patribus documenti aliquid commendaret, instituti amorem, & pietatem in familiari congressu colloquia enixè commendauit. Atque hoc illi inter nos extremum fuit.

Humilitas.

Confessio accurata.

Oratio.

Silentium.

Patientia.

Pia colloq.

P. IODOCVS MAYERING, ET ANDREAS MARTINI COAD.

HOs è templo extractos hæretici Sueci milites Rubeaci in Alsatia ad Rhenum, in curiâ abduxêre. IESVM, & MARIAM pronunciantes cauillis accepti, hortante hæretico, vt ea nomina porrò inuocarent, moxque addente; *Non audit* MARIA: *non venit*: *non potest*. Moriendum illis sacrificulis aiebant, quicquid suam MARIAM inuocarent. Et verò MARIA eis tessera fuit. Nam vt primùm elatâ voce ficariorum quispiam exclamauit; *Sancta* MARIA! mox Iodoco in capite iam ante ferreâ sclopi militaris fistulâ percusso, & saucio, certatim coxendicem gladijs confodêre: inde illi ficam per dorsum ad pectus adegêre: & ille IESVM, ac MARIAM vocans, animam dedit. *Andreæ Martini* post lethale vulnus inflictum, fissum illicò securi caput. Hæc odio fidei patrata cùm ex ijs quæ dixi licet colligere, tum ex eo, quòd Ioanni horum socio pepercerit miles, cùm interrogatus Ioannes num & ipse de Sacerdotibus esset; se sutorem non Sacerdotem esse dixisset.

Germani occisi Rubeaci. 5. Feb. 1634. IESVS. MARIA.

Fides.

XVI. DIE FEBRVARII.

BARTHOLOMÆVS BORGARELLUS SCHOL.

Italus Taurin. 1597. 16. Febr.

OLim iuris ciuilis professor. In Societate necdum Sacerdos humilitate, patientiâ, & morte inligni spectabilis. Siquidem, vt aiunt annuæ, cùm de more Eucharistiam sumpsisset, nec solito grauiùs haberet, repentè P. Rectorem magnâ contentione ad se accersitum, rogauit solemnibus precationibus emigrantem sensim animam Deo commendaret. Atque inter sacras preces, quasi placido sopore obrepentè, æternæ quietis compos factus est.

Mors.

FRANCISCVS RODRIGVEZ COAD.

Hispanus Montellis. 16 Febr. 1601.

IN hoc singularis fuisse visus est, quòd alios ex alijs labores quæreret, nunquam alteri permissâ vllius laboris occasione, quam ipse posset arripere. Fractis iam viribus, cùm à labore prohiberetur, vbertim lacrymari visus, & dicere auditus est, se otiosum & indignum vesci pane seruorum Dei. Tempus quo cum alijs colloqui licebat à prandio, coram summo altari SS. Sacramento adorando transcribebat; inter S. Synaxim perpetuis lacrymis multâ voluptate perfusus, ac diuini illius cibi dulcedine. Sagax ad captandum obedientiæ nutum, eò statim ibat, quò Superiorum voluntates inclinatas, poterat odorari. Bilanx videbatur, cuius pondus esset obedientiæ quacunque aurâ perceptæ imperium. Vestem nouam non admittebat, nec cibum alium, nisi analecta triclinij. Totus ex Dei voluntate pendebat. Crebra sani fuêre in cælum suspiria. Aeger verò vitam in hisce verè absoluit: *Ametur Deus! Ametur, laudetur Christus, eiusque Parens Sanctissima.*

Labores.

Humilitas.

Euchar.

Obed.

Amor Dei.

B. V.

P. GASPAR PETKOROSKI.

Polonus Cracouiæ. 16 Feb 1611. ætat 60. Soc. 38.

HVnc annuæ cibi modici, & penè infinitorum laborum virum vocant, cui totos dies variè satagenti, præterito prandio, cœna vulgaris esset plus satis, nullo præterea cibo admisso prandij omissi obtentu; Mathesin, Theologiam moralem, diuinas literas exquisitè explicuit; linguarum Sacrarum apprimè peritus, & ab eruditione vulgò Calepinus appellatus. Cracouiensi Episcopo cùm esset à Confessionibus per itinera spectaculo fuit aulæ toti vita eius tam Religiosa, vt ab aulæ fumis nihil omninò eius candori decederet, nihil laxamenti accederet. Authoritatem illi accersebant solidæ conciones, & sparsa de illo Sanctimoniæ fama ore quà aulicorum, quà ipsius Episcopi; illorum quidem, quod illum ab omni lautitia tam alienum viderent, & aliquando deprehendissent neglecto lectulo molliore, duro scamno incumbere; huius verò, quod sæpenumero disertè diceret, se tam Sancti Patris consuetudine fuisse indignum.

Temperant.

Aula.

P. LV-

P. LVDOVICVS DE PONTE.

Hispanus Vallisoleti. 16. Feb. 1624 ætat. 70. Soc. 50.

HVius vita volumen meretur. Ad Societatem magno intus diuinitatis instinctu, P. Martini Guttierez concionibus solidè Sanctis, & spectatâ P. Francisci Soarez in disputando modestia est permotus. P. Balthazaris Aluarez magni Magistri fuit in tyrocinio idoneus planè, capaxque discipulus. In perdocenda Philosophia ac Theologia, acre illi eruditumque ingenium, & imitatio doctę modestiæ in Francisco Soarez adeò perspectæ. Inde Nouitios gubernauit: & cùm fracta illi esset valetudo, scripsit ea quæ legimus volumina pietatis. Virgo illi animus, corpus, vultusque modestia. Noctem sæpè totam peruigilationi dabat coram SS. Eucharistiæ Sacramento genibus nixus, magno animi gaudio, magno lumine cordis accensi; interdiu verò illam sępissimè visitabat reddebatq; rationes cęlestis lucis plenas, quare id agere sit Deo valdè gratũ, nobis autem perutile. Auditus est aliquando velut fatiscens atque inambulans dicere: *satis luminis est, Domine: non plus Domine: sufficit.* Totum illi conclaue visum viuo quodam igne flagrare. Anno 1599. Seruiuit peste contactis, quandoquidem Indias adire per obedientiam non licebat. A fructibus penitus abstinebat, vt se illa voluptate fraudaret. Carnifex cùm esset sui corporis, visi sunt Angeli aliquando illum curare, fouere blandè, nauiter, accuratè. Ijdem postea eius cadaueri adstitere. Sub annum 1604. voti Sacramento firmauit, nullum se deliberatum etiam veniale peccatum velle admittere. Arcana turbidorum cordium introspexit, & verbo composuit: vt taceam de futuris, de miris, quæ à Christo, à Beatissima Virgine Matre accepit. Sæpè conspectus est toto corpore coruscare radiis, globo igneo aliquando orantis capiti imminente. Visus est in morte stipatus Angelis in cælum ascendere; & à morte, non semel cælesti eaque magna planè gloria nunc beneficium afferre ijs, à quibus videbatur, alias vero Doctoris Laureolam ostendere ob ea sibi decretam, quæ piè lucubrauit. Oratio illius plena fuit reuerentiæ cælestiumque flammarum. Ad illa verba diuini officij: *Venite procidamus* humi prostratus Deum adorabat: nec interrumpebat horam inchoatam, licèt quispiam interpellaret orantem. Eius chirographo cordi admoto fœdæ tentationes fugatę. Multa de illo & admiranda dixit celebris illa Marina de Escobar, quæ dabit eius vita.

Modestia. *Castit.* *Oratio.* *Euchar.* *Cubiculum.* *Mortif.* *Angeli.* *Pecc. Ven.* *Oratio.* *Mors.* *Breuiarium.* *Castitas.*

XVII. DIE FEBRVARII.

P. RAYMVNDVS DE PRADO.

Hispanus Manilæ. 17. Feb. 1605.

SEreni semper, & attenti ad Deum animi. Cùm Vice-Prouincialis munere fungeretur, pedesque Prouinciam visitaret, amisso recto itinere non sine periculo ceciderat, cùm ecce se illi spectandum obiecisse dicitur tenerrimus infans (cuius infantiæ mysterijs animum crebrò meditando pascebat) IESVS. Crux illi fessos humeros premebat, non sine significatione fatigationis; quam in dulcissimi paruuli aspectu videbat Raymundus incre-

Iter. *Iesulus.* *Crux.*

incredibili animi voluptate. Anno 1603. Nocte à 3. Octob. in S. Francisci festum eunte vidit S. Franciscum Seraphicum è muris Manilam vrbem contra Chinenses defendentem. A morte Religioso cuidam suo quondam, Nouitio, spectatus, plurimùm illi in magno, quodam mœrore attulit leuamenti. S. Augustini exemplo peccata sua scripta reliquit, ac diuina quædam consilia, & instinctus annorum quinque, quos postremos habuit in hac vita. Surdum ab eo gestibus eruditum, vt sacris aquis tingi posset, charitate magnâ, magno surdi fructu, fusius referunt annuæ Philippinæ.

3. Oct. S Francisc.

A morte solatium.

Humilitas.

Zelus.

P. GEORGIVS SKARSINSKI.

Polonus Pultoniæ. 17. Feb. 1611.

HVius vita & mors breui sed memorando compendio in annuis in hũc modum notata est. Operarius excellens; tolerantiæ & exempli egregij, maximeque in audiendis confessionibus studio singulari. Is cùm ad infirmum à Præside missus esset benè sanus, ex improuiso de repentino capitis dolore questus illud exanimi planè similis in sinum assidentis socij reclinauit, & nullâ interpositâ morâ animam Deo reddidit. Hic stupere infirmus ille, gemere, vicemque Patris dolore prosequi, quòd nunquam opinato euentu, nullo tentatum morbo suos ante oculos extinctum conspiceret; ceteri eodem casu perturbati domestici accurrerant quidem ad Patrem, & animo linquente, & alienatum à sensibus illum existimantes, quidquid ad iuuandum ipsum adhiberi poterat, magnâ cum charitate & solicitudine præstiterunt; sed frustra mortuo sint fomenta. Ergo simul facturo Confessionem infirmo alter Sacerdos est submissus, simul defuncti corpus à Patribus, qui eò venerant, ad Collegium est deportatum, magno ad hoc spectaculum concursu hominum excito. Sed & in nostris animorum non exiguus excitatus est motus, cùm omnes in æquè bono opere parem sibi ex imo sensu optarent finem. Mira res, & documenti plena, vt cuiuis operi nos non secus ac vltimo accingamus.

Mors apud ægrum.

PAVLVS RIOIN. COADIVT.

Iapon Manilæ. 17. Feb. 1615. ætat. 64. Soc. 39.

GRatiâ etiam apud Ethnicos dynastas, dicendi facundiâ, & magnis pro Euangelio sudoribus fuit spectabilis; fructu non impari animarum, quarum studio se totum transcripserat. Sed à Cubosama in exilium relegatus vnà cum alijs quos tyrannus in Iaponia ferre non poterat, ne Christi fidem proseminare porrò pergerent, in Philippinis à nauigationis ærumnis confectus est; lætus quòd fidelis Christo exul potiùs moreretur, quàm in patria viueret sine Christo.

Fides.

XVIII. DIE

XVIII. DIE FEBRVARII.

P. EMMANVEL FERNANDIUS.

Afer Eborę. 18 Feb. 1555. Soc. 13.

AFer Tingitanus nobili loco natus. Aiunt, illum paruulum aliquando cibum non priùs capere voluisse quàm inopibus quibusdam nomina, seu debita dimitti à parentibus exorasset. S. Xauerij ac Rodericij vsu animum Vlyssiponæ ad Societatem adiecit, susceptus Conimbricæ. Transtaganas missiones pedes concursans, distractos odijs animos ita permouit, vt eodem die aliquando quinquagenos dissidentes hactenus, in lachrymas, & amplexus pacificationis peractæ testes ire viderit. Fœminis cultum pudicum, vano abiecto, persuasit, eo dicendi fulmine quo animos permiscebat; sacrificio priùs, & oratione pectus muniens contra respectus humanos, & petens à Deo verba idonea ad mouendum, vnde ibat & ipse facilis in lachrymas, & alios rapiebat, multifariam ingeniosus ad variam pro animarum salute industriam. Primus Eboræ in morem induxit, vt reis comites irent Patres de Societate ad mortem: vbi reo vitâ iam functo, è scàlis, vel è ferali pegmate, dicebat ad populum ea quæ durissimos quosque percellerent. Impura fœmina Fernandij contra sordes fulminantis ore perterrita, se ad frugem castam recepit. Eapropter, deserti ab ea proci operâ, per iter Emmanuelem adorti personati sicarij, hunc ipsum illum esse qui talem fœminam à libidine abduxisset, conclamant; & sacculis arenâ fartis illum dirè contundunt, seque in fugam conijciunt. At Emmanuele voce quantâ adhuc poterat illos ad pœnitentiam, & ad veniam dulcissimè inuitante; ac silentium, absolutionem, preces promittente, illorum vnus ad iacentis Patris pedes abiectus, peccata confessus est. Fluebant & reo, & Patri vbertim lachrymæ; huic præ gaudio de peccatore pœnitentiam agente; illi præ dolore scelerum patratorum. Eboram demum eiusdem conuersi ope se vtcunque pertraxit: vbi ægrum Henricus Cardinalis Regius Infans inuisit; mortuum vrbs vniuersa magnis exequijs honorauit, & fleuit. Morbi, & & mortis causa ex illius ore haberi nunquam potuit, sed ex illo, quem dixi, conuerso. Sacrificales vestes, in eius cadauere post annos triginta quatuor translato, repertæ penitus incorruptæ.

Misericordia

Charitas.

Concio.

Sacrum.

Castit.

Charitas.

P. LVDOVICVS GOVEANUS.

COcini, & Coulani diu paruulorum magister. postea per magna susceptа itinera excelso animo pro Euangelio multa tulit, fecitque, multis Christo adiunctis; eoque Ethnicis odio fuit: propinatoque ab ijs veneno, vt multi affirmant, enectus est.

Lusitanus vel Indus. Cocini. 18. Feb. 1584. ætat. 58. Soc. 31.

P. PETRVS MARTINEZ EPISCOPVS IAPONIÆ.

CVm Rege Sebastiano in Africam profectus, illo istic amisso, à barbaris in seruitute non vnâ multa perpessus, naufragio superstes anno demũ 1592. Pontificis iussu, Præpositi Generalis monitu, Iaponiæ Antistes creatus

Lusitanus in Malacensi mari. 18. Febr. 1598.

N

creatus, & consecratus, Nangasachum anno 1596. appulsus est; & sua istic Pastoris munia executus, Paulum, Ioannem, ac Iacobum, Sanctos illos Societatis postea Martyres, aliosque permultos, Sacramento confirmauit; eadem etiam alibi exercens, & eleemosynis victitans inter Euangelij labores, inter timorem ac spem. Tum tempestate in Christianos à tyranno concitatâ in exilium relegatus, ærumnis nauigationis confectus est. Cadauer Malacam deportatum 18. Febr. 1598. Vir fuit heroicæ, ac Apostolicæ planè fortitudinis laude inclytus; nec animi demissione minor quàm eminens Ecclesiasticâ dignitate.

Fides.

P. IOANNES CARDIM.

NObili, ac lautâ domo natus, & iam à teneris pietati enixè addictus, generosâ non curantiâ respectuum humanorum. Societatis ineundæ consilium illi tunc illapsum, cùm ædem DEIPARÆ Virginis *à Luce* dictam ex voto inuisens, diuinâ istic synaxi refectus fuisset: vbi etiam se castimoniæ Sacramento illigauit. Sacris initiatus 1611. 23. Iunij se Societati adiunxit, salubri exemplo in alios quoque porrecto. Ibi die S.P. Ignatij primo Sacrificio inter lacrymas operatus oculos habuit geminis ęstibus semper insignes, constantis, ac nulla inconsiderantiâ vnquam laxatæ modestiæ, & facilium lacrymarum; nescio vtrâ dote felicior. Nunquam nisi cilicio accinctus introiuit ad altare DEI, Sacrificium oblaturus. Virginis DEIPARÆ templa lubens obibat, & de illa feliciter adeò cogitabat, vt humana supergressus, totus ab illius gloria, cultu, amore penderet, semihorâ ad id cùm puer esset, quouis die Sabbati destinatâ. Ad scholas iturus, & ab illis redux, nunquam omisit illam in sacello domestico salutare. Terra illi fuit pro lectulo. Pauper esse maluit, quàm videri Vrbanus. Vnde nulla quantumuis pia dona dedit vlli, vel ab vllo accepit. Carnibus vix vllis, pane verò cibario, analectis familiæ vescebatur. Sui flagellatio illi & quotidiana & aspera, cilicium quoque frequens, & altè adstrictum, ac mille se vexandi artes, & variè deprimendi. Præter feriæ sextæ Sabbatique ieiunium, totâ hebdomadâ cibi tam fuit modici, vt ieiunare sit visus. Inter orandum illum à terra sublimem vidit Rector Collegij Bracharensis. Tanta illi sanctimoniæ fama erat, vt illo prætereunte multi sese in fenestras effunderent, Ioannem spectaturi. Examinis particularis libellum gestabat è collo, cum votorum formulâ suo sanguine exaratâ, & S.P. Ignatij atque Anchietæ reliquijs. Putatur nullâ vnquam lethali noxâ conscientiam temerasse. Certè 40. Nouitij non semel rogati, nil in illo quod arguerent inuenêre. Eius modestia nonnullis pro concione fuit, vt ad frugem redirent. Altero iâ anno Bracharæ Philosophię auscultandæ operam danti mors haud improuisa obuenit. Aiunt eum cùm sub mortem Crucifixi IESV vulnera exoscularetur, quasi amplexum â reuulsis vltrò de Cruce Christi brachijs ac pedibus accepisse. Mater tunc absens dixit; illum sibi clarâ luce conspectum dixisse. Vt gratularetur filio æternùm viuo, ne mortuum fleret. Cadauer septimo post anno odore fragrans repertum; & patrata non obscura miracula, de quibus tabulæ ritè confectæ sunt.

Lusitanus 16. Bracharæ 18. Feb. 1615.

B. V.

Oculi.

Modestia.

Cilicium. Sacrum.

B. V.

Sabb.

Paupertas.

Mortif.

Oratio.

Examen particul.

Mors. Crucif.

XIX. DIE

XIX. DIE FEBRVARII.

P. IACOBVS SANCIVS.

Hispanus Hispali. 19. Febr. 1588.

HIc Romæ doctrinâ, innocentiâ pietate spectabilis, & Gregorio XIII. Pontifici charus, Anglicanæ expeditionis occasione Societatem expetijt. Cùm rem DEO commendare iussus à Pontifice, in S. Petri basilica coram SS. Sacramento effunderet, vocem è sacro tabernaculo clarè erumpentem in hæc verba audiuit: *Esto de Societate nominis mei.* Mox corruit, & ardenti Societatis desiderio teneri cœpit, singulari quodam scientiæ de Christo sibi infusæ lumine colluſtratus. In Societate, summa eius votorum erat, amare & pati. Hauriebat ad hæc animos ex eodem diuino Sacramento, è quo primam vocationis scintillam acceperat. Dixit aliquando; sibi percepto Angelico illo Sacramento conspectum Christum paruulum sui pectoris arcana intrantem; seque illi dixisse: Domine, tu es verus Deus, & homo; nec minor es quàm sim ego. Ergo extende tu simple caput hoc meum, hæc brachia mea, corpus hoc meum. Tui sint hi mei oculi, tuæ hæ meæ aures, tuum hoc meum os, & manus, & pedes. Tu in me loquere, inambula, tu viue vndique in me. Viuo itaque ego iam non ego; viuit verò in me Christus. Aliàs dixit; visam sibi à se deuorari crucem IESV, paruulam quidem illam initio, sed quæ postea extensa longè ac latè totum illum impleuerit.

Esch; Vocatio.

Sensus.

Crux.

P. RAPHAEL OLLER.

Hispanus in Insula Maiorica. 19 Feb. 1611. ætat. 55. Soc. 36.

PRo hoc in vocatione, cùm puer inconstans ad Societatem admitti nunc petereret, nunc relangueſceret, firmando petentem Alphonsum Rodriquez vt Christus eius curam susciperet, solatus Christus, id se facturum recepit. In Societate tanta faciebat, quanta suffecissent tribus haud inertibus occupandis. Virginitatem perpetuam studijs, inediâ, variâ in se asperitate, magnis laboribus, SS. Eucharistiæ ac DEIPARÆ sine labe conceptæ, augusto cultu custodiuit; Sancti & Apostoli nomine vulgò celebratus, per totos 40. dies magni ieiunij, etiam cùm quotidie ad concionem diceret; ieiunabat. Item 40. alijs diebus qui natales ferias Christi antecedebant. Fama erat, ab illo ita omnium animos capi, vt nemo illum reliquerit, qui semel apud illum conscientiam expiarit.

Vocatio.

Castitas.

P. ARNOLDVS BOECOP.

Belga Coloniæ. 19. Febr. 1612. ætat. 18. Soc. 14.

HIc locupletis domus hæres vnicus, in Batauica (quod certè mirêre) Academia, integram & fidei Catholicæ, & virginitatis laudem seruauit, postea Societatem amplexus. Medicus affirmauit; illum veneno internectum: quippe tentus in itinere ab hæreticis, & coniectus in carcerem, cùm nihil esset cuius causâ plecti posset, porrectum illi venenum est quod ille hausit ignarus: & illud breui se prodidit Coloniæ; eumque miris per

Fides.

quinque menses patientiæ documentis illustrem lentę atque acerbæ morti addixit.

P. PETRVS LE BRVN.

Gallus Virduni. 19. Feq. 1636. ætat 72. B. V.

SAnctorum se filium dicebat. Pater enim in pauperes profusus, prædixit mortis suæ diem. Auus maternus sui diem obitus à B. V. didicit, & prædixit: mortem autem obijt ex vulnere, quod ab hæretico acceperat, cùm Dei Matris honorem propugnaret. A Matre ad omnem Sanctimoniam institutus, orandi studio vacabat puer remotis arbitris, lacrymis perfusus. Nouitius, cùm legisset in vita S. P. Ignatij, per cruces breuem esse ad amorem Diuinum viam, idque à Deo petendum esse, petijt id impensè: & hyeme rigente in gelidam immersit manus aduſque cordis deliquium. Tunc illi pauci dies variè reciproci inter cęli dulcia & amara, læti atque tristes alternis fere fluxêre. At reliquo pòst vitæ tempore, hoc est, per 50. & plures annos, negauit degustatam à se fuisse vllam vel cælestem, vel humanam mentis suauitatem, ne tum quidem, cùm (id quod vehementer optauerat) adeptus est, vt is cui à Confessionibus erat Carolus à Lotharingia Virdunensis Episcopus Societatem impetraret. Ipsâ etiam, quam in cibis vel inuiti capimus voluptate, carere se aiebat præ ampullis palati exulcerati, præ dolore dentium, aut alio quopiam incommodo. Accessit in capite grauedo & debilitas, in corde compressio, ac veluti confusio, calculi in lumbis ac alibi, perpetuus sitis æstus in faucibus, ischias, ac podagræ, febrium, & colici dolores ad agonem vsque frequentes & occulti, qui eum lecto non affigerent. Hinc se incudem DEI nominabat, anxius ac timens, maximè cùm ne DEIPARA quidem multis cum lacrymis, per noctes integras implorata quidquam leuamenti acciperet; atque ne in Sanctorum quidem gestis aliquem tam diu desertum inueniret. Nullo tamen tædio adduci poiuit, vt religiosæ disciplinæ vel apicem negligeret. Inerat verò de diuinis dicenti sapor quidam cælestis, quem non ille, sed alij sentiebant. Hinc Præmonstratensibus potissimùm ac Societati multos adiunxit. Ne præesset, oblatos Magistratus non admittebat dolorum obtentu. A Rectore quopiam per magnam inconsiderantiam furti damnatus passus id est religiosè. At manifestam rei veritatem aperuit, & malum iudicem temeritatis damnauit Deus. Patientia morituri hæc solum verba habuit pro leuamento: ô mi Deus! Ne quod verbum inuito dolor excuteret, duos rogauit è nostris, vt ad celebre B. V. sacellum quatuor ferè leucis distans peregrè abirent, idque illi à DEIPARA postularent. Abiêre rogati, & redière voto potiti. Nam fusis ad B. Virginem precibus continuò remisit calculi dolor; & ille placidè requieuit.

Patiendi desiderium.

Morbi.

B. V.

XX. DIE

XX. DIE FEBRVARII.

P. FRANCISCVS NETUS.

Hispanus Vallisoleti. 1546. 20 Febr.

Vocatio.

HIc Theologiâ, lauto Sacerdotio, & egregiâ diuini verbi prædicandi felicitate Vlyssiponæ celebris, cumque Societati se adiungere deliberasset, populum eâ de re admonendum putauit. Aut ego (aiebat ad populum, inquit Orlandinus) vera vobis ad hūc diem cecini de loco hoc, aut veritatem celando fefelli. Si vera cecini, ea quâ debui libertate perdocui, quod me fecisse profiteor; requiritur profecto, vt quæ vobis audientibus de paupertate disserui, ea putetis esse verissima. Sed illud mihi forsan obijciet quispiam: quomodo tu sæcularis homo cum sis; & in medio vulgo versaris, ita ista prædicas? contraria sunt dicta factis. Quam tu nobis paupertatem, quam commodorum despicientiam narras! qui pingui Sacerdotio; & Ecclesiæ reditibus dines es? vitæ tuæ non consentit, oratio tua. Hæc, & similia sibi ipse dissimulanter obiectans, & ratiocinando percurrens, ad extremum ita concluſit: *Atqui vt intelligatis me ex hoc loco fucum vobis non feciſſe ſed veriſſima prædicaſſe, hoc ipſo momento temporis, linquo omnia, & ad diui Antonij Archimandritæ (nempe Societatis domicilium) rectà propero, vt bonis illis, cum Patribus Chriſtum ſequar.* Haud aliter fecit, ac dixit, vniuersorum approbatione mirificâ. Quod postea exemplum alios etiam quosdam ex eadem Ecclesia sequi non piguit. Addit illum è Lusitaniâ Vallisoletum postea concessisse, *ibique dum miro cum fructu concionaretur, ſummo cum populi totius luctu religiosè deceſſiſſe.*

Concionet. Lib. 3. n. 82.

Paupertas.

P. FRANCISCVS DE MORALES.

EParocho S. Vincentij factus in Societate operarius inconfusibilis & admirandus. Egregiâ sui victoriâ, seuerâ corporis afflictatione, & orandi studio insigni ad omnia. Coram SS. Sacramento se præparabat; & tum prodibat, ad quempiam pro morte, vel pœnitentia disponendum. Tum illi Crucifixum dabat, rogabatque vt illum tantisper aspiceret, nec post longam, sed seriam, & meditatè factam allocutionem, humi penes illum sedebat alto silentio preces pro illo fundens: mox in singultus & lacrymas soluebatur, & molliebat sæpè cor, etiam obstinatum. id quod illi cum ijs, qui ad supplicium damnabantur, prorsus ex animi sententia succeſſit: quorum vnusquispiam, cùm iam è feralibus scalis deijci deberet, circumfusum populum alloeutus dixit magno sensu: Magnoperè hortor omnes, vt cùm se à fine vitæ prope abesse viderint, P. Franciscum Morales pro extremo felicis mortis oppetendæ adiumento accersant: & norint secum perbenè actum iri. Cuidam, vt videbatur, sano dixit: eius valetudinem pessimo loco esse: quarè illi vt confiteretur persuasit, & illicò eidem Sacram synaxim, ac extremam vnctionem impertijt; quam secuta mox expiati ac vncti mors excepit. Sæpe illi Christus vt ait eius vita, & sæpe DEIPARA se videndam præbuit, cuius honori Franciscus à multis annis de genibus rosarium recitabat coram SS. Eucharistiæ Sacramento. Inter acerbissimos 26. dierum dolores, cùm vo-

Hispanus Vallisoleti. 20. Feb. 1595.

Euchar.

Industria. Crucif.

Christus B. V.

cem dedisset doloris testem, audiuit dicentem Christum: *Tu quereris, & ego rideo videndo te*: & repente Franciscum incredibilis animi voluptas incessit, dicentem: Et quid est, quod magis optem ego, quàm te Domine, delectare? si tu rides hos meos dolores, veniant, veniant illi expectati feliciter. Dixit, & in fortissima patientia possessam animam ad migrationis articulum orandi patiendique studio comparauit; confessario enixè rogato, vt curæ illi tantisper alias omnes postponeret, sibique ad extremum vsque fidelis assisteret. P. Ministrum domus. pro quo mortuo celebrabat, ab illo in altari visum lætum & arridentem, & alia fusiùs prosequar in vita Francisci in annuis 1595.

Patientia in morbo.

Delecta Deum.

Mors.

Sacrum. Anima. Purgat.

P. IOANNES A CAMPIS.

20. Feb. 1611. Ap. Ant. Balinghen. *B. V.*

DE hoc hactenus plura nanciscì non potui, quàm quòd insignitè addictus fuerit colendæ Virgini Matri. Eapropter perpetuam Dei Matris memoriam vt præoculis haberet, eius rosarium gestabat in manu. Quolibet die Sabbati Nouitios adibat, illis aliquod de B. Virgine exemplum piè tenereque narrabat. Sub mortem Patrum cuidam. O si nosses, inquit mi Pater, quantum in morte afferat animo solatium DEIPARAM singulari studio coluisse.

Sabb. Mors.

P. LVDOVICVS CERQVIERA EPISC. IAPON.

Lusitanus Nangasachi 20. Feb. 1614. ætat 62. Soc. 48.

EBoræ Tiberiacensis Antistes consecratus & in Iaponiam missus anno 1598. 5. Augusti Nangasachum intrauit, omni Episcopali apparatione Philippi II. Regis expensis affluenter instructus. Etiam Ethnicis procèribus gratum illum faciebat compositus ille agendi tenor. Amabant in illo Iapones Christiani paternas pro filijs curas, & pastorale officium amoris solicitudinisque pleniſsimum. Templa quatuor Iaponibus Parochis, & supellectile sacrâ instruxit. Quinque Iapones minoribus, septem alios item Iapones maioribus, seu Sacris, Ordinibus initiauit. Accurate aduertebat, vt sui è Christi lege vitam ducerent; & se pro grege lupis Ethnicis feliciter opponebat, inde quoque suorum amorem ac disciplinæ Christianæ vrgendæ vim intendens. Lusitanorum nonnulli Iapones in mancipia olim asportabant: vetuit Ludouicus, & sacrum Ecclesiæ fulmen iecit in eos, qui absistere recusabant. Nobiles ob fidem exules fouebat priuatâ liberalitate, sui muneris emolumenta illis præbens, quæ à sigillo, quæque à mulctis veniebant. Alijs egentissimis quibusque cibos è domo sua præberi iubebat quotidie. In consilijs cautus admodùm, peccati vmbram omnem sapienter ac persanctè verebatur; nec decernebat quidquam, quod non aliorum iudicio subiecisset; omnes & Generalem Præpositum potissimùm, non minùs veneratus, quàm si esset vnus ex nobis. In eius domo litaniæ B. V. palàm ab omnibus quotidie recitatæ: *Salue Regina*, Sabbathis ibidem à Clericis, Musicisque cantatum. Signa dabantur, quibus partitè distribuebatur tempus in ea munia quæ in Collegijs more vsuque recepta sunt. Suum orandi studio, suum conscientiq, quas Clericis explicabat, quæstionibus, tempus dabatur. Fuit denique tanquam ex aurea ætate petitus Iaponensis Ecclesiæ Pater, atque Apostolus per annos 16. quibus illam Ecclesiam gubernauit.

Zelus.

Miseric.

B. V.

Ordo domesticus.

CVR-

CVRBERTVS PRESCOTTVS STEPHANI COADIVT.

Anglus Londuni, 20. Febr. 1647. ætat. 55. Soc. 23.

SVppeditando ex Anglia Seminario Audomarensi iuuentuti dextrè addictus, nobilem ea in re inter plura discrimina operam nauauit non semel captus, & liber. Captus tandem iterùm, ad extremum, cùm Sacerdos non esset ad furcam damnatus non est; sed in carcerem perpetuum Londini conditus; eò quòd è solemni formulâ illud iusiurandum fidelitatis (vt vocant hærerici) præstare nollet, quod integrâ Sedis Apostolicæ ac fidei Catholicę authoritate Catholicus nemo potest. In carcere in omnes beneficus, eoque charus omnibus fuit, donec annorum plurium, quibus ibi attinebatur, ærumnæ illum sensim attriuêre, ac morte optatâ consumpsêre.

Fides.

Charitas.

XXI. DIE FEBRVARII.

P. MARTINVS GUTTIEREZ.

Hispanus Cardeliaci in Gallicia. 21. Feb. 1573. ætat. 49. Soc. 23.

ANte initam Societatem, inter prima ingenia; in Societate anno 1550. initâ, inter primæ notæ viros vitæ sanctimoniâ excelluit. In B.V. honorem feriâ quartâ, & Sabbato ieiunabat; & Sabbato anno 1573. illi Romam per Gallias eunti B. Virgo prædixit mortem intra octo dies adfuturam, cùm ad B. Virginis ædiculam iret cum socijs. Inde redux vnâ cum comitibus, ab hæreticis captus, percussus, illusus, & in carcere ærumnis confectus est; etiam sacris reliquijs, & sacrâ supellectile ab hæreticis indignè tractatâ, quod dicerent, *Hispanum Regem, & inquisitionem in sectariorum necem semper esse intentos*, idque habuit, quod olim petenti B. Virgo annuerat, vt sine vllo humano solatio moreretur. Adfuit eo mortuo Matrona spectabilis, quæ cadauer nitidè composuit, & videri desijt. S. Teresa, datis ad P. Hispaniæ Assistentem Romam literis affirmauit, sibi illum à Deo in Martyrum choro ostensum. Victoriæ in Cantabria, Sacerdoti (apud quem P. Martinus cum comitibus fuerat diuersatus) sanctimonialis eodem anno dixit 21. Febr. Patrem è tribus vnum, eumque qui Deiparæ fuerat magis studiosus, hoc die in Gallia diem vltimum obijsse. P. Ioannes Fernandius retulit, Martinum serenâ facie sibi conspectum; ab eoque sibi enixè commendatam Dei memoriam. Cùm ab orandi contentione capitis dolore prohiberetur, coram Deiparæ imagine opem illius demissè flagitauit, & summam in orando facilitatem, ac felicitatem impetrauit. In socijs magnoperè contendebat, vt omnibus magnæ erga B.V. religionis studium imprimeret. Conspectâ in triclinio, dum egrederetur, Dei Matris imagine, adeò exarsit, vt in conclaue secedere prius quàm ad aliorum consortionem iret, ibique suos æstus explicare, componereque debuerit. S. Ioannem, S. Mariam Magdalenam, & Sanctos Beatissimæ Virgini olim familiares, hoc nomine præ alijs colebat. Potens erat dicendo ad concionem: sed cùm de B.V. ageret, supergrediebatur se ipsum, lõgè tunc se augustior. Ipsam verò DEIPARAM adeò familiariter videbat, vt conspectis varijs eius imaginibus facilè discerneret, hanc vel illam, præ aliâ, DEIPARÆ faciem propius

B.V. Mors diuturnitas indicata.

Præsentia Dei. Discè à mortuo. B.V.

Imago B.V.

B.V.

B.V. Mors.

S. Teresia.

P. Suarez.

propiùs referre, magisque similem illi esse. De P. Suarez prædixit; magno illum Ecclesiæ, ac Societati decori, & emolumento futurum: eidemque persuasit, vt de B. V. enucleatè explicaret in scholis, illam omnibus omnium cœlitum choris gratiâ, & gloriâ, longè superiorem esse: id quod adeò cumulatè præstitit Suarez, vt Beatissima Virgo P. Guttierrezio eam ob rem deinde gratias egerit. Sub eiusdem pallio vidit Guttierez vniuersam Societatem collectam, & nostros, velut pullos, sub Dei Matris alis protectos.

Sub pallio. B.V.

Examen.

Eadem illi sub examine de suorum labeculis sollicito cùm præesset, in lance argentea *cor* exile ostendit in duabus sanguinis guttis penè submersum, & trepidum; & hoc aiebat esse ipsius cor. Deinde amplum aliud, quod erat cor Dei, qui nullis mortalium noxis perturbatur. Cùm Placentiæ Rector esset, ac primâ Iulij de B.V. Visitante officium diuinũ recitaret, Beatissima Virgo illum certiorem fecit de Coadiutore quodam ad negotia foras missо à procaci muliercula tentato. Vnde illum statim redire iussit. P. Franciscum Villauouam, suum olim in spiritu Magistrum, diuinitùs didicit, breui post mortem, Cælo esse receptum. A S. Francisco, & alijs cœlitibus familiariter visebatur. Intellexit; omnes, quorum ipse Rector erat, prædestinaros esse ad gloriam. Carolo Nouitio cuidam in culina tacitè cogitanti; Ecquid erit mecum annis futuris? Respondit: id cum illo fore, quod Deo videretur. Nostrum quendam ægrum amplexu persanauit. Cùm æger verni ieiunij concionibus imparem se fore persentisceret, rem omnem in Beatissimæ Virginis manibus deponebat, vt ipsa faceret conciones. Tum mirificè se robustum sentiebat, flectebatque ceruices peccatorum, quas ne celebratissimi quique hactenus poterant emollire. Mirâ propensione seruiebat ægrotis in Nosocomio; & alijs id persuadebat. Dæmon aliquando Beatissimæ Virginis effigie illi volens illudere, deprehensus ab illo, & victus est. Dissuadebat nuptias fœminæ castitatis voto illigatæ; idcircò quidam illum fœdi sceleris accusauit coram Synodo Salmanticæ anno 1565. Sed fraudem Synodus deprehendit, & Martinus à Synodi Patribus tantis est laudibus cumulatus, quantas aiebant; sufflecturas vel Sancto alicui in Cœlitum numerum ritè referendo. Eam ille sinistram de se famam ad Beatissimam Virginem retulit æquo mœstior: & ecce adfuit illi Virgo Mater; *& quid est*, inquit, *quod angeris? An nescis Filium meum, & me, in ijs, de quibus accusaris nunquam esse à te offensum? Quid ergo est, quod te afflixit?* sic animo tranquillato respirauit.

Cor.

Superiores.

Oratio.

1. Iulij.

S. Francisc.

B.V.

Concio.

Charitas.

B.V.

Castit.

B.V.

Calumnia.

P. CORNELIVS DVYSTIVS.

HOllandiam ingenti labore excoluit, & Delphos potissimùm, natalem sibi locum, operâ in Zelandiam quoque porrectâ; magnos animos gerens in tenui corpore; ac morbis attrito ad exantlandas ærumnas, & quotidiana capitis pericula comprehensus à Prætore aliquando ita priuatim pro se dixit, vt liber dimitteretur. Tum, inquiunt literæ, ex eius ad suos reuertentis vultu splendor cælesti similis emicuit, & hilaritas humanâ maior quæ vultus species cùm ad dies plures perseueraret, stuporem intuentibus, & sanctitatis opinionem de illo iniecit. Aiunt mortuum etiam mirabilium quorundam famâ celebratum.

Hollandus in Hollandia. 21. Febr. 1612.

Zelus fidei.

P. AL-

P. ALPHONSVS RODRIQUEZ.

Hispanus Hispali. 21. Febr. 16. ætat 90. Soc. 70.

POst moralem Theologiam famâ ingenti perdoctam, & Collegia gubernata tyronum Magister fuit per annos omninò 40. postea Cordubę per 12. annos spiritualibus rebus præfuit, & præclaros illos de exercitio virtutum tractatus scripsit. Biennio extremo sacrificare per vires attritas non poterat, eoque synaxi quotidianâ vtebatur. Heroicæ in illo virtutes, & illæ planè quas scripsit, vt vita eius in libris illis perscripta sit. E cubiculo non nisi meditatè, ac rarò, ac planè charitate, necessitate, obedientiâ coactus prodibat. Vt cum Deo maneret coniunctior sagax erat ad sensus, ab ijs, quæ delectare poterant prouidenter auocandos. Si quid deesset non petebat: ex ijs quæ offerebantur, nihil eligebat, quocunque contentus. Per postremos annos aliquot, fructus non gustabat, ne palato blandiretur. Oblati cibi saporem aquâ diluebat. Conscientiam quotidianâ exomologesi expiabat. Feriâ sextâ etiam senectâ extremâ pedes aliquot sociorum in triclinio osculabatur. Denique totus ab his ad æterna sese traduxerat.

Cubiculi quies.

Mortific.

Confess. Quotid.

P. HERVEVS MALVESIVS.

Gallus Cleraci. 21. Feb. 1622. ætat. 62. Soc. 25.

PRæstantis pro religiosa disciplina domi, foris verò pro fide Catholica zeli vir eoque nihil sibi parcebat, vt ad amussim seruaret domi singula, foris autem vt rem Catholicam labore quanto posset maximo promoueret. In castris, alijsque missionibus insignitè strenuus, illas pedes obibat. Amabat, & amabatur cùm Nostros regeret: secularium quoque animos mirificè sibi deuinciens: sed hæreticorum odia in se concitauit ijsdem artibus ob quas à Catholicis amabatur. Cleracum missus, ibi vrbe ab hæreticis dolo captâ, dum Episcopi domesticis peccata confitentibus aures præbet, ab hæreticis agnitus, plumbeo globo in pectore traiectus, ferro in iugulo vulneratus: tum in vertice (vbi eis corona Sacerdotalis odio erat) & alibi, decem facilè vulneribus saucius, IESVM & MARIAM dixit, & vixit. P. Ioannes Tournerius persanctè affirmauit; eius Cleracum abeuntis vultum visum Angelicis quibusdam radijs coruscare. Corpus aliquot à cæde mensibus integrum repertum est quasi recenti sanguine tunc aspersum.

Fides.

Radij in vultu.

P. DOMINICVS GONZALEZ.

Canariensis Mendozę in Chile 21. Feb. 1624. ætat. 39. Soc. 20.

MAgno animi zelo detrectatis cathedris scholasticis, voto se obstrinxit quærendi salutem animarum ope spirituali destitutarum. Tempus illi pretiosum: cuius ne particulam perderet, eos à quibus visebatur iniectis de quatur nouissimorum memoriæ colloquijs, aut accendebat, aut aspellebat. Acrius & pronum in iram ingenium perpetuâ sui victoriâ ita perdomuit, vt blandus esset planè ac vndequaque dulcissimus. Feriâ sextâ, ac Sabbatho ieiunium, diebus alijs à cœnâ ferè abstinentiam sibi indixerat, vt somnum peruinceret, cui erat obnoxius. Cilicium illi ferè perpetuum adhærebat: verberibus verò asperè se cædebat quotidie.

Zelus.

Pia colloq.

Mortif.

XXII. DIE FEBRVARII.

P. MARTINVS ERTMERUS.

Germanus Græcij 22. Feb. 1612. ætat. 37. Soc. 18.

Crucifixus.

TAlem hunc fuisse aiunt quales nos optat esse Societas, obedientiâ, charitate, in DEIPARAM studio singulari. Oculis intentiùs in Crucifixum conuersis, moneri se sensit fore, vt propediem moreretur. Ideoque generali confessione expiatus, Confessario & Rectori suæ mortis nũtius fuit breui affuturæ, seque sacro viatico muniuit, cùm tamen vires ac vultus nihil tale nunciarent. Eodem die phrenetide correptus, piè delirauit, semper tamen ad parendum promptus, cùm obedientiæ nomen audiret: quinto demum die in æternam lucem excessit. Addo hîc iucundam, eius erga, DEI Matrem pietatis

Mort.

B.V.

significationem, è literis Collegij Græcensis. Perpetuo cultu, aiunt illæ, à pueritiâ Dei Matrem veneratus, eam sibi vnam sponsam optauit adolescens, & quâ potuit ratione despondit. Annulum DEI Matris puerum gestantis effigie impressum ipsius Maiores longâ stirpis serie adhibuerant, vt arrham nuptialem despondendis sibi vxoribus, quem ei Mater, vt filiorum maximo natu, boni ominis gratiâ in spem futuram abeunti donarat. Huius annuli pignore suam fidem B. Virgini obstrictam, atque ipsius Virginis tutelam sibi desponsam esse voluit, cùm Sodalis ei consecratus esset in Collegio Crumlonensi.

P. DIDACVS CARVALLIVS.

Lusitanus in Iaponia. 22. Feb. 1614 ætat. 46. Soc. 30.

IN Cocincina primùm, deinde in Iaponia præstrenuè versatus, ingentia itinera & labores tolerauit in perpetuo capitis periculo. Scendaij præerat socijs Euangelium quaquauersum proseminantibus, cùm adfuêre apparitores, qui Christianos vbique inuestigabant, ad supplicium rapiendos. Iam propè ab ipso aberant, cùm è latebra vltrò prodijt, se Christi legem prædicare professus. Multo frigore vexatus ab illis, rogatus demum est, vt exemplo aut verbo alijs Christianis author esset, à Christo ad ritus Iaponicos remigrandi: quam ille insaniam detestatus, ea dixit quæ talis mortis cupidum virum decebant. Vltimo Iaponici anni die (nobis 18. Februar.) defixo in

Fidei.

18. Febr. vltimus dies anni.

fossa gelidæ aquæ plenâ palo alligatus cum nouem socijs Christianis, ibi sine vlla veste per tres ipsas horas ad pectus vsque mersus, iussus est considere. Quo tempore, nunc sancto absorptus silentio, nunc verbis flagrantibus, præclaro fuit socijs ad constantiam hortamento. Crebra illius, & sociorum erat; vnà clamantium: IESVS MARIA! *Benedictum sit venerabile Sacramentum! Deo sit semper laus & gloria;* alijs circùm interea, vt Christum desereret ipse ac socij, importunâ voce hortantibus, at aure surdâ exceptis, eoque in Didacum, tanquam omnis, vt aiebant, mali authorem, verba multa iactantibus; Didaco interea in sinum gaudente de tam luculentis lucris. Ex aqua educto iterùm authores fuêre, suos vt socios à Christo auerteret, vitæ præmio. Sed ille, potiùs au-

Constans in fide.

thorem

thorem se illis fore dixit ad mortem pro fide per atrocissima omnia obeundam. Tum ignem illis minatus Gubernator, in ærumnosam custodiam omnes trudi, ac inde quadragesimo post die educi iubet. Causa eorum quæ patiebantur, eorum humeris affixâ voce; CHRISTIANI; expressa est: quâ tesserâ notati 22. Febr. educti, palis iterùm in stagno gelido alligati post prandium, istic perstitêre vsque ad noctem ventis niuibusque perfrigidam. Cùm se obrigescere iam sentirent, suauissimè se inuicem consalutabant Pater ac socij, opemque à Matre Virgine vnicè flagitabant, quam à Filio illa Filij militibus impetraret, ad cruciatus & mortem fortiter oppetendam; Didaco animos omnibus suggerente: qui demum & ipse, postremus omnium, ante dimidiam noctem occubuit. Omnium cerpora concisa frustatim, & in profluentem abiecta.

Christiani; titulus mortis.

Frigus.

HENRICVS WERDEN COAD.

Germanus Hildesij. 22. Feb. 1656. ætat. 80. Soc. 47. *Obed.*

FVit Henricus Coadiutorum exemplum propriè ac nitidè ad omnem eius gradus virtutem accommodatum. Si vel nocte mediâ vocaretur, promptus erat, & sine querela hilaris ad officia charitatis. Domi amplam, nec semel, nec leuiter patiendi nactus materiam pacatè obedienterque accepit: foris autem ad quæcunque capitis in hæreticos, militesue subeunda pericula semper promptus, in vrbe hæreticâ lignis & lapidibus malè acceptus aliàs verò ab hæreticis ita saucius, vt pro mortuo haberetur, tantũ abest, vt aliquid contra vnquam dixerit, vt etiã statas quotidie preces sibi pro illis indixerit, & fuerit executus. Responsa in illo prompta ingenio religiosè arguto, & nullius auribus acerba prouerbia. Allocutiones habebat, nutantium in disciplina domestica, vel vocatione animis non semel salubres. Totam vitam, sed extremam senectam potissimùm, SS. Eucharistiæ augustè colendæ addixerat. Vnde multa illi coram illa & prolixa, deque genibus fusa oratio. Denique forte illius ad ardua semper pectus, insignis erga omnes Patres ac Scholasticos reuerentia, firmus in Dei conspectu animus, faciebant, vt quantumcumque distentus esset negotijs, quibuscunque nunquam vel vllus de illo vel ille de vllo queri sit auditus; hæreticis quoq; ipsis in illo virtutem non sine veneratione suspicientibus adeò vt domi socijs eximio adiumento, foris verò Societati honori fuerit semper & gloriæ.

Charitas.

Charitas erga inimicos.

XXIII. DIE FEBRVARII.

LVDOVICVS FRERE-DOVX SCHOLAST.

Burgundus. 23. Feb. 1620. ætat. 24. Soc. 5. *Cast.*

AB omni letali peccato per omnem vitam creditur immunis, & nunquam vllis impuris imaginibus menti se ingerentibus vexatus, vt ipse candidè de se illi cui se regendum dederat dixit, Angelum Custodem singuli pietate, officio, alijsque obsequijs colebat quotidie qui ei in examine Philosophico ad fuisse existimatur. quippe cùm Ludouicus respondendi facilitate morem suum supergressus, postea interrogaretur, vnde illi tam inusitata facilitas, respondit; audisse se ad aurem vocem cuiuspiam, quem tamen videbat nemo, distinctè ad singula responsum suggerentis.

Angelus custos.

Beati Aloysij vt nomen, ita imitationem assumpsit, modestiâ, erga Euchari-
Humilitas. stiam & B. Virginem religiosè insigni, denique humilitate, quâ veniam impetrauit, vt aliorum calceos nitidè abstergeret: quod cùm faceret illos exosculabatur. Tantâ erga omnes fuit reuerentiâ, vt obseruatus sit (S. Catharinæ Senensis fortassis exemplo) terram eorum pedibus calcatam oscu-
B. Aloys. lis venerari. B. Aloysij honori, vitam eius breuiter conscripsit, hymnum, officiumque de illo composuit, & quotidie recitauit. Amoris diuini actus corde conceptos in hæc verba
Amor Dei. sæpiùs explicabat: *Mallem omnibus priuari bonis, & quibuslibet pœnæ subire, quàm vel leuissimè Deum offendere. Deus optime Maxime, quidquid tibi placet, mihi placet, quia tibi placet*, IESV, *esto mihi* IESVS. Quo in verbo vt plenariam indulgentiam obtineret, repetito, animam innocentem exhalauit.

MELCHIOR HONNIVS
COADIVT.

Belga Tornaci. 23. Feb. 1655. ætat. 79. Soc. 49. Mortif.

DE hoc sic annuæ Gallobelgicæ in annum 1655. Neque in deuexa ætate parcere sibi voluit, vt vel Sabbatina, vel Ecclesiastica ieiunia solueret, vel à gemina quothebdomadis sui flagellatione abstineret, vel extra refectionis consuetæ tempus potu vel modico se recrearet. Obseruatum est, Melchiorem, tametsi omnis desidiæ inimicissimum, adeoque laboribus continuis occupatum, extra prandij ac cœnæ tempora
Temperantia. per totos 30. annos constanter in eo perstitisse, vt non solùm die quo S. Synaxi accumbebat, verùm nullo omninò quicquam in potum admitteret, *taceo quæreret.* Exhilaratus ad mortis nuncium ita vixit legum nostrarum ad omnem nutum obseruans, vt ab illis, qui in domo illa Sancta viuenti tam diu, & morienti interfuêre, de illo scribebant; fuisse illum illustre sanè posteris, viuendi & moriendi exemplum.

P. ANDREAS METSCH.

Germanus Glacij 25. Feb. 1655. Sacram. Confirmat.

HVnc nono ætatis anno susceptum Confirmationis Sacramentum à spectris, quibus erat obnoxius, liberauit. Magnæ in illo eloquentiæ dotes, & sagax ad animos præparandos ingenium. Quo factum, vt opinio sit facilè decies millenos, ijsque plures,
Zelus. Fidei. ab illo ad orthodoxa Sacramenta pertractos; quos inter nouem concionales Ministros, & centum ac nouem apostatas. Vnâ dictione aliquando viginti
Concionis. & vnum, aliàs trecentos octoginta quinque auditores suos ad vitam, à capite pœnitentiæ Sacramento recog-
B. V. noscendam induxit. Sodalitates Marianas octo erexit. Multum ponebat
Oratio. in mutuis precibus amicorum, & habebat conscriptos ferè quadringentos, quibus se quotidianâ & mutuâ orandi necessitudine illigarat. Diuina erga se beneficia in ephemerides redegerat pro rationario grati animi. Re-
Beneficia Dei. ligiosus quidam Ecclesiastes eum breuiter laudaturus, illum pronunciauit esse virum incomparabilis charitatis, adeò in omnes partes multifariam ad ad omnium vtilitates sese fundebat. Plura de illo in annuis.

XXIV. DIE

XXIV. DIE FEBRVARII.

PETRVS ANTONIVS COADIVT.

Italus Romæ.24.Feb 1556.

HVnc Ioannes Valtrinus è Diario anni 1536. in Collegio Romano hoc die decessisse affirmat. Morti iam propinquum admirabili spectaculo recreauit Deus. Ostendit illi splendentem & gloriosum Patrum & Fratrum in Societate ante illum mortuorum, & iam viuentium in Societate ciuium supernorum coronam, à quibus inuitabatur ad adeundam illam felicitatem beatam, quâ se aiebant suauissimâ misericordiæ diuinæ ope gaudere. Ita illum admirabilibus lætitijs delibutum è vita demigrasse.

Mors

Inuitamur.

IOANNES XIMENVS COADIVT.

Hispanus Cæsar augustæ.24. Feb 1579.

FElici planè arte laborem assiduum assiduitati orandi coniunxit. S. Catharinæ Senensis epistolas, & vitam Christi per plures annos meditatè legebat, expendebat, digerebat, DEIPARÆ cultu ad eximium, virtutis incitamentum vtebatur. Vnde quomodo circa perfectionis studium se haberet, à Superiore rogatus: Ab ea, inquit, nocte, quâ me alloqui dignata est Beatissima Dei Mater, ita bene mihi est in hoc puncto, vt nesciam, quid addi, vel à me desiderari melius aut maius possit. Coram DEIPARÆ imagine supplici, & num benè pergeret flagitanti, diuinitùs respondit Virgo: Macte animo, Ximene; age porro, vt agis; perge prosperè per hanc ipsam quam tenes arreptæ obedientiæ cæcæ viam. Hac rectis itineribus, &, regiâ viâ pergis. Aliàs coram DEIPARA item oranti vox velut à Virgine demissa, Ximene, aiebat, recordare animarum Purgatorij. Sed plura de illo dedi ad annum 1579. in eius vita.

Lectio. B. V.

Nostra.

Obedientia.

Purgat.

MATTHIAS SANGA SCHOL.

Iapon. Manilæ.24. Feb. 1615. ætat. 43. Soc. 25.

SCholasticus, at necdum sacris initiatus fuit Matthias, id enim Indis, atque Iaponibus tardiùs conceditur; ne properantia incommodi aliquid afferat, ab inconstantia ingeniorum quæ longo vsu probata non sunt. Per quinq; annos Latinâ literaturâ imbutus, magno ardore operam suam patriæ præstitit, concionibus & catechismis, per ipsos 25. annos, quibus nobiscum versatus est magnâ opinione virtutis; modestiæ potissimùm, obedientiæ, pietatis. Tum in ea quam Daifuus in Iaponia contra Catholicos concitauit tempestate, ipse quoque in exilium deportatus, in Philippinas delatus est. Ibi Manilæ diem clausit extremum, paulò post quàm ærumnosâ multifariam nauigatione istuc fuisset appulsus.

Fides.

P. FRANCISCVS PAVONVS.

Italus Neapoli.24. Feb. 1637.

EXcerpo pauca è pluribus; quæ de illo Carmelita Orator in eius exequijs dixit palâm, Archiepiscopo approbante. Mater illum vtero gerens dicebat; à se illum audiri vagientem atque loquentem; ceterùm

Paradisus. videri sibi, se paradisum gestare in vtero aiebat plena cælestium gaudiorum. Statim ac natus est conteſtantur eę, quæ adfuêre, illum in genua supplicem manus in cælum & oculos extulisse ritu orantis, idque per quartam ferè horæ partem. In Societate intellexit diuinitùs; gratius Deo pretium operæ se facturum, si Clerum ad virtutem formaret in Sodalitate, quàm si Indias adiret. Cùm Philosophiam doceret, sexaginta; cùm Poëticam, omnes illius discipuli Religiosum statum sunt amplexi; tantà efficacia illis de æternis loquebatur. Incredibili & reuerentia & fiduciâ erat in diuino Sacrificio; quo semel petendæ alicuius rei gratiâ peracto, existimabat se id, quod peteret obtenturum. Spes salutis suæ in eo ponebat, quòd nihil ageret, nisi quod vellet ac se velle ostenderet obedientiæ voce Deus. Ab obedientia se in cælum inducendum, & excipiendum amanter ab obuio S.P. Ignatio. Fortis in illo corporis & animi patientia, dum æger vreretur, secaretur, & morbis aut verbis variè vexaretur. Regulas Societatis accuratione omni seruabat, eoque illas ipse sibi descripserat. Prædicta ab illo futura, depulsos morbos & dæmones, splendorem quo collucere in B. V. Sodalitate conspectus est, quendam qui illum accusare animo peruerso parabat à Dei Matre commonitũ, & his plura dabit vita ipsa prolixior in annũ 1637.

Colleg. Spir.

Sacrum.

Obed.

Regula.

XXV. DIE FEBRVARII.

BASILIVS LAZZARI COADIVT.

Basilius Catanæ, anno incerto, 25. Febr. PEr ipsos duodeuiginti annos, quibus Catanę ianitoris munus obiuit, nunquam in silentij legem peccauit. Eo tempore, quo à mensa loquendi facultas conceditur, cum ijs pios sermones conferebat, qui Societatis ineundæ desiderio tenebantur. Ceterùm necessaria tantùm responsa reddebat, nullo præterea verbo adiuncto. Perpetuò cum Deo habitabat mente illi coniunctus. Inde illi Sanctitudinis opinio & nomen domi & foris natum. Aiunt, cum futura quædam ex vero prædixisse; adhibito P. Michaëlis Lætauallij pileo mira patrasse; à pluribus, quibus fides sit merito adhibenda, visum coram SS. Eucharistiæ Sacramento à terra sublimem; in cælo quoque mira quædam spectasse, vt cùm P. Michaëlis Lętauallij morientis animæ obuios vidit Angelos gaudio gestientes, illum ad cælestes delicias deducturos. Extremo in morbo dolores suos ingenti patientiæ robore superauit, & cùm vi dolorum à mente aberret, *Salue Regina* tamen crebrius repetebat.

Silentium.

Pia colloq.

Oratio.

Angeli.

B. V.

P. ADRIANVS KNVDDE CRESPVS.

IN Paraquaria strenuè laborauit per annos 23. Conciones elaborabat diligenter ad lucernam Dei, illud identidem ingeminans; maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Erga pauperes amanter liberalis, etiam suo incommodo; quippe qui eos Christi fratres vocabat. Experiebatur verò se, quò plus eis daret, affluentiùs abundare. Plenum illi charitatis industrijs ingenium, ad Indos munusculis (Indicis, vt quidam vocant miraculis) & alijs modis alliciendos ad fidem, etiam inter fluminum hominumq; pericula. Iam

Belga in Paraquaria. 25. Feb. 1651.

Charitas.

Fides.

Iam securim in eius caput extulerat Princeps Caciquius: at prohibitus ab alijs, illum seminudum eiecit. Sic Adrianus biduo in fame aberrabat. Festis augustiùs celebrandis eam etiam operam dabat, vt musicam doceret alios, qui alios iterùm, alioſque docerent ea, quę ab ipso didicerant. Cum Indis Sodalibus coronam B.V. in templo quotidie recitabat, DEIPARAM *suam bonam Matrem* vocabat; nec omittebat illam, quoties cubiculo exiret, aut reuerteret, salutare. Nullum Sabbatum sine ieiunio præteribat. Vestes illi pannosæ; cibus cuius saporem, sale vel aquâ corrumpebat. Antequam aliquid aggrederetur, in cęlum oculos præmittebat, opem petens atque consilium. Vires illi dum ægris ministraret fractę, Inde mors magnis pietatis documentis illustris.

B. V.

Oratio.

PHILIPPVS LE FORT COAD.

COntinuam se vbique afflictandi assiduitatem coniunxit cum singulari studio paupertatis: eoque, per ipsos 40. & amplius annos lecto abstinuit. Sermones illi de solo Deo; cuius amore se bis deuouerat ad obsequia peste tactorum. Vulgo Sanctus audiebat. Vnde in exequijs tametsi perdiligenter fuerit custoditus, effici tamen haud potuit quin eius rosarium, crepidæ, ac vestis laciniæ diriperentur ad piam venerationem.

Gallus Massiliæ 25. Feb. 1655. ætat. 89. Soc. 63. *Mortif.*

Charitas.

XXVI. DIE FEBRVARII.

P. IOANNES LELESZI.

Hungarus Laureti 26. Feb. 1594. ætat. 50.

ANnuæ Lauretanæ illum *virum ad omnia summa natum* vocant, multâ doctrinâ, egregijsque animi dotibus illustrem. Post Rhetoricam, & Philosophiam in Bauaria doctam, Sigismundo Batori Principis Transiluaniæ filio datus est institutor. Pro fide Orthodoxa istic tanta fecit, vt stomachum mouerit hæreticis, atque inuidiam. Quare hæreticæ cuiusdam Iezabelis, fœminæ primariæ, operâ inter cœnam venenum illi porrectum est; cuius vim remediorum efficacitas infregit, non sustulit. Inde nerui contracti, & apoplecticus quidam rigor in membris. Desiderabat Laureti, in sinu Virginis, extremam animam exhalare, lauta amantissimi Principis beneficentiâ illum Viennam, Patauium, Lauretum vsque prosecutâ, & perseueranter ac splendidè suppeditante impensas liberales ad omnem vitæ sic afflictæ vsum per annos aliquot, vsque ad mortem. Insignis erat in Ioanne vis experrecti ingenij, & vigor ac efficacitas ad dicendum. Claudiopoli magnum Catholicorum numerum reliquit; vbi non plures quàm sex repererat. Integerrimæ paupertatis curâ, etiam in tantâ illâ Principis beneficij liberalitate, quà in aula quà in Collegijs luculenter ac religiosè ostendit se esse quatuor vota professum, & paupertatis adstringendæ studiosum. Ad hæc, beneuolentissimæ beneficentiæ, charitatisque artibus, & perpetuâ cum Deo consuetudine insignitè præstans fuit, atque amabilis: donec in gremio Matris amabilis conquieuit Laureti; cùm è Transyluania fuisset ab Acatholicis relegatus, Principe Sigismundo nequiequam inuito. DEIPARA illi fuit dulce exilij leuamentum; & causa fides.

Fides.

Paupertas.

P. IOAN-

P. IOANNES BAPT. VELATUS.

Italus Mediolani. 6. Febr. 1602.

DE illo sic habent *Pretiosæ occupationes morientium in Societate* (c. 35. n. 2.) *pag.* 281. P. Ioannes Baptista à S. P. Ignatio ad Societatem receptus multæ laudis, at maximè obedientiæ vir, cùm æger ad suprema deuenisset, id propè quiescens frater, nihil dum de periculo suspicatus non aduertit. Vidit hic per quietem P. Ioannem Baptistam Volatum Sacris operari ad aras, ministro spectatissimæ venustatis adolescente candidato. Iam peracta videbatur consecratio, & adoranda hostia à P. Ioanne B. Velato eleuata, & post hanc calix. Tum angelicus ille adolescens Sacri Minister, acceptum candelabro cereum fratri dare est visus, & dicere, vt sine mora exurgeret, & P. Ioanni Baptistæ animam iam agenti opportunâ ope adesset. Excitauit ea res fratrem à somno: & ad Patrem accurrit; atque ita ut cælestis ille monitor dixerat, in agone positum reperit. Aduocati mox Patres & Fratres migrantem animam sanctâ comprecatione sunt prosecuti.

More:

Sacrum.

Angelus custos.

XXVII. DIE FEBRVARII.

ALEXANDER COELHVS COADIUT.

Lusitanus Vlyssiponæ. 27. Feb. 1580.

Canis infantem ore portat.

HVnc adhuc infantem in fascijs ore gestabat per vicum canis obuius honestæ mulieri: quæ cane abigi iusso, & inuolucro fasciarum euoluto, paruulum istic reperit vix iam spirantem; & pro suo alumno commiseratione ducta illum suscepit ac educauit. Postea ille militiæ nomen haud ignauum dedit; ac celebri illi contra Turcas ad Echinadas victoriæ miles interfuit. Per id tempus vt puellæ pudicitiam, ne quid à militibus turpiter pateretur redimeret, arma sua illis dedit pro pretio: quod illi primum ad meliora rudimentum fuit. Etenim cùm aurum non haberet, quo arma sibi alia compararet, militiam deserere coactus in Lusitaniam redijt; ibique nomen Societati dedit; laudatè in illa versatus, ac tandem Vlyssiponæ in peste publica diligentem nauans operam charitati, in ea glorioſus occubuit.

Prouidentia Dei.

Castitas.

Vocatio.

Charitas.

P. IAYMIVS, SIVE IACOBVS PEREZ.

Hispanus Cæsar augustæ. 27. Febr. 1598.

AVrum omne quod reliquum habebat, in ipso ingressu tyrocinij dedit pauperibus. Vbique splendor quidam, & singulare paupertatis in illo studium emicabat; idque in minimis quoque ac infimis. Eadem humilitatis adipiscendæ, in illo diligentiâ. Sæpè ad culinam itare ad verrendum, Sabbato purgare lucernulas sociorum. Cùm præesset, se infra omnes ducere; cùm subesset, singulis mensibus ad Superiorem deferre descriptum eo mense in hebdomadas dieſque singulos vltrò subeundarum corporis afflictationum catalogum; nunquam vllus cubicularem operam admittere. Orandi studio addictus, varia quotidie rosaria pertexebat, Beatissimæ Virginis, nominis Dei, mortis, & alia, sed ad illas potissimùm preces erat vigil, quibus indulgentiarum lucra sunt illigata.

Humilitas.

Mortif.

B. V.

P. ROGE-

P. ROGERIVS FILCOCVS.

Anglus Londini 27. vel 27 Feb. 1601.

IN Belgio Duaci, Vallisoleti in Hispania Seminariorum Anglicanorum alumnus fuit. In Anglia post susceptos egregios pro religione Catholica labores nomen Societati dedit: in quam vt primùm adscriptus est: ab hæreticis captus, in tormentis vltrò se de Societate IESV esse dixit: & Londini ad glorioſum suspendium damnatus, inclytâ Heroum fidei morte occubuit.

Fides.

P. THEODORVS BVSÆVS.

Belga Noiodomi. 27. Feb. 1609. ætat. 67. Soc. 49.

B. Stanislai Kostkę Viennæ Magister. Vir ad spiritualia colloquia miscenda scitè pius, & ad animos penetrandos dexter, zelo fidei suaui ardebat. Vndè centum ex hæreticis ad orthodoxam fidem illius operâ traducti, qui sua nomina in quodam eius libello ipsi descripsêre. Dei Matrem, & SS. Vrsulam & Barbaram pietate coluit planè præcipuâ.

Fides

P. IOANNES GROSSVS.

Anglus Lincolniç. 27. Febr. 1645. Soc. 55.

VIr patientiâ, & charitate conspicuus. Septem ac viginti annis vixit in Anglia inter mortis vmbram atque imaginem: nec tamen omittebat vllo metu quæ cælestis ille calor illi dictabat in pectore. In carcere per septem menses frigus horridum & alias ærumnas perpessus; postea inde redemptus quidem est, sed viribus tam attritis, vt menſe non integro post exacto, posteaquàm diuinum sacrificium celebrasset, viribus defectus corruerit, & inter edita signa varia pietatis expirarit.

Fides.

Aerumnæ.

XXVIII. DIE FEBRVARII.

P. IGNATIVS MARTINIVS.

Lusitanus Conimbricæ 28. Feb. 1598. ætat. 68. Soc. 50.

PAtauij S. Antonij de Padua linguam exosculatus, repentè in alium Ecclesiasten ab eo qui erat, mutatus, deinceps Apostolicum præ florido dicendi genus ingenti audientium fructu sectatus est, in Lusitaniam Româ redux. Arundo (quam manibus gestabat catechesim docens) cum illo id postulante in sepulchrum illata est. Occalluit in cilicijs ac flagellis illi corpus, cùm se per annos viginti diuerberaret quotidie, & Sacrum nunquam sine cilicio celebraret. Conimbricæ notatum est, illum per horas 5. singulis noctibus, genibus flexis fuisse meditatum. Primâ Ianuarij eo anno quo obijt palàm pro concione dixit, optare se reliquam vitam omnem flexis genibus gratias DEO agendo ducere, quòd in Societate vixisset. Catechesi tradendæ totos 17. annos transcripsit; aiebatque se illic expiasse suos in concionando commissos errores in florida seu putida vanitate. In Catechesi roganti Ignatio, vt *Aue* MARIA quispiam recitaret, cum omnes pudor & humanus respectus mutos reddidisset, puer semestris vinculum linguæ rupit, & *Aue* MARIA vltrò recitauit. Fassus est, se â teneris B. V. fuisse impensè addictum. Vbicumq; esset quærebat aliquam B. V. imaginem, quam

Linguæ. Concio.

Mortif.

Oratio.

Vocatio.

Aue MARIA.

Respectus humn.

B. V.

P hono-

honoraret. Annuæ Lusiæ anni 1614. aiunt biennis paruuli oculis admotum ab Emmanuele la Cerda pueri patre viro nobili Ignatij Martinij chirographum, illius oculis quiddam beneficij contulisse.

ANDREAS SAITO COAD.

Iapon Manilæ. 28. Feb. 1613. ætat. 15. Soc. 20.

PErpetuâ sui contemptione, fidei zelo, paupertate insigni, præclaro suis ciuibus exemplo, multis etiam saluti, fuit; quippe qui non paucos ad Christum dictis factisque loquentibus adduxerit: quem quia deserere nolebat, iussus est in exilium nauigare: vbi ærumnis maris fractus, in Philippinis tandem felix exul, exilium cum beata, vt spes est, patriâ commutauit.

Fides.

P. IOANNES BONNET.

Gallus in Coll. Pictauiensi 28. Febr. 1654. *Sacrum.*

IN alijs omnibus communem viuendi rationem sectatus, in hoc vno ab alijs discedebat, quòd horam vnam diuino Sacrificio impendens Oleronæ clandestinos hæreticorum dolos diuinitùs intellexisse putabatur. Diuinę Scripturæ tam peritus, vt quemcunque locum adferres, illum ille citra moram enodatè explicaret. Mortui P. Ioannis capilli genu cuiusdam fœdè ac periculosè tumidum curauêre, chirurgo id luculenter ac alijs qui adfuere testatis.

Fides.

XXXI. DIE FEBRVARII.

P. IOANNES DE VIANA.

Hispanus in Paraquaria 29. Feb. 1614. ætat. 59. Soc. 40. *Mortif.*

CVm lacrymis deprecatus Rectoris onus, illud singulari humilitatis exemplo sustinuit, humanitatis plenus & secreti amans. Per plures annos vestes ad somnum non exuit. Magnâ Indos industriâ & labore inuestigans, mirè fouit: eosdemque moriens impensè socijs commendauit. Hydrope, alijsque doloribus diu lecto affixus, maiores dolores petebat à Deo. SS. Ignatij, Xauerij, Caroli ope inuocatâ per iter è ponte in rupes vnà cum mulo præceps incolumis & illæsus euasit.

Patientia.

S. P. Ignat. &c.

P. HENRICVS HOLLANDVS.

Anglus Leodij 29. Febr. 1656. ætat 80. Soc. 49.

PThomæ Hollandi in fidei odium cæsi felix auunculus. In Anglia illę ferè domus alijs in virtute præstabant quas Henricus excoluit. Vincula & carceres per annos plures expertus, ab amicis in libertatem assertus, ob ærumnas illas omnem audiendi facultatem amisit; adeoque annos extremos in otio sancto & patientia egit, sibi, ac æternitati vacans.

Fides.

MENSIS

MENSIS MARTIVS

PRIMO DIE

GASPAR FONSECA NOVITIVS.

Lusitanus Eboræ t. Mart. 1561.

HIc in teneriori etiamnum ætate (quod narrat Sachinus) idéque non multorum mensium Tyro robustissimæ virtutis exemplum dedit: obstupescentibus medicis & chirurgis cùm fœdum apostema in eius latere sæpiùs ferro aperuêre, vnde in corpore humano patientia, & animi excelsitas tanta. In doloribus acerbissimis vulnera dumtaxat recordabatur, ac loquebatur Christi. Nullum vnquam præter hoc solatium, auxilium, remedium postulauit. Interrogantibus quemadmodum haberet, perpetua responsi formula erat: *Benè, Laus Deo.* Fastidio cibi cùm laboraret, ideoque Patrum quidam vbi dapes afferrentur, se velle interesse dixisset, vt animum faceret, ac solaretur. Gaspar accersiri hominem rogabat, vt adactus ab eo stomachi contumaciam vincere, occasionē tolerantię durioris haberet. Quodsi quando obedientiæ fieret mentio, tam auidè quicquid offerretur, quamuis naturâ grauissimè auersante, hauriebat, vt ingenti fame, & gustu videretur illectus: obedientiâ nimirum, quasi cibo è Christi Domini mensa delato, quod condimenta caduca non poterant, dulcem elaborante, si non corporis, at animi palato, saporem. Postremò de vita desperatum esse cùm audijt, ita exiluit, vt reuiuiscere spe mortis vicinæ sit visus.

Patientia.

P. GERARDVS HERO.

IN singulas Societatis leges singulari reuerentiâ ferebatur, & particulatim hanc & illam ita obseruabat, ita vndecunque integram volebat tanquam diuinum de illa omni accuratione decretum accepisset è Cœlo. Hoc de se moriens dixit: hoc socijs quos sibi superstites relinquebat, enixè commendauit. Vixit verò hac industriâ tam attentè, vt dictus fuerit *omnis perfectionis viuum quoddam exemplar.* Pro pretiosâ morbi extremi occupatione, ac velut peculio sibi parando idoneas in morbi, ac mortis tempus Patrum sententias, velut apis argumentosa, colligebat, prouidenter se armis instruens contra insidias inimici vitæ calcaneum obseruantis.

Hollandus Monach j. 1601. 1. Mar. Soc. initæ. anno 40.

Regula.

Mors.

P. NICOLAVS AMARI.

HVnc nobilem in mundi castris, nec sine militaris gloriæ documentis militem, P. Ottelli celebris in Sicilia Ecclesiastæ voce, Deus ad Societatem acciuit, à P. Iacobo Laynez Generali Tridenti aggregatum. Per 6. annos Coadiutoris officio functus, postea Sacris initiatus, orandi, & animarum studio insignitè excelluit.

Siculus Panormi. 1. Mart. 1601. ætat. 64.

Concio.

Humilitas.

Castitat. Laborabat vt fœminam à dæmonis consortione ad frugem reduceret. Eapropter illa, authore dæmone, quibusdam vt in P. Nicolai caput conspirarent persuasit. Sed illi nec quicquam id moliti, fassi sunt sibi brachia, relanguisse non semel cùm illi manus vellent inferre. Vnde fœmina resipuit, P. Nicolaus autem aliquot ante mortem mensibus quasi præsagitione illam antecapiens, admirabili silentio, ac animi collectione se ad mòrtem composuit, ore omnium ingentis virtutis nomine celebratus.

Silentium.

PETRVS BASTVS COADIVT.

Lusitanus Cocini. 1. Mart. 1645. ætat. 75. Soc. 57.

HVic ante Societatem initam ad visitandum quoddam DEI Matris templum peregrinabundo, & fesso, ac esurienti, ab illa prandium datum scribunt, vesperi verò cœnam: & locum simul ostensum in quo securus posset quiescere. Aliàs cùm *Aue* MARIA, recitaret contra dæmones à quibus terrebatur, fertur DEIPARA illum intra brachia sua susceptũ defendisse.

B.V. Tentat.

Castit. Aliàs eandem vidit, quę ab illo implorata, exercitum & armatis viris, equis, elephantibus constantem, & ferreis ac igneis tridentibus formidãdum fugauit: & sæpiùs per tenebras eunti viã lumine illustrauit. Ex equo aliquando deiectum in spinas, ab eadem amanter sublatum, & ad portam paternæ domus collocatum: Vlyssiponæ nuncupato *ad B. Virginem de Victoria* castitatis voto, ab illa ter defensum contra infidiosas fœminas, & procaces: noctu verò visitatum ab eadem, visum sibi esse in sede nobili, coronâ candidâ coronari. E mari quoque ab illa cum paruulo ei visa liberatum, cùm tunc miles naufragium fuisset passus. In tyrocinio visus sibi est ab Angelo ad DEI solium deportari; atque ibi Deo â DEIPARA commendari à qua cùm in sacro aliquando peteret in flore suo virgineo integer conseruari, vidisse fertur, ex hostia in diuino Sacrificio eleuata candidum lilium erumpere quod se velut in eũ velle porrigere videbatur. Cũ alijs tyronibus iter agenti matrona illustris, & virętate cõspicuus, ac puer venustus cœnã dicuntur præbuisse, qui rogati ecqui essent, dixerint: *Nos fundauimus Societatem*; & videri simul desierint. Fama etiàm est, illum ægrum à DEIPARA Virgine paruulum in sinu habente lactatum; ac monstratis illi festorum suorum nunc in Eucharistia; nunc aliàs mysterijs, crebriùs recreatum; virtutibus quoque DEI Matris ei ostensis in symbolo turris auro & pretiosis lapidibus collucentis. Temporediuini sacrificij, tum adhuc puer, manantibus vbertim lachrymis perfluebat ad cælestes concentus tempore sacri canonis exauditos. Ferunt etiam Bragam tendenti, ac in biuio hęrenti Angelũ adfuisse, ac rectum iter commonstrasse: ab eodem Angelo inter seruiendum ad mensam adiutum; noctu excitatum, monitumque vt omissum obliuione seu lassitudine, die illo rosarium DEIPARÆ recitaret; animas enim in Purgatorio consuetam ab illo eleëmosynam expectare. Fuit cùm à Deo petenti ecquod precum genus esset illi gratissimum, eum docuit ad maiora grana rosarij symbolum Apostolorum, ad minora verò *Gloria Patri, & Filio*, &c. recitaret. Pergratum id DEO fore obsequium. Sub noctis medium, è lectulo surgebat, & in choro templi pernoctabat in oratione DEI, quicquid dæmones contra fremerent, vt eum variis terriculamentis auerterent. Noctu oranti ostendi visa est aliquando

Angelus. Lilium. Euchar.

B.V.

Morbus.

Virtutes. Turris.

Iter.

Angelus.

Purgat.

Oratio.

Eucharist. Scala.

do scala in cælum vsque porrecta à Sanctissimo Sacramento, per quam Angeli pretioso cultu amicti alij ascēdebant, alij descendebant. Christum quoque dicitur conspexisse in altari; cum irâ commotus patientiam supplex exposceret; veste purpureâ, coronâ spineâ, fune de collo pendente, arundineque in manu miserandum, & dicentem: De filium hæc passum, vt & ipse tanto exemplo ab hominibus aliquid ferre aduersi condisceret. Similiter ex Eucharistico tabernaculo radium in pectus prorumpentem vidit, qui (id quod impensè tunc petebat Petrus) omnem acerbissimorum verborum contra illum olim dictorum, & adhuc in mente illi hærentium memoriam obliterauit penitus, & absterfit. inter orandum, aiunt alias paradisum terrestrem, aliàs cæli gloriam instar Apocalypticæ illius Hierusalem pretiosam vidisse; sed & infernum spectasse ostensum ab Angelo in hiante abysso ignea flumina & sulphur, ac dæmones commonstrante. Sæpè illi gloriosum Virginum S. Vrsulæ exercitum, sæpè alios ex alijs in cælo Sanctos, nonnullos etiam de ijs ostensos qui de Societate iam DEO fruuntur; & aliquando S. Xauerium coram Virgine Matre supplicem pro Malaca. Quosdam de perdito conscientiæ statu admonuisse, & ad confessionem adduxisse. Morientis P. Alberti Laertij animam cælo recipi spectasse, DEIPARA illi presente, ac effusâ obuiam è cælo triumphante Societate IESV. Paria ferè his aliàs quoque in aliorum quorundam morte diuinitùs ei monstrata fuisse. Et extremis annis die S. P. Ignatij vidisse in cælo illos qui de Societate illuc felici morte migrarant: ad quos tandem ipse quoque, vt magna spes est, accessit moriens, magno planè sui desiderio post se relicto, cum famâ virtutis non vulgaris domi ac foris.

Oratio.

S. Vrsula.

Societas. S. Xauer.

Mors.

B.V.

S.P. Ignat.

P. IACOBVS ANTONIVS BASILE.

Italus apud Papigochos. Martio. 652. ætat. 41. Soc. 22.

INnocens illi pueritia, & adeò lucu-lenta pudicitiæ inter æquales opinio, vt illo aduentante obticerent ij qui fortè licentiùs de ijs aliquid dicebant quæ castis auribus placere non possunt. Eius Mater Societatem ingressi Neapoli, & studentis sui Iacobi Antonij videndi desiderio tenebatur. At ille, misso illi Barium crucifixi Christi simulacro, monuit vt illum sui loco aspiceret, quoties Iacobum Antonium videre optaret. Mexicum anno 1642. exeunte appulsus, post Mexicanum Archiepiscopatum felici eloquentiâ, industriâ, sudoribus irrigatum, ac excultum, P. Cornelio Beudin nuper occiso in Apostolici muneris laboribus successit, ac omnes illius officij partes abundè impleuit. Verùm ab Ethnicis arctam legis Christianæ semitam exosis, & libertatem quærentibus, eo ipso tempore quo Christianos pœnitentiæ Sacramento expiabat, obtruncatus, & è crucis brachio in furcæ vsus conuerso suspensus est, licèt tum iam mortuus; Hispanis quoque ac Indis Christianis vnà deletis. Interlitandum eo ipso quo cæsus est die, sublata in altum ab eo pro more diuina hostia, visa est palàm cruento circulo circumdari; & super sacrificalem mappulam depostra, illam etiam sanguine cruentauit. Ad hæc, plures Indi id à se oculis ipsis conspectum affirmauêre, quòd è pectore, seu ore, morientis P. Basilij pulcherrimus infans, comitibus duobus alijs alatis paruulis, in cælum ferri sit visus, postea in alto ex oculis euanescens.

Castit.

Crucif.

Fidei.

Sacrum.

Euchar.

Mors.

Angeli.

II. DIE MARTII.

P. IOANNES PLA.

Hispanus Barcinone. 2. Mar. 1579. ætat. 30.

INgenium illi sublime sed religiosè humile, ac ad omnem superiorum nutum accommodatum. Erga S. P. Ignatium mirum in modum fuit propensus, id quod factis ostendebat, cùm scriptarum ab illo legum nullum apicem voluit præterire, quin illum omni diligentiâ exequeretur. Inde illi morienti adfuit S. P. Ignatius, eumque cælesti solatio recreauit, acerbâ, sed dulci morte breui post extinctum.

S. P. Ignat.

Mors.

P. AVGVSTINVS IVSTINIANVS.

Italus Neapoli 1590. ætat. 40.

PAuli Iustiniani Genuensis Reipublicæ Ducis filius, vir singularis, & exquisitæ ad leges nostras accuratè obseruandas constantiæ. Ingenium in illo, & vis memoriæ admiratione multorum laudata est. Cum Philosophiam, & Theologiam doceret Mediolani, Patauij, Romæ, non nisi è memoria dictabat. S. Augustinum in locos communes digesserat ad Methodum S. Thomæ, videbaturque memoriâ cõdidisse, cùm vbi res postulabat verba Augustini ipse è memoria, velut è libro referret, atque expenderet. At longè plus in illo laudis habuit par eius memoriæ, ingenio, doctrinæque omni, ea quam dixi accuratio disciplinæ, tenera semper, attenta, & solida.

Memoria.

Memoria.

Regula.

P. ANTONIVS ARIAS.

Hispanus Vilnæ. 1. Mar. 1591.

CVm anno 1566. de Societate opinionem illam haberet, quòd nostri essent homines tetrici, & semper absorpti; vno confessarij sui de Philosophicis quæstionibus (quibus tunc studebat impensè Antonius) colloquio, & nostris in Complutensi horto modestè hilareque inambulare conspectis, eâ occasione animum ad Societatem adiecit, spirituali cuiusdam condiscipuli sui è Societate conuersatione ad cælestia erectus. Vilnæ postea Theologiæ docendæ intentum occupauit mors, at apparatu tanto præmisso, quantum in nemine mortalium à se conspectum dicebat Rector, & Patres. Semel iterùm, ac tertio instituit æger apud P. Rectorem vt in Triclinio culpâ, vt aiunt dictâ accusaretur, quòd circa quiddam medici iudicio suum non accommodasset in animo, tametsi verbis obedientiam illi, & reuerentiam præstitisset; idque tertiâ ante mortem horâ iterùm repetijt num in triclinio peractum esset, vti diebus præteritis flagitarat. Inuisebatur à paruulis è Congregatione B. Virginis; illos Antonius præclarè ad cælestia cohortatus, rogauit, vt altâ voce sui causâ vnà omnes Litanias B. V. Lauretanæ recitarent. Totâ ferè die in ore illi velut canenti erant illa verba: *Cantabo Domino in vita mea! psallam Deo meo quamdiu fuero, quamdiu fuero. Super flumina Babylonis, &c. Quàm dilecta tabernacula tua! O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus habitationis eius! Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant*

Conf.

Mors.

Mors.

Humilitas.

Obed.

B. V.

Iactat.

flebant ei. Non se capiebat præ lætitiâ, quòd se in medio videret tot adstantium sociorum. Miscebat tamen hanc lætitiam eâ pœnitentiâ quâ dicebat illud Augustini, nemini, nemini, etiam sancto, discedendum esse sine pœnitentia ex hac vita. Iterùm ad lætitiam hortatus socios, Bonum, aiebat Dominum habemus: ad bonum hospitium imus: celebrabimus Pascha in cœlo. Paratum cor meum Deus, paratum ad manendum, paratum ad discedendum. Fiat voluntas tua. Frequenter absolui volebat à verbis otiosis, & omnibus peccatis, fontem illum gratiæ esse dicens. Sacrum pro se mortuo celebrari petebat in altari priuilegiato. Frequenter solus relinqui petebat, & se ad contritionem excitare conabatur, psalmo *Miserere* & *De profundis* meditatè pronunciato, voce, suspirijs, magno sensu. Interquiescebat interdum: & mox flagrantiùs erumpebat, singula verba expendens, ac versans. Effusum in lacrymas P. Rectorem solabatur. Extremam vnctionem, & preces agonis extremi petijt vt fierent, dum sibi esset probè præsens: Respondebat ad singula sensu admirabili pietatis. Morti iam proximus in omnium silentio repentè cantauit. *Christus factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Domine, Miserere.* Medico, ac Rectore dicentibus, nullum iam superesse remedium, nisi misericordiam Dei, respondit lætus manibus eleuatis, optimum sanè remedium Misericordia Dei, quoniam melior est misericordia tua, Domine, super vitas, labia mea laudabunt te. Extremâ nocte aquâ lustrali copiosè se aspersit, & velut lauit faciem, cùm diceret: Quid habent quod hîc agant istæ belluæ?

Conf.

P. EDVARDVS A COSTA.

IN hoc suo Fundatore Vlyssiponenses socij laudant potissimùm liberalitatem, promptum DEO totis viribus seruiendi studium, & insignem quandam verecundiam. Dabo ipsorum verba ex annuis: P. Eduardus à Costa in primaria nobilitate natus, magnisque ditatus reditibus cœlibem vitam ad quadragesimum vitæ annum magnâ laude egerat; inde Societatem ingreditur, & quoniam ætate grandior effœtis viribus nequibat quibus volebat copijs Deum demereri, ijs statuit quibus posset. Quare in Collegij fundationem fortunas omnes corrasit fortunatissimus vel maximè hoc nomine, quòd fundatoris encomio viuus, & mortuus breui interuallo potitus est. Cùm enim de loco ac sede Collegij consultaretur sedem ipse mutauit, & egregios viri conatus inexorata illa necessitas intercepit, posthumamque fœturam Societati reliquit; posteris documentum insigne pietatis. Memorant in summa illa facultatum licentia vsque adeò alienos oculos præcauisse, vt etiam famulorum conspectu in corporis adminiculatione sit verecundatus. Inde morti accinctus ingeniosus pudoris Athleta sacro oleo perungendus vnum enixè petijt, tum se prolixiori gaudio delibutum fore, si sacra ea litura, inuiso corpusculo nullo pudoris dispendio, admoueretur, ita mortem placidissimo somno similem eluctatus est.

Lusitanus Vlyssipone. 2. Mart. 1613. ætat 40. Soc 7.

Fundator. Coll.

Verecundia.

III. DIE

III. DIE MARTII.

P. SYLVESTER LANDINVS.

5. Mart. Italus in Corsica. 1554.

Vocatio.

AS. P. Ignatio quia in morbo stomachosior, coque non optimi exempli fuerat; ad patriam redire iussus est, vbi conualuit: ac tametsi à Societate planè demissus non est, ambiguus tamen relictus est. Hic stimulus fuit ad ingens studium animarum, & excelsa decora. Lucæ argentum illi post terga iactatum: non recepit. Fulginij, Mutinæ, & quacunque ibat per Italiam, operarij admirabilis munus impleuit verbo, & exemplo magno. Addiderunt flagrantiam Ignatij literæ, quibus certior fiebat, se in Societate retineri. Præstans illi, solersque ad salubres industrias inueniendas, perpoliendosque mortales ingenium, quotidiana ieiunia, insomnes noctes ductæ; tritici, & vini loco, panicum, & aqua illi cibus, & potus. In Corsica insula demum ea egit, quæ Apostolicam animarum quærendarum artem decent. Magnæ de illo dictæ, ac scriptę laudes à varijs. Aegidius Episcopus Mutinensis è S. Dominici familia ad Ignatium sic de illo: Quæ Deus per eum efficit, maiora sunt; quàm cuiusquam assequi possit cogitatio. Aliquando nullo apparatu præmisso iussus in suggestum ascendere, dixit motu tanto, vt audiretur lacrymantium strepitus, & à concione non pauci statim confessarij pedibus aduoluerentur. Quidam retulêre illum in extases abreptum, Belgoderensis pagi interitum, & multa alia ex vero prædixisse. Conspectum denique cælesti quoque luce perfusum diuinitùs, & circumfusum; atque ad summa semper omnia, & ipsum contendisse, & eos duxisse quorum animos gubernabat.

Mortif.

Sitcus in pluuia.

Oratio.

P. IOANNES BAPT. ELIANUS.

Hebræus Aegyptius Romæ. 5. Mar. 1589.

Modestia.

HVnc P. Andreæ Frusij docta, & modesta virtus Venetijs anno 1551. Christo lucrifecit cùm in Frusio sibi videre Angelum videretur. Domi nostræ receptus hospes, viso è nostris quodam ad pedes hospitis abluendos accincto, stupuit hæc Iudæo sibi tantâ demissione, & caritate præstari. Columba candida quæ in Collegium aduolabat, fortè in puteum ceciderat: id quoque pro se interpretatus baptismo lustratus est, & auditis Indicis epistolis quæ in triclinio legebantur, ad Societatem admitti petijt, impetrauitque Ignatio annuente, tametsi experimento docta postea gentem illam arcendam iudicarit Societas. Magna illi nationum linguarumque gnaritas, & ad virtutem ardor. Idcircò cum Christophoro Rodericio Memphim missus est à Pio IV. Pontifice. Ibi à matre Hebræa, Iudæisque alijs multis insidijs appetitus, multa terrâ, marique perpessus, naufragio superstes fuit. Ad Maronitas quoque Pontificis iussu non semel profectus, rem arduam dextrè, ac è re animarum gessit. Demùm in Collegio Romano magno exemplo ingens pauperum fulcrum fuit; vbi morienti hoc inter plura datum est elogium: multarum repertor artium quibus seu peccantes arcerentur illecebra, seu pauperes inopiâ subleuarentur.

Fides.

P. Ro-

P. ROBERTVS SOUTHUVELLUS.

Anglus Londini. 3. Mart. 1595

SOcietatem idcircò desiderabat, vt in ea tres, vt ipse aiebat, Virginis, Doctoris, Martyris laureolas consequeretur; eapropter desiderio magno Indias quoque complexus: Candidè aliquando affirmauit, nihil se à Deo votis irritis petijsse. In Anglia per sex annos in Euangelij laboribus, per tres alios in carceris ærumnis vixit, vtrimque Apostolus; & calamo, comitate, linguâ, virtute amabilis. Obstupuere hæretici eius in diris tormentis tam forte silentium, cùm tentus fuisset, quia Sacerdos Catholicus. Plus quàm decimò equuleum sustinuit, serenus tamen semper ac sibi constans. Vnde à custodiæ Præfecto Sancti nomen tulit. Solemne illi fuit dicere: *Deus meus, & omnia! Deus se tibi: tu te Deo.* Particularis examinis nunquam obliuiscebatur, punctis acu notatis; & alijs quoque arte illud exequendi scitè instructis. Mortis acceptâ sententiâ, cùm suam pro illo iuuando operam offerrent concionales ministri hæretici, detrectauit; & lætus ad mortem raptatus est, cùm Christum allocutus diceret se honore tanto esse indignum. Iam moriturum, interpellabat adhuc hæreticus clamator, seu minister; at Robertus nullo eum alio verbo dignatus est, quàm se *Catholicum moriturum.* Posteaquam suspensus, deiectus, & carnificatus est, aiunt illius cor subsultare visum inter manus carnificis, è pectore iam euulsum. Quàm dira tormenta sit perpessus, vel ex eo conijci potest, quòd, ob inhumanam illam sæuitiam, Toplifus quæstionibus tormentisque illis præfectus, in custodiam sit coniectus.

Vocatio. Oratio. Patientia. Fides. Oratio. Examen partic. Fides. Cor.

IV. DIE MARTII.

P. EMMANVEL MIONA.

Lusitanus Romæ. 4. Mart. 1567.

SP. Ignatio Compluti literis operam nauanti à sacris cõfessionibus fuerat Miona, eundemque iuuabat Parisijs cùm socios ad illum pelliceret, donec tandem commendatis sibi per epistolam ab Ignatio exercitijs diligenter vsus, ipse quoque ad Societatem accessit. Tres quatuorue tantùm noctis horas dabat somno, licèt iam ætate extremâ, reliquum diuino Sacerdotum officio, & DEIPARÆ cultui destinabat. Alijs à somno surgentibus ad Templum concedebat, ibique altaria singula circumuisens prolixè orabat ad singula: tum in odeum se conferebat, ibi diu in silentio mentali orationi vacans. Deinde Sacramento pœnitentiæ quotidie expiatus diuino sacrificio priuatim operabatur per horas duas; postea tamen vnâ cõtentus. Inde ex Odæo sacrificijs omnibus aderat vsq; dum ad posteriorẽ mensam ære campano euocatus iret more suo ad parce prandendum. Post prandium se ad cubiculum recipiens, inambulabat, diuini officij partẽ reliquam, ac mox DEIPARÆ officium executus. Quo in cultu Virginis die toto reliquo multus fuit. Eximiæ, inquit Sachinus, erga clementissimam Cæli Reginam pietatis fructum cùm alias tum egregium extremo percepit tempore. Aliquot ante migrationem diebus cùm in eius cubiculo causa nul-

Oratio. Vita sanct. B. V.

la odoris, neque ab morbo, neque ab senectute hominis, neque à ministrorum cura esset, adeò tamen ex ipsomet decumbente suauis afflatus odor dicitur vt vehementer qui aderant mirarentur. Relictam ab Virgine ferebant eam suauitatem, quæ clientem suum benignè inuisisset. Idem cùm agens animam oculos in Cælum præter solitum intendisset, quærenti quid hoc sibi vellet, respondit; se DEIPARAM intueri.

P. HIERONYMVS OTTELLVS.

Italus Messanę 4. Mar.

IOannis Polanci, & Andreæ Frusij Patauij studentium virtute permotus ad Societatem accessit, ab Ignatio anno 1541. admissus, & in Siciliam Româ missus; vbi elogium illud impleuit, *Domi agnus, in pulpito Leo.* Ecclesiastæ munus, non corporis quæ in illo nulla erat, maiestate, nec elegantiæ fucatæ vanitate impleuit, voce fractâ, sed vi dicendi robustâ, & solidâ, vt sæpè de pulpito reducem exceperit vox flentium, suspirantium, atque dicentium: *nunquam sic locutus est homo*: cùm tamen in illo nullæ humanæ dotes elucerent. Florentiæ quoque Romæ, & Messanæ in Sicilia ita dixit, vt cordium Dominus videretur. Vnde illi *Domini* nomen adhæsit. Quantocunque inter concionandum sæpè labore fessus, & à superioribus rogatus, nunquam socij operam admisit à quo in cubiculo iuuaretur: quin se ministro sæpius offerebat ad culinæ officia, & quicquid ex vsu est. Familiare illi aquam, & ligna pro culina humeris baiulare, ac ad infima quæque sese demittere; moneri libenter, orare assiduè, atque vt plus otij ad id haberet, dimidiam noctis partem orandi studio dare: hæ illi erant artes ad virtutem seriam animum erudiendi. Etiam diuina illum pati firma fuit opinio. Messanæ tyrocinij partem, quam dæmones infestam habebant, adijt & dixit: quid vobis hic negotij est fœdæ bestiæ, facessite, pessimi Spiritus. Abiêre, neque istic tumultuatum quicquam deinceps est. Nec tamen immunis fuit ipse à plagis quibus illum dæmones pessimê accepêre. Romæ iuxta, & in Sicilia Sanctimoniæ famam, & nomen vulgo habuit.

Concionat.

Humiliter.

Oratio.

Dæmones.

P. BENEDICTVS HERBESTVS.

Roxolanus Iaroslauiæ. 4. Mar. 1593. Soc. 22.

EPosnanensi eoque magnæ authoritatis Canonico, & Concionatore, Societatis IESV Tyro factus Romæ anno 1571. Elisabetham Radriuiliam Principem fœminam Caluinianam primùm, deinde Arianam, denique Hebræam, ac sciolam, fidei Orthodoxæ adiunxit; Missionum vbique per Poloniam exercendarum Magister, & exemplar ac plurimarum de hæreticis palmarum vir, passimque dictus Apostolus. Vt orationi vacaret prolixius, duabus ante alios horis è lectulo surgebat. Aeger, post diuina Sacramenta percepta, orandi otium petiuit, eòque solus sibi relictus est, cùm valetudinarij curatorem rogasset, vt non nisi post horæ interuallum ad se reuerteret. Reuersus ille P. Benedictum in medio conclauis flexis genibus inclinatum, & mortuum reperit, libro penes iacente ex quo orauerat.

Oratio.

Hora.

Mort.

P. IOAN-

P. IOANNES BONIFACIVS.

Hispanus Villagartiæ. 4. Mar. 1606

CVm altiora posset, erudiendis pueris ipsos quinquaginta annos mirabili accuratione, ac pietate impendit; multis ex eius disciplina ad religiosam disciplinam profectis. Iam per 25. annos Grammaticam docuerat, cùm eius germanus è Dominicana familia Prouincialis Concionator, Doctor, Ioannem inuisens, obstupuit quòd illum non è Theologico subsellio docentem repererit, dixitque: aliud se à suo fratre expectasse, in quo ætas, ingenium, doctrina eximia sic abiecta, signa essent vel offensæ ab illo Societatis, vel illatæ illi à Societate iniuriæ. Respondit Ioannes sibi à Societate, & sacra, & literaria subsellia oblata altiora, sed præhumili Grammaticæ puluere omnia se detrectasse, maioris comparandæ virtutis ergo. Tum in Conclaui Catalogum illi ostendit eorum qui è sua disciplina in lucem prodierant Episcopi, alijsque infulis clari, & viri ad Rempublicam gubernandam perfecti. Scripsit Historiam Virginalem, vbi quis erga DEIPARAM fuerit elucet. Supremam senectæ suæ, nunquam otiosæ palæstram impetrauit Villagartiensem Probationis domum, nihil de consuetis corporis afflictionibus, nihil de alijs tyronum exercitationibus remittens, vsque ad mortem humillimus diuinæ Virginis Matris cliens.

Humilitas.

B.V.

B. V.

P. VINCENTIVS MAGGIVS.

MAgnæ humilitatis, & conscientiarum tractandarum peritiæ, ac suauitatis vir erat Vincentius; eoque miris, & raris modis summorum quorumuis animos occupabat, vt ad confessiones illorum accipiendas accerseretur, quicquid se literaturæ altioris rudem, & coadiutorem spiritualem non verò professum esse, nec deesse Patres doctrinâ, & alijs dotibus ad id longè magis idoneos; dictitaret. Bisinianæ Principi erat à confessionibus, magni ab illa habitus; vnde ab illa in Societatem, alibi fundatam, alibi dotatam, instructam, adiutam luculenta fuêre beneficia. Aiunt illum Tarentinum Archiepiscopatum sibi oblatum constanter detrectasse. Laudes suas adeò inuitus audiebat, vt laudatus in in lacrymas aliquando eruperit; *ego* aiebat, *& asinus, vnum sumus.* Sanctissima illa IESV, MARIÆ, IOSEPHI nomina illi erant alimentum assiduæ pietatis. Quicquid ferendum erat, pro fortitudinis columna habuit, verba illa magno sensu pronuntiata: *Ad Dei gloriam.* Fassi sunt piscatores, nil se piscium capere potuisse; verùm iussos à P. Vincentio Româ Neapolim iter faciente retia in IESV MARIÆ, IOSEPHI nomine explicuisse, magnamque vim piscium extraxisse. Alias, isque vir nobilis, persanctè testatus est, P. Vincentium sacris operantem à se ad aras à terra sublimem fuisse conspectum.

Italus Massæ. 4. Mar. 1642. ætat. 84. Soc. 66.

Humilitas.

Intentio.

IESVS MARIA IOSEPH.

Sacrum.

P. MATTHÆVS CVBERVS.

Marchius Valcæ. 4. Mar. 1946.

HIc etiam humilitate, ac laboribus exantlatis gradum spiritualium Coadiutorum ornauit. Hunc iam olim puerum ægrum, Beatissima DEI Mater inuisit in somno, & hisce illum verbis solata est; Conualescees, fili; per te multa bona operabitur filius meus. Societati adiunctus, præter alios plurimos, Patrem, & germanos duos Orthodoxæ veritati adduxit. Virginitate perpetuâ, & propensâ semper pietate DEIPARAM coluit, ac eo quem prædixerat die ad immortalium consortionem discessit.

Virginitas.

B. V.

V. DIE MARTII.

P. PETRVS ALOYSIVS.

5. Mar. Malatiæ in Piscario littore 1596.

DAbo de hoc ea quæ in annuis de illo perscripta sunt. P. Petrus Aloysius natione Malabares è Brachmanorum genere, venerat ad fidem puer, educatusque in Collegio S. Pauli. Eâ fuit indole, ingenioque vt ad studia admitteretur; percurritque suum cursum ad finem vsq; Theologiæ, sanè feliciter; sed non minùs ad studia pietatis progressus est. Quippe tanto Deo sese diuinciendi studio fuit incensus, vt spretâ familiæ nobilitate, cuius Princeps hæres esset, ad Societatem se adiungere præoptarit, in qua tanto virtutum exemplo vixit, vt mirum non sit singularia in ipsum collata beneficia esse diuinitùs. Quippe factus Sacerdos, missus ad huius oræ iuuandos incolas, vehementer exemplo vitę & doctrinâ Christianam rem promouit. Martyrij coronâ donatus non est, sed neque illi defuisse constantiam ad mortem oppetendam, nec martyrij merito eum defraudare voluisse diuinum numen, euenta declararunt. Nam cùm Patribus ijs qui montanos tractus incolunt aliquando opem ferret, vehementiùsque diuinam legem prædicaret, coorti in eum ethnici aliqui lanceis confoderunt, letaliaque vulnera permulta illi imposuerunt, quæ ille omnia complicitis genibus, sublatisque in Cælum manibus libens excepit. Deum suppliciter orans, vt tenue illud suæ vitæ Sacrificium benignus exciperet. Sed nimirum ea palma non promeritis, ne viris quidem sanctissimis, sed occulto cœlestis arbitri iudicio datur, adimiturque. Perfunctus illo certamine, duodecim, tredecimue, horum Christianorum commodo superuixit annos. Eum tandem ad Cælestia præmia, cœlestis Pater euocauit, cùm annum quintum & trigesimum in Societate exegisset.

Fides.

P. DESIDERIVS COLINVS.

FVit hic vir sui contemptione, ac prolixâ in leges nostras religione, tũ SS. Sacramenti, & DEI Matris cultu peregregius. Cùm diuinis operaretur ad preces ad SS. Sacramẽtum vel DEIPARAM exoluerit, fluebant ille faciles, ac frequẽtes ex oculis lacrymæ ab inflãmato animi sensu profectę. Suprema illius inualetudo phrenesis erat, quæ illum de statu mentis deiecerat. Sed si Dei Matris nomen audiret veluti tesseram

Gallus Anicij. 5. Mar. 1609. ætat. 40. Soc. 10.

B. V.

seram suæ mentis, ad se confestim redibat: & quicquid demum tametsi permolestum, imperaretur, obedienter exequebatur cùm diceret: *Absit absit vt ego B. Virginis causâ nolim obtemperare.*

P. IOANNES DE VILLALOBOS.

Peruanus. 5. Mar. 1630. ætat. 59. Soc. 17.

DE hoc in tyrocinio illud perscriptum est elogium, illum ex Nouitiorum censu fuisse quos vnquam vllus maximo diuini spiritus ardore flagrantes nouerit. Aiebat, nihil humile, nihil abiectum, excelsa, & plena dignitatis omnia esse in domo Dei. Inde ad ardua & humilia propenso planè animo ferebatur. Semper amictus cilicio; fœminas nunquam aspiciebat cùm confitentes audiret, nec vnquam inuisebat. Quotidie se flagello cędebat semel; nec rarò bis. DEIPARÆ nomen visus est nunquam sinè temeritatis dulcioris significatione pronunciare, vel audire. Ante cœnam horæ vnius spatium orandi studio dabat quotidie. Afflictum illum non semel allapsa è Cœlo vox solata est. Et fuit cùm mœrore pressо, ac oranti ostendi visa est Crux ingens auditâ voce quæ dicebat: *Bono animo esto, fili; alia te adhuc manet maior & magi grauis.* Statim atque in morbum incidit, petitâ Christi Cruci affixi imagine, affirmatè dixit; se morituru; & post præclara patientiæ in vita; & morte exercitæ documenta decessit.

Mortif.

Oculi.

B. V.

Oratio.

Crux.

Patientia.

P. IOANNES IGNATIUS BEIZAMA.

SAnctimoniæ opinionem iam inde à tyrocinio adeptus, & B. Aloysio supparasitus, habuit stimulum ad virtutem etiam domi suæ, vbi eius germanus religiosè admodùm vixit etiam in seculo, & octo sorores omnes se in sanctimonialium cœnobia abdidêre. Obseruatum in illo est; eum tãta & despicientiâ rerum humanarum, & & oculorum modestiâ eluxisse, vt cùm adhuc in Hispania degeret, nunquam in vllum vel ædium, vel apparationis exquisitæ atque magnificæ ac raræ splendorem oculos suos defixerit, nedum laudarit, vel fuerit admiratus ea quæ mundi oculus magni facit. In Peruana Prouincia sancti eius mores, sanctæ conciones, sancta colloquia. Et rumore audito, illum pro concione dicturum, aiebant alij alios inuitantes, *Age, Sanctum audiamus.* Et verò corda Deo rebellia validissimè subigebat cùm in spiritu & veritate diceret domi & foris. In tertiæ Probationis anno iussus præstitutâ horâ quampiam arbuscalam irrigare, obedienter id fecit, etiam cùm imber rueret toto cælo. Mirantibus, respondebat: sibi id imperatum, citra vllam cæli sudi aut imbrium mentionem. Nemo illum vnquam contra vllum nostræ cuiuscunque legis apicem peccare aduertit. Mœsto vultu dolorem testabatur, si sermo non de diuinis fereretur; aliàs lætus.

Hispanus in Peruanæ Coll. Assumpt. 5. Mar. 634.

Humilitas.

Modestia.

Obedientia.

VI. DIE MARTII.

P. ANDREAS GALVANELLUS.

6. Mar. Italus Perusij. 1557.

AS. P. Ignatio Venetijs Collegio Rector præfectus. Præfuit postea etiam Bononiensi Collegio. Mox Pontificis missu adijt vallem Tellinam, vbi celebratus est eius introitus cum honore. Perusinum deinde Collegium ita rexit, vt Societatis historia illum eius *Collegij* vocet *lumen* ac *robur*, qui verbis de Deo faciendis & confitentibus expiandis cunctam ciuitatem rapuerit; cumque omnibus omni tempore operâ promptam haberet, eam virtutis opinionem sit nactus, vt in vijs tanquam sanctum omnes venerarentur: ad quem ægrum ingens assiduè multitudo accurrerit, medicamenta solicitè inquirens; & vbi non proderant insolabiliter plorans.

Charitas.

P. PETRVS TABLARES.

Hispanus 6. Mar. 1565.

HIc anno 1547. cùm à Villanoua exercitijs instrueretur, paupertatem stomachatus, terga vertere meditabatur, colapho priùs Villanouæ impacto. Sed repentè diuinitus perculsus, Villanouæ quicquid cogitarat aperuit, eam quam horruerat paupertatem in Societate amplexus. Magna illi, vtpote homini peracuto facundoque, apud Dynastas erat authoritas, & magna in duris quibusque ad pœnitentiam, & lacrymas permouendis efficacitas. Interfuit anno 1555. Cæsaraugustæ illi tempestati, clauesque Collegij senatui tradens, ita attemperatè locutus est vt senatus Societatem insigni & beneuolentiâ, & liberalitate sit prosecutus in digressu. Ipse apud Proregem mansit, nullo in loco sine insigni animarum bono versatus.

Paupertas.

Concion.

P. VALENTINVS FORSTERUS.

Germanus Fuldæ. 6. Mar. 1608. Soc. 27.

A16. Iulij anni 1605. vsque ad 6. Martij anni 1608. morbis variè conflictatus, non minùs possedit in patientia animam suam æger, quàm sanus aliorum animas in labore industriaque possederat, vt eas ad vias rectas deduceret. Quicquid officiorum in illum impendit charitas Fuldensium sociorum, id omne illi sibi ab eo præclaris exemplis cumulatè fuisse compensatum, luculenter testati sunt. Tota hæc patientia pretiosus apparatus illi fuit ad mortẽ; de qua diuinitùs aliquid accepisse videri potest; mortis, vt loquuntur Fuldenses literæ & extremæ horæ tam certus, vt quando extremùm inungendus esset oleo sacro, quando cereus porrigendus, quando recitanda commendatio ipse præsens vsque sibi quasi signo dato, præscriberet, & præfiniret omnia.

Patientia.

Mors.

VII. DIE

VII. DIE MARTII.

P. FERDINANDVS GARZIA.

7. Mar. Hispanus Carauacç. 1579. Soc 10.

ADolescens præstanti ingenio cùm esset, eò illud intendebat, & Deum toto biennio supplex precabatur, vt in eo se vitæ statu collocaret, in quo maximè seruire posset diuinæ illi Maiestati. In Societate sine modo aspera quæque corporis cruciamenta suscepit, non aliud quàm contemni, & pati optans. Indos desiderio prosequebatur, vt ibi ærumnarum thesauros inueniret, sed inuenit illos in morbo quatuor annorum; quâ temporis intercapedine diri capitis, cordisque dolores illum detinuêre lecto semper affixum patientiâ tantis tormentis non pari solùm, verùm tenero; ac suauis erga Deum fiduciæ pleno gaudio cumulatâ; ne tum quidem quicquam, quod palato vel cuicunque sensui adhiberet admittens. Vnde cùm illi ceu iam depositi, medicus iuberet permitti quicquid vellet, rogatus vt peteret id, quod iucundum sibi futurum existimaret, non sine stomacho, & horrore ita respondit: Egone, Deus bone, id petam quod iucundum futurum sit? Id erit optatissimum quod dederitis. Aiebat: dum querelas arceo, incredibili cordis pace gaudeo; sed illâ statim destituor, cùm mihi quidpiam deesse persuadeo. Quare totus erat in adoranda voluntate Dei. Mori cùm optaret impensiùs, & esse cum Christo, hoc ipsum suum desiderium metuebat ne quid sordium traheret ab amore proprio, tyranno animarũ nostrarum domestico. Die 4. Mar. prædixit se ab hinc quatriduo morituru m die S. Thomę Doctoris Angelici: per quos dies aiebat sibi cor à Deo tâtâ suauitate dilatatum, quantam in omni vita expertus sit nunquam. MARIA DIAZ, magnâ virtute celebris fœmina (inquit Societatis historia in hunc annum) octauo post die visum cum sibi affirmauit cum corona in capite solis instar micante: illa nempe Maria, quæ Ferdinandi mortem quarto ante mente ex vero prædixerat.

Patientia.

Visus cum corona.

M. ELIAS NITSCH.

HVnc è Styria ortum, virtutis, & eruditionis bono conspicuum laudant annuæ Collegij Viennensis in Austria. Integro ante mortem mense chirographo manu suâ conscripto consignauit quo die esset moriturus. Septimâ enim Feb. die per quietem vidit à P. Nicolao Limburgio nuper extincto, arrepto brachio se trahi; monerique in hæc omninò verba: *Mense ab hinc me sequêris*: quibus verbis Elias nihil respondit; nisi vt otium sibi concederetur quo posset suas culpas eluere. Atque hoc agentem, ac Martio ineunte ad accipiendam pro more S. Menstrui schedam, atque sententiam, cum alijs accedentem, ille quoque sanctus quem accepit tacitè commonefacere visus est. Erenim in ea sortitione illi obtigit S. Thomas Aquinas, nempe menstruo à monitione interuallo in diem 7. Mar. incidens, qui dies illi erat futurus mortualis: quæ ipsa conduplicata videri poterat monitio ad mortem præparatò expectàndam; maximè cum illa etiam quæ cum sancto veniebat sententia de morte

Germanus Viennæ. 1599.

Mors præuisa.

Mensis vltimus.

S Menstruus

morte loqueretur; & quæ ad calcem apponi solet virtus, esset *mortis meditatio*. Ita commonitus hoc agebat, quod optimum pro eo articulo iudicabat, mori iam certus. Et verò paulò post illum morbus incessit, & non plurium, quàm quatuor dierum interuallo, cum ad extrema adduxit, ac extinxit 7. Martij die qui sortito illi cum S. Thoma obtigerat.

B.V. amor pro testamento.

tum pro matrimonio legauit socijs, & Meditationes, quas de illâ, manu suâ conscripserat. Mors illi optata, & læta. Vnde *Te Deum laudamus* repetens, rogabat vt in reddendis Deo gratijs iuuaretur.

P. FRANCISCVS TORRESIUS.

Italus Messanæ 7. Mar 1625.

CVm Panormi Rector præesset, non solùm nullum admisit cubiculi administrum, verùm alijs ad vineam digressis ipse domi verrebat maius conclaue, seu aulæ vt vocant locum. Toto illo ante cineres triduo, ille in villam se cedebat, parco ibi, nec nisi seruorum cibo vsus, totusque in preces effusus ad Deum pro mundo tunc delirante placandum. Aiunt illum non nisi cilicio vestitum cubitum concessisse. Rarus apparebat in publico, quippe cubiculi amans, & orationis. Vno ante mortem anno mortem suam præuidit, & prædixit. Moriens, DEIPARÆ amorem, & cul-

Bacchanalia

Cilicium.

Mors præuisa.

P. IACOBVS DE SAMANIEGO.

Hispanus in Peru. 7. Mar. 1626. ætat. 81. Soc. 64.

NVllo vnquam letali peccato innocentiam suam fœdauit, vt fama est. Et veniale quàm maximè horruit, ne quod deliberatâ voluntate committeret. Aerumnas quas patiebatur vocabat viuas suas Cruces. S. Michaeli Archangelo post Reginam Angelorum præcipuè fuit addictus, qui Iacobo se in gloriæ splendore spectabilem aliquando ostendens, illi fidelem suam in animabus ad fidem & frugem adducendis opem promisit, quam ille mirè luculentam experiebatur. Vnâ eademque veste per 33. annos est vsus. Vulgo pro sancto habitus viuens; & ad mortui sepulchrum plures fassi sunt se magna à Deo beneficia, non sine admirabilitate accepisse.

Ven peccat. B.V.

S. Michael.

Zelus anim.

Paupertas.

VIII. DIE MARTII.

BARTHOLOMÆVS GONZALUS SCHOLAST.

8 Mar. Brasilus in Brasilia Bahyæ. 1576.

HIc vnà cum Patre suo Adamo Gonzalo Societatem amplexus in Collegio Bahyensi literis excolebatur, eâ commendatione virtutis, vt illius animam *sanctam* vocauerit P. Iosephus Anchieta, qui pro mortuo Bartholomæo sacris quinquies operatus, dixit Adamo eius Patri; bonam illius animam pluribus non egere. Piratininganam sedem tunc regebat Adamus Bartholomæi Pater, & ecce de specula fixis in cælum oculis dum precaretur, nesciebat quorum per cælum ambulantium agmen aspexit, vocemque audiuit Bartholomæi Bahyæ tunc mortui: Pater, pater, ego sum, ora Deum pro me.

Purgat.

P. OCTA-

P. OCTAVIVS CAIETANVS.

Siculus Panormi. 8. Mar. 1620. ætat 54 Soc. 38.

NObili sanguine, aspectu, moribusque Angelicis, & puritate Virgo. Ad Societatem aiebat se vocatum, quòd in templo nostro Syracusis cum oraret, Crucifixum semper grandiorem quò propiùs accedebat & viuam, ac luculentam in eius capite flammam conspexerit. Fœmina impudica Panormi cùm anno 1600. Octauio mortem meditaretur, minitabundum ex altari vidit S.P. Ignatium; dæmone quoque ab illa inuocato, fassò sibi per Ignatium in Octauium nil licere. Puella dæmonis ductu, & fœminæ illius iussu in Collegium inducta est vt cubiculum P. Octauij noctu ingressa, illum ad scelus pelliceret. Manè puellam adijt fœmina, vt de rei successu certior redderetur, & puellam hactenus formâ liberali, iam distortam, carbonis instar tetram, clamantemque inuenit: *Ignatius, Ignatius, Ignatius impedimento est; & autor infortunij mei.* Ita fœmina illa vitam apud Octauium expiatam serió emendauit. At castum eius cubiculum feliciore successu honorasse fertur Deus, quando sanctarum Siciliæ Virginum chorus illud ingredi conspectus. In Christi, B. Virginis, Principum Apostolorum vigilijs, & per Martium 6. quauis feriâ, se multo sanguine cruentabat: nudis asseribus indormiebat. In rectione acrior erat in eos qui disciplinæ laxamento erant; idque censebat exempli, & boni publici interesse ne tales fouerentur. Illo de Angelis Sacrificium peragente, visi sunt Angeli illum circumdare, pluresque semper, ac plures, atque cum Reginâ Angelorum plurimi certatim affluere. Visa est & Regina ipsa tabernaculum habere in pectore è quo pulcherrimus puer IESVS prodierit cum ardente face in manu sub communione Octauium tenerè, arcteque complexus. Illud verò libri de Siciliæ sanctis ab illo conscripti, seu præmium fuerit, siue indicium, quòd visę sint splendidę sanctorum phalanges ex eius ore triumphali gaudio erumpere, totamque Siciliam inundare. Pro ægro S.P. Ignatium orabant socij. Eo tempore vidit S. Patrem sociorum preces flexis genibus DEIPARÆ offerentem: at Deiparam nutu ostendisse, iam vitam illi prorogandam non esse. Vnde Angeli cum S. P. Ignatio illi dixere, non exaudiendas pro eius incolumitate sociorum preces, ad Cęlum ergo sese accingeret.

S.P. Ignat.

Mortif.

B.V. Angeli.

Euch.

Sancti.

B.V. S.P. Ignat.

P. THOMAS SAILLIVS.

HIc in itinere Moscouitico & postea in castris, cùm Principibus viris esset à confessionibus, magno vsque ad sanctitudinis laudem, pietatis, modestiæ, prudentiæ, zeli, omnisque virtutis exemplo, multa passus est & fecit plurima. Peste in Castris inter pios labores haustâ, venâ ruptâ, sanguinis vomitu, morbis alijs quassatum, conspecta illi, eumque allocuta Deipara persanauit. Visa dicitur Aspricollis DEIPARA, S. Barbarâ alijsque Virginibus comitata, Christo pro Thoma olim morti vicino dicere, *sine nostrum hunc seruulum etiamnum paulisper viuere.* Posseuinus, quia in modestissimum virum per iter sibi durior visus est fuisse, ad eius pedes abiectus veniam petijt, impetrauit, virtute huius virtuti alterius facilè annuente. In ipso diuino sacrificio celebrando post communionem illum paralysis, & mors denique

Belga Bruxellæ. 8. Mar. 1613. ætat. 70. Soc 43.

B.V. sanat ægrum

B.V.

denique secuta prostrauit, domo exiturus, solebat in cubiculo priùs B. V. statuam de genibus osculo salutare, & & flagitare vt illa exeunti prosperè precaretur. Nec priùs diuino se sacrificio accingebat quàm à B. Virgine subsidium peteret ad eius Filium ritè pro dignitate tractandum. Depositò Sanctissimo eius Filii corpore in altari illam inuitabat, vt causas suas, coram illo, illa tractaret, suosque libellos supplices illi vnà secum porrigeret; socium quoque in Castris fusis ad B. V. precibus liberauit à morbo graui. Duci Parmensi author fuit, vt in Castris matutino tubarum clangore tertiò repetito MARIA Deipara consalutaretur, ac eius imago pingeretur insignis. Vexillum B. Virginis imagine insigne Bruxellis palàm in Collegio collocauit cum Epigraphe : S. MARIA *Castrorum acies ordinata: ora pro tuis alumnis qui sub Filij tui* IESV, *ac dulcissimo nomine tuo, in Catholicis castris hoc imaginis tuæ vexillo vsi, operam suam ab anno Domini* 1587. *Kal. Novemb. vsque ad annum Domini* 1609. *præstitere.* Quòd inter tot pericula Castrorum nullum vulnus retulisset, MARIANO Rosario adscribebat, quod ille pro baltheo transuersum gestandum, inijciebat collo quoties miles arma capessere iuberetur. Ex quo sacris est initiatus, B. V. officium quotidie recitauit. Eius imaginem de collo pendulam in Lipsanotheca pectori sæpiùs adstringebat, exosculabatur, amicis iucundè ostendebat, & ad osculum offerebat, *suam* vocabat, obsecrabat omnes, vt illam bonam Matrem, & dominam tantum amare vellent, quãtum possent. Virginibus quarum conscientiam tractabat, illius amorem insinuabat, & suadebat; vt in eius honorem non nisi rarò, & breuiter cum vitis, etiam cum confessarijs loquerentur. Quendam è Patribus anxium super oratione latina dicenda de B.V. coram principibus, ad B.V. Sichemiensis statuam duxit, salutationem Angelicam recitauit, timorem illi omnem adeò absterſit, vt dixerit sine timore, cùm plausu.

Aue MARIA.

IX. DIE MARTII.

P. IOANNES FERNANDEZ.

Hispanus Palentiæ. 9. Mar. 1595. ætat 59. Soc. 40. B. V.

HVic puero coram B. V. imagine flagitanti ne à studijs auelleretur, B.V. per quietem visa, ex imagine locuta, & pollicita id quod petebat, prædixit, Societati nomen daturũ. Experrectus, Virginitatẽ vouit, eamque seruauit semper. Romæ sacras literas interpretatus, in Belgicis Castris versatus est religione magnâ. Equum conscendere præ imbecillitate nõn potentem, Angelique auxilium impensè rogantem, Custos Angelus repentè ne tactâ quidem staphâ in sella collocasse dicitur. Per 6. annos humi cubans in storea, non nisi suis vestibus est vsus pro veste stragula, singulis noctibus se verberans, & binas, ternasve horas orationi impendens. Aiunt annuæ Palentinæ ab anno 1587. & 1590. S.P. Ignatium bis ei se visendum præbuisse, Angelorum choros canentes; tum B. Virginem cum sancto cœlestium Virginum comitatu sanctum quoque Mauritium cum socijs illi sese ostendisse. In laudatione funebri admiranda de illo dicta ad Panegyrim. Plura de illo in eius vita ad annum 1595.

Votatio.

Angelus custos.

Mortificat.

S.P. Ignat.

B.V.

Sanctit.

P. LVDO-

P. LVDOVICVS GAGLIARDVS.

Italus Mutinæ. 9. Mar. 1608. ætat. 96. *Vocatio.*

ANno 1559. Patauij primus natu è tribus germanis ad Societatem se contulit iunioris fratris exemplum secutus, mirâ Dei vocantis prouidentiâ, quam in eum annum historia Societatis prosequitur. Vita illi ferè in Magistratibus acta, & simul in concionibus ad populum per ipsos 30. annos habendis. Mutinæ diuino Sacrificio perfunctus, dum in maximo templo concioni cuiusdam nostri adesset, capite inclinato suauem in mortem solutus est, socio qui assidebat, illum placidè quiescere existimante.

Mors tempore concionis.

P. ROBERTVS PLANTEROSE.

Gallus Hesdinij 9. Mar. 1651. ætat. 63. Soc. 40.

IN hoc viro humilitas profunda, cum non minùs profunda animarum aduuẽdarum siti certauit exemplo strenuo, & raro. Etenim, præter ea quæ animarum causâ præclarè gessit, id quod faciunt plurimi de Societate, illud adiecit quod est omninò paucorum. Per ipsos 30. annos idem veluti Sisyphi saxum (at feliciter planè) volues ab imo gradu inchoans; paruulos mirâ diligentiâ: patientiâ, industriaque docens, ad Rhetoricam vsque prouexit, mox iterum reuersus ad classem infimam; quâ ad Rhetoricam demùm perducta, iterùm, ac iterùm reuersionem suam repetebat ab imo ad apicem illum ascendens.

Humilitas.

Schola.

X. DIE MARTII.

P. FRANCISCVS GONZALEZ.

Hispanus Compluti. 10. Mar. 1570.

IN humili, & contemptioni obnoxio huius corpusculo, præter ingenium diuinâ, & humanâ literaturâ instructum, elucebat lucida quædam, & res altè introspiciens perspicientia prudentiaque sanctorum, adeò vt & Rector Collegij, & Prouincialis dicerent, illius cubiculum sibi esse instar oraculi pro adminiculo ad regendum. Inde illi domi, & foris ingens authoritas. Cum Deo multum, rarò, & breuiter cum hominibus loquebatur. Tyronibus præerat, illisque linguæ nullo verbo in vllius qualemcunque maculam stringendæ, magnus & seuerus author fuit. Inter acerrimos quinque annorum dolores effusè exultare est visus, quòd ita Deus vellet. 6. vel. (vt alij, 16.) Martij post diuinum sacrificium peractum, dum ad baculum suum quo nitebatur humi lapsum eleuandum se inclinat, apoplexiâ ictus pauculis horis vixit.

Prudentia sanctorum.

Lingua cura.

Lata patientia.

Mors post Sacrum.

P. IOANNES VOELLUS.

Burgundus Turnone. 10 Mar. 1610. Soc. 51.

HVnc ego tametsi vel eo nomine hoc loco dignum censeam, quòd eruditus sine vllo vnquam verbo quod ostentationem saperet, quodque *virtutum omnium donis apprimè excultus* in Societate vixerit, tamen in laude illa fortè plures habet, sibi æquales: at in ista quam subiungo paucos. Aiunt eum tanto prudentiæ cum admirabili charitate coniunctæ ingenio fuisse, *vt*

nemo ad illum de suis rebus vnquam referret, qui non facti sui fructum aliquem reciperet: adeò feliciter atque attemperatè, singulari à Deo dote ad id acceptâ, consulere vtilitatibus aliorum, & sciebat, & volebat.

P. IOANNES OGILBÆUS.

Scotus Glasquæ. 10. Mart 1615. ætat 34. Soc. 18.

GRæcij in Austriæ Prouincia, Philosophię Theologiæque curriculum, multâ & ingenij & virtutis laude confecit. Anno 1613. in Scotiam penetrauit; pluribusque ad orthodoxas partes ac Sacramenta perductis, anno 1614. 14. Oct. in carcerem ea de causa detrusus est. Pseudo-Episcopus alapam Ioanni infregit, obiecto furenter, instar criminis, quòd missas Papisticas celebrare fuisset ausus in Vrbe reformata. Cùm infestis vnguibus, & vi variâ vexaretur, miranti cuidam quòd hæc optaret, vltròque inuitaret potiùs quàm timeret, respondit; omne supplicium in hac causa sibi triumphi nobilis instar esse. Multa variè, atque astutè interrogantibus, respondit doctè, cautè, ingeniosè, promptè, Catholicè, ac sæpè iucundè. Obiectantibus; læsæ maiestatis crimen haberi, dicere quòd Pontifex habeat iurisdictionem spiritualem in Anglia; respondit: esse de fide quòd habeat. Num id chirographo testari, seu subscribere auderet, petenti; respondit: Etiam sanguine, & subscripsit. Fame deinde longâ, multis ærumnis, & coortis inde febribus; disputationibus quoque, vexatus, ferreę ducentarum librarum perticæ duobus annulis innexus, muneribus inuitatus; post pollicitationes, & minas, per octo dies dormire non permissus (cùm interea semper stylo, aciculis pungeretur, ac vellicaretur) admirationem mouebat, quòd lætè benediceret ijs qui ei malè vel dicebant vel faciebant. Dicentibus; missas à Rege prohibitas esse: respondit: à Christo esse imperatas. Reus mortis pronunciatus, quòd missas celebrasset, ac ad fidem Papisticam quempiam adduxisset; ei qui eapropter pronunciatam in illum mortis sententiam illi nunciauit, (vti & carnifici) amplexum, & omnibus alijs gratiam, reddidit. Patibulum amplexu, & osculo veneratus, post fusas preces, spiritualem Papæ iurisdictionem iterùm affirmauit. Ministro petenti, num adhuc doctrinam Papistarum teneret de cultu & inuocatione Sanctorum, respondit: Se hoc firmissimè tenere quod doceret Ecclesia. Inter conscendendum scalas ad furcam, orabat attentè, DEIPARÆ Virginis, & Sanctorum opem implorans, & spem suam in Christi sanguine sitam esse dicens Anglicè ac Latinè. Suspenso illo, coortus est clamor, pœnas insontis sanguinis non à populo, sed ab ijs qui eius rei sunt, repetendas esse clamantium. Eune resecto, corpus loculo inclusum, in reorum loco est conditum.

Fides.

Fides.

Patientia.

P. SIGISMVNDVS BACHAMER.

Germanus Landspergæ 10. Mar. 1636. ætat. 60. Soc. 41.

VIr antiquæ probitatis, humaniorum literarum Magister assiduus & pauperum Pater 10. Martij anni 1636. iuuenes erudierat, confessiones exceperat, prolixas preces de genibus, & sequentis diei matutinum executus fuerat, & repentè apoplexiâ concidit, post tot nępe annos in Societate transactos, quot illi tyroni adhuc, & valetudine imbecillâ vtenti prædixerat illius in tyrocinio Magister P. Bonauentura Paradinas, vir inclytæ pietatis, eoque claræ memoriæ.

IOAN-

IOANNES BAPTIST. MOCCHIVS COAD.

Italus Placentiæ. 10. Mar. 1651. Soc 50. *Humilitas.*

DE hoc Venetæ annuæ sic habent: Pater vocari, quadrato vti pileo, aut veste quàm Coadiutoribus permittat regula longiore, nullo vnquam pacto voluit. Quadratum pileum ne vel mortuo imponerent, enixè obtestatus est. Et hanc illius modestiam visus est Deus honorare, quando mortuus Ioannes Baptista, peculiari eorum curâ qui aderant (ob virtutis magnæ opinionem) inter Sacerdotes est conditus. Patres non tam comitabatur quàm sequebatur. DEIPARÆ cum Angelo salutandæ adeò amans, vt ab extrarijs *Aue* MARIA nomine nuncuparetur. Omnes sanctos nouo rosario colebat. Cubiculum illius ornabant angustiæ, tenebræ, paupertas. Anno 1630. nostris pestilentiâ tabidis inexplicabili charitatis flagrantiâ seruiuit. Corpus fame, siti, frigore cruciabat. Si quid tolerandum esset, in ore sæpè illi erat: *Et hoc breue est; sancta patientia.* Vestes illius, & quicquid suo vsu veluti consecrasset, passim, & ab illustrissimis quibusque peritum ad venerationem, ipso quoque Duce per epistolam aliquid eius postulante, & datum sibi pileolum gratè accipiente. Nempe illius qui quadratum pileum nolebat modestiam voluit Deus in pileolo honorari. Imago quoque illius, aliquorum, & quidem primæ notæ virorum, pietati permissa est. Plura vide ibi.

B. V.

Omnes SS.

Mortif.

XI. DIE MARTII.

P. PETRVS ALBIZIVS.

Italus Neapoli. 11. Mar. 1610.

HIc Iulij Cæsaris Recupiti adolescentis Societatem constanter vrgentis, eáque propter orandi ac pia lectitandi studio impensè addicti, exemplo, ipse quoque animum ad Societatem adiecit. De illo Collegium Neapolitanum hoc elogium typis & luci dedit: Cùm ab honorum expedito curriculo deflexisset ad humilem vitam, Deoque fidem in Societate nostra despondisset, ingenti contentione studium solidarum virtutum percurrit. Et cùm in omnibus eius actionibus esset quod commendares, vnum tamen alterumve maximè admiraberis. Litabat DEO incredibili sensu pietatis, & litantem illum (quòd agmen liquidarum oblectationum vbertim affluebat) sæpè Ioannes Franciscus Orificius Episcopus Acernatum in aërem sublimem extolli viderat, spiritu sarcinam corporis eleuante. Cùm ergò progressu temporis Orificij nepos, (fratris filius) graui morbo corriperetur, adit Petrum, summam spei coniectam in ipsum prædicat, obtestatur, vt luem ægroto deprecetur. Obsecutus Pater ad sacrificij finem (in quo pro more extasin passus erat) Orificio renunciat puerum conualiturum. Accepto hoc responso, sacroque peracto reuertentem Episcopum à Templo nostro seruus excepit, à quo subductâ ratione temporis cognoscit, nepotem sanitatem accepisse eo ipso puncto, quo Petrus innuerat recipiendam. Quo quidem ex genere plura suppeterent de tanto viro narrari digna, si ei superstes Orificius fuisset. Hunc enim dicere solitum crebrò aiunt, se multa de Petro, & magna prodituram fore, nisi prior occumberet. Animaduersa

Oratio. Sacramt.

item ab alijs est mira in eo dexteritas tractandi animos & agendi, præcipuè cum ijs quorum filij, aut propinqui in Religionibus Deo se consecrauêre. Nec sanè mentior, si trecentos, eoque amplius illius operâ, ac labore Religiosum habitum induisse affirmaro, vt de reliquis eius, & quasi domesticis virtutibus ne verbum quidem faciam. Sic de illo Collegium Neapolitanum.

IOANNES DE BARCO COADIVT.

Limæ 15. Mar. 1613.

CVm per ipsos 20. annos Limæ humilitate, labore accuratione magnâ culinam curaret, Peruuianus Prorex tantum in illa nitorem admiratus, & causam quærens, responsum ab eo audiuit: Hæc se idcircò ita nitidè curare, vt eo nitore arctiorem cum Deo familiaritatem, & coniunctionem nancisceretur. Quæ Ioannis verba Proregem adeò permouêre, vt se flagrantissimo virtutis desiderio inde accensum dixerit, factisque ostendere decreuerit, aliâ planè vitæ initâ ratione. Quoties idem Ioannem videbat, aiebat sibi in illius ore, ac vultu augustum nescio quid oculis obuersari. In alijs quoque manuarijs tam curatè omnia, & feliciter expediebat, vt pro exemplo alijs proponeretur ad imitationem. Si quid arduum occurrebat quod vix vllus alius perfecisset, superabat Ioannes ingenti sociorum admiratione; ad quam ille rem duo potissimùm adhibuit; orationem, & corporis afflictationem.

Intensio.

P. EMMANVEL BARRETUS.

Lusitanus Quanti in Iap. 11. Mar. 1620. ætat. 56. Soc. 41. *Fides.*

QVintodecimo ætatis anno in India Societatem iniit, spiritualis posteà in ea Coadiutor. Iaponiæ vtilem dicendo industriam nauans idoneum planè ingenium attulit ad operas animarum Christo ac Ecclesiæ in gremium adductarum per plura regna vastæ Iaponiæ. A Cubotama in exilium relegatus, alio schemate quàm exierat, dissimulantiâ insigni redijt; & Christianos variè fouens, atque confirmans, in summa rerum ad vitam degendam necessariarum penuria, inter confertissimos labores ærumnosæ vitæ finem imposuit.

P. GVILIELMVS LEVESQUIVS.

Gallus Neapoli. 11. Mar. 612. *S. P. Ignat. & Xauer.*

HIc anno 1618. dixit, se quarto post anno pridie quàm Beati Ignatius, & Xauerius in sanctorum numerum ritè à summo Pontifice referantur, è vita discessurum. Veritatem vaticinij mors tunc obitaaffirmauit. Probitatis magnę nomen illi celebre, quòd arcana cordiũ introspicere morbos pellere illi res fuerit nec noua nec rara. Sed maior his fuit eius pietas, humilitas, virtus denique solida, & sincera: de quibus in eius vita.

BALTHASAR VAN SVRCK NOVITIVS SCHOLAST.

Belga Mechliniæ 11. Mar. 612. ætat. 18. Soc. 5.

HOc die innocentem animam edidit Balthasar primus è septem fratribus perpetuâ masculorum nec feminis

minis interrupta serie nascentibus, pietatem ingressis ad immortales euocatus. Orandi, ac omnia quæ illi incumbebant curatè omnibus numeris absoluendi fuit studiosus, & in DEIPARÆ Virginis cultu constans. Quippe qui si Rosario recitando interdiu satis otij nanciscinon posset, veniâ impetratà id noctu persolueret ac postridie bis illud euolueret. Morti iam appropinquantem vires adeò destituerant, vt per eas ei consuetum Rosarium recitare minimè liceret. Ergo ingenio supplendum ratus, magno pię teneritatis sensu Magistrum rogauit vt quando ipse id quod vehementer optaret minimè posset, iuberet ipse Nouitium quendam sibi adesse, qui clarâ voce coram se Rosarium recitaret: velle se illum orantem corde attento sequi, vt cor sit linguæ iam ad hæc tarde ac minimè idoneæ supplementum.

Septem fratres in Societate.

B. V.

Constantia in cultu B. V.

XII. DIE MARTII.

IOANNES DE BANNOS COAD.

Hispanus Valentiæ. 1575. die incerto Soc. ingressus, 12. Mart. 1559.

ANte initam Societatem vxorem in matrimonio habuit, non alio quàm sororis loco. Noctis partem alteram somno, alteram orationi prolixæ dabat. In Societate quoque noctu non semel deprehensus humi flectens, & orans, Calceorum soleas fortè auulsas accomodari non curabat, vt S. P. Ignatij exemplo pedes affligeret, aliàs quoque crebro, & vario cruciatu seuerus in corpus; quod non nisi inuitus, & modicè pascebat, multis autem, sponte quoque inuentis laboribus atterebat, nihil sibi laxamenti vsurpans, nec solis ardorem timens. Impetrarat Gandiæ vt alendæ suæ pietatis causâ, posset cum Nouitijs versari, vbi si somnus illi obreperet, Magistri Nouitiorum iussu scamnum conscendebat, ibique perstabat. Fuit cùm totius vnius noctis pernigilatio dura visa non est sic in scamno illo stanti. Manè postridiè istic repertus causam petentibus, respondit, sibi fuisse imperatum vt in scamno illo staret, non verò vt vt descenderet. Valentiæ verò à Superiore benè manè inter surgendum vocatus paruit, ita vt erat altero tantùm pede vestitus. Moriens rogatus quomodo haberet, valdè benè sibi esse, ac insigni solatio se recreari respondit.

Obed. caca.

P. MICHAEL LAURETANVS.

Illyricus Romæ. 12. Mar. 1587.

COgnomen illi à Lauretana B. V. domo adhæsit, in qua sanctuario illi seruiuit puer. Ibi conceptam erga B. Virginis cultum propensionem ita semper aluit, vt nihil aggrederetur, nisi priùs illâ in consilium auxiliumque piè inuitatâ. Collegij Germanici primus Rector cùm ad iuuenes dicturus esset, meditatè omnia conijciebat in chartam, & illis efficacitatem oratione, ac sui adiectatione à Deo flagitabat, & conscientiam religiosè expiabat. Nitor domus Dei valdè illi cordi erat. Ipse templum scopis verrere, ipse ceram è pauimento abradere, omnia depurgare. Sacram Hungarorum ædem, cui S. Stephani rotundi nomen, itemque S. Apollinaris templum pictis Martyrum trophæis exornauit. Illum à Claudio Aquauiua Generali visitatorem in Poloniam destinatum,

B. V.

destinatum, Alumnorum preces apud Pontificem fusæ retinuêre. In arcessendis indulgentiarum lucris, & in voluntarijs corporis cruciatibus suscipiendis erat studiosus; Purgatorio quod valdè timebat, breuiando, vel mitigando. Illarum animarum leuamento instituit, vt quoties Collegium Germanicum 7. Vrbis Ecclesias obiret, per iter defunctorum officium recitaret. Experrectus illi animus ac fortis, vnde timidos & ignauos fratres limaces appellabat, ad verba tam fuit attentus, vt is qui longo tempore cum illo vixit, atque attentè id obseruauit, dixerit; nunquam à se vllum otiosum verbum è P. Lauretani ore auditum, Castitas illi semper illibata in corpore duritate insigni tractato: somnum non nisi vestitus capiebat. Castitatem aiebat esse quò pulchriorem, eò fragiliorem, eoque fœminarum colloquium nunquam nisi breue, in templo, vrgente necessitate admisit: paupertas illi humillima; nullum admittebat cubiculi administrum, nec vestes nisi detritas. Prudentia in illo, & futurorum è præsentibus præsignificandorum felicitas singularis, rebus ita euentu firmatis, vt illi longè ante præsagitione antecesserat.

Lingua.

Lingua. Castitas.

RODVLPHVS EMERSONIS NOVITIUS.

Anglus Audomari, 12. Mar 1604. Soc. 1

Patientia.

Fides.

HIc Edmundum Campianum in Angliam duxit, homulus ab illo dictus, quòd corpore pusillo esset. Diuinæ Matri horarias preces quotidie exequebatur, pietate insigni patientiam illam condiens quâ dolores morbi longinqui ferebat, nempe analecta ærumnarum per ipsos 20. annos in Anglicano carcere toleratarum, in quem odio Catholicæ fidei coniectus, & postea in exilium pulsus.

GEORGIVS SCHERTLEM NOVIT. SCHOL.

Suevus Treuiris 11. Mar. 1605.

HVnc adolescentem quà corporis, quà animi formâ egregium laudant annuæ à pietate ingenuâ, verecundiâ, castitate singulari, alijsque dignis Nouitio sancto virtutibus. Mors tamen illius adeò fuit lætabilis, vt in stuporem verterit audientes. Die sancti sui Patroni quem in mensem Martium consuetâ sorte acceperat, moriens, non se capiebat præ voluptate quòd in Societate, quòd conceptis (Superiorum permissu) votis moreretur. Do eius verba ex annuis: Benedictus aiebat, Deus in æternum? Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu? Benedictus Deus qui me ad hanc felicem horam perduxit? Sic illi tranquillè obrepsit iucunda mors. Videtur hic in Societatem à Deo accitus vt pretiosè, inter suaues migraturi spiritus delicias moreretur.

Sanctus Mensium.

Vocatio.

Lætus mors.

P. GASPAR SANCHEZ.

Hispanus Madridij 18. Mar. 1609. Soc. 54.

HVmaniora per ipsos 50. annos docuit, magnâ humilitate diligentiâ, fructu literario, & virtutis. Viuebat in augusto illo pectore Deus, animarum sitis magna omninò, & singularis planè ac eximia sui contemptio. Institutum Societatis quanti faceret, prodebat verbis, & exemplo, cùm eius leges religiosis moribus perscitè exprimeret.

P. HIERO-

P. HIERONYMVS DE FLORENTIA.

Hispanus Madriti. 12. Martij. alius ponit. 13. 1633. ætat. 68. Soc. 54.

INter tres fratres germanos in Societatem admissos natu medius, ingenio, & facundiâ præstans, & verè Ecclesiastes veritatis, quam sibi à nullo mortalium toties tamque apertè atque ab illo dictam aiebat Philippus III. Hisp. Rex; at illam tantâ dicentis modestiâ fuisse conditam, vt non solum nunquam stomachum sibi mouerit, verùm ad sæpiùs audiendum, & obediendum etiam excitarit. Conuersatio illius in Cælis erat, etiam inter homines, quibus per priuata colloquia non minus profuit, quàm per celebres illas 30. annorum conciones. Legum interpretem non alium, quàm obedientiam admittebat; vnde ad literam quod aiunt, scriptæ, ac viuâ voce pronunciatæ legi obediebat. Philippus III. Rex moriens illum sibi pro agone adesse voluit. Eodem in morbo cùm egregiè operam suam probare illum videret, monuit Hieronymum Rex vt aliquid postularet: respondit; id se vnicè flagitare vt cõtritionis actum quantâ posset, diuini amoris contentione viribus totis elicere conaretur. Quatuor extremis annis in paralysi, ac ferè in obliuione iacuit, vir tantæ in aula celebritatis. Accessit ad hæc perpetuus conscientiæ scrupulis excruciatæ metus, qui tamen extremis diebus in serenitatem quandam diluxit, quâ plenus cessit è vita.

Concio.

Monere.

P. ALEXANDER GOTTIFREDVS.

Italus Romæ. 12. Mar. 1652. ætat. 57.

HVnc è lustrali Sacramento Baptismi pro eo sponsor factus Paulus V. postea summus Pontifex suscepit; ad tyrocinium euntem Cardinalis Marianus Perbenedictus ita est allocutus: Macte virtute, ac i, fœlix Alexander, ad Societatis IESV Tyrocinium cuius futurus es aliquando Præpositus Generalis. Id quod anno 1652. 21. Ianuar. factum est, illo in Generalem electo quidem sed alterâ, & quinquagesimâ nouæ præfecturæ die acerbâ morte extincto. Fuit vir serij valdè, ac ad agenda omnia vehementer intenti ingenij. nihil obiter agebat, nec agi volebat. Est qui affirmet, illum non semel visum Neapoli, dum inter illa turbamenta Visitatorem ageret, ipsas quinque horas coram Sanctissimo Sacramento inter preces duxisse. Incredibilis erat in illo contemptio commodorũ corporis, animo semper ad magna eminente, atque ita velut se minora ducente. DEIPARÆ sine macula conceptæ triumphos, pro eius ad S. Laurentij in Damaso sodalitio, apparatione Romæ, rarò, si vnquam aliàs visâ celebrauit. Imperterritum, capax, indefessque ingenium; vigil semper animus, experrectum disciplinæ primigeniæ accurandæ studium, paternus erga nationes animus, parata in petentes, & rerum potiùs, quàm verborum plena officia, continua quædam velut tyrannis in corpus. seuerum frænum sensuum, sui despicatio nobilis, in eo luculenter eluxêre. Nobilitatem illius, & pace domi, & armis foris, olim inclytam si quis laudaret respondit: *Nobilitas vera, est vera humilitas.* Totus in Cœlestibus habitabat, & ad æternarum rationum lumen citra vllos humanos respectus volebat agi quicquid fieret. Vnde *cœlestis cuiusdam mixtura vir* dictus est quibusdam.

Eucharist.

B. V.]

XIII. DIE MARTII.

ANONYMVS COADIVT. TARRACONENIS.

Tarraconæ. 1602. 13. Mar. æt. 66. Soc. 36.

HVius nomen tacent annuæ; mortem hoc die collocant nonnulli. Celebratur ab omnibus quas in Coadiutore optimo Societas requirit virtutibus, à pietate erga Deum, & Dei Matrem, ab asperitate erga seipsum, ab obedientia erga Superiores, & leges nostras, etiam in ætate prouectâ. Nullâ vnquam re perturbabatur, tametsi occupatus. Obsonatorem agens tantum virtutis odorem, de se vbique spargebat, vt pia illa modestiæ lux, magnæ apud externos erga illum reuerentiæ conciliatrix esset: è quibus *multi*, vt aiunt literæ Tarraconenses *domum venere, stratiq; humi, es sunt reuerenter osculati manus.* Nunquam tam fesso poterat quicquam imperari, vt turbaretur; nunquam in cubiculo, vel foris aliter, quàm in oratione, vel in labore inueniebatur, identidem sese ad SS. Sacramentum adorandum conferens, laboribus expeditis. Matutinâ oratione perfectâ in se funiculis sæuiebat, vt sic in cœlum eunti animo post orationis alam, alteram quoque mortificationis ad volandum adiungeret. Suprema febris per ipsos 17. dies illum dirè coxit: at ille nunquam verbo ingemiscere est auditus. Dicenti cuipiam vt reposita sibi in cœlo præmia expectaret, respondit: sibi à Deo cumulatè persoluta esse iam omnia. Dolores suos Deo per Beatissimam Virginem offerebat. Vnde id monenti Patrum cuipiam respondit: omnis hic morbi dolor, & labor opto vt sint deliciæ Matris Dei.

Oratio.

Mortif.

B. V.

P. IOANNES ROBE.

MAgnis in missione Hollandica, & Scotica laboribus perfunctus est emolumento animarum pari. Vbicunque esset, permultum amabatur, & dimittebatur ab inuitis. Catholica in Hollandia Virgo, cùm illum quartanâ affligi doleret, commiseratione tacta impetrauit à Deo, & per ipsos quatuor menses ipsa febrim illam sustinuit, Ioanne interea libero, ac valente. Cùm verò illa febrim haud cessare videret, suum illud desiderium inconsultę temeritatis damnauit, quasi nescuisset quid peteret. Nec mora, quartana febris puellam deseruit, Ioannem quasi postliminiò inuasit, ac etiam Duacum euntem comitata, & Scotorum Collegio istic præfectum, sexto ferè post mense per extremos quinque dies in continuam versa, Ioannem ad mortis nuncium exultantem extinxit.

Scotus Duaci. 13. Mar. 1633. ætat. 55. Soc. 30.

Fidei.

Morbus.

P. Hieronymum de Florentia aliqui hoc die ponunt. Vide 12. Martij.

P. FABIVS IVSTINIANVS.

NObili loco in Chio insula licèt natus, fugiebat tamen quà poterat nobilium familiaritatem; vt eam, cui semper studiosè quærendæ inuigilabat, humilitatem hac etiam parte absolueret. Sacras expeditiones per insulas cycladas pluribus annis labore magno, & magnâ in se asperitate, Græcâ istic linguâ exercuit. In ipso eius cibo humilitas, & paupertas luculenta eminc-

Græcus. 11. Mar. Moriet in Sicilia. 1648. ætat. 53. Soc. 34.

Mortif. eminebat. Triennio toto è ferreis catenulis contextum, vt sic dicam cilicium, illi pectus, & latera quà pungebat, quâ lacerabat, quippe arctè adstrictum. Ad nocturnam quietem vestibus non detractis, rudi se sacco inuoluebat. Aegrè quidem, at obedientiæ amore tandem illi tertio extremi morbi die persuasum est, vt ferream illam seu loricam voces seu cilicium, exueret. Verùm adeò illud sese in carnem penetrarat vt ferreis, alijsque adiumentis fuerit opus ad illud conuellendum. Pridie dixit, se postridie moriturum. Ad exequias Religiosi omnes qui Morycæ fuêre conuenêre, cum conferta vi multitudinis, ad conspectum elati cadaueris lacrymatæ; cuius manſuetudo & pietas per ipsum decennium illius abundè spectata erat. Cadauer ne direptis vestibus planè nudaretur in sacrarium debuit deportari. Laus eius è concionatorum ore per pulpita latè audita: & fama fuit, Deum eius nomine imploratam opem non vni præstitisse.

XIV. DIE MARTII.

P. ANTONIVS LOPEZ.

Hispanus Occisus in Hisp. 1579. ætat. 26. Soc. 6.

PRæstans illi ingenium, & virtus ingenio nihil minor. Accium (vulgo Guadix) profectus, vt sacerdotio initiaretur, posteaquam hoc die feliciter est inauguratus, Granatam redux ad aquas candidas cum 4. alijs Religiosis, à Morsies grassatoribus, seu Mauriscis concisus & internectus est. E sacris, quas abstulerant vestibus postea agniti grassatores cùm se inter suos iactarent, tenti, & supplicio affecti sunt, fassi primùm, ea ex quibus manifesta est coniectura eos ad illam innocentium cædem non tam lucri amore, quàm odio Christianæ Religionis permotos. Adeoque ille primo Sacerdoti, sui die diem vitæ supremum inuenit. Cadauera vulneribus fœda non poterant aliud ab alio internosci. Antonius tamen noster ex eo est agnitus, quòd penes illum repertæ sint examinis quod perticulare vocamus, tabellæ, seu libellus cum notis; quo signo quòd ex Societate esset facili argumento patuit: & condi-

Fidei.

tus est Granatæ, hac etiam suprema laude ornatus, quòd per iter quoque in examinis particularis accuratione, ad finem vsque constans perstitisset.

Examen particul.

P. VALERIVS REGINALDVS.

Burgundus Dolæ. 4. Mar. 1615. ætat. 80. Soc. 50.

HVmili loco rusticanis ortus natalibus, ingenio tamen, & virtute illos nobilitauit. Post Philosophiæ cursum laudatè planè quater, aut quinquies docendo emensum, Theologiam moralem plusquam 20. annis docuit, celebritate ordinariam supergressa; cùm tamen ille vnicus timeret ne à libris quos edidit, Societas aliquid obscurioris notæ acciperet. Suas laudes declinabat serió: & moriens nescio cui, aliquid quod in eius laudem vergebat dicenti, dixit, ne se his mulcerent: nec viuum se laudari velle, nec mortuum: id vnum se petere, vt laudum loco, lacrymas à Deo sibi flagitarent, & impetrarent, quibus peccata sua elueret. Se de post fœtâtes assumptum: eoq; omni loco, & honore indignum. Totum extremi morbi

Humilitas.

tempus partitè audiendæ patientis Christi historiæ impendit; cui dedicabat si quo posset se laxamento priuare, vt flosculis qui offerebantur. Cùm valeret; ad portam vocatus non priùs ad conclaue redibat quàm Christo in Eucharistia salutato; ita decere dicens, vt seruus iniussu Domini sui nihil faciat. Magna de illo apud Religiosos, aliosque bonitatis opinio fuit: & verò habuit nescio quid efficacitatis eius & vita, & oratio ad homines permouendos.

Euch.

P. VIRGILIVS CEPARIUS.

Italus Romæ. 14. Mar. 1631.

CVm Rector esset Florentiæ, fuit Confessarius Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ, quæ de illo Patres domi in exhortatione pro more alloquente absens in cœnobio dixit cuidam Sanctimoniali Nouitiæ: Quid putas quòd nunc faciat P. Rector? Illâ verò dicente; illum fortè orare; adiecit. Non orat; sed loquitur Patribus de tali argumento (& dixit exhortationis materiam) & Spiritus Sanctus illi format in ore singula verba quæ profert. Postridie interrogatus Rector id quod erat respondit; & collatis temporibus deprehensum est Magdalenam vera dixisse. B. Aloysij, & postea Ioannis Berchmanni vitam scripsit, magno planè operæ pretio. Fuit in officio suo diligens, in gubernandis animabus peritus, virtute solidæ tam in se quàm in alijs perfectè ac flagranter prouehendæ magnoperè addictus. Etiam tenerior pietas in eo fuit eximia, cuius præclaros ignieulos legi in manuscr. quodam illius libello quem ille *exercitium quotidianum* vocat. Sunt in illo nobiles, ac solidi, & selecti contritionis, fidei, spei, & charitatis actus, quos ipse meditatè concepit, & adnotauit. Sunt in illo pro die mortis, & de cultu Angelorum, atque Sanctorum pulchra non pauca. Cum Recineti anno 1584. viginti annos tunc natus humaniores disciplinas traderet iuuentuti, singulari erga sanctas in cælo Virgines pietate accensus, illas per modum aspirationum, seu Litaniarum; in menses annumque digessit, quotquot è Martyrologio vel aliunde nancisci potuit, vt illarum opem imploraret; sanctis mulieribus etiam postea in catalogum relatis. Ibidem post egregias pro sacri apparatione industrias, præscribit sibi coronam B.V. quotidie post prandium recitandam: & varias corollas minores ad Sanctos ac Sanctas. Tum Litanias Lauretanas, de SS. Sacramento, hymnos Eucharisticos. *Veni S. Spiritus, & emitte cælitus* &c quam Prosam Roberti Regis Galliæ esse ait. Et plura similia ad Spiritum Sanctum, cum Iubilo S. Bernardi, planctu B. Virginis, ac Petri Damiani hymno de gloria paradisi. quæ omnia ille ad suos vsus, & suauia priuatæ suæ pietatis incitamenta conscripsit.

Exhortatio.

Spiritus S.

B.V.

Sancti

XV. DIE

XV. DIE MARTII.

P. GONSALVVS SYLVERIA.

Lusitanus Monomotapæ. 5. Mar. 1561. ætat. 35. *Mortif.*

ILlustrissimis ortus natalibus, tertio antequàm natus est die, vagire in vtero auditus est â matre. Vino sæpe abstinuit. In tyrocinio vt se deformem redderet supercilia rasit. Sæpè ferreo cinctus cilicio humi, saxo pro cervicali vsus, decubuit. Cibarij panis frusto cõtentus pro prandio, sæpius in die dicebat ad populum. Mabatano in oppido multos baptizauit: & ex vero prædixit, ibi nunquam defore Christi cultum. In vico Bamba, ægrum Cafrem baptismo expiauit, & simul repentè sanauit. Disertè prædixit; se in odium fidei suspendendum; corpus abijciendum in aquas: hoc indicabant Vlyssiponæ illius manus cruore rubere visæ cùm inter sacrificandum, pro more, calicem eleuaret. Monomotapam 26. Decembris ingressus, postea ad Regem (qui *auri Imperator* dicitur) admissus, admirationi fuit, quòd oblata sibi dona, quæ alij admirantur & optant, non admitteret. Elegantem Dei Matris imaginem Regi donauit; cui suæ imagini simillima Beatissima Virgo Regi se coram per quinque noctes spectabilem stitit, illum sæpius allocuta: sed Rex illam à se non intelligi questus coram Sylueria, didicit ab eodem: cæleste esse illud loquentis Virginis idioma, nec intelligi nisi à baptismo lustratis. Et verò Sylueria Regem ac Matrem id flagitantes, priùsque instructos, sacro fonte expiauit. Sed Regis à suis sectæ suæ timentibus decepti iussu strangulatus est. Repertum in occisi cadauere cilicium ferreum; quod illi magicum quodpiam instrumentum sunt arbitrati. Tum funè raptatum in Motetem amnem abiecére. Aiunt, crocodilos in aqua illa ferociam ab eo tempore posuisse, nec vlli noxios fuisse, lucem quoque visam aquæ illi in aëre imminere. Morti addicebantur, fidei odio, quotquot à Sylueria Baptismum susceperant: sed Rex tranquillatus, & condocefactus, doluit patratam cædem Sylueriæ innocentis, ac duos eius necis autores capitali sententiâ damnauit: alij quoque variè interiêre. Hæc eius mors. Vita verò fuit mera oratio & sui afflictatio. Vlyssiponæ inter orandum aliquando sublimis in aëre pendere conspectus est. Intra diei spacium semel ac iterùm, aliquando tertiò, confitebatur. Quolibet festo Deiparæ, Aue MARIA millies reperebat, genu submisso sub initium salutationis. Perpetuus illi thorax cilinus, ferro quoque aculeis horrido aliquando adiecto. A flagris quotidianis toto dorso vnum propè vlcus fuit. Virgis (rotas vocant) se cædebat ita vt ictus vnicus sanguinem eliceret. Oleo quopiam perunctum dorsum postea idcircò persanabat, vt idoneum fieret iterùm nouæ sæuitiæ; quamuis partes etiam alias cruentaret. Breui, & valdè incommodo somno, crasso & sæpè amaro cibo vtebatur. Dormiebat sedens erectus cum vicina ad caput tabulâ; quæ ab annuente dormientis capite contacta strepitum ciebat, somnumque fugabat. Saniem è putrido famuli crure collectam, cùm se horrere aduerteret, totam exhausit, exemplo S. Catharin. Senensis, atque S. Xauerij. Cùm Prouinciæ esset Præpositus, per viginti dies, non nisi semel quotidie, idque pane tantùm, & aquâ soluit ieiunium;

Prædictio. *Sacrum.* *Paupertas. B.V. Imago.* *Loquitur.* *Non intelligitur.* *Oratio.* *Conf quotidiæ B.V. festa.* *Mortif.* *Somnus.* *Aegri.* *Ieiunia.*

Humilitas.

vt Deus Præpositio Generali mentem inderet, illum ab eo munere liberandi. In Missionibus peragrabat itinera primùm laceris calceis vsus, deinde nudipes ac mendicus. Ad collum vsque vadum ingressus, per aquas ibat, sacrificali apparatu manu in sarcina in altum elato. Iangamæ poma immatura, eòque acerba, repentè in manibus eius matura suauitatem mirabilem in duebant. Plus quàm sexaginta annis post eius mortem candidum eius cadauer aues vario colore spectabiles, choris velut altemis custodire conspectæ; cantu quoque suauissimo accinentes, alijsque aliæ ad eas excubias succedentes. Senex piscator aiebat tigrides quoque ac feras alias corpus illud (quod trunco alligatum, veste nigrâ, pileo clericali insigne ex aquis in ripam erectum erat) in dorsa sustulisse, atque in sylua deposuisse,

Aquilæ.

custodiaque sepsisse. Quinque aquilæ etiam ibidem visæ vicinæ corpori, securæ à feris, quæ magna erga illud cadauer signa reuerentiæ edebant. quæ omnia refert Barbuta Proregis Secretarius accepta à testibus oculatis.

P. LVDOVICVS CONSALVUS DE CAMERA.

Lusitanus Vlyssiponæ. 15 Mar. 1571.

HVic S. P. Ignatius vitæ suæ primordia dictauit, id impensè vrgenti, sibique percaro. Sebastiano Lusitaniæ Regi quàm fuerit in pretio, Regis dolor in eius morte, publicâ contestatus significatione ostendit. Oculis propè orbatus, longa patientiâ inclytus optauit mortem productis cruciatibus molestam, vt sentiret se mori. Nihil propè in illo maius quàm admirabilis inter aulæ blandientis fauores erga Deum religio, seuera sui custodia, pius, & circumspectus in Re-

Morbi.

gem amor, atque fidelitas, erga pauperes demissio, mens nullis aulæ fucis inobscurata. De hoc (nam alia de illo qui volet in Hist. Societatis reperiet) in Romano S. P. Ignatij cubiculo tabella vna pendens in hunc modum habet: *Hic S. P. Ignatius precationibus intentus à P. Ludouico Gonsaluo sæpissimè beatâ quadam luce circumfusus conspectus est.*

S. P. Ignat.

P. DIDACVS RVIZ.

Hispanus Hispali. 15. Mar. 1631. ætat. 70. Soc. 56.

IN summa huius viri eruditione atque ingenio non minus eluxit studium, se ad infima quæq; domus officio frequenter exercenda demittendi. Diebus quibus à scholis vacabat, laxamenti loco, ipse orandi spatia extendebat: quot mensibus diem solidum seponebat, quo se introspiceret, seque ad æternitatem nullo alio admisso negotio totus componeret. Vt pietatem, mortificationemque doctrinæ coniungeret, ac veluti Deum docentem discipulus reuerenter audiret flexis humi genibus studebat; & Sacramento pœnitentiæ conscientiam quotidie expiabat. Nunquam per omnem vitam notatus est aliquid temporis inutiliter perdidisse, aut silentium violasse. Lata in illo, atque ad omnes status pertinens, profundaq; vtriusque Theologiæ peritia. Vnde scripsit eaque Theologiæ lumen egregium attulêre. Supremis quatuor annis dolores calculi acerbissimos læta patientiâ tolerauit. Mortem desiderans illud ingeminabat identidem: *O dies æternitatis! quando te videbo?* Flagitabat à socijs, vt ad mortem non secus iuuaretur ac in Xenodochio quisque miserrimus.

Conf. quotid. Tempus Silentium.

Mors

P. BER-

P. BERNARDINVS CASTORIUS.

Italus Romæ 15. Mar. 1614. æt. 89. Profess. 4. votorum anno 50.

MAgnus in egregia erga Deum fiducia vir, quando illo Lugdunensis Prouinciæ Præposito anno 1594 Societas è pluribus Galliæ Collegijs in exilium pulsa est, quando illo Venetæ domus Prof. Præposito, anno 1606. inde Societas pedem extulit, non nisi anno 1657. reditura. Felicior illi fuit rectio Romæ Germanici Vngaricique Collegij per ipsos 31. annos, magnâ cum dignitate, amore ac earum nationum fructu. Temperantiæ virtute planè eximius, & prudentiâ longis experimentis partâ dulcique caritatis nectare conditâ, ita vt nec disciplinam laxaret, & tamen amaret, viciſſimque ab omnibus amaretur.

XVI. DIE MARTII.

P. IOANNES CARRERA.

Hispanus Complut. 16. Mar. 1577 Soc. 6.

MAgni homo corporis, viriumque olim inter Complutenses Academiæ iuuenes celebratatarum, inquit in hist. huius anni Sachinus numero 137. cuius verbis reliqua etiam adscribo. Cum Deo ausus, dæmoneque luctari maiore lucro, quàm hunc vicerat, victus ab illo est. Cùm enim Deo ad suo vocanti castra diu pertinaciter repugnaret, ad suos aliquando reuersus (erat oriundus ex oppido, cui nomen Val de Oliuas) vidisse dæmonem dicitur per fenestram in cubiculum in quo erat, irrupisse monstrosâ specie, & horrendâ: idque cùm existimaret tempus suam ostendendi, & animi, & virium magnitudinem, stricto ferro tam diu cum larua certasse, donec abegerit; Verùm tantum quamuis victori relictum horrorem, vt statim Complutum repetens cesserit Deo, & in gremium perfugerit Societatis. Sex annos in ea vixit apprimè solers, & vtilis in regendis pœnitentium animis, in opinione præstantis virtutis. Quæ opinio anno 1570. non parum est aucta, cum extractum è sepulchro eius caput, Mariæque Mendozæ Collegij Complutensis fundatrici concessum, dum terra, quæ adhæserat detergitus, cerebro prorsus incolumi ac vegeto repertum est. Res minimè dubia, aut obscura fuit. Quippe extractum è cranio cerebrum, & in patina expositum, plurimi accurrere spectatum, ac præ cæteris Vallesius medendi arte nobilis: qui pronunciauit sanè eam corporis partem, quæ vitiari celerrimè consueuit, annis tredecim durare integram sine opinione miraculi nequiisse, præsertim cùm haud perindè incolumes partes reliquę perstitissent. Celebrat & Orlandinus anno 1551. à num. 51. quendam Ioannem Carreram, qui semel auditam Stradæ Concionem, totam ad verbum è fideli memoria repetijt, quique Angelo suo Custodi familiaris, ab eo manè ad orandum excitabatur quotidiè, illo consultore vsus in dubijs vt amico. Is postea in Florida, & Mexico vtiliter laborauit, de quo 7. Ian. dixi.

Vocatio.

Angelus Custos. Mane suscitandus.

P. AN.

P. ANTONIVS IOANNES TICORDESES. BALDUS COADIVT.

Hispanus Hispali. 16. Mart 01.

CVm Gandiæ præesset Rector, sociis peste tactis seruiuit, & mortuos sepeliuit. Infantem à mortuæ Matris vberibus abstractam, obuiæ fœminæ honoratæ, quæ suum infantem tunc lactabat, lactandam dedit, & periculi à paruula è tali loco licèt extractâ securam esse iussit. Educauit illa infantem incolumis. Catharinæ Texedæ B. Ioannis Texedæ sorori persuasit, vt pestilentium Nosocomij præfecturam susciperet; incolumem fore pollicitus: & sic euenit. Barcinonæ iam Prouincialis, iterùm peste contacto cuidam è socijs Sacramenta ministrauit. Putatur primam innocentiam, nullâ grauiore noxâ maculasse. Lasciuam fœminam, quæ se ægram illi peccata fateri velle simulabat flagitium flagitantem, non vni vsitatâ non semel in Societate arte deterruit, cùm otio ad latrinam cubicularem secedendi petito, & impetrato, castas manus, & faciem sordidus illis ita perunxit, vt illa ei ad innocentem fugam vltro iter aperuerit. Duas iam horas orando duxerat cum socij è lecto consurgerent. Nunquam turbari visus, etiam crure ter fracto. Sterili cuidam matrimonio Hispali prolem masculam ex vero prædixit. Lue ab ijs quos confitentes audiebat haustâ decessit, domus Professæ Præpositus.

Prædictio.

Castit.

IN Italia, & Hispania, licèt aliàs parùm pius, tamen semper aliquem pietatis igniculum fouebat erga DEIPARAM, eiusque amore, die quopiam à carnibus abstinebat singulis hebdomadis. Sæpè illi veniebat in mentem, vt vel vitæ licentiâ, vel insigni sanctimoniâ valdè excelleret, mediocribus non contentus. Quoties aspicie bat imaginem Matris DEI, ab illa videbatur sibi aspici atque redargui. Vnde rubore suffusus, oculos demittebat. Aliquando cùm plenus irâ rueret in exitium, visa est eius lateri Deipara, quæ aiebat. *Quò vadis? Ne dubita fili.* Et ita periculo est ereptus. Precibus ad eandem fusis, nil timebat dæmonem, qui ei per mensem integrum spectabilis, horrido, vt pingi solet, aspectu quotidie apparebat. Aiebat se à Deipara nullam vnquam repulsam passum in ijs quæ petierat. Hæc prima scintilla magnum in illo postea se plus æquo cruciandi desiderium accendit. In quadragesima sub meridiem tenui iusculo, & pane contentus, vesperi nihil penitus admittebat. Ita iam perpurgatus ab omni vitæ liberioris licentia, Societatem impetrauit. In tyrocinio inter assiduos culinæ labores fluebânt illi vbertim perennes lachrymæ, quòd se olim adeò sceleratum, non in inferno, sed in loco tam sancto videret. Quocirca monebatur à Magistro, vt absterfis lachrymis lætiores *de amore Dei* cogitationes susciperet. Cùm vasa valetudinarij elueret, sentiebat se mirâ quadam flagrantiâ odorum afflari. Cùm diuinam synaxim perciperet, totus erat in delicijs Dei sese

Stalus Romæ 16. Mart. 1626. ætat 62. Soc. 27.

B.V.

Imago.

Mortificat.

Nouitiat.

Humilitas.

Euchar.

sese Purgato illi pectori infundentis: videbaturque sibi toto eo die os lacte plenum habere.

Examen. Aliquando vnà cum cæteris tyronibus examen suæ conscientiæ instituenti Christus velut ad accipiendas cõfessiones in sede compositus, Ioanni ea in quibus defecerat, suggerebat: hortabatur vt se in illis emendaret; remedijs quoque adhibitis, quæ illi explicabat, Ioanne interea mille delicijs delibato, & dicente: non amplius, Domine, non amplius: quia emorior. Dixit illi Christus: Fili, si dubitas in re quapiam, dic tua Superiori: & fac id quod ille te docuerit.

Obed. In Professorum Domo socius coco datus, inter lauandum videbatur sibi videre Christum specie longè pulcherrimâ, qui Ioannem laborantem aspectu amabili intuebatur. At Ioannes, vitæ suæ anteactæ memor, illicò in lachrymas soluebatur. Tum eum vehemens quædam animi perturbatio inuasit, adeò vt non è culina solùm sed etiam è Societate se proripere cogitaret. Quare ducto profundo suspirio, *Iesu*, aiebat, *Iesu bone, ne me desere.* & tum vicinus illi Iesus velut adstans, Habe fidem, dicebat, quòd ego sim Saluator tuus: & cognosce tuam superbiam, ac scito quòd sine me nihil possis facere. Fleuit profundâ humilitate se quis esset agnoscens Ioannes: neque deinde vnquam tentatus est in vocatione. Oculos, quos Recineti orando ac flendo propè iam perdiderat, Laureti ad B.V. supplex recepit repentè sanos: & ibidem institutâ peccatorum anteactæ vitæ confessione ad singula propè verba lachrymarum plenus, etiam in illo de peccatis dolore, cæleste quoddam gaudium sentiebat.

Morbus. Totus erat in officijs pietatis, & corporis afflictandi. In summis & arenæ, & pedis fracti doloribus aiebat se summis de cælo solatijs recreari.

Mortif. A fructibus, sale, atque alijs condimentis abstinebat: surgebatque à mensa, Romæ cùm Ianitorem ageret, nunquam, ne pane quidem, satur; & *B.V.* cilicio rigido accinctus. Litanias Lauretanas manè semel, semel item vesperi recitabat; & vt eis efficacitatem *Mortific.* adderet ad impetrandum, tam manè quam vesperi flagris se inclementer cædebat. Aiebat verò experimento sibi constare, se amore Dei longè plura posse perferre incommoda & dolores quàm aliàs existimarit: neque tamen agebat quicquam, nisi facultate obtentâ. Eiusdem amoris igne adeò vrebatur, vt iam inde à tyrocinio, ac *Amor Dei.* deinceps, optauerit fuisse summus in *Humilit.* seculo nobilitate, ac opibus, idcircò tantùm vt amore Dei maiora posset relinquere. Cæterùm Coadiutoris gradum, ac humilitatem magni faciebat; eoque se demittebat infra omnes. Famulum se Societati, imò seruum exhibebat; nolebat tamen haberi, nisi instar mancipij. Benignam esse Societatem erga suos Coadiutores; adeoque negabat se dignum ijs quæ illi exhibebantur; nec admittebat, nisi quibus egebat.

Officio suo accuratè fungebatur: conabaturque ne quam horulæ alicuius particulam deperderet, idcircò facilè otium reperiebat coronis DEIPARÆ, ac Litanijs eiusdem & officio recitando; adiectis etiam alijs varijs Litanijs.

Hac sui demissione, pietate, mortificatione se præparabat ad mensam *Euch.* Angelicam ter singulis hebdomadis adeundam: eamque adibat nunquam sine lachrymis à tenero corde fluentibus.

Si tentans dæmon illi ea obiectaret *Tentat.* quæ ad commoditates corporis pertinebant, illicò renouabat votum paupertatis; si ea quæ ad puritatem spe-

ctant, votum castitatis; si ea quæ animum inflant, votum obedientiæ, atque hac arte coortam tempestatem facilè dissipabat.

Ira. Damon.

Recineti, tum adhuc tyro, comitatus est Rectorem Collegij aliquando ad virum nobilem, cuius ceruici velut inæquitantem, & eius capillos tanquam frenum tenentem, ac ei variè illudentem simiam conspicatus, facilè aduertit id esse quod illi Rector postea, cùm visam à se simiam ei narraret, explicuit: fuisse nempe simiam illam, imaginem dæmonis nobilem illum ad fouendas cum quodam simultates acriter incitantis. Peruicit tamen illum nobilem postea bonus Deus, eiusque animum tranquillauit.

MICHAEL BONFIL. COAD.

Hispanus Tarraconæ. 16. Mar. 1632.

IN officio suo nec labori, nec diligentiæ parcebat, ad arctam disciplinæ accurationem semper attentus, & Nouitiorum exemplar, cùm in domo probationis habitaret. Incredibile est quanti fecerit institutum Societatis, & Coadiutorum felicitatem. Multam noctis partem agebat in oratione Dei, interdiu verò coram SS. Sacramento: à quo percepto, ibat in singultus, & lacrymas sub duobus tribusué sacrificijs, quibus pro actione gratiarum intererat. Constans, & in Aragoniæ Prouinciæ elogijs consignata fama est, quòd quidam Christi nascentis nocte, dum diuino sacrificio interesset, ex altari vna hostiæ diuinæ particula diuinitùs vltrò ad os Michaelis perlata sit, quam ille velut è Cælo sibi porrectam sumpserit.

Euchar.

Nox nati Christi.

P. FRANCISCVS PAGLIA COAD.

Italus Lupijs. 16 Mar. 1649.

ANte initam Societatem rusticus cùm esset, quicquid à fodiendis agris manu pretij colligebat, pertenui ad necessarium victura sibi seruatâ particulâ, pauperibus erogabat. Oculos adeò in disciplina tenebat, vt nesciret vbi domi esset fornix, vel tabulatum, cùm oculos non efferret. Per ipsos 30. annos coqui officium gessit accuratè. Cùm Româ de Coadiutorum pileis abrogatis rumor percrebuit, Franciscus vltrò, citra strepitum, illum Beatissimæ Virgini Matri offerens, illicò deposuit.

Oculi.

B.V.

P. IOANNES BREBEVF.

Gallus in noua Francia. 16. Mar. 1649. ætat. 56. Soc. 32.

APud Hurones in noua Francia permultùm laborauit ab anno 1626. Irruentibus in Hurones Christianos Iroquæis, fugam oblatam non admisit, vnà cum. P. Gabriele Lallemant; ne suas oues desererent. Dum inter Christianos, ac barbaros Ethnicos arderet prælium, hi duo animas expiabant, alter baptismi, alter pœnitentiæ Sacramento. Captis ergò, atque nudatis Ioanni & Gabrieli, euulsi sunt vngues aliquot, & inflicta fudibus verbera per singulas corporis partes; P. Ioanne ad Christianos ita dicente: *Filij, dum patimur; sursum in cælum oculos eleuemus. Videt hæc remunerator Deus. Moriamur fortes in fide. Gloria erit æterna.* Tum illi præcisæ manus, os contusum lapidibus, lingua adusta. Vtrique sub alas, & ad renes, ab igne candentes secures admotæ; ignita è collo appensa collaria, è quibus candentes secures pendebant; adiectum cingulum

Fides.

Patientia.

lum accensum è pice & resinatis corticibus; Ioanne interea, fortissimo silentio, stante inter flammas immoto, velut in extasi. Tum loqui cælestia, quâ poterat, incipienti os obseptum circulo, labra concerpta, truncatus nasus. In baptismi opprobrium, & imitamentum, vterque aquâ bulliente perfusus totus, obiectantibus barbaris; debere sic eos baptizari, quòd sinè baptismo nulla sit salus. Antequàm ferali palo alligarentur, palum vterque amplexus est, & osculatus. Mox Ioanni detracta superior pellis è vertice capitis, amputati pedes, caro è coxis ad ossa vsq; auulsa, mandibula securi diffissa, ferro vstæ plagæ; vtrique dissectum generosum pectus, euulsum cor nobile, atque à barbaris deuoratum. Ioannes eò appulsus neminem ibi reperit Christianum; moriens verò reliquit facilè septem millia. Decem annis ante mortem, voto nuncupato, & quotidie renouato, spopondit; se in singulis quæ ageret, id quod perfectius esse intelligeret, curaturum. Diu, & sæpè flagrabat desiderio ea omnia quæ vnquam vlli Martyres passi sunt patiendi. Vidit admirandi splendoris regiam, eamque ijs paratam esse factus est certior, qui ob amorem Dei in casis humilibus habitarent. Castitas illi semper vt illæsa pupilla oculi, etiam in illo regno nudæ liberæque libidinis. Dæmonem fœminæ specie personatum, & ad illecebras inuitantem, silentio, ac signo crucis fugauit. Infernum se malle aiebat, quàm vel vnum veniale peccatum; quia illud Christo displicet, estque vnicum malum Dei & hominum. Quodam die percussus à barbaris, vesperi gratias agebat Deo: & videre sibi visus est Beatissimam Virginem tribus in pectus defixis ensibus doloris plenam; audiuitque in cor loquentis Dei vocem quâ ininuitabatur ad B. Virginem imitandam; quippe quæ semper fuerit conformis voluntati Dei. Quocirca votum concepit coram SSS. Trinitate, Beatissimâ Virgine, & S. Iosepho, ac demum coram omnibus Sanctis, & particulatim coram SS. Ignatio atque Xauerio, se, vbi id per obedientiam licuerit. non declinaturum, si martyrij occasio quæpiam offerretur. In Beatissimæ Virginis sacello inter comprecandum vidit in suis ac sociorum vestibus maculas sanguineas. Dæmones illi leonum, vrsorumque instar conspecti; homines item armati, atque minaces. 23. Augusti post recitatas B. Virginis Litanias vidit cateruas dæmonum, qui illum deuoraturi videbantur; sed nihil potuêre. Mortem aliàs ita vt pingi solet coram se conspexit, quæ illi, furiæ instar, spiculum minaciter intentabat. Sæpè illum Beatissima Deipara, S. Ioseph, Angeli, Sanctique alij inuisêre. Editum quoque montem spectauit Sanctis vndique coopertum; in cuius vertice Sanctorum omnium Regina sedebat. Aliàs vel solâ Deiparæ veste, aut eius vestis orâ, conspectâ, sentiebat se lumine quodam perfundi: nec audebat oculos ad ipsam eius vultus maiestatem attollere. In exercitijs anni 1634. Christum spectauit spinis coronatum; audiuitque dicentem: *Habebis deinceps vnctionem spiritus in verbis tuis.* Aliàs cor sibi velut oleo perungi sentiebat. Diuinitatem meditans, Christum videbat, audiebatque docentem, atque monentem. Inde in Christi corde mirificè acquiescens exardescebat in Deum. Anno 1640. 27. Maij sub festa Pentecostes vesperi sub examine vidit ferè per Psalmi quinquagesimi recitati spacium rosam colore pulcherrimam: sentiebat se in arcano pectoris valdè accendi, & mirè omnia circumquaque ardere. Sæpè Christum spectauit in lumine, sæpiùs in cruce, vel cum cruce; quam

Silentium.
Fides.
Intentio vetita.
Pati.
Humilitas. Amor Dei.
Castit.
Venialepecc.
Vesperi. B.V.
Mors.
Sancti.
B. V.
Christus. Coronatur spinis.
Lingua.
Cor.
Examen.

Crux. Pati. Christus etiam in Ioannis humeros deponebat. Tunc benè, aiebat, sperabo de mea salute, cùm se mihi dederint occasiones patiendi quàm plurimæ. Apud populos Neutros, anno 1640. in hieme asperrima crux vastæ molis illi obiecta ex ea parte quæ ad Hiroquæos erat. Sæpè videbat inter orandum vesperi permultas cruces. *Lectio spirit.* Auditâ intus voce; *tolle, lege;* manè aperto Thomæ à Kempis libello incidit in caput *de via regia Sanctæ crucis.* Inde illi mirum in modum tranquilla pax, & lux inter tot aduersa diluxit. Sæpè arcana cordium introspexit, & futura præuidit. Optabat in tyrocinio *Obid.* fieri temporalis adiutor. Aiebat; se alieno nutu non minùs suauiter duci quàm paruulus sedeat in sinu matris suæ. Domi agebat sæpè coquum, seruum, mancipium: dies illi totus laborum plenus, noctu verò erat pernoctans in oratione Dei. Quotidie in se flagris sæuiebat? atque ad orandum *Mortific. Oratio.* non minùs accuratè se præparabat quàm si tunc primùm orandi artem condisceret.

P. IOANNES RISERIVS.

MAgnis in Hollandia sudoribus gloriosam operam fidei Catholicæ collocauit, inter perpetua capitis pericula, plurimis ad Orthodoxam Religionem adiunctis. Deprehensus est aliquando sanguineo & aqueo sudore perfusus cùm in arcta cista reconditus Prætorem euasit. Virum nobilem, cui iam mors proxima timebatur ab apostemate, quod guttur obsederat, signo crucis signauit in gutture, & vix digresso Ioanne apostema disruptum est, ægro postridie planè in columi. Eius sudore quo affluere post concionem solebat, nescio vnde acquisito, tuber cuiusdam illitum breui euanuisse fama fuit.

Belga Antuerpiæ. 16. Mar. 1650.

Fides.

Sudor sanguineus.

Sudor.

XVII. DIE MARTII.

P. FERDINANDVS GOMEZ.

17. Mart. Lusitanus Mexici. 1610 Soc. 36. EMexicano Curione Societatis operarius indefessus, ac patientiâ Charitateque præstans factus est, exemplo singulari. Enim verò (inquiunt literæ Mexicanæ) Deus optimus maximus qui tam præclaris eum ornamentis condecorauit in vita, signis etiam mirabilibus illustrauit post *Mort.* mortem: quemadmodum Dominicani Ordinis Religiosus testabatur, qui sequenti ab obitu Ferdinandi luce, sibi videre visus est ex nostri Collegij testudine candidam leuari nubem, atque orientem versus tendere, tum scalæ instar ad cælum ferri: quæ ille gestienti præ gaudio animi spectans, cùm Patrem Ferdinandum expirasse intellexit, magnâ erga eius sanctitatem veneratione cœpit moueri.

P. GABRIEL LALLEMANT.

PIoannis Brebeuf per 6. menses in Apostolicis apud Hurones laboribus, ac tormentis fidelis socius. Parisijs patritio sanguine natus, tener corpore, innocens animo, promptus ingenio, se diuino amori frequenter in holocaustum dicabat, id à Deo vnicè flagitans, ne quem è sua familia peri-

Gallus ibid. 17. Mar. 1649. ætat. 39. Soc. 19.

Charitas.

re

re sineret in æternum. Age, aiebat ad seipsum identidem, age, anime; pereamus sanctè, vt dulcissimo Iesu cordi vel sic iucunditatem quam possumus pariamus! dignus est Iesus pro quo aspera omnia perferamus. Apud Hurones Atironta illi nomen. Prærer toleratas candentes secures, & alia quæ in Ioanne heri narraui, acutis suffixis subulis est excruciatus. Effossi illi oculi, & eorum loco in cauum orbium oculorum carbones ardentes inserti: totum corpus reliquum igne tostum, caro vndique lacera & à barbaris vorata.

Fides.

XVIII. DIE MARTII.

P. RAPHAEL FERRER.

Hispanus in America Mar. 1611. ætat. 45. Soc. 24.

EX Aragoniæ Prouincia in Peruanam translatus, modestiæ ac paupertatis præcipuo studio capiebatur, lachrymis vbertim cadentibus plenus quoties diuinæ aræ sacrificium celebraret, imò si vel litanias recitaret, aut pium libellum quempiam lectitaret. Missiones illas optabat quæ magis arduæ videbantur. Populum in templo ad scenicum spectaculum congregatum vt ab eo spectaculo abstraheret, in scenam cum crucifixo prodijt, & tenerrimam omnium complorationem dictione ardentissimâ concitauit, ac spectaculum impediuit. Cofanes, diros populos, adijt; & ex ijs quadringentos ad sacri fontis Sacramentum pellexit. oppida tria condidit. Barbarorum nonnulli simulatâ specie amicitiæ illi per iter obuij, & gratulati, illum, ob fidem peregrinam prædicatam, in aquam mense Martio per pontem dedêre præcipitem. Literæ de illo submerso datæ 18. Martij.

Lectio.

Concionis.

18. Martij.

P. NICOLAVS DE SCHMIDT.

HVnc per varia rerum, ac turbida in Societatem inuexit Deus, Antuerpiæ lautâ domo natus, cum Pædagogo, seu morum præfecto, Hispaniam, Italiam peragrauit. Venetijs, præfecto non inconscio, nec inuito, inductâ procacem fœminam castissimè indignatus, eiecit. Per iter à grassatoribus captus, exutus, arbori alligatus, atque ita feris famique relictus, diuinâ ope sese explicuit, cum Pædagogus interea nequicquam conatus, se eo arctius implicuisset, atque inter connitendum miserè strangulasset. Louanium redux, dum Societatem meditaretur, abiectâ illâ cogitatione victus à suis, animum ad nuptias adiecit; sed per varia turbamenta, redijt ad mentem pristinam, quando vxore vndecimo post nuptias mense extinctâ & aliquot nauium mercibus onustarum iacturam perpessus, ad Societatem venit, In qua legendis, adnotandis, narrandis, ad imitandum cœlitum vitis piam semper operam dedit, inter omnem sucrum munerum accurationem. Silentij, & sanctissimæ Eucharistiæ sæpènumero salutatæ cultus, animarum Purgatorij per fusas ad Deiparam preces, & indulgentias adiuuandarum, frequentandorum a-

18. Mart. Belga Louanij 16. 0. ætat. 68. Soc. 32.

Castitas.

Vocatio.

Sanctorum cultus.

Itinera. ctuum amoris Dei perquàm maximè studiosus. Pedes, etiam ætate ingràuescente, sex, septemuè leucas exantlabat, morbis postea & multis grauibus tolerantiâ magnâ ferendis planè insignis; paulò post diuinum sacrificium peractum; paralysi, ac secutâ breui morte prostratus est.

P. IOANNES IACOBVS ROCHE.

Gallus Cadurci. 18. Mar. 1632. ætat. 60. Soc. 37.

EX Anicensi Canonico Societati nomen dedit. Constat, inquiunt de illo literæ, illum Iuuenili ætate, cùm ex morbo in extremis ageret, Eucharistiam sibi dari enixè flagitasse, spe ac fiduciâ exorandæ à Christo sanitatis, nec temerè: magno siquidem medicorum animam pœnè agenti adstantium stupore, penitus conualuit. Diuino amore adeò æstuabat, vt inter colloquendum scintillæ aliquando illi erumpere, ac ipse sui compos minimè videretur, ij verò tam nostri quàm extrarij qui eum audiebant, sentirent se maximoperè commoueri. Diuino IESV nomini dulcissimè pronuntiando fuit impensè addictus.

Eucharistia desiderata.

Pia colloq.

P. ALPHONSVS GUERRERUS.

Indus Mexici. 18. Mar. 1640.

HIspanis nobilibus, & opulentis natalibus ortus Mexici, perpetuum paupertatis, & humilitatis fuit speculum in Societate in qua Crucifixum è collo pendentem gestabat semper ad pectus. Inter orandum in medio cubiculi, repertus est ab excitatore manè à terra sublimis. Tempus omne particulatim in horas, & earum partes, occupationesque diuiserat; Ægrorum adeò amans, vt cùm pro nulla re alia voluerit facultatem generalem, pro hoc solo obtinuerit; vt ægros posset inuisere. Æger ipse gratias Deo agebat, & illud identidem repetebat: *Domini sumus, Domini sumus.* Tandem; valdè, inquit sitio, sed gratias Deo quòd eam ad lucidos illos riuos & salientes ex Paradiso. Tum se in lecto tanquam moriturus composuit, & socios qui aderant citra solicitudinem esse, quietè dormire, nec nisi accersitos reuerti ad se, iussit. Ita manè repertus est, iam requieuisse in pace.

Crucif.

Oratio.

Tempus.

Infirmitas.

Mors.

XIX. DIE MARTII.

MICHAEL VICTOR COADIVT.

Germanus Foroliuij 19. Mar. 1614. ætat 56. Soc. 22.

SIngulare in Charitate erga ægros, in reuerentia erga sanos, in eximia erga Beatam Virginem & cœlites pietate, omnis virtutis exemplum fuit Michael. Venetijs mirabili accuratione seruiuit ægro cuidam nostro; cuius morbi diuturni, & plures & graues robustissimum quemuis poterant fatigare. Fecit id ille sine stomacho, sine querela, constanter vsque ad finem; & morbum ipse ab illo, quo postea semper conflictabatur, contraxit; vsque ad vitæ discrimen adductus. Et tamen etiam ita vt deinceps erat infirmis viribus, non minus quàm sani Coadiutores laborabat: nunquam extra prandium & cœnam visus comedere qualicunque laboris obtentu, aut coadiutorum vires restaurantium exemplo, aut humano quocunque respectu. Ipse illis ieiunus ministrabat. Supremo in morbo vltimum diem

Charitas.

Temperantia in cibo.

diem suum aiunt visum esse animo præsagire, dicente sub ipsam eius mortem præfecto rerum spiritualium, vt extremi temporis particulas diuino amori crebriùs repetendo, impensè impenderet, gratias ageret, seque illius voluntati vndequaque offerret, Collecto ad ea quæ iubebatur præstanda animo quieuit: mox hilaritate suauissimâ dixit videre se Beatissimam Virginem, Sanctum Ioachimum, SS. Angelos aduentantes. Plura dicentem, seu dicere linguâ, mortuali quodam sono iam balbâ, eoque non sat intellectâ molientem, fugiens vita deseruit.

Mors.

Beatissima Virgo. Angeli. S. Ioachimus.

P. PETRVS COTONUS.

Gallus Parisijs. 19. Mar. 1626. ætat. 63. Soc. 43.

CVm Taurini adolescens literis daret operam, Angelus custos vetuisse fertur illum ad balneum, seu ad aquas descendere lauandi causâ; & eodem die illo ipso in loco, duo adolescentes occulto in aquis vortice absorpti sunt. Aliàs quoque fama est, Angelum iuuenis equo vecti specie illi præiuisse, ne in vado periculum vitæ subiret: suum item, ac suorum Custodes Angelos illi sæpè conspectos, eum docuisse multa quæ ad eos pertinebant, quos ipse in spiritu gubernabat. Aronę tyrocinium posuit: Mediolani Philosophiæ, Romæ ac Lugduni Theologiæ operam nauauit. Virginitatem humilitate tuebatur, & Deiparæ, S. Iosephi, Angelorumque præsidio: atque hi quidem, illi coxas casto funiculo arctissimè adstrinxisse feruntur, vestigio etiam post annos 40. conspecto & agnito. In oppidulo quodam rusticis operam sedulam dabat. Ibidem visus, etiam à nobilioribus & aulicis, est non semel inter orandum corpore toto radijs vndequaque circumdatus. Et tunc illum dæmon variè tentare orantem cœpit; ac licèt victus à Petro sit, sæpiùs tamen reuersus est, hæreticis quoque in illius necem non semel concitatis. Massiliæ aiunt eum in templo interrogasse; ecquis esset quidam (quem ipse digito monstrabat, quemque prægrandi bufonis capite horrendum videbat) istic præsens. Responsum est; esse Ludouicum Gaufridium. Is Ludouicus postea magiæ ac obscœnorum scelerum pœnas flammis exustus dedit, magnus veterator, Confessarij obtentu, & spurcus hypocrita in fœminis selectioribus ad Confessionalem suam sedem per arcana lenocinia pertrahendis. Henrico IV. Regi à Concionibus, tum à Confessionibus fuit: à quo destinatam sibi Arelatensis Archiepiscopatus infulam, & impetrandam à Pontifice purpuram, dextrè, religiosè, constanterque reiecit. Delphinum educauit; eundemque postea confitentem audiuit; ac pro concione ab eodem auditus est, donec optatam ab aula quietem impetrauit. A morte confestim Valentiæ, Rodumæ, Parisijs à pluribus luce mirâ illustris conspectus fertur. Ante diuinum sacrificium quotidie confitebatur, & Martyrologium legebat; vt se ope Sanctorum illi Sacrificio præpararet. In ipso sacrificio consilium à Deo de rebus agendis capiebat. Vnde ad sacrificandum euntis, vox fuit: *Eamus ad consilium.* Diuinum officium attentione plurimâ, & non nisi de genibus, recitabat. Virtus illi tam ardens, tam solida, vt eam ne aula quidem suis artibus, fauore, inuidiâ, odio, amore, labefactarit. Vulgo *bonus aula Angelus* dicebatur. Multa de illo admiratione, plura imitatione digna dabit annus 1626.

Custitas.

Oratio.

Pater spirit.

Ang. custos.

Sacrum.

Oratio.

Angelus aulæ.

Legi hisce iam perscriptis, impressam à P. Rouerio eius vitam, è qua hæc

hæc pauca delibo, illis quæ iam dixi omissis. Romæ P. Bobadilla, vnus è primis Societatis decemuiris, Petrum Cotonum tunc Theologię auditorem amanter complexus, Hic, aiebat, Gallus pluris erit quàm decem Hispani. Fama vulgauit, hæreticum Petro de Eucharistia pro concione audito, di- *Euchar.*
xisse visum sibi splendidum paruulum ex aræ tabernaculo prodeuntem ac inambulantem: & hisce auditis ac visis orthodoxæ fidei manus dedisse. Cùm anno 1604. 13. Ian. à sicario vulneraretur, aiunt visam à pia fœmina *B.V.*
tũc absente DEIPARAM suâ manu manum sicarij ne vulnus altiùs imprimeret auertentem. Sub idem tempus quo diem Parisijs obijt, Nanceij dæmon ex energumena lætus dixit: mortuum esse Cotonum.

Illud quoque de illo famâ increbuit, quòd Valentiæ Segalaunorum, *10 Martij.*
loco Parisijs 118. leucis dissito, Petrus postero die mortis, matronæ piæ se conspiciendum splendore magno præbuerit: quòd Rodumnæ Antonia Miela fœmina multâ virtute illustris, proximis ante Cotoni mortem diebus lucem languidam, suggestum in aëre ac sedentem in illo virum puerili quadam venustate in facie floridum, sceptroque insignem viderit; Cotonumque sibi à morte spectabilem ac ea ita explicantem audierit vt diceret, lucis pallorem indicem fuisse mortis; suggestum in aëre, doctrinam cælestem; puerilem in facie venustatem, innocentiæ symbolum; sceptrum denique notam fuisse recti consilij in conscientijs gubernandis. Quòd ibidem Ioanna Matelia Virgo à virtute impensè clara fidemque commerita, mortis eius ignara, illum videre sibi sit visa fulgore aureo collucentem, aureoque in throno cum maiestate regia & cultu considentem, ac sagittas flammeas versus SS. Eucharistiæ, Sacramentum *Euch.*
iaculantem. Et vesperi mors Cotoni illi est nunciata. Ibidem Anna Vitella vidua longè pijssima visa sibi est esse Parisijs, ac videre Cotonum è cælo *Corpus.*
candidatum delabi ad locum in quo eius cadauer iacebat, gratiasque age- *Mortif. Castit.*
re suo corpori prolixè, quòd tam vtilem ac facilem sibi operam ad salutem præbuisset: tum inter IESVM, MARIAM, IOSEPHVM ad cælos remigrasse. Pergit Rouerius vitæ autor; aitque illum Parisijs à quodam conspectum cælos penetrare: alium ad eius corpus in feretro collocatum orantem vidisse P. Coloni concionali veste stolaque amicti speciem, gemmis tam in veste quàm in stolâ perlatè lucentibus. Cui- *Sacrum. Oculi.*
dam qui ei dĩuinis operato seruierat, dixit illum tetro quodam odore sor- *Castitat.*
duisse toto tempore sacrificij, adeòque autor illi fuit vt conscientiam expiaret. Fassus est alter se impuro oculorum coniectu fœdatum sacrificio ministrasse. Omitto permulta quę laudatus autor affert de ijs qui se à Deo incolumitatem recepisse grati testati sunt per Coloni preces. Etiam imago DEIPARÆ (quam ille dono cuipiam dederat, eidemque inscripserat, *ora pro Petro Cotono*) ægræ mulieris capiti ad- *B.V.*
mota febrim ab illa somni hactenus diu noctuque experte dispulit, somnumque illi conciliauit; plures autem à dolore capitis liberauit; id quod quidem ego ad DEIPARAM potiùs quàm ad Cotonum retulerim. Adeò *Charitas.*
plenus erat suauissimæ charitatis, vt Henricus Magnus Gall. Rex dictitaret: Cotonus de nemine malè censet; & nemini vnquam succenset. Mirificè dissimulabat, excusabat, tegebat si quid perperam ab aliquo factum audiret, ingenio planè miti, miraque prudentiâ, suique demissione, quicquid vel ab alijs vel à Rege ipso honoraretur. Idem Henricus IV. Rex anno 1603. die S. Thomæ Apostoli P. Coto- *21. Dec.*
num

num Regio in curru è Regia vectum eduxit, ac per celeberrima Vrbis loca circumuectum ad primarij templi ostium inter tubas tympanaque strepentia comiter adduxit, & regiâ suâ manu illi porrectâ eum suggesto vt ad concionem diceret, amanter admouit. Hæc, atque his plura videri possunt in eius vita nuper in lucem data Lugduni.

BARTHOLOMÆVS SANCHEZ COAD.

Hispanus Baezæ. 19. Mar. 1617. ætat 40. Soc. 16.

A B infideli amico, cùm dormiret, vulneratus, & in periculum capitis adductus, à Christo (quem pastoris specie sibi præsentem videre est visus) ereptus, nomen Societati dedit: in qua labore ac dirâ se variè afflictandi assiduitate excelluit, mortificationes gemmas vocitans; inter quas tamen maioris pretij esse aiebat eas quæ cum aliqua se profundiùs abijciendi occasione coniunctæ sunt. A sacra Synaxi perceptâ oranti dicunt IESVM paruulum spectabili specie adfuisse; ac Bartholomæum suauissimo eius colloquio, & vulneribus recreatum. Inter cælites præcipuo cultu prosequebatur DEIPARAM, S. Iosephum, & S.P. Ignatium.

Christus Pastor. Mortif. Humilitas.

Euchariſt.

Iesus infans.

P. ANTONIVS DE ANDRADE.

Lusitanus Goæ. 19. Mar. 1634. ætat 54. Soc. 38.

A B anno 1600. in Orientis India impiger laborauit. Iter in Tibet suscepit penes Gangem, per cæca, varia, horrida itinera reptabundus inter frigora tam acria vt ei digiti pars congelata deciderit. Tandem in montem excelsum euasit, vbi Gangis natalis est locus. Rex Tibetanus, ad bellum profecturus, ad Antonij se pedes abiecit, benè sibi ab eo dici petens. Templum *Beatissimæ Virginis à spe* ibidem cùm conderet, ipsi Proceres Tibetani operas adiuuabant. Ægro inter summos dolores conspecta DEIPARA dolorem omnem absterserit, cùm dixit: *Iam, fili, nihil tibi dolebit amplius.* Veneno demum interijt, in morte iterùm DEIPARÆ præsentiâ & allocutione recreatus. Venenum se illi porrexisse gloriatus est filius cuiusdam, in quem, tanquam suspectum & notatum de hæresi, multa egerat, eratque acturus Antonius à Sacra Inquisitione Deputatus. Depulsos, eius nomine ac ope post mortem imploratâ, morbos fama est constans. Ita P. Albertus Mescinski febrem semestrem discussit: & mulier transuersam in vtero prolem, breui felicique nixu enixa est, ac exempta periculo: alterius tumidum genu ad P. Antonij sepulchrum confestim consanuit. Illud quoque mirum, quòd eius cadauer seorsim, ab alijs conditum, in imposito marmore suam effigiem, tanquam coloribus expressam, reliquerit: id quod veneni vi factum existimabant nonnulli; sed aliter sensêre, cùm effigiem illam è marmore eradi non posse viderunt. At Problema esto, per me licet.

B. V.

Fides.

Imago in sepulcro.

P. LOPIVS DE CASTILLO.

Hispanus Triguerij. 19. Mart. 1623.

IN Triguerienſi Collegio per 51. annos magno virtutis nomine clarus vixit, per quinque supremos vitæ annos Podagra illum lecto affixum tenuit, magno planè voluntatis cum diuinâ consentientis documento. Dicitur per iter in nomine Domini quendam ab annosâ podagra liberasse.

Oratio. Podagræ.

PETRVS CARDINALIS PAZMANY E SOC. IESV.

Hungarus Posonij. 19. Mar. 1637. ætat. 63.

HVnc virum inter summos viros quos habuit vnquam Hungaria fuisse aiunt omnes qui rerũ eius Regni periti sunt. Cùm iam Strigoniensem Archiepiscopum, & sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem se videret nihil de antiqua erga minimos sociorum familiaritate remisit; aiebatque se, in suæ Matris sinu mori velle.

Vocatio.

Aliquando Societatis in qua Religiosè vixisset memor illachrymatus est suis splendoribus & dicebat, timere se etiam illam felicitatem suam, quâ videbat sibi prosperè fluere vniuersa.

Fides.

Illi debet multos Orthodoxos proceres Hungaria, quos ille mirabili, tum palàm, tum priuatim dicendi, & libros de controuersijs perscitè Vngaricè stylo culto ac nitido, latineque scribendi vi, ad veritatis lumen adduxit. Collegium Posonienſe, Academiam Tyrnauiensem, Seminarium seu Collegium Alumnorum Pazmanianorum Viennæ fundauit, Monialium sanctæ Claræ Cœnobium Posonij extruxit. In pauperes liberalis, Romæ vno die pauperi cuidam domui quingentos aureos, quos Romæ Hungaros vocant, dedit. In Collegio Germano-Hungarico ijs qui in Vngariam redituri illo egent viaticum perpetuum assignauit.

Humilitas.

Humilitate fuit tantâ, vt cùm in loco relaxationis verbum quoddam familiarius dixisset tum iam Cardinalis quo existimabat quendam è magistris nostris offendi potuisse; ab illo postea se vocato, licèt nec offenso veniam flagitarit. Gaudebat se Varadini in vrbe, ac Regno DEIPARÆ Matri sacro natum. Romæ olim in Collegio Romano Theologiæ operam dederat. Inde illi præclara Italicæ quoque linguæ peritia. Latinè verò dicendi & vis & vbertas plena maiestatis, atque prudentiæ. Vnde à Ferdinando secundo Imperatore Romam ad Pontificem missus, in admirationem rapuit vrbem, ac eos potissimùm qui eum dicentem audiêre. Paulò ante literas ipsius Ferdinandi secundi Imperatoris manu exaratas acceperat de Ferdinando tertio creato Romanorum Rege, ac illas ad Collegium Tyrnauiense miserat, cùm breui post acceto de ipsius Ferdinandi secundi morte nuncio, post fusas acerbas lachrymas itineri se accinxit vt seu Ferdinando secundo Parentaret, seu Tertium solaretur. At in itinere illum apoplexia, mox verò Posonij mors excepit, prægressis priùs quibusdã, quæ illius mortem imminentem visa sunt nunciare, de quibus in eius vita. Cæterùm, anno 1640 (qui Societati confirmatæ secularis fuit) eum Collegium Romanum annum illum apparatione variâ celebraret, annuente Mutio Vitelleſcho Præposito Generali, etiam Cardinalium Societatis effigies istic Propositæ sunt, nempe Francisci Toleti, Roberti Bellarmini, & Petri Pazmany. Et huius quidem hæc est epigraphe: *Petrus Cardinalis Pazmany Societatis IESV.* Spectantur illæ imaimagines in Romani Collegij aditu etiamnum. Scripsêre de illo Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatis, Ioannes Nieremberg in viris illustribus, & Marraccius in purpura Mariana.

FRAN-

FRANCISCVS DIAZ COAD.

Hispanus Compluti. 19. Mart. 1605 ætat. 32.

DE hoc testati sunt Pater & Mater, illum cùm infans à Matris pectore penderet, videretque Patrem strictum ferrum in Matrem furenter torquere, obiectâ maniculâ repentè ac primò locutum dixisse: *Que haze Padre? Quid agis Pater?* Ita Patris furorē admiratione infantis locuti repressum. Compluti valetudinarij minister factus, vitam duxit ad omnes charitatis ac legum nostrarum apices apprimè attentam, nonsecus atque si leges nostræ diuino decalogo essent præceptæ. Saucium cuiusdam & sordibus plenum oculum cùm linteolo extergeret, videretque infirmo id magno dolori esse,, linguâ ita blandè extorsit vt eum breui restituerit. Diuinæ præsentiæ memoria diuinæ Matris ac S. Iosephi cultus nobilia illi fuêre instrumenta ad perfectam virtutem. Anno 1604. ruri charo suo in valetudinarij cura socio dixit, sibi vitæ annum non integrum supereſſe. Eidem Martio ineunte iam æger dixit id quod anno superiore dixerat euenturum, seque die S. sui Iosephi migraturū è vita. Interea illū rogauit vt taceret, atq; oraret: id certò in futurū vt dixerat. Petro Garciæ medico clam dixit, se die S. Iosephi moriturum. ita sibi esse dictum à Virgine Matre, *quæ ibi stat*, inquiebat, & certum locum cubiculi commonstrabat. Rogabat ergò vt pretiosa sibi non præscriberet. sed illa quæ molesta sunt & vilissimè constant. Consulendum esse Collegij paupertati. Ipso die, Sacramentis iam antea procuratus; cùm putaretur mors adhuc procul abesse, vrsit vt P. Minister accerseretur ad migrantis animam commendandam. Parùm id quidem opportunum visum nocte intempestâ, nec apparente periculo, adfuit tamen accitus Pater, ac petitam à Francisco animæ commendationem recitauit, & æger felicem animam tunc egit cùm preces illas P. Minister absolueret. Scripsit hęc de Francisco Pater ille Alphonsus Ezquerrera, de quo nos alibi.

Regula.

Charitas.

S. Iosephi.

Mors. B. V.

Paupertas.

XX. DIE MARTII.

P. IACOBVS TYRIUS.

20. Mar. Scotus Romæ. 1597.

IN huius cùm adhuc puer primam literaturam condisceret, capite ac vultu radij quidam emicantes frequenter conspecti fuisse dicuntur. Eidem in Collegio Romano Logicæ operam nauanti (vt ipse id fassus est triduo ante mortem ei, apud quem totius vitæ conscientiam expiauit, & conscientiæ suæ rationes pro more introspicienti) ante decem ferè annos, tunc iam mortuus S. Pater Ignatius apparuit; acriterque coarguit, quòd languente primo ardore, aliquid ex orandi tempore ad studendum decerperet, furto ignobili; pluriſque faceret scientiam quàm virtutem. Tunc verò Iacobus accessorium vt vocant principali, studia virtuti coniunxit quidem, sed postposuit; factus postea Germaniæ Assistens, sub vitæ finem videre sibi visus est per quietem, se cum eo qui sibi sacrificanti ministrabat Adamo Vuakob coadiutore peregrè proficisci, & Adamo breui post 15. Martij extincto, ipse quoque se ad peregrinationem, siue ad Patriam potius,

Studia.

S. P. Ignat.

Oratio.

Virtus præ studijs.

Mors.

tiùs, composuit, somnii sui memor, & mox æger 20. Martij decedens, peregrinationem suam inter mortales explicuit.

P. MICHAEL RODES.

Hispanus Gerundæ. 20 Mar. 1623 ætat. 69. Soc. 43.

HVius Patri Barcinonæ se Ignatio addere socium volenti, dixit S. Pater Ignatius, id non illum, verùm eum, quem matrimonio susceptus esset, filium, præstiturum. Et verò Michael eam prædictionem impleuit. Barcinonâ Gerundam cum Francisco fratris sui filio (qui & ipse postea in Societate diem finiuit) euntem tempestas horrida & tenebræ occuparant. Ergò S. Ignatium supplex implorat; cùm Franciscus Michaeli: videsne, inquit, ibi (& locum indicabat) Patrẽ Ignatium? Aduertit oculos Michael; & licèt Ignatium nõ videret vidit tamen lumen facis instar. Cuius præcedentis ductus, per duas vt vocant, leucas Gerundam appulsus est, face deinceps non visâ. Inde illi pietas erga Sanctum Patrem mirificè increuit per 30. annos supplicationi virorum præfuit, qui se ferijs festis, & festis diebus in templo nostro sæpè flagellant sed & ipse tantâ sæuitiâ se afflixit, vt medicis opus fuerit, qui corpus contusum reficerent. Aiunt numerum iniri non potuisse illorum, quibus per illum Religiosæ vitæ adeundæ desiderium iniecit bonus Deus. Orandi & amans, & sciens, cum dæmone in conclaui suo non semel certauit acerrimè. Morti vicinus ipse in eum quo morientes iacere solent situm se cõposuit; ipse sibi oculos clausit, atque ita mortem expectauit, & obijt.

Iter.

S. P. Ignat.

Mortif.

Pia colloq.

Oratio. Dæmon.

Mors.

P. MANCIVS FIRABAYASCI.

PHilosophicis, ac postea per biennium Theologicis eruditus disciplinis, in patria pro religione multùm boni fecit, & multùm mali perpessus est; vt benè faceret genti suæ. Sub Daifui tempestate inter eos fuit qui in Iaponia clandestini se occulere sunt ausi, quò Neophytos in fide firmarent. Labores, & magna rerum necessariarum penuria illum tandem prostrauêre. Dolorum, quos acerrimos patiebatur, condimentum fuêre cælestes deliciæ, quibus perfundi se persentiscens, dulcissimè in illa Iobi verba sæpiùs soluebatur; *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Hisce sæpius repetitis optabat tenerrimè ad IESV, ad MARIÆ conspectum quantocyùs euolare, & euolauit non sinè singulari suauioris lætitiæ significatione.

Iapon. Nangasachi 20. Mar. 1615. ætat. 44. Soc. 20.

Fidei.

Patientia.

Mors.

P. ANTONIVS IVLIVS BRIGNOLE.

ANte Societatem initam, nobilitate, opibus, matrimonio ac prole nobili, obitâ laudatè ad Philippum IV. Regem Catholicum Genuensis Reipublicæ nomine legatione, ac demum Senatoriâ eiusdem Reip. dignitate spectabilis; vbique magnum ingenij, eloquentiæ, liberalitatis, fidei, & sapientiæ specimen dedit. Deinde coniuge præmortuâ viduus, ad sacros ordines, denique ad Societatem IESV, transijt, ac magno & foris, & inter nos exemplo sanctum Sacerdotis ac religiosi nomen impleuit. Patre adhuc superstite, donauit Reipublicæ Genuensi centum millia librarum ad vsus.

Italus Genuæ. 20. Mar. 1662. ætat. 57. Soc. 10.

vsu belli naualis, quam animi amplitudinem postea in eleemosymis erogandis tam liberaliter ostendit, vt diuini thesauri præfectus, vulgò *Cassiero di Dio* diceretur. Cumque domus etiam suæ rationem habendam esse moneretur, aiebat: *Dabo ego Deo donec dabit mihi Deus: & illi curæ atque cordi erit domus mea, & liberi.* Id quod quàm ex vero dixerit, satis ostendunt, diuitiæ ac florens fortuna illius domus & nominis. Religiosis, alijsque indigentibus, mittebat schedas quas collybisticas vocant, magnâ vi auri inscriptas, quam à trapezitis acciperent. Postea Societatem amplexus, dicebat se Societati nil dedisse errore deceptum quòd putaret nostra domicilia subsidio non egere; neque Confessario, neque alijs de Societate quibuscum familiariter agebat eâ de re vnquam quicquam locutis.

Eleemosynæ.

Cùm in Hispania apud Regem esset Orator Reip. Genuensis Xenodochio Italorum eleëmosynam stabilem assignauit. Ibidem aliàs ijs qui Xenodochio præerant de imminuendo ægrorum admittendorum numero deliberantibus, quingentos Hispanicos aureos (qui vulgaribus nostratibus duobus æquiparari ferè solent) dedit. Die quodam, ingenioso spectaculo in theatrum dato nobilitatem recrearat; cùm auditione accepit, eo die consueuisse nobilitatem ad Xenodochium pietatis causâ itare; illo verò spectaculo factum vt eo die id omissum fuerit, adeoque Xenodochium consuetâ quam ab aduentantibus expectabat stipe caruerit. Ergò vt iacturam illam luculentâ liberalitate compensaret Antonius, illicò totidem aurea scuta Xenodochio misit quot spectatores nobiles in suo illo spectaculo numerarat. Aliàs in magnâ caritate annonæ mille aureos Hispanicos dedit, qui in tenuioris fortunæ familiarum domos distributi, aliorum quoque diuitum liberalitatem ad imitationem Antonij excitauêre.

Veniunt ex Hispania Genuam arculæ, quarum singulæ habent facilè viginti millia Philippicorum; vt quidam vocant monetam illam argenteam octo circiter, aut paulò amplius, Iulios continentem. Nonnunquam totum illud argentum, intra diei vnius in eruallum dispersit, dedit pauperibus liberalis manus Antonij Vnde cùm aliquando Antonij Mater plures id genus arculas adhuc in conclaui esse opinaretur, ac de illis illis apud trapezitas collocandis ageret, nec eas inueniret; vbi id quod erat intellexit, eas ab Antonio filio suo in duorum Xenodochiorum subsidium fuisse distributas, obstupuit primùm, at (vt erat matrona cumprimis prudens, ac pia) impensè postea gratulata est id ab eo factum, addito etiam elogio: Pecuniam illam apud optimum trapezitam ab Antonio collocatam; nempe *callere illum artem auri è luto faciendi.* Aliàs, quadraginta millia scutorum per notarium inscripsit pauperibus: totidem millia nummorum argenteorum (quorum singuli, scuti Romani valorem excedunt) vnico die erogauit pauperum, vt vocant, officio. Anno 1651, paulò ante Societatem initam, impendit eleëmosynæ nomine plus quàm ducenta quadraginta millia librarum, id est plus quàm quadraginta duo millia scutorum, additis sexcentis & quinquaginta scutis. Est qui inijt quam è libris potuit rationem, & reperit, in ijs solùm quæ annotata erant (neque omnia notabantur) extremo ante initam Societatem decennio, erogata ab illo in egenos plus quàm quadringenta sexaginta quinque millia librarum. Iam viduus, & sacris initiatus, vt plus Christo dare posset, veste valdè vulgari, pauperis instar, contentus;

parcebat expensis. Aiebat identidem: *Ego viâ orationis vix possum peruenire in cælum, cùm orare non sciam. Videbo itaque vt per eleëmosynas possim mihi facere amicos pauperes, vt me in tabernacula æterna recipiant.*

Tandem gesto foris munere sapientissimi atque ad omnia accuratissimi Senatoris, & humilis, liberalis, ac animarum studiosissimi Sacerdotis; ex voto aliàs iam concepto Societati nomen dedit, Innocentio X. Pont. Max. (sinè cuius facultate ad religiosum tyrocinium tunc aditus non dabatur) annuente, anno 1652. inconsciâ Matre, ac liberis. Scribebat magnæ Dei misericordiæ documentum esse quòd à Deo, quem à se offensum dolebat, non ad inferni supplicium mitteretur, sed tanquam benè meritus, ad Societatem, ad IESV familiam, vocaretur. *Vocatio.* Interrogatus à magno quodam viro, an viueret vocatione suâ contentus; annuit, & adiecit: quòd *si totum mundum vni ouo inclusum haberet in manu, ouum illud vnà cum omni mundi gloria terræ allideret.* Per omnem vitam acri dolore se perurgeri sensit, quòd tam serò fuisset ingressus in cœtum, in quo aiebat vitam duci non minore terè innocentiâ quàm duceretur in paradiso terrestri. Vnde maximoperè gaudebat, & gratulabatur ijs qui religiosum iugum portare à teneris adolescentiæ annis incipiunt. Aiebat amico seculari; Neminem, neminem posse duobus dominis seruire: mutandum esse dominum cui seruiat. Pessimè seruiri Deo, Domino tam liberali, tam bono, vt supra condignum soluat, etiam pro solis desiderijs verè bonis: Mundo verò seruiri diligentissimè, cùm tamen soluat pessimè, ac suos oderit vsque ad mortem æternam. Se certè, Deo esse infinitè obstrictum, quòd cùm tot alios, minùs reos, permiserit sub mundi tyrannide futuros martyres seculi, ac interituros, se tamen eruerit. Quocirca cor totum diuino amori in holocaustum dedit; ac voti Sacramento obstrinxit facturum se quicquid is cui suam conscientiam gubernandam transcripsit, melius esse iudicauerit ad Dei gloriam, & maiorem in solida virtute progressum. Illo amore condiebat summa, & infima quæ agebat. Vnde quamlibet patellam in culina diuini amoris impulsu lotam, sibi pretiosiorem esse aiebat quolibet vnione quantumlibet raro & caro, & quicquid auri ac opulentiæ haberet mundus. Diuino sacrificio religiosè adeò operabatur, vt Mediolani apud aliquos qui sacrificanti adfuerant, & nomen illius ignorabant, sancti appellationem inuenerit, quamuis id nomen sæpè aliàs illi sit datum à pluribus ob eximiam virtutis opinionem vndique concitatam. Inter orandum, horâ matutinæ commentationis dimidiâ perstabat fixis humi genibus, & brachijs latè explicatis. Tum se humi prosternebat, brachijs in crucem expansis, vel ad pectus adductis. Præter præstitutas indulgentiarum per stationes obtinendarum, aliasque preces, quotidie post meridiem, aut circa vesperum, dimidiam horæ partem addebat matutinę orationi quæ per horam integram mente perficitur. Conciones meditabatur inter orandum ad lumen crucifixi. Sæpè in conclaui ex improuiso repertus est apertis in crucem brachijs corde adeò in Deo absorptus, vt neq; strepitum cùm porta aperiretur aduerteret. Inter diuinum quoque officium, osculabatur terram identidem, & verbis quæ recitabat miscebat suspiria è profundo corde profecta. In tyrocinio, aduertêre Nouitij, etiam post meditationis euolutũ tempus lachrymas illi ab oculis cadere imbre sancto. In villa secedebat ad orandum, in siccis foffis aliquando repertus

Amor Dei. *Concio.* *Oratio.* *Charitas*

pertus. Ad aliquod Societatis domicilium appulsus ex itinere, illicò se ad visendum SS. Sacramentum recipiebat. Semper attentus ad cælestia, & seria, hæc alia tanquam res viles despiciebat. Anno sancto Romæ hospes, nihil splendoris, hortorum, aut Romanæ Maiestatis spectare voluit; & pietate suâ perfunctus, abijt, ne Pontifice quidem viso; licèt tunc adhuc secularis. Sæpè illi in mẽte, sæpè in ore versabatur æternitas. E cuius sinu videbatur petere quæ ad concionẽ dicebat.

Concio. Ad hortabatur ad seria, ad pœnitentiam, ad solida; minabatur: visus quibusdam Ionas pallidus, minax, & squalidus. Ac licet illi ad sanctam quandam elegantiam nil deesset, timebat tamen affectatas vanitates, & insanias falsas, quibus delectantur prurientes auribus. Etiam eius epistolæ, ac pij libelli quos edidit, spirant reconditam pietatem, ac solidum perenne. Vnde vehementer dolebat, & palàm pro concione aliquando de se dolenter questus est, optabatque omnia illa flammis exuri quæ olim iuuenili quadam libertate ingenij effuderat.

Charitas. Viuebat in eius pectore charitas actuosa Confessiones pauperum tam libenter ac tantâ cum assiduitate audiebat, condiebatque verbis longè suauissimis, vt ibi quoque ab illis nomen sancti retulerit. Indias magnis precibus flagranter expetijt. Item vt peste afflictorum obsequijs vitam posset impendere; maximè cùm Genua anno 1656. peste arderet, id flexis genibus flagitauit.

Per iter interrogabat ductorem ecquis equorum esset deterior, & illum sibi deligebat; cùm diceret, alios melioribus indigere.

In ægris domi visendis perfrequens, ac in abiectis etiam circa illos obsequijs perdiligens, nunc pium quempiam libellum illis lectitabat, nunc verbo solabatur, nunc seruiebat. Cremonæ, cùm per quadragesimam concionaretur, & Sabbato (pro more) quiesceret; ad Xenodochium itabat, vt ægris aliquid leuamenti afferret. Talis erga Deum religiosâ pietate; talis erga proximos assiduâ charitate fuit Antonius: iam verò erga se quis fuerit expendamus.

Peruigil sensuum custos, Iobi pactum cum oculis, imò & cum auribus, ore, ac sensibus alijs, inierat. Ibat per plateas (quando prodire iubebat necessitas, vel obedientia) oculis humi deiectis ac vix apertis. Id quod cùm in se notari aduerteret, roganti confessario respondit; se id facere, ne quid per oculos ingrediatur quod amorem & quietem compositi cum Deo suo cordis interpellet: deinde, ad retinenda impressa menti principia æterna, quæ per sensuum foris delicias captantium libertatem sensim euanescere affirmabat. *Oculorum custodia.*

Humilitas. Cùm ante initam Societatem diuinis commentationibus animum exerceret; ad triclinium nostrum descendit sacco indutus, & humi prostratus se calcandum præbuit pedibus transeuntium, verbis grauissimis veniam petens scandali quod se olim præbuisse aiebat editis libris pruritu liberioris ingenij, plenos vanitatis ineptæ. Apud suos, adeoque in sororis quoque, ac etiam in filij sui domo (si quando eò ire iuberetur) cum tantâ demissi animi significatione versabatur, tanquam si esset ignotus quispiam Coadiutor, Patri pro socio tantùm adiunctus: & domum, velut piscis ad aquam, redire quamprimùm optabat, aiebatq; cùm eò mitteretur, hanc obedientiæ crucem esse. Domi, & foris nimiùm sibi deferri putabat, contentus omnibus quæ dabantur; neque quicquam nisi id quod erat abiectissimum, petebat

bat aut cupiebat.

Mortific. Subacto præclarè sub humilitatis iugum animo, corpus quoque afflictatione varia cruciabat, cùm diceret, *animi delicias esse corporis cruciatus*, & se non debere esse contentum afflictationibus illis quibus contenti esse possunt innocentes: debere se asperrima quoque pati, quippe qui se plurium delictorum reum esse agnoscat. Ideoque multus erat in petenda ad id amplissima facultate, quam sibi præ alijs dicebat debere concedi: nec minus erat auidus in exequendis ijs quæ impetrauerat, quàm fuerit in petendis.

Obseruatum est, in conclaui sæpè illum humi prostratum terram osculis, & linguâ etiam cruce ductâ signasse. Flagris se verberans multo sanguine perfundebatur; idque sepiùs in hebdomadâ factitabat, atque in hoc, faciebat quicquid facultatis poterat obtinere. Vtque id quod obtinuerat, quoquomodo extenderet, Psalmum *Miserere* lentâ interspiratione pronunciabat, dum se percuteret. Præter consuetum se flagris cædendi morem, addebat pro auctario quotannis triginta tres disciplinas, ortè honorandæ Christi ætati, aculeatis catenulis toties se adstringebat quoties per obedientiam id liceret; persæpè nudis asseribus incumbens, vt somnum caperet breuiorem, ac duriorem.

Præter consueta ieiunia Sabbatina, quamdiu id ei permittebatur, feriâ quartâ non nisi pane & fructibus; feriâ sextâ non nisi pane & vino vescebatur: & illo triduo etiam à recreatione consuetâ, seu colloquio, abstinebat, in sancto silentio totus absorptus. Dona nec esculenta nec alia admittebat & si quid occasione vel festi, vel aliâ, Mensæ inferretur non quotidianum, non attingebat. Dormiebat vestitus quoties id licebat: vt autem cùm hoc, tum alijs se afflictandi modis crebriùs vti posset; non desistebat vrgere iterùm atque iterùm, licèt id sæpiùs negaretur; ita suo desiderio dans aliquid leuamenti, etiam B. Aloysij imitatione. *His* enim aiebat *se in spiritu adiuuari: aliàs timebat ne sinè hoc veluti cinere frigeret bonus ignis, & illi inuisus Deo tepor succederet*: id quod in ijs fieri amat qui in se afflictandi studio elanguescunt. Hanc seuerè corpus habendi artem ac viam aiebat fuisse *viam Sanctorum* quos legimus, atque suspicimus. Hac iuisse B. Borgiam perpetuum corporis sui hostem.

Cùm anno 1662. Genuæ supremùm *Morti* in quadragesima cõcionaretur, fecit id Apostolicâ quadam libertate in corripiendo, & ardore maiore quàm hactenus; differè aliquando pronuncians finem resolutionis suæ instare. Vbi verò morbus eum è pulpito deiecit in lectulum post duas ferè quotidianarum concionum hebdomadas, exultabat; & medicis id mirantibus. de cælo vt Angelus loquebatur; cùm sibi persuasisset morbum illum sibi esse supremum. Vnde si quidpiam de spe vitæ prorogandæ audiret, rogabat ne suam lætitiam tam tristi omine perturbarent: neque quicquam se à medico audire posse molestius quàm si eum liberum pronunciaret à morbo, hoc enim sibi non minùs triste fore dicebat, quàm tristis esset nauclero iam iam portum tenenti ventus illum in altum mare ac procellas retrudens. Filijs suis, amicisque nobilibus circa lectulum, cùm iam propè à morte abesset, flectentibus, & aliquod æternæ vitæ documentũ petentibus, non priùs annuit quàm vt annueret, iuberetur à Præposito Prouinciali, qui aderat. Tum dixit; loqui se in aditu æternitatis, vbi procul absint causæ fingendi. Nihil sibi in decretorio illo die esse iucundius quàm quòd religiosus in Societate Iesv moreretur; ingressurum se illam

illam adhuc si necdum fuisset ingressus: dolere verò se quòd eam non citiùs fuisset amplexus. Agerent ipsi quoque, ac ibi & ita viuerent vbi & prout mori vellent securiùs. Cordi haberent animæ suæ salutem quilibet, ac dilectam sibi Societatem. Omitto lachrymas, & reliqua quæ illo tempore fieri amant.

Cæterùm ad extremum vsque spiritum totus erat in humilitate, ac pretiosissimis occupationibus, virtutum selectarum. Interrogauit P. Prouincialem, an petendum putaret vt sub extremum illud tempus probè cæsus verberibus, humi collocaretur, cilicio ac cinere coopertus. Sanctos id olim flagitasse. At malle se idipsum obedientiæ nutui submittere: nolle enim se facere quandam velut pompam humilitatis suæ. Mereri tamen supplicium illo maius. Quare id concedendum aut negandum in eius arbitrio relinquebat, obediens vsque ad mortem. Tenerrimas Deo gratias agebat quòd ad Societatem vocatus, admissus, ac in ea seruatus fuisset vsque ad mortem. Antequàm extremo viatico muniretur, quatuor Professorum vota ritè nuncupauit, decimo Societatis initæ anno expleto. Mortuum, frequentissima nobilitas, atque confluens conferta vis populi honorauit: at cadauer in loculo ligneo, præter communem morem, conditum est. Hæc, ac his plura de illo dabit eius vita quę in lucem edenda propediem expectatur.

XXI. DIE MARTII.

P. GERARDVS FLORENTII.

Belga Antuerpiæ 21. Mar. 1616. ætat. 50. Soc. 20.

IN Hollandia per octo annos expeditiones sacras obiuit impigritate non minore quàm gnaritate viarum per quas hæreticos ad orthodoxæ fidei lucem adducebat. Morbo apud Prætorem Pagi cuiuspiam simulato, ab eo perbenignè acceptus, licèt ignotus, adeò se insinuauit, vt ad religionem Catholicam, illum, & paulò post magnam vel etiam potissimam Pagi partem adduxerit, familiaris consuetudinis facilitate potiùs quàm fœlicitate pro concione dicendi. Quicquid in se tenuissimæ cuiuscunque noxæ aut labis aduerteret, adnotabat, & si copia dabatur, confitebatur quotidie, idque semper è charta. Antuerpiam reuocatus, promptus paruit, paratus ad quãuis Prouinciam, seu munus è nutu obedientiæ obeundum. Vnde asylum erat omnium, & supplementum, quia & poterat & volebat. Ægro cuidam industriam nauabat sanus: & disertè, illi prædixit; se illo citius è vita discessurum: id quod ipsa euentus veritas affirmauit. Triduo ante mortem, iam tunc æger, dixit se intra triduum obiturum.

Fidei.

Conf. quotid.

IOSEPH CLADERA COADIVT.

CVm magno incundæ Societatis desiderio potiùs, quàm id quod optabat assequendi spe, teneretur, eò quòd se tanquam indignum, nec idoneum, minimè cooptandum putaret, celebris quædam à virtutis eximiæ fama fœmina diuinitùs introspiciens quid optaret, vel quid metueret. *Vade, ait, Ioseph, Societatem Iesu Pete: nec time;*

Hispanus Maioricæ. 21. Mar. 1621. æt. 67.

impetrabis. Paruit: impetrauit. Manè vnâ alterâve horâ ante alios surgebat è lectulo, & illud tempus se flagellando, diuina lectitando & orando ducebat. *Manè.* *Mortific.* *Oratio.*

XXII. DIE MARTII.

P. FRANCISCVS RODRIGVEZ.

Hispanus Toleti. 12. Mar. 1627. ætat. 79. Soc. 26. Mortif. B.V.

PClaudio Aquauiua per 20. annos fuit à secretis. Bis quothebdomadis (& in vigilijs Beatissimæ Virginis pane tantùm frigidaque contentus) ieiunabat vt orandi studio aliquid adderet, manè vnâ, vel alterâ, hora surgebat ante alios, & orabat, semper in ara maxima primo sacrificio operatus. In odæo multas horas ducebat orans, coram SS. Sacramento. *Oratio.* Singularis illi lepor inerat sermonem familiarem serendi de diuinis rebus. Præerat domui professorum Toleti tanto, ad cæteram virtutem paupertatis exemplo, vt nullius coadiutorum vestis veste illius fuerit deterior. *Paupert.* Morbo supremo ineunte, de parata iam ad id charta, totius vitæ peccata recognouit, & expiauit, quotidie SS. Synaxi refectus, ad extremum vsque diem, quo illam pro viatico immortalitatis accepit. Totum ægritudinis tempus, in alta rerum omnium obliuione, pretiosis cum Christo, & Beatissima Virgine (quorum imagines præ oculis habebat semper) colloquijs institutis expendit. *Morbus.* Cadauer religiosis ordinum plurium humeris tumulo illatum.

PETRVS COLET. COADIVT.

Gallus 12. Mar. 1618. ætat. 69. Soc. 47.

FVit socius P. Emandi Augerij magno semper sinceræ, ac religiosæ simplicitatis exemplo. De hoc ita scripsi in pretiosis occupationibus morientium in Societate. Petrus Colet coadiutor morti proximus candidè dixit: vnum adhuc sibi quiddam in animo esse reliquum, quod Confessario non aperire timeret. Se nimirùm ante annos aliquos, sextâ quadam feriâ Christi Crucifixi præsentis aspectu fruitum, dignatione optimi IESV pendentis è Cruce, sibique blandè dicentis, fore vt post certos annos æternâ immortalium beatitudine frueretur. *Crucif.* Videbatur Petro tempus necdum elapsum, atque adeò timebat (semper tamen diuino nutui ad omne quod vellet animo promptus) vt ne omne id, quod adhuc supererat, temporis sibi seruaretur in purgatorio exigendum, ad eluendas noxarum pœnas. Ingenuâ simplicitate, quamuis non sinè vetustatis exemplo, Rectorem obsecrauit, vt iuberetur mori; desiderare se Christi exemplo ex obedientia mori. Iubere licèt detractarit P. Rector, ingenio tamen extemporali, ac planè in arena sumpto consilio, Petrum solatus, ostendit quomodo ex obedientia mori posset; si nempe moreretur animo exaggerato, planè ac sanctè obediendi decreto illi optimi Dei, quo statutum est omnibus hominibus semel

Fidei.

semel mori. Acquieuit, & obediens mortuus est.

P. ANTONIVS RVBINVS.

Italus Nangasachi 22. Mar. 643. ætat. 65. Soc. 43.

ANimarum ac martyrij desiderio flagrans, agebat quicquid poterat, vt animas lucraretur. Loquebatur; & scribebat insigni expressione suauissimæ teneritatis. Ego, scribit, pro Christo mori non mereor; sed ipse dignus est pro quo omnes moriamur. Si me videre, atque alloqui vultis, oculos in Crucifixum Christum defigite: ibi me inuenietis ad pedes cum Magdalena abiectum, & peccata mea grandia deplorantem. Illis sacratis pedibus me totum contradidi: in illis dormio, & viuo, illos complector; & dico: Da mihi, Domine IESV, vt sequar tua vestigia. 21. Augusti cum socijs appulit Nangasachum anno 1642. Captus vnà cum illis, cùm omnes interrogarentur; an velint omnes nuncium Christo remittere, & à Rege honorari? Respondit Rubinus interpreti, suo nomine ac suorum, nec se, nec socios, vllo pacto vnquam id scelus in animum admissuros: absisteret cum hisce vocibus, atque faceſseret: se, ac socios ad Christum prædicandum aduenisse, quicquid minaretur Iaponiæ Imperator. Ergò in carcerem conditi omnes. post multa quæ istic perpessi sunt, per totos septem menses destinatis diebus ingestę in os maximâ copiâ, & mox acerbissimâ cum violentiâ è corpore expressæ aquæ tormento sæpiùs excruciati, tandem 17. Martij anni 1643. palàm circumuecti sunt cum adscriptâ causâ supplicij: *quòd Christi fidem prædicatum venissent contra edictum Imperatoris.* In scrobem capite demisso, sublatis in altum, aligatisque pedibus pepéndere suspensi: & hoc die primus P. Rubinus desijt viuere, socijs in dies proximos eandem fortissimæ mortis gloriam prosecutis. Corpora illorum concisa, & combusta sunt, cineribus in aquas dispersis, ad obliuionem. Inter sacrificandum religiosè tener Antonius illiquefactis è cælo voluptatibus perfluebat, & sacrum calici substratum linteolum lachrymis adeò affluenter perfundebat, vt postea cadentes pias lachrymas strophiolo excipere iuberetur. Cœnæ loco ibat ad SS. Eucharistiæ Sacramentum; & ibi cœnæ tempus omne orando ducebat. Vix intra biduum semel (idque præparcè) vescebatur. Vini autem potionem ne senex quidem admisit.

Crucif. *Fides.* *Sacrum.* *Euchar.* *Mortif.*

P. PETRVS ROMERVS.

Hispanus apud Italos nes. 22. Mar. 1645. æt. 60.

IN Paraquaria pulcherrimos labores maximo egregiæ operæ pretio exantlauit. Missus ad Itarines Indos, ibi ab irruentibus Indis alijs, macanâ, seu clauâ ligneâ, in humero validè percussus, Iesum clamans, in capite demum ictus concidit. Inde illi euulsa præcordia; & præciso iugulo lingua extracta.

Fides.

MATTHÆVS FERNANDEZ.

Ibid.

PEtri socius, & interpres, vnà cùm illo ibi contrucidatus.

P. FRANCISCVS PEREZ.

Hispanus Antuerpiæ. 22. Mar. 1655.

HIc ipso Christi nascentis die natus Cordubæ, ipso Christi morientis die obijt extremum diem Antuerpiæ. Ante initam Societatem, vxoris & familiæ persancta illi cura, erga egenos verò charitas tam nobilis, vt creditus sit Christum ipsum sub mendici persona excepisse. Ignotus enim pauper mensæ ab illo adhibitus, & veste, pecuniaque donatus, repente subductus ex oculis fuit; cui quantumuis euadere cupientis, non patebat egressus, duplici areâ ædibus obseratis obiectâ, quarum claues penes Franciscum solum tunc erant. Cilicijs, flagris in se immitis, filiorum vno defuncto; duos Societati dedit, eosque Sacerdotio primùm initiatus, secutus est, nec semel iucundè conspectus solenni ritu sacris operari, duobus filijs hinc, atque inde stipatus, altero Subdiaconi, diaconi altero munus obeunte: quibus primum diuinum sacrificium Christo offerentibus ipse, pro more adstiterat. Vberes illi sacrificanti manabant lachrymæ, è sensu tenero quo Crucificifixum Christum pectore toto complectebatur. Indeilli arctissima feriâ 6. hebdomadæ sanctioris inedia, nonnisi panis modicè igne tosti, & aquâ macerati segmento vuico tolerata. Inde illi patientia ita experrecta, vt quidquid ferendum occurreret ad Crucifixi pedes deponeret, consilij, & auxilij capiendi gratiâ, sub exemplo tam magno.

Misericord. *Mortif.*

XXIII. DIE MARTII.

VASCVS FERRAS SCHOLAST.

Lusitanus Porti. 23. Mar. 1547. circiter.

ENobili, ac locuplete Canonico Societati se addixit, suorum lachrymis superatis. Horæ multæ illi breues visæ oranti, & aliquando sui vix conscio, adeoque ardenti, ac fatiscenti, vt in lectum debuerit deportari. Noctis etiam partem magnam orando ducebat. Æger Patriam ad auram missus, præ domo paterna Nosocomium elegit; sed iussus est obsequi desiderio Patris, ac Matris. Putatur à Beatissima Virgine, & SS. Ioanne, ac Augustino in morbo visitatus. Cùm se tanquam mox moriturum complorari à suis videret, vetuit, edixitq; disertè se non nisi 23. Martij è vita discessurum id quod verè ab eo fuisse prædictum euentus ipse ostendit.

Oratio. *B.V.* *Mors.*

P. IOANNES PAVLUS ALVAREZ.

Hispanus Placentiæ. 23. Mart. 1564.

MIrabilis, & sancta fuit in illo pro concione dicendi gratia, & efficacitas. Iam ad spectaculum taurorum summi ac infimi, confluxerant, cùm ille pro tẽpli foribus voce sublatâ ea dixit quæ mortales ad exagitandorum taurorum ludum toto desiderio hiantes, omisso illo, ad templum ad concionem audiendam permouêre. Euangelio super ægros recitato febres aliosque quosdam morbos à multis, vt ferunt, expellebat; imò & dæmonem è quadã fœmina eiecit eodem remedio, &

Concionat.

Superior.

præmisso pœnitentię Sacramento. Vbi præerat, Methymnæ; atque Placentiæ, tantâ disciplinæ accuratioris sanctimoniâ rem omnem disponebat, vt illud videretur Collegium Angelorum. Hilarè gestire videbatur cùm suos vel aspiceret, adeoque se ab illo amari omnes intelligebant, vt nullus non ad summam domestici ordinis perfectionem enixè contenderet. Inter exhortandum non deerant suaues lachrymæ, cùm aliàs, tum verò potissimùm cùm æger è lecto id faceret: quo tempore vtrimque effusè ploratum est, & exhortatio sic abruptâ.

Patientia.

Dolores acutissimos patiebatur, Medicis id stupentibus; at illo dicente, se intus dulciùs à Deo vngi. Nec optabat vitam productiorem, nisi vt productiùs patereturamore Christi tanta perpessi.

Castit.

Virginitas illi semper stetit illesa. Cuidam sui in cælo memoriam flagitanti post breue silentium, promisit: & ille post eius mortem se ad omnis castimoniæ studium perpelli sensit, paruitque diuino impulsui, ad vitæ vsque finem in se ipsum per sanctè seuerus.

P. THOMAS STEPHENSONUS.

Anglus VVatenis. 23 Mar. 1624. ætat. 72.

IN Londinensem turrim coniectus, humi per ipsos 27. dies iacuit; compedibus vinctus, per dies 39. inde in exilium eiectus Brunę Societatem impetrauit: & demum in Anglia per annos facilè viginti labore fructuoso suos ciues excoluit: vir & ingenio & memoriâ validus; at virtute tantus, vt communem virtutis modum supergressum tradant, qui de illo scripsêre.

Fides.

ANDREAS MEXIA COADIVT.

Hispanus Caravacæ. 23. Mar. 1617.

HVnc à sanctâ silentij per quàm accuratè constanterque seruati disciplinâ, & obedientiâ eximiè laudatum religiosè ab illo his virtutibus culta Dei Mater, in splendido Angelorum ac cælitum choro non semel inuisit vt aiunt, recreauit aspectu, effecitque vt qui hactenus ad omnem obedientiæ, silentij, reliquamque virtutem erat insignite intentus, deinde tantis inuitamentis adiutus, longè impensiùs ad omnem domesticæ virtutis laudem contenderit.

B. V.

P. CHRISTOPHORVS MENDEZ.

Hispanus Malagæ. 23. Mar. 1623. ætat. 44. Soc. 28.

MAgna illi æstimatio diuinarum rerum, eoque mirabatur, quòd audito DEI nomine non abriperemur in extasim. Quare omnibus author erat, vt nihil creaturæ vllius causâ sed vnicè propter Deum agerent omnia, & singula quæ agunt. Inter sex postremorum annorum Paralysim, & omnes quantoslibet dolores aiebat; Nonne horum quæ patior autor est Deus? Hoc vnum satis est & abundè, vt patiar lubens. Apud quendam per iter diuerterat; & eadem nocte illius neptis profugerat: hic illam apud Patrem esse malè suspicatus portam illius demolitus, illum de genibus diuino officio recitando intentum inuenit, pacatèque dicentem; existimare se illam istic non esse. Nec erat, vt compertum est. Manè vnâ ante alios horâ surgens, Beatissimæ Virginis rosarium ter recitabat, semel ad perpetuam cum Dei voluntate consensionem obtinendam: deinde pro amicis, & ini-

B. V.

Mortif. mieis, denique pro defunctis. Triplicatum illi flagellum erat, quo in se quotidie sæuiebat. Ter in hebdomada ieiunabat. Feriam quintã peruigilatione perpetuâ honorabat, durus in carnem, licèt nunquam suæ puritati infestam. Mœstum aliquando, & aliquid à Deo solatij optantem, submissâ harmoniâ Angelicâ recreauit indulgens Deus; omnes eximiâ reuerentiâ honorabat.

Consolatio è cælo.

P. ALBERTVS MESCINSKI.

Polonus Nangasachi 23. Mart. 1643. ætat 42. Soc. 22.

ROmæ in tyrocinio de Beatissima Virgine sæpè, ac mirâ rerum affluentiâ sermonem serens, nouas illam augustiùs colendi artes afferebat in medium. Cubiculum ingressus, vel egressurus, facie ad S. MARIÆ Maioris (quod probè abest) templum conuersâ, eam venerabatur; Nouitijs exemplum imitatis, vt ferè id fieri amat. Cùm luculentâ hæreditate Societatem in Polonia iuuisset; *Iam*, inquit, *nihil habeo, nisi sanguinem quem dem* DEO *meo*. Et dedit, quando, post insigne studium in animarum vtilitates collocatum, cum P. Rubino (de quo heri dixi) tormenta plura per 7. menses Nangasachi perpessus; inuerso in fossam capite pependit, hodie demùm extinctus. Ex Lusitania in Poloniam, iussu Præpositi Generalis, mirum quàm opportunè redierit, vt se tribunali sisteret agnoscendum; litemque Societati intentatam dirimeret. Inde maximis itineribus in Lusitaniam, adeoque in Iaponiam, ad decus illud mortis tam longæ, tam inclytæ propetauit.

B.V.

XXIV. DIE MARTII.

P. AVGVSTINVS SANCIVS.

24 Mar. Hî panus in Peru 1603. ætat. 81.

PEruani gregis fidus pastor ante initam Societatem, in qua supra 80. ætatis annum peruixit. Arequipense Collegium, illum à SS. Eucharistiæ cultu, & animarum ac paupertatis studio valdè commendat, & addit; cùm octogenario maior decesserit, ad eum vsque annum qui morti proximus fuit, quotidianâ se verberatione afficiebat; nec ad supremam vitæ diem remisisset flagellum, nisi vocem obedientię audisset, iubentis remitti. Laceras vestes ipse sibi consuebat, & calceos. Ita illi.

Mortif.

P. IOANNES SALLER.

Germanus Monachij. 24. Mar. 1630. ætat. 66.

MAgnæ memoriæ, ac eruditæ lectionis concionator; peculiari quadam animi propensione præditus erat, vt omne illud tempus quo colloqui domi licet, per sanctè de diuinis differendo transigeret. Conciones ferè flexis genibus scribebat, quasi esset amanuensis Dei, & ea scriberet, quæ Deus populo nunciaret. Prædixit quædam ex vero; vnde opinio fuit illum præditum Spiritu prophetiæ. De excelso religiosæ vocationis beneficio aliquando familiariter, flagranterque cum sociorum nonnullis colloquutus, disertè dixit, sibi quendam de Societate, qui iam de vita migrarat, coràm conspectum dixisse; *nisi in Societate esses, peristi.*

Vocatio

Obed.

periturus eras. Huc pertinet illud quoque quod de illo perhibetur, quòd in templo veteris capellæ Ratisbonæ Beatissima Virgo Mater, illi æternæ ad beatam felicitatem prædestinationis felix nuncia fuerit. Et verò ita de illo pia eius modestia, insignis animi demissio, serium æternorum studium promittebant.

B.V.

P. PATRITIVS LEA.

Hibernus. 24 Mar. 1650. *Charitas.*

HIc primus Kilkeniæ tyro Societatem in ipso festi B.V. ab Angelo salutatæ velut limine adijt, eundemque postea supremum habuit moriens in heroico opere charitatis apud lue contactos; vbi quanta egerit, latiùs dixi inter Heroes & victimas charitatis ad annum 1650. Idoneus erat illi muneri, quia Medicus non imperitus. Mortuus, omnium desiderijs laudabatur. Rapi se persentiscebant omnes ab amabili quodam odore suauissimæ virtutis è Patricij fronte, aspectu, ac totâ compositione fragrantis. Affluebant, cùm circumiret, ad eius fimbriam venerabundè certatim, quicquid ille illos aspelleret. Negabant enim à sancto, vt illi loquebantur, noxij aliquid trahi posse. Modestia illius tanta fuit, vt ex hac vnica tessera in exercitu Catholico agnitus fuerit quòd esset de Societate IESV, licèt alienâ in veste. Aliquando cùm, nauiculâ veheretur, plumbeus ab hæreticis mortem illi inferre conatis imber è littore in illum è selgris emissus est; quem tamen ille natatu euasit. In tyrocinio vberrimo lachrymarum dono tenerrimus, cùm terram saxis verteret, id flexis humi genibus faciebat, ac terram fusis affluentissimè pijs lachrymis aspergebat.

Modestia. *Fides.* *Humilitas.*

XXV. DIE MARTII.

MAGISER ÆGIDIVS MONTANVS.

25. Mar. Belga Romæ. 1561.

HIc, vt in pretiosis occupationibus morientium in Societate de illo narraui; de aliquo suo, quod confessione iam olim eluerat, peccato (putant fuisse quandam inobedientiam, siue quòd obedientia non consultâ ex vno domicilio in aliud se contulerit) vehementer solicitus, morti vicinus hæc vidit, vt post eius mortem P. Emmanuel Sà in publica adhortatione domi narrauit. Nocte intempestâ dum vigilat Ægidius, videtque cubiculum in quo iacebat, totum magno iucundoque completum lumine: visus ipse sibi est cubiculi tecto patefacto, ita vt cœlum pateret, sustolli in altum quasi plumbeâ circumdatus veste, quæ tanquam colliquescente sensim, & collabente plumbo, quo Ægidius altiùs, attollebatur, hoc fiebat leuior. Cumque euectus tandem vsque ad solium augustissimum Dei esset, nec auderet oculos ad eius conspectum erigere, conscientia illius peccati, iussum à Deo bono animo esse; seque intueri: iam condonatam noxam, cuius puderet. Cùm igitur animo ex ijs verbis sumpto, fixisset in Deum oculos, eoque spectaculo fruitus aliquàmdiu esset, cognouisse die Annunciationis DEIPARÆ horâ diei supremâ sibi moriendum; & annuo circiter spatio duos insignes Collegij homines ereptum iri. Ita ibi rei veritatem, & ipsius Ægidij eo die, & PP. Hie-

Obed. *Venialia.* *B.V. Annunciat.*

PP. Hieronymi Bassi, ac Leonis Lilij consecuta mors affirmauêre.

ANTONIVS CANSADVS COAD.

Hispanus Gandiæ. 23. Mar. 1606.

PErquisitè attendebat ad singula legum coadiutoribus propriarum, vir omnis erga Patres reuerentiæ, ac exquisitæ in officio piè atque diligenter obeundo accurationis. Aquâ lustrali tum se frequentissimè aspergebat: tum illamque ac coram à Pontifice benedictam secum portabat, ac alijs distribuebat. Sancti nomine celebrabatur etiam à secularibus; quorum vnusquispiam Antonio iam defuncto suis socijs qui de illius virtutibus loquebantur; Abijt, inquit benedictus ille frater ad cælum? Ecquomodo id factum antequam suis promissis mihi factis staret? Mihi enim vnum agnum Dei, seu benedictam ceram, promisit: nec dedit. Dixerat: & ecce tibi in muro humili, in quo fortè tunc cũ socijs vnà sedebat, & ipse alij omnes vident chartaceum inuolucrum, & in illo benedictam (de qua sermo erat) agni Dei ceram, ouali formâ nitidam, elegantem. Id verò Antonij donum interpretati sunt omnes quo ille fidem suam liberarit. Quod tamen diuinitùsne, an casu euenerit, penes te arbitrium esto, Lector.

Aqua benedicta.

Promissis. stare.

Cera benedicta.

modestiam componebant. Nec defuêre qui aliquando, quasi magnum quid allaturi, dicerent; se cum Beato (vt ipsi aiebãt) Valditaro collocutos. Laminam asperam innocentissimo pectori admouebat, gestabatque, ac pectus pulsabat, vt illam carni affigeret, ad doloris sensum acriùs incitandum. In tyrocinio suauissimæ admirationi fuit innocens illius, accurata, & omnium capax virtus. Non nisi per quinque menses nobiscum versato, vena rupta in pectore illum extremis breuì admouit, & intra duos menses extinxit. In morbo iucundæ plenus tolerantiæ, de Beatissima Virgine loquentes audire volebat: monebatque, si aliò fortè flexissent. Libello quoque quem de varijs erga Beatam Virginem officijs ipse sibi scripserat euoluendo, ac amplexibus colloquijsque colendæ illius imagini totus intentus: id quod illi aliquando erat somni loco, quem capere per morbum totâ aliquando nocte non poterat. Disertè dixit; se ad B. V. ab Angelo salutatæ festum excessurum è vita; & migrauit.

Mortifer.

B. V.

P. ANTONIVS CAPETIUS.

Italus.

P. DIDACVS DE MORALES.

Hispanus.

BARTHOLOMÆVS VALDITARVS NOVIT.

Italus Messanæ. 25. Mar. 1619.

TAnta de illo inter adolescentes cùm puer studeret erat virtutis existimatio, vt passim *solis* nomine vocaretur. Certè illo veniente fortè ad coronam alloquentium aliorum, suppari S. Bernardini exemplo, succlamabant socij; *Bartholomæus venit!* seque ad

P. FRANCISCVS MARQVEZ.

QVæ 22. Martij de P. Rubini tormentis dixi, eorum socij glorioso fuêre hi quoque. Iam nonus labebatur dies ex quo in cerobem capite propendebant hi tres, Patribus Rubino atque Mescinskio adhuc superstites: cùmque in Christi confessione porrò per-

Iapon. Nangalachiæ. Mar. 1634.

perstarent, hodie demum capite truncati sunt. Aiunt Rubinum, Mescinskium, atque hos tres, Iaponicum aquæ tormentum facilè centies & quinquies perpessos.

Pia colloq. *P. Antonij Capetij* virtus familiæ decora nobilitauit. Neapoli, anni vnius interuallo duodeuiginti ex illius disciplina futiles mundi lætitias execrati religiosa castra secuti sunt. Causam rogati; vel ipse, aiebant, magistri nostri aspectus, ingens nobis calcar est, vt à mũdo ad Deum transuolemus. P. Marcellus Mastrillus illo de scribens, illum Angelum, ac thesaurum vocat: laudat illum ab incredibili in suum corpus hostiliter afflictum odio; aitque fore sigillum atque honestamentum gloriarum nobilitatis demesticæ. Denique, inquit, Spiritus Domini est cum illo.

Exemplum.

P. Didacus de Morales ob assiduam in corpus sæuitiam fuit sacro quodam pallore spectabilis; ac in docendo, regendo, & Christum prædicando planè singularis. Indiam petiturus, parentes, vicinos licèt, ne inuisit quidem; nec vllas postea epistolas ad illos dedit; vt amorem carnis, & sanguinis totum vnicè Christo transcriberet.

P. Franciscus Marquez Nangasachi natus patre Lusitano, matre autem à Iaponico Regum Bungi sanguine suas origines repetente. Cùm ad Societatem aspiraret, eius deliberationis ducem elegit Beatissimam Virginem quæ *Dux* dicitur, & Macao abest passibus mille quingentis. Ad illam ea de causa exibat per nouem dies cõtinuos peregrinabundus & supplex, vt eius ductu bonus Iesv miles esse posset. Extremo nouendialis illius peregrinationis die, cùm fieri haud posse crederetur, vt, ob dirè ac variè sæuientem cæli asperrimi tempestatem, pietati suæ facere satis posset, dissimulanter iectâ sibi mendici veste personatus ad suam Ducem abijt, seque illi nono iam die præsentem ac ineundæ Societatis Iesu cupidum stitit, breuì ad illam adlectus. Mira illi affluentia lachrymarum, cùm legeret Martyrum tormenta, vel diuinum Sacrificium celebraret. Agone nobili per nouem dies (velut nouendiali vitæ Deo consecratæ sacrificio) perfunctus est pendens in scrobem è pedibus; & certamen demum gladio consummauit.

B.V.

Nouendium B.V.

XXVI. DIE MARTII.

P. FERDINANDVS PATERNO.

26. Mar. Italus Catanæ, 1604. Soc. 64.

HIc B. Aloysio Gonzagæ à confessionibus fuit in Hispania eo tempore, cùm ille à Beatissima Virgine Societatis ineundæ consilium accepit, & id confessario suo aperire & iussus. Ad ægram inuitatus, cùm illa fœminis alijs cincta scelus ab illo peteret, se gloriosâ fugâ eripuit.

Castitas.

P. STEPHANVS PAEZ.

HVnc ab artibus religiosæ rectionis laudant annuæ adduntque quòd cùm ei mortuo parentaretur, fœmina excelsæ virtutis opinione celebris supra ipsam aram ei à B. P. Ignatio processum obuiam, & summa exceptum gratulatione postea narrarit, illudque visum à se præsente, spectanteque liquidò obseruatum asseruerit.

Hispanus Limæ. 26. Mar. 1613. Soc. 45.

S. P. Ignat.

BALTHASAR MAYR COADIVT.

Germanus Brunæ 16. Mar. 1627. ætat. 56. *B.V.*

QVotiescunque Beatissimæ Virginis imaginem præteribat, illam suauissimè reuereri non omittebat, &, si à nullo se audiri putaret, etiam *Matris* nomine salutabat clarâ voce. Lubens ad Concionatorum pedes sedebat cum Magdalena, vt illos de diuinis differentes audiret: Optabat in Colloquio domestico non nisi de rebus æternis texi sermonem. Obedientiam toto studio sequebatur, dicebatq; sæpiùs etiam in ea quam in morbo supremo patiebatur mentis aberratione obedientiam esse Societatis virtutem. Corpus eius in Crypta Brunensi aiunt mansisse incorruptum. *Obedientia.*

XXVII. DIE MARTII.

P. SALVATOR PISQVEDDA.

Sardus Sassari. 17. Mar. 1614. Soc. 52.

MIra fuit huius etiam infantia, Marre de illo nescio vnde edocta fore vt ad excelsum virtutis fastigium assurgat. Illibata illi Virginitas, imò & conscientia nullius vnquam lethalis noxæ labe aspersa; & erga SSS. Trinitatem pietas omninò singularis, cùm semper tum verò vel maximè posteaquam illius radios, & quandam effigiem vidit in Corona cœlestium Angelorum. Christum quoque non semel ceu Regem spectasse perhibetur in augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Cibum cinere, ac amaris varijs permiscebat. Sextâ quauis feriâ. Per quotidianâ sui verberationem, in se quinque millibus ictuum sæuiebat, intra vnius anni circulum distributis, vt eum numerum verberum impleret, quem Christus ad Columnam dicitur sustinuisse. Moriens obedientiæ iussu coactus dixit, se nunquam vllius à se violatæ legis nostræ meminisse. Sed eius vita dabit multa de illo, & mira.

SSS. Trinit.

Euch.

Mortif.

P. BERTRANDVS PARRA.

Gallus in Missione Coll Ruthenensis, 17. Mar. 1639.

IN cathedra religiosè dicebat efficacitate insigni; domi religiosè tacebat, omnium legum, sed silentij potissimùm, accuratione laudatus. Colici dolores illum intra biduum extinxêre; in quibus ille, nihil aliud dicebat, nisi, *Domine patientiam; Domine, misericordiam.* Sub sanctissimum viaticum, symbolum Apostolorum pronuntiari iussit, cùm ipse per dolores non posset: mox vota renouauit. Cor apud petentes id moniales eius loci in quo Ecclesiasten per quadragesimam agebat, sepultum. De quo hoc affirmant moniales (ipsa Ruthenensis Collegij verba recito) se quotidie sacrum illud pignus venerari solitas ex condicto nec vnquam sine cœlesti quodam animorum motu, & incensa in Deum voluntate. Fœmina ægra cùm in spem veniisset fore vt contactu lintei quo patris cor inuolutum fuerat, valetudini restitueretur, acceptâ eius particulâ breui dicitur conualuisse. *Patientia.*

Cor.

P. AN-

P. ANTONIVS BLANDI.

Italus Panormi. 27. Mar. 1649.

NAtus est eo tempore, cùm SS. Sacramentum die corporis Christi penes illius domum solenni pompâ deportaretur. Societati nomen dedit permotus conspectâ Nouitij cuiuspiam valdè religiosè compositi modestiâ Per iter eques flumen ingressus; abripiebatur aquarum vi, cùm ecce tibi (custos Angelus vt quidem interpretamur) candido cultu amictus adolescens repentè adfuit, & equum fræno arrepto eduxit, ac euanuit ex oculis Patris illum quærentis, vt illi grati animi signum aliquod exhiberet. Vbi admiratio, & suauissima sui Angeli tutelaris memoria subijt mentem Antonij periculo præsentissimo exempti. Plus in virtute quàm in studijs processerat, in rectionis dono planè singularis, potissimum in nouitijs gubernandis. De Granata suo quodam Nouitio, sano, & in horto tunc laborante dixit repentinò: Granatam accersit ad se Deus: Granata moritur. Ex vero id fuisse prædictum patuit ex morbo, & morte breui secutis.

Modestiæ

Angelus custos.

B. V.

P. IOANNES WARLICHIUS.

Germanus Glacij. 27. Mar. 1653. ætat. 68. Soc. 45.

COrdis, ac morum candidâ simplicitate, in Deum fiduciâ, œconomiâ Glacij per annos 25. religiosè, peritè; accuratè administrata, magnis itineribus quæ pedes mensus est, diuinæ Matris cultu laudatus. Huius honori certas in Immaculatæ conceptionis laudem conceptas, & ab Alphonso Rodriquez celebres preces, quotidiano addito rosario, recitabat. Est istic in summa templi nostri arâ statua, Beatissimæ Virginis, ducentorum annorum cultu illustris, quam Errico Pragensium Archiepiscopo locutam fama est. De hâc morti proximus Confessatio suo dixit; illam sibi disertè locutam annuisse petenti, vt ibi feliciter moreretur vbi tanto tempore laborarat.

NICOLAVS BOVILLE COADIUT.

Belga Bruxellis. 27. Mar. 1658. ætat. 58. Soc. 15. *B. Borgia.*

SEdulus in officijs, & religioso agẽdi ac loquendi tenore gratus omnibus, de diuinis libenter & scitè ferebat sermonem. Singulari erga P. Frãciscum Borgiam pietate ferebatur, eiusque festum ieiunio celebrabat, voti iam tunc reus, quando illum à dysenteria eò adductum, vt medici nihil iam consilij superesse dicerent, nuncupato ieiunandi voto Beatus Borgia persanauit.

XXVIII. DIE MARTII.

P. IVLIVS CVSSOLA.

Hispanus Maioricæ. 28. Mar. 1683 Soc.

STudiosè in id erat semper intentus quâ se arte industriaque cruciaret. Inter vescendum si quid palato illius arrideret, hoc ipsum illi stimulo erat, vt eam eius ferculi partem quæ maximè sapiebat relinqueret. Vesperi plerumque nihil omninò libabat. Vt verò se acriùs peruinceret, plures dies absque vllo potu duxit, nullâ vel guttâ gustatâ ad sitis leuamentum. Amabat paupertatem intimè, atque constantiâ planè mirabili. Nunquam quicquam nouorum calceorum, aut vestium admittebat; aiebatque, si sepulchro inferri deberem, hæc mihi detraherem: cogitabo ergò me esse iam mortuum.

Mortific.

P. ALEXANDER HUNNÆVS.

Scotus Camberij. 28. Mar. 1606 Soc. 27.

ILlustri apud Scotos domo natus, in Societate dictus postea est Germani Iesuitæ expressa effigies. Magna illi latina & Græca eruditio in memoria singulari, quâ librorum semel à se lectorum adeoque paginarum ac versuum, recordabatur. Militum animos ita rapuerat, vt procul aduentantem genibus nixi opperirentur. Quotquot illi vnquam noti fuêre mortales, illorum nomina & cognomina memoriâ retinebat; eorum verò quos hæresi, vel alijs peccatis expiarat, catalogum à se descriptum identidem lectitabat, precesque pro illis fundebat. Intra paucos menses fertur mille hæreticos orthodoxis partibus adiunxisse. Accuratâ supra modum reuerentiâ erat in singulis legum apicibus emulatè implendis. Vnde ipso etiam mortuali sibi die (quo mensæ ministrare solebat è præscripto) memor legis, admonuit ministrum, vt sui loco aliquem in triclinium destinaret, ad cibum Patribus ministrandum, obediens vsque ad mortem.

Fides.

P. ANDREAS ORTIZ ORUNNIUS.

Hispanus In Peruana Prou. 28. Mar. 1617. ætat. 66. Soc. 45.

IN Peruana Prouincia præclarè Christianam rem, per annos 39. prouexit. Etiam apud quos in magno pretio habebatur. Multos ægros dicitur persanasse: post mortem quoque beneficus cadauere adhuc integro & fragrante. Putatur Crucifixum, quem post mortem illi in manus inseruerant, mortuus ori suo ad osculum admouisse. Atque vt alia mira omittamus, Thomas de Sosa Ordinis Prædicatorum, plenus vlceribus, & morti iam vicinus, P. Andreæ, cuius olim discipulus fuerat puer, opem implorans, postea testatus est, illum sibi per quietem visum, opemque pollicitum. Et verò stetit promissis. Etenim vbi Sosa particulam è casula P. Andreæ suis vlceribus applicuit, planè conualuit.

Crucifixus.

Apparit.

XXIX. DIE MARTII.

P. PAVLVS AZEBEDIUS.

Lusitanus Eboræ. 29. Mar. 1596. ætat. 30. Soc. 13.

IGnatij Azebedij qui in fidei Christianæ odium cæsus est fratris filius fuit Paulus Ignatianæ virtutis viua effigies. Hic Ioannem de Mello in Philosophia per quadriennium audierat Magistrum discipulus. Iacebat is

Pia colloq.

Eboræ sepultus cùm Paulus inter colloquendum de morte cum socijs Patribus, exortâ quæstione quis è corona primus esset migraturus è vita; sibi animum præsagire dixit fore, vt Eborę

Mors.

moreretur, & in eodem cum Ioanne de Mello sepulchro conderetur. Missus Eboram ad Philosophiam explicandam, ibi breui morbo ac morte absumptus illi quod animo præceperat sepulchro illatus est.

MAG. GABRIEL VAYLE SCHOLAST.

Hispanus In Ripoll. 29. Mar. 1614 Soc. 4.

INter excelsa virtutum documenta quæ in Gabriele lucebant, erat multa & religiosa erga insignem DEIPARÆ cultum propensio teneræ voluntatis, quæ illi ad virtutem incitatè quærendam dux erat, incitamentumque perpetuum. Fructum eius pietatis

Mors.

luculentum cepit sub mortem quando illum Angelorum è gloria cœlesti aduentantium choro stipata Virgo Angelorum Regina in oppido Ripoll Gironâ Vrgellam euntem, ibique per

B. V.

iter ægrum, ac non sine clara maioris virtutis fama morientem inuisit, animamque illam breui migraturam ad itinera æternitatis beatæ ineunda opportuno solatio adiuuit.

P. BERNARDINVS ZANORIUS.

Italus Genuæ. 29. Mar. 1610. ætat. 90. Soc. 70.

GEnuæ nostros per annos 40. Confessarius domesticus audiuit, magnum in domesticæ disciplinæ diligentia exemplum vsque ad ætatem decrepitam, adeò vt Patrum quidam per ipsos 20. annos cum illo versatus, nullum ex ipsius ore verbum, non solum incompositum, sed ne otiosum quidem audierit. Si de mundi rebus tractaretur, inter colloquendum, obdormiscebat; si sermo ad cœlestia flecteretur, euigilabat. Cæruleæ seu Turchinæ virgines; quas etiam Annunciatas cœlestes vocant, ab ipso Genuæ inductæ, leges ab ipso conditas accepêre, ab Archiepiscopo & à Pontifice postmodum approbatas. Cùm adhuc viueret, clam submisso pictore depictus est, & de eius rebus aliqua à primoribus etiam postulata, ob insigne sanctitatis nomen. Aiunt obseruatum esse, illos etiam qui eo confessario vtebantur, singulari, ferè præ alijs virtute fuisse præstantes.

Pia colloq.

P. PETRVS VIDAL.

Hispanus Barcinonæ. 29. Mar. 1610. ætat. 28. Soc. 18. *Mortif.*

EXtremum locum, & officium quærebat, eoque modo de se loquebatur, vt infimam de se opinionem faceret in animis audientium. Corpus dirè castigabat, & flagella multo sanguine imbuebat. Gaudebatque cùm

etiam publicè se posset verberare, ac in triclinio aliquid vel facere vel audire, quod iuuaret ad humilitatis thesauros augendos. Beatissimam Virginem desiderabat cordibus omnium altè imprimere. Seruum se illi mancipabat. Cubiculi sui portam, & parietes affixis varijs ad Beatam Virginem orationibus faciebat pietati huic suæ vectigales, & hortatores. Duabus horis ante cæteros lectulo se proripiebat, vt orare, ac operam animabus nauare posset liberaliter & expeditè.

B.V.

P. ANDREAS LVTIVS.

Italus Firmi 19. Mar. 1621 ætat. 47. Soc. 27. B.V.

ET literis & virtuti sedulam semper operam dedit, singulari documento exempli Romæ, in Polonia, Firmi, vbique. Moriens videbatur sibi à præsente Beatissima Virgine ad cœlestis sponsi complexus inuitari. Mortuum Sanctum aiebat populus, eiusque pudicæ modestiæ, ac in audiendis confessionibus charitatis prædicandæ finem non inueniebat. Cadauer è templo rursus inferri debuit, adeò tota populi vis in vestes & capillos eius diripiendos incubuerat, vt arceri non posset.

P. IOANNES DE VILLALOBOS.

Hispanus In Peruana in Coll. Pacis 19. Mar. 1654 æt. 79.

TAm attentus erat ad leges instituti, *vt disciplinæ columna* diceretur, passim maioribus etiam virtutis nominibus, neque sinè reuerentia, nuncupatus. Confessarius testatus est illum primæ gratiæ candorem nullâ grauiore labe fœdasse. In apoplexia, & longa 24. annorum arthritide patientiæ fuit retinentissimus, sinè querela. Si quid quod delectaret afferretur, abstinebat, Christo illud libans. Notatum in eo est aliquando, illum ab infestis muscis, quæ istic sunt, in facie diu ad sanguinem vsque vexatum, illas nunquam aspellere voluisse. In vigilia SSS. Trinitatis noctu per iter in diuersorio cùm somnum capere non posset, videbatur sibi ab aliquo queri. Rogauit, ecquis esset; & respondentis vocem audiuit: *Ego sum Ioannes Sebastianus, qui vado ad cælum.* Et collatis postea temporibus, patuit, eo tempore P. Ioannem Sebastianum, celebratæ probitatis virum, è vita migrasse. Tacebat libentiùs: & si quid loqueretur, faciebat id breuiter, & verbis inflammatis. Patuit aliquando illi multa & futura & absentia non fuisse ignota. Vini vsu omni sibi adeò interdixit, amore puritatis, vt id voto quoque firmarit.

Patientia.

Morti

Lingua.

Mortif.

XXX. DIE

XXX. DIE MARTII.

P. VINCENTIVS CASTAGNOLA.

30. Mart. Græcus Messanæ. 1604. ætat. 70. Soc. 18.

IN celebri illo nauali prœlio contra Turcas à Ioanne Austriaco feliciter perpetrato Vincentius vni è triremibus præfuit; aliàs quoque non paucis imperitauit in bello. Sed illud cum Christi vexillo commutauit, Societate impetratâ. Etiam in militari licentiâ nunquam letalis peccati vllius conscientiam habuit; quod meritò mirêre. In Societate totus in sacro tribunali & assiduus, câ spe quòd aliquis fortè sit venturus qui operam suam desideret. Aiebatque se in eo mercatorum assiduitatem imitari. Hæc eius animarum sitis, atque ad illas, inuestigandas industria illi quæ complures annos antequam Societati nomen daret, de illo facta fuit, prædictioni respondit, quâ dicebatur fore vt in Societate ad egregium perfectionis gradum sit ascensurus, & animas insignitè quæsiturus. Mirifico exemplo fuit, hominem id ætatis & inter armorum strepitus nuper imperantem, iam sui compotem esse in Societate potuisse, vt se ad omnem disciplinæ domesticæ genium, & articulum accommodarit; ita vt ad omnes legum articulos attentus, nullum præteriret punctum per inconsiderantiam, vel negligentiam, vel ætatis non tam facile accommodantis se obtentu. Dicendi suauitate miram efficacitatem præseferebat plenâ maiestatis facundiâ, quâ perculsus ducis de Terranoua Siciliæ proregis filius Societatem amplexus est, in tyrocinio postea Romæ vitâ functus. Sæpè ingeminabat æger familiare illud suum; inter summa optimi Dei beneficia quæ accepisset, fuisse Societatem, quod ad illam à Deo vocatus, & à Patribus fuisset admissus, quòd in ea denique moreretur. Quare magnâ se omninò magnâ, suæ salutis spe teneri.

Zelus anim.

Vocatio.

P. HENRICVS SOMMALIVS.

S. P. N. Ignatio charus ob animi candorem egregium vir in omnes diei partes religiosè transigendas attentus: quo ex fonte fluxit illud illi tam sanctum atque perpetuum vt ad consuetum in Societate recreationis locum nunquam nisi præparatò accederet, tria semper puncta habens in promptu, quæ opportunè proponeret, ad piam socijs sermocinandi materiam suggerendam. A Lumaio hæretico tyranno in fidei odium è lecto extractus, mudatus, fœdè illusus, constantiâ suâ ferocem hominis proteruiam fregit. Vixit denique inter occupationes eruditas ætatis aureæ homo amabilis; ac primæuæ Societatis velut ex ipso Ignatij vultu atque ingenio ducta effigies.

Belga Valentenis. 30. Mar. 1619.

Pia colloq.

Fides.

P. IOANNES SANDÆUS.

ORandi studio, animarum ac multa patiendi desiderio; & mundi contemptione cumprimis excelluit. Ad Castra Cæsarea, vt Catholicos istic operâ omni iuuaret, missus, inde redux, ab hæreticis, fidei Catholicæ ac Societatis odio ad Rhenum

Belga ad Rhenum. 30. Mar. 1622. ætat. 40. Soc. 21.

Fides.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

num tribus globis ictus cecidit, Wepstadij honorific: tumulatus.

P. ROCHVS PHIRRHINGER.

Germanus Mussiponti. 30. Mar. 1636 ætat. 76. Soc. 57.

SIngulare ac perpetuum in illo viguit studium adorandi in horas singulas SS. Sacramenti. Sacrificij alicuius inchoandi signo audito, ad æris campani sonum se religiosè in genua demittebat, vbi id poterat, & illud sacrificium Deo enixè offerebat, factus quoque alijs ad id hortator, quòd illud esset tanti, pretij sacrificium quo excelsius nullum omninò sit. Huic addebat permagnam erga cultum DEIPARÆ pietatem: nec vnquam cubitum concedebat, nisi eius rosario collo iniecto, velut aureo torque ornatus.

Euch.

B V.

P. GVILIELMVS METTERNICH.

Germanus Coloniæ. 30. Mar. 1616. natus. 1563. Soc. ingr. 1587 *Eucharist. Mortific.*

ABundabat sponte vbertimque manantibus lachrymis, cùm diuina cogitaret, aut ad mensam aliasve legi audiret, sed maximè in sacrificio missæ, adeò vt sui vix compos effusè aliquando erumperet. Erga Christum tenero amore flagrabat, variè in genioſus in gratijs illi agendis. Quotidie flagellis, cilicijs corpus atterebat senio licèt morbisq; attritum. In spiritualibus exercitijs eâ se industriâ plurimũ proficere fatebatur, quâ clausis cubiculi fenestris ligabat sibi pedes, & manus velut vinctas componebat, & sic humi volutabatur, tanquã captiuus ligatis manibus & pedibus proiectus in tenebras, & perduellis Deo ac Dei Matri, ac reus læsæ vtriusque maiestatis veniam à Deo petens per Virginem. Lectioni spirituali vnicè diditus, Thomam à Kempis de imitatione Christi gestabat in sinu; duobus quotidie sacrificijs aderat pius auditor: alterum pro expianda sua in precibus negligentia, pro animabus in purgatorio afflictis alterum offerebat. Magnos quosque viros Exercitijs valdè peritè, ac feliciter erudiebat; vtque illis à Deo ad obeunda exercitia animum impetraret, preces socijs cùm Spiræ Collegium regeret, indicebat, & ipse pro illis diuinum sacrificium, & varia pietatis, ac sui afflictionis officia, cum lachrymis offerebat. Inde magnę vtilitates manauêre in subditos ita exercitijs excultorum; Hæreticis quoque nonnullis hac arte conuersis. Coronam B. V. è collo semper gestabat, vsque ad mortem. In lecto quiescebat vestitus, quò ad orandum expeditè sese proriperet. In sacro, cùm id per rubricas licebat, semper addebat collectas de SSS. Trinitate, & de Angelis. Inter assiduos labores, & itinera quæ pedes exantlabat, rogantibus vt ætati parceret, ac valetudini, respondebat: dum tempus habemus operemur bonum.

Cubiculum. Mortif. Dei Matr. Exercitia. Sacrum. B.V. Lectio.

XXXI. DIE

XXXI. DIE MARTII.

P. IOANNES DE LA QVADRA.

Hiſpanus. Belmonte. 31. Mar. 1564 ætat. 38.

TOtâ indole à puero ad ſanctimoniam propenſus, ad virtutem ſe incitari ſentiebat cùm oraret. Societatem inijt eo ſcopo, vt Deo quantum poſſet plurimùm perplaceret; pellectus eſt eo inuitamento, quòd Charitatem inter noſtros vigentem amaret. In ſacro pœnitentiæ tribunali, in Cathedris, & pulpitis, orator, Magiſter ad omnia, & vbique religiosè, atque attemperatè peragenda vt idoneus ita promptus; nutu quoque ipſo docens decoram modeſtiam naturæ venuſtate magis conſpicuam. Flagris adeò ſe tergo toto proſciderat, vt chirurgus locum non reperiret in ægro Ioannis dorſo, vbi cucurbitulas collocaret. E concione die Paraſceues contraxit morbum, & mortem obijt eâ horâ, quâ expirantis pro nobis IESV ſpiritum adoramus. Mira religioſorum, religioſarum, & omnium promiſcuè voluntatum erga illum propenſio, ac frequens per ora gliſcens per plures dies illa vox. *pretioſa in conſpectu domini, mors ſanctorum eius.*

Placere Deo.

Mortif.

FRANCISCVS MARTINEZ SCHOLAST.

Sina Cantone 31. Mar. 1906. ætat. 33. Soc. 15.

MAcainatus, & liberalibus diſciplinis apud nos eruditus, ac Societati adiunctus, poſt labores fidei causâ ſuſceptos ab apoſtata quodam proditus, & falsò accuſatus quòd proditor & magus eſſet, quòdque oculis ſe cùm vellet ſubduceret, quæſtioni ſubiectus eſt, in qua ligneis vectibus arctè conſtrictis pedum calcibus, & verberatis, in atrociſſimo tormento tenuit mirum ſilentium. Socios etiam Chriſtianos innocentes quæſtioni ſubiectos monuit, vt meminiſſent, mendacium Chriſtianâ lege eſſe vetitum: cauerent ergò dum minora timent, maiora tormenta ſibi accerſere. Semel, ac iterùm dirè verberatus, in ipſo carceris in quem reducebatur veſtibulo vi dolorum proſtratus, innocentem animam fortiter expirauit, ipsâ Chriſti morientis horâ, vt perhibent: & cum ipſis manicis atque compedibus, ita vt vinctus erat, ſepultus eſt. Orandi aſſiduitate ſupra laudes alias inſignis emicuit.

Mendacium.

Mors.

P. DIDACVS HOSIUS.

HIc anno 1536. è Paleſtinæ peregrinatione redux, Venetijs Ignatij cultione in exercitijs tantùm profecit, vt ſe naſcenti Societati decimum adiunxerit. Taruiſij cum Ioanne Codurio laborans, alternis hebdomadis, alter alteri præerat, ſuberatque. Per 40. dies Angelico ac cœleſti planè viuendi modo ſilentium coluêre abſconditi. Inde in publicum concionabundi erupêre, primùm non ſinè probris & cachinno, deinde cum admiratione ac fructu permagno auditi. Patauij cum Codurio, tanquam ſuſpecti abrepti in vincula, ibi cœleſtibus gaudijs delibuti ſuauiſſimè ridebant; breuì ſoluti atque laudati. Hoſius in foro, ſuper illa, *Vigilate, & orate neſcitis quâ horâ*: dixit admirabili ardore, quaſi mortem proſpectans præ foribus imminentem.

Hiſpanus Mortuus menſe Martio die incerto. anno 1538.

Silentium.

Patientia.

Mors.

Visus in cælo.

Primus è Societate abijt ad Societatem ciuium supernorum, quippe cuius animam, S. P. Ignatius ab Angelis cælo inferri vidit in monte Cassino tunc orans. Et postea inter diuinum sacrificium ad illa confessionis verba *omnibus sanctis* coruscantem Hostium quoque in beato cælitum omnium choro tam distincte vidit, vt planè agnouerit; per dies plures deinde affluentissimè lachrymatus præ animi dulcissimâ voluptate.

P. Michaële iter facienti, cùm & nox, & horrenda tempestas viam, consiliumque omne quà eundum esset, eriperent, S. P. Ignatius magnâ luce splendidus apparuit, ac viam commonstrauit. Magnis capitis doloribus cruciabatur Franciscus. Et tamen inuicta illi patientia semper stetit, & plenum pectus teneræ pietatis in verba etiam exundantis. Gironense Collegium Franciſci ex asse hæres multum se illi debere gratum fatetur pro beneficio tam luculento. *S. P. Ignat.*

FRANCISCVS RODES SCHOLAST.

Hispanus Valentiæ. 31. Mar. 1621. æt. 22. Soc. 5.

PMichaëlis Rodes de quo hîc 20. Martij, fratris filius. Huic vnâ cum

MENSIS

MENSIS APRILIS

PRIMO DIE

P. IBERVS FECENIUS.

Friso Coloniæ. 1. April. 1618. ætat. 35. Soc. 6.

PRimus Hildesij Societatem inijt; in qua multo labore plura officia gessit eodem tempore pro dignitate, cùm nulli labori parceret. Philosophiam cùm explicaret, priusquàm nouum librum aut materiam enucleandam susciperet, suos omnes philosophos ad S. Synaxim inuitabat festo proximo die, vel Dominico celebrandam, & preces pro felici successu fundendas. Et probro ducebatur si quis è toto numero ab Eucharistico illo conuiuio abfuisset. Diem extremum obijt cùm Metaphysicam docerer. E Metaphysicis tredecim Societati dedêre nomen, & quidem ex ijs non pauci eodem ipso die tyrocinium sunt ingressi, quo ille pijs exequijs tumulo est illatus.

Eucharist.

Vocatio.

PP. GASPAR OSORIVS, ET ANTONIVS RIPARIVS.

In Paraquaria. 1. April. 1639.

IN Paraquaria vterque fœcundis pro religione sudoribus inclytus prosperè laborauit; & in Ciaccorum Prouincia, ob damnatas auitas gentis superstitiones, vtriusque caput ligneis clauis contusum est. Ita interfectorum rasos vertices, in odium fidei & sacri ordinis concerpsêre; pectoribus etiam laceratis. Fama fuit, Patres hos iam trucidatos barbaris apparuisse, sacrificali veste, ac multâ luce circumdatos, enixèque commonuisse; vt Christo sese addicerent, Patribus alijs ad fidei magisterium aduocatis: id quod ipsi barbari prodidêre.

Fides.

P. Gaspar Osorius. In suis ad Ioannem de Lugo confessarium suum, postea Cardinalem, datis, quas ego Romæ legi, videtur eâ quam postea gloriosè obijt mortem haud obscurè prædicere. Angelum suum custodem coluit studio planè singulari, officio in eius honorem quotidie recitato, & Angelicâ quadam oculorum, totiusq; oris modestiâ. In DEIPARÆ vigilijs, pane ac frigidâ circumscribebat ieiunium, flagro ferreis rotulis armato se cædebat; quietem verò non alio ceruicali vsus quàm lapide, capiebat.

Hispanus ætat. 44. Soc. 27. *Ang. Custos. B.V.*

Mortific.

P. Antonius Riparius magno erga S. Ioseph um vt cultu, ita fiduciâ spectabilis, dicebat se ab eo nihil admodùm quod non obtinuerit petijsse. S. Xauerij reliquijs maris tempestatem tranquillauit: quocirca voti religione promisit se, 1. Decembris perpetuum ieiunium seruaturum; sextâ quoque qualibet feriâ, ex voto item, panis tantùm & aquæ vsu contentus. Huius cæsi caput visum sæpiùs exultare, cùm corpus truncum staret ingenti spectantium admiratione.

Italus. ætat. 51. Soc. 12. *S. Ioseph. S. Xauerius. Mare. Mortif.*

P. FRANCISCVS XAVERIUS VANDEN BERGHEN.

Belga Antuerpiæ. 1. April. 1652. Natus. 1598. Soc. ingress. 1617.

FVit hic vir ad rationes æternas & ad sublimes de Martyrio cogitationes animo toto suspensus; cuius etiam desiderio, veluti quodam impetu se in Societatem actum esse aiebat; eoque in quotidianas sui victorias, veluti parua Martyria, toto ingenio delectamentorum omnium ossor pulcherrimè inhiabat. Pretiosa illi, dulcis, & luminum plena, vultumque mirè componens, ac inflammans oratio: dies à salutato SS. Sacramento, ac DEIPARA & Iosepho ductus, quorum amori cor & linguam ad illorum gloriam propagandam impendebat. Fassus est hic à S. Iosepho se nihil petijsse quod non liberaliter impetrauit. In Missionibus accuratus: in Sodalitate Parthenia gubernanda in dicendo accendens animos in lachrymas fluentium auditorum & quidam vix vnquam se aliter discessisse testati sunt. Neque ad fusam in concauo lunæ virtutem, sed ad virtutem solidam, atque adeò ad sanctitatem suos acriter perurgebat; vt multo maximum omnium æternitatis negotium ab omnibus serió ageretur. Pijssima illius morum suauitas, inter dissidentes, pacis, apud moribundos plurimorum solatiorum illicium fuit. Multi se ab eius colloquijs ignium plus habuisse, quàm ab vllis libris meditationibusue testati sunt. Rector bis cùm esset, semper liberalem cum fœnore Deum est expertus pro sua erga miseros liberalitatè. Denique domi Angelus, foris Apostolicus meritò audiebat.

Mortif.

II. DIE APRILIS.

MAG. CAROLVS CASARIVS SCHOLAST.

Italus Parmæ 1606. ætat. 21. Soc. 5.

INnocentiam suã in sepulchrum intulit virtute variâ nobiliter adornatam. Primum integerrimo illi pectori ad Societatem igniculum iniecit Deus in magistri exemplo ita è discipulo factus est eius socius, & imitator. Veronæ Humanitatis classem docuit pari exemplo, ac viderat in Magistro. Ad mensam tantâ semper modestia se gessit, vt nimia sit visa, eoque moneri debuerit, ne quid nimis. Nec à mensa vnquam abijt, nisi se in aliquo peruicisset, genio arte quapiam defraudato. Nullus disputandi ardor, aut morbus, nullum aliud turbamentum fuit, quo vultus ille Angelicus turbaretur. Quocirca qui summum excelsæ, ac imitationem supergressæ modestię gradum propriè volebant explicare, *Caroli modestiam* appellabant. In summa siti & molesto situ æger nil vnquam petijt leuamenti; imò ne admisit quidem, nisi superioris iussu. Si se in partem aliam verteret, ac interea id agere prohiberetur, ita se relinquebat prout illum inueniebat vox prohibens. Ad mortis nuncium familiarem sibi hymnum, *Veni sancte spiritus & emitte cælitus lucis tuæ radium* &c. totum pronunciauit mirabili voluptate. Vltimum vitæ triduum cæleste illi planè fuit inter verba, quæ Seraphini cor, & linguam deceant, & inter vltima oscula Crucifixi. Fassus est Patrum cuidam, se nunquam deliberatè quicquam commisisse,

Modestia.

Mensa.

Obed.

misisse, quod antequam faceret, sciret esse peccatum, etiam veniale. Anno 1605. 2. Februarij Beatissimâ Virgine præsente, Angelo custode paranympho, sponsam Caroli animam sponso Iesv desponsatam esse prodidêre ij, qui fuêre ab intimis animę illius cò-silijs. Magna planè, magna de illius virtute singulari apud omnes fuit opinio; de qua dabit plura eius vita in annum 1606.

B. V.

P. IOANNES BORDESIVS.

Gallus Bearni. 2. April. 1610. ætat. 61. Soc. 42. *B. V.*

ADmirabilis in omni scientiarum genere vir. In Beatæ Virginis vigilijs insomnis totum tempus dabat confessionibus audiendis. Ad hæreticorũ tribunal tractus, conuitijs appetitus, exulare iussus est. Calceos suos exuit, vt eos pauperi daret, idque non semel, in Missione. Philippus Adurensis Episcopus, viso illo in veste tam attritâ, & lacerâ, tam strenuè laborante exclamauit: O verè virum Apostolicum: qui hac in ætate sexagenaria animo est in Dei obsequium tam vegeto.

Charitas.

P. DIDACVS MARTINEZ.

Hispanus Limæ. 2. April. 1626. ætat. 84. Soc. 61. *Crucif.*

A Bipso Crucifixo Indorum salutem sibi commendatam inter orandum audiuit; & magnis laboribus illam apud Peruanos quæsiuit; multis dæmonibus, & morbis vt aiunt, pulsis. Visus est in aere sublimis, non semel. Intra diem vnum ducentos, trecentos; postea mille, diuini amoris, & gratiarum actionis actus exercuit; adeoque id vsu firmauit, vt ad quinq; atque etiam septem millia id genus actuum ascenderit. Cum SSS. Trinitate, cum Beatissima Virgine, cum Angelis admirabiliter ferunt collocutum. Sæpè futura introspexit dabit hæc de illo latiùs eius vita imitationi admirationique futura.

Oratio.

Iaculat.

P. PETRVS MARIVS.

MAgno cum emolumento & approbatione præfuit Sodalitatibus, Missionibus, Collegijs. Sacer ad populum orator, per annos 15. illud munus ingenio, labore, virtute singulari ornauit. Compertum est, adeò facilem ei semper fuisse parendi promptitudinem, vt nihil de superiore vllo vnquam sit questus. Vnica illius cura esse videbatur, vt leges incorruptè seruaret; idemque tùm domi, tùm foris apud sanctimoniales agebat vnicè atque assiduè. Dixisse fertur aliquando cuipiam fidenter, duas quasdam (de quibus vitâ iam functis fortè tunc sermo erat) matronas clara in luce sibi fuisse conspectas. Disertè præsagiuisse illum aiunt quo die migraturus esset è vita. Extremo vitæ die Superiori dixit se in seipsum disquirere pro exomologesi postremâ: se enim eo die discessurum è vita, id quod ita euenit.

Lotharingus Triburgi in Heluet. 2. Ap. 1657. ætat. 85. Soc. 64.

Regula.

Mors.

III. DIE APRILIS.

ANDREAS ANNES COADIVT.

Lusitanus Vlyssiponæ. 1580.

COnstans Andreæ pietas, dæmoni orabiem mouit, qui illum varijs &horrendis modis vexauit, sublimem in aerem extulit, afflixit, quassauit. Primùm anxius erat animo inter hæc turbamenta. Sed vbi P. Leoni Henricio Rectori suo rem aperuit, orare Deum, ac imbellem dæmonem contemnere, atque irridere iussus, obedientiâ & oratione illum planè vicit, quieuitque victor ab hoste sic victo. Vinum è vase promenti dæmon alapam infregerat, humique prostrauerat, socij tamen vinum aperto licèt epitomio, stetisse inuenêre, Andrea interea humi iacente. Mortem inuenit in obsequio peste tactorum charitate pretiosam.

Oratio.

Tentatio.

Dæmon.

P. IACOBVS DE ZUNICA.

Hispanus Guamangæ in Peru 3 Aprilis vel 30. April. 1593.

MVltas hic terras, & maria emensus, vbique præclara & fecit, & tulit, à maximæ virtutis fama laudatus. Duo illa admirabilitate non caruerunt, quæ Limana historia hisce verbis narrat: Cùm iam deficiente naturâ, stomachi languore cibum ægrè toleraret, rogatus quid ipsius stomacho blandiretur, respondit, videri sibi cuniculi carnes iucundas fore. Cuniculos neque in vrbe illa, neque omninò in eius finibus hospes ne venales quidem, neue importatos vnquam viderat. Studio tamen languenti Patri obsequendi magis, quàm spe vllâ, domo prodeunti præsto fuit puer; cuniculum manu tenens, qui etiam vltrò hominem de illo emendo compellauit quod fortè casu potuerit contigisse opinione cuius. Admiratus hospes diuinam prouidentiam, lætus quanti puer voluit coemptum, gratum munusculum tulit ægrotanti. Paucis post diebus gratos sibi fore dixit certi generis piscículos. Mox hominē intra suas ędes habuit officiosus hospes, qui id genus piscículos venales detulerit: vt planè videatur Dei optimi Maximi bonitas ægroti cupiditatem anteuertisse. Nam ij quoque piscículi ex ijs rebus sunt, quæ in ijs oris raræ sunt inuentu. Ita ferè ibi. Exequiæ per octo dies celebratæ à Clero, religiosisque ordinibus. Vltimam de illo panegyrim dixit Prior Ord. Prædicatorum dignus tantâ virtute Orator.

Fiducia erga Deum.

Morbus.

GVLIELMVS OBEN. COADIVT.

RVri agens aliquando, cùm otium dabatur, 20. coronas DEIPARÆ notatus est recitando persoluisse. Salua illo viuo fruges, ac pecus, etiam vicino pecore peste consumpto, illo mortuo, armenta nostra magnâ strage occisa, & propè amissa. *Dilectus IESVS* erat illi tessera, & intercalare suspirium in ijs, quæ agebat. Moriens verò S. Annam cum filia & nepote ac S. Iosephum enixè inuocabat. Obijt ipso anniuersario religiosorum votorum ritè olim à se nuncupatorum dic.

Belga Brunsbergæ 3. April 1611 ætat. 80. Soc. 47. B. V.

Labores sanctis.

P. BAR-

P. BARTHOLOMÆVS DE ESCOBAR.

Hispanus Limæ. 5. April. 1625. ætat. 63. Soc. 45.

LAutam hereditatem suam totam in pia opera effudit, nullo teruncio sibi seruato. Charitate præcelluit, quâ ita res agebat, vt nulli quicquam negarit, si quâ ratione posset id quod petebatur efficere. Conciones illius doctæ, ac sanctæ: Itaque secum statuerat, etverò faciebat, vt nullam concionem peteret, nullam detrectaret. Certum erat illum in omni congressu non nisi vltimo loco fore, adeò id quærebat. *Vta* venenatus culex illum momorderat; inde illi acerbissimi cruciatus, & patientiæ seges ingens, ac mirè læta, cùm leprosi instar deformis miserè lancinaretur carne hinc atque illinc vellicatâ, vel amputatâ, idque triennio dolorum pleno, & lætitiarum.

Humilitas.

Lata patientia.

P. IOANNES TOLLENARIVS.

Belga.

REligiosæ charitate prudentiæ prodesse omnibus, & se ad omnia demittere sciebat, & volebat, Æger ipse de lecto se traxit, vt ægræ pauperi opem ferret. Mortui pauperis cadauer sublatum in humeros è superiore ædium parte deorsum deportauit, cùm feretrum per angustos gradus ferri sursum non posset. Ægri qui viaticum acceperat, vomitum generosè ipse hausit, in reuerentiam Eucharistici IESV. Aliàs etiam è pauperis vlceribus horridi scutella bibit, vt se peruinceret. Animus illi excelsus, & imperterritum ingenium; quod ille, illâ ferè cote acuebat, dum sæpè diceret: *Ad maiorem Dei gloriam! In nomine Domini!* Pauperi cuidam per tres continenter dies crebrò dictitabat, breui se moriturum; Et breui concidit. Inter moriendum se allocutus, *vbi*, aiebat, *vbi hodie erimus?* & respondit, *In sinu IESV, & MARIÆ.*

Charitas.

Euchar.

Actus heroici.

IOANNES BAPTIST. LECHNER COADIVT.

VExillum gestabat in bello, inde ad Christi signa transgressus quicquid charum se habere suspectare potuit, mox obedientiæ ad nutum reliquit; vt paupertate suâ obedientiæ ancillaretur. DEIPARÆ auxiliatricis imaginem secum extulit, cùm exiret ad supremam operam dandam peste infectis, gestatâ etiam è collo catenulâ, quæ mancipij tessera erat; quam ille vnâ secum terræ mandari voluit; quemadmodum S. Babylas M. catenas suas sepulchro secum condi iussit. Magno animo, ac desiderio mortem heroum in obsequio charitatis oppetijt, vt in heroibus, & victimis charitatis dictum.

Germanus Viennæ Aust. 3. April. 1654.

B. V.

IV. DIE

IV. DIE APRILIS.

P. GONZALVS DE MEDEIROS.

Lusitanus Vlyssiponæ. 1552.

PRimus in Lusitania se Societati adiunxit, Rodericij socius, posteaquam in Indiam soluit Xauerius.

S. Thomæ doctrina.

S. Thomam dicitur totum complexus fuisse memoriâ, tam erat addictus eius doctrinæ, atque sententijs.

Conciones.

Acus instar ad inducendum vitæ sanctioris filum in illo fuit concio quædam attentè audita, in qua lux illi oborta est cùm audiret, altilia non nisi occisa, & deplumata Regiæ mensæ inferri.

Deo placere. Tentatio.

Quare statuit mundo ac sibi mori, vt Regi seculorum immortali placeret. Valdè tentato, & in se mirificè sæuienti, ac oranti adfuisse fertur Angelus, & dixisse: *Confide: tu saluus eris.* In prandio parcè, in cœna non nisi panis particulam comedebat.

Angelus. Mortif.

Prouincialis factus, effusè in se ipsum crudelis cùm esset, monentibus respondebat. Hæc esse sui officij emolumenta, vt nunc plus in se sibi liceat, quàm cùm alieno viueret arbitratu.

Oratio.

Vesperi tres horas, manè tres alias orando ducebat.

P. IOANNES RAMIREZ.

Hispanus Compluti. 4. April. 1586.

MAgnum in Hispania inter Concionatores nomen fuit Ioannes Ramirez, dicendo, & faciendo potens. Toletana vrbs nomine publico cum literis hominem certum in Lusitaniam destinauit ad B. Borgiam, vt Ramirius Toleti porrò ad conciones retineretur, quippe omnium auribus gratus, omnium animis perquisitè salutaris. Valentiæ è triginta prostituti pudoris fœminis, quæ cuidam eius concioni aderant, duæ ac viginti ad castitatis castra sunt repentè conuersæ. *Concio.*

Salmanticæ per quadragesimam auditus, Deo illi vocem virtutis dante, ducentos præstantis indolis adolescentes, quos inter Franciscum Suarez, partim ad alios religiosos ordines, partim ad Societatem permouit. *B.V.*

Consultricem adhibuit quodam in dubio Dei Matrem coram eius imagine supplex; & imago illi manifestè annuit, capite inclinato, vt fama est. Dubitanti & magis accedenti, atque an id faciendum esset de quo deliberabat, interroganti, & nutu capitis annuente, & voce respondit Virgo; *Ita faciendum esse.* Et res felicem exitum est sortita. *Confessio.*

Reliqua eius decora dabit vita prolixior; vbi etiam de fœmina nobili quam post mortem ob confessionem præ pudore noxio sacrilegè factam igne cinctam, ac æternis tormentis addictam vidit, cùm coram SS. Sacramento pro illa oraret. *Euch.*

P. PETRVS MAILLEFER.

Gallus Albisiodori. 4. April. 1634.

MAgnum illi semper desiderium fuit vt se ipso melior semper euaderet, idque curabat assiduè. Idcircò assiduè attendebat ad orandi studium toto pectore augendum semper. Inde illi cum Deo, Dei Matre, atque Angelo custode familiaritas multa; quam creditur Deus illo quoque beneficio coronasse, vt Petro morienti Angelus coram adesset, eumque recrearet. *Morti*

V. DIE

V. DIE APRILIS.

P. GEORGIVS TAVORA.

Conimbricæ 5. April. 1599 ætat 44. Soc. 17. *Charitas.*

VIr planè misericordiarum, natus ad squalidorum leuamentum. Capillos ægris tondebat, vulnera pertractabat, vestiebat, in hospitium è publico deportabat, lauabat, id quod videns Academiæ Rector imitatus est; idque se ab illo didicisse professus est. Hoc illi Conimbricæ datum elogium, vnum fuisse ex optimis commilitonibus, quibus aliquâ memoriâ Societas eluxit. In Conimbricensi pestilentia illum è viuis eripuit mors heroum, vt victimam Charitatis, vbi puerum fatiscentem in humeros sustulit. Ipse tuguria pauperibus in sæua hyeme curauit, ipse ad ligna cædenda exiuit, ipse terram fodit, adeò vt religiosorum quidam dixerit illum videri dignum, cui à Societate, etiam viuenti statua decerneretur. Ignatium Conimbricensis vrbis eum vocabant: vt sicut sancto Ignatio Roma, & Ignatio Martino Vlyssippo; ita Conimbrica isto aliquâ imitatione gloriaretur. Cùm à sandapilarijs efferretur, egenorum gemitu ac eiulatu omnia circùm completa sunt.

P. LVDOVICVS LALLEMANT.

Gallus Bituricæ, 5. April. 1635. ætat. 47.

NVllâ vnquam vllius grauioris peccati maculâ suam innocentiam temerauit. Mirum exercebat in suos affectus planè perdomitos imperium. Ad obediendum cura illi maxima, etiam in minimis: Paupertas in cubiculo Biblijs, Breuiario, & per paucis, ipsque valdè necessarijs libris *Mortificat.* Hinc illi à seuero in seipsum exemplo insignis apud adolescentes, tyrones, ac postea apud tertiæ probationis patres, authoritas. Virginitas integra *Oratio.* semper, & magnis corporis cruciatibus communita. Orationem amabat vnicè, tanquam suam in hac vita felicitatem, conscientiæ teneritatem, tanquam orationis pupillam. Hinc *Confessiones.* illi conscientia quotidiano pœnitentiæ Sacramento perpurgata: id quod faciebat sensu magno, diligentiâ, singulari, vt SS. Eucharistiam reuerentiâ & amore teneriore tractaret. Per ipsos 30. annos postulauit mitti ad infideles Euangelio nunciando, & ferendis pro Christo aduersis. Mortuo capilli & vestes vulsæ ad venerationem.

VI. DIE APRILIS.

P. IOANNES ENCONTRA.

Hispanus Maioricæ 9. April 1587.

SEmper intento studio in id incumbebat, vt se ipsum persequeretur, odio implacabili. Nullum omninò diem transire sinebat, quin manè in se flagello ardenter animaduerteret, vicinis qui circùm habitabant eo velut surgendi signo audito excitatis. Decorâ quadam quietæ modestiæ dote tam erat singularis, vt diu immotus planè persisteret instar statuæ. Vnde hirundines ferunt sui securas aliquando in illius capite consedisse, quas ille non aspellebat. Extremum spiritum impendit tenerrimis ad Beatissimam Virginem Colloquijs.

Mortifie.

Manè.

Modestia.

P. FRANCISCVS DE LERMA.

Hispanus in Monte Regio. 6. April. 1596. Soc. 17.

ILlustrissimæ virtutis operarius cùm esset, cuidam quam confitentem audiebat, in templo dum cuiuspiam de Societate exequiæ celebrarentur, dixit: Veni ad templum hoc duodecimo abhinc die, hac ipsâ horâ, vt interfis meis exequijs. Fecit id illa: &, ita vt ille prædixerat, reperit Patres Collegij in templo qui P. Francisco exequias celebrabant.

Mors.

P. THOMAS DARBISPHIRUS, SEV, ALBICHER.

Anglus Mussipondi 6. April. 1604.

FVit vir in ferendis carceris, & postea morbi ærumnis, in Exercitijs & Catechesi tradendis, in nouitijs instruendis felicis dextrique ingenij. De illo mira quædam narrant annuæ Mussipontanæ quòd Christi sanguine manantis imaginem viderit, quòd ad Societatem diuinitùs missâ voce sit accersitus, quòd orante illo gemini Apostoli medicos de illius tibiæ amputandæ sententia deduxerint. Do de illo ipsa literarum verba: In Anglia olim Episcopi Londinensis nepos, pro Catholica fide primis Elizabethæ Reginæ temporibus in carcere habitus, inipso (quod compertum postea est) carceris tædio, à Domino confirmatus est imaginis obiectu, Christi sanguine manantis. Carcere solutus cùm nutaret inter amplectendum Carthusiensium Ordinem, & nostrum, diuino monitu ad Societatem inclinauit. Nam oranti illi, vir clausis cubiculi foribus adstans. Tu quidem, inquit, Carthusianus si eris, saluti tuæ consules; sed vbi futurus est proximus? In Societate fuit operarius, Magister Nouitiorum, paruulorum catechista tam solidus, vt eius institutiones in Commentarium referrent Theologi. Perniciali malo eius tibiam occupante, cùm de tibia secanda medicorum denunciatio timeretur, ille precibus ad geminos, quorum dies agebatur, Apostolos fusis depulit, medicis mitiora decernentibus. Huic eidem Patri Thomæ (vt c. 24. de Soc. B. V. sacra refert

Christus passus.

Vocatio.

Oratio.

Crucifs.

Vocatio.

Oratio.

refert Burgesius) pro felici Præpositi Generalis electione noctu oranti fertur apparuisse Dei Mater, & Romanum Comitiorum conclaue illi ostendisse in quo ipsa P. Claudium Aquauiuam manu prehensum produxit in medium. Vnde ille, veluti Deiparâ consultrice, electus est. Id quod P. Thomas Parisijs P. Iacobo Tyrio retulit: & Claudium electum postea sequuta fama firmauit.

B V.

P. MATTHÆVS PREITENBERGER.

Bohemus Reginæ Hradecij. 6. April. 1654. B.V.

DE hoc in anni 1654. annuis Bohemiæ num. 19. scripsi ferè in hæc verba: hunc olim puerum DEIPARA à graui morbo restituit. B. Stanislai Sanctâ Barbarâ præsente ab Angelis Eucharistiâ pasti cogitatione tenerrimè recreabatur, cùm in scholis nostris literis daret operam adolescens: & nocte quadam eodem sibi beneficio potiri est visus, vigilaret an per quietem incertum, cùm ipse id explicare vel noluerit, vel non potuerit. Struma illi collum obsederat: quam vt depelleret S. Norberti, & S. P. Ignatij opem impensiùs implorauit. Allato Pragam S. Norberti corpori imaginem, quæ S. Nicolaum habebat, admouit; eandem strumæ suæ applicuit, & votum Societatis ineundæ concepit, ac sensim valuit, planéque conualuit.

Euch. B. Stanisl. & Barbara.

S. Norbertus.

S. Nicolaus.

Anno 1628. tyronum magistri iussu, muscis ac vermibus qui granum corrumpebant, in granario, promptè ac obedienter dixit vt facesserent, neque frumentum à Deo seruis suis datum corrumperent. Habuit vim obedientiæ virtus. Etenim infecta illa agmina emortua concidêre, ita vt palis ejici deinde debuerint. Postea 13. annis Ministri functus officio, Matris omnium implebat munus. Paupertatis illi cura perdiligens; & si quid nouarum ei vestium asserretur, negabat hæc esse idonea cadaueri vestiendo. Obsequio peste tactorum bis caput deuouit anno 1647. & anno 1650. magnâ virtutis & Societatis commendatione, quæ illi eximia & non nisi eximiæ probitati viris dari consueta elogia peperit. Scrupulis molestè cruciatus aliàs; penultimo vitæ anno ab ijs placidè conquieuit.

Obed.

Paupertat.

Charitat.

VII. DIE APRILIS.

P. EDVARDVS OLDERONVS HALLUS.

Anglus Vigorniæ. 7. April. 1606.

ROmæ ad Societatem adlectus, in Anglia feliciter nobilem matronam conuertit, inediâ, & assiduâ precatione ad Deum fusâ, cùm illam orthodoxæ fidei momentis quantumlibet peritè adductis permouere non posset. Conuersam se aiebat, quòd vidisset P. Eduardum. sui causâ quarto iam die ieiunium tolerare. Authoritate, ac ex eo sanctâ quadam libertate, cùm polleret, Londini in fenestra viri Catholici Martem & Venerem pictam vidit, ac pugno confregit. Malum cancro persimile, quod in eius ore serpebat, repentè sanus S. Wenefridæ Virginis ope discussit. Duodeviginti annis in patriâ illa vineâ, solerti assiduitate laborauit: postea in eius quam propagabat fidei odium tentus est, & suspensus, ac laniatus. Ignem, quo eius intestina combusta sunt, per totos sexdecim dies

Zelus.

Mortif.

S. Wenefrid.

Mortis in cinere arsisse affirmant. Satellites aquam ei plurimam affudêre; neque tamen extinctus est. Decimoseptimo demum die in luculentam, flammam erupit, & oppressus est: id quod diuinitùs factum putant ad Eduardi innocentiam contestandam. Ibidem corona viridis, veluti regium diadema, creuit in gramine, diuque permansit. *Corona.*

MARIANVS PISCIS COADIVT.

Siclus Panormi. 7. April. 1622. ætat. 60. Soc. 30.

AD obedientiam, & omnem propriæ Instituto nostro virtutis accurationem valdè fuit semper attentus, quidquid officij gereret. Vnus tamen illi mensis datus est ad expiandas in Purgatorio noxas. Etenim cùm Messanæ Patres ad Prouinciæ Comitia conuenissent aiunt 8. Maij Mariano Patri Iosepho Scamacca olim sibi familiari apparuisse dixisseque: *Vale iam, Pater Ioseph. Ad Cælum euolo: mensem integrum in Purgatorio fui*; Adhæc per quietem visa & audita experrectus Pater Ioseph, ad Præpositum Domûs Professæ Panormitanæ adijt, & re illi necdum patefactâ de Mariano percontatus, ab illo didicit, mensem iam elapsum esse à morte Mariani, quippe, qui 7. Aprilis morte sit sublatus. Ita, & ea quæ per quietem à mortuo, & quæ vigil à viuo audierat, benè sibi consentire aduertit Ioseph Mariani animæ iam expleto Purgatorio gratulatus. *Purgat.* *8. Maij.*

P. IACOBVS STRATIUS.

Belga Louanij. 7. April. 1634.

HVnc ij, qui nouerunt virum pietate in paruo corpore magnum vocant. Magnus illi ardor erga domesticarum exempla virtutum, cum Collegia, & posteà Flandro-Belgicam Prouinciam gubernaret. Idcircò Menologium conscripsit Societatis, in quo, ferè ex annuis, in dies singulos ponit elogia mortuorum in Societate aliquâ virtute laudatorum, idque ipsis annuarum verbis. Vt autem dies mortis reperiret, datis Epistolis diligenter accurauit. Eius ego Menologium vidi; ac tametsi maluerim è fontibus ipsis petere ista, quæ hic scripsi, nonnunquam tamen (vbi contrarium in alijs non resperi) in assignando mortis die Stratii diligentiâ sum vsus, quam se adhibuisse scribit in litteris, quas ab eo ad Mutium Præpositum Generalem anno 1619. 20. Septembris Lyrâ, & anno 1622. datas legi. Fuit verò Stratius inter eos viros, quos inter primæ notæ nomina censet illa Prouincia; & ait ipsum sui censorem, ac vindicem propè nimium fuisse; illo adnitente institutas in Belgio antecinerales preces, & sacras de Passione Domini per quadragesimam Commentationes. Sacrificium incruentum, erat illi negotium negotiorum præ alijs quibuscumque. Paupertatis, Pietatis, ac sui affligendi causâ Romanum iter, ætate licèt iam ingrauescente pedes ingressus est, cùm istuc à Prouincia mitteretur. Magni Vir exempli fuit semper, & perspicacis ad omnem Pietatis industriam ingenij, eoque magni habitus, ac pro Magistro ab alijs honoratus. Et tamen, mortem se vehementer pertimescere palàm ingenuè fatebatur, idque magno cum sensu. *Examen.* *Iter.*

P. IOAN.

P. IOANNES EVSEBIVS NIEREMBERG.

Hispanus Madriti. 7. April 1658. ætat. 63. Soc. 44.

ORigines nobiles in Germania, natales Madriti habuit. Fertur eius Matri per annos 14. sterili, & prolem à Deo petenti Crucifixus Christus apparuisse ac dixisse: eam exauditam esse. In tyrocinio, Nouitio, cui parere iussus fuerat, nihil loqui iubenti ita paruit, vt per 20. toros dies nullum verbum dixerit, nisi cùm confiteretur, In corpore afflictando fuit vnus è magnis ac raris exemplis. Somni non plus admittebat quàm quantus fesso corpusculo ita obrepebat vt illum non posset admittere, idque nunquam in lecto, nisi cùm ægrotaret. DEIPARÆ festis ieiunium præmittebat pane solo frigidaque contentus. Nunquam vllam pompam, vel spectaculum curiosum adire voluit. Flagris quotidie se cædebat vsque ad sanguinem vbertim fusum. Iam se totum cilicio è setis contexto vestiebat, iam cingebat aculeo crebro armatis catenulis, iam crucem cuspidibus asperam, iam radulam (quali caseum radunt coci) corpori adstringebat. Calceis quoque injiciebat varia quæ plantas vexarent. Ostensus fertur cuidam ab Angelo in cubiculo chartas & libellos distribuens, ac viuos quosdam radios spargens in pectora variorum; quod erat symbolum vtilitatum ex eius libellis ad legentes manantium. Eius adhuc viuentis rosario sanctimonialis plagam sanatã ferunt. Anima Patris è Societate cuiusdam dicitur è Purgatorio (in quo vehementer cruciabatur ob charitatem zeli obtentu oblæsam) illi apparuisse, & dixisse; se ab eo auxilium flagitare, idque sibi à Deo concessum Virgine DEIPARA impetrante. Quendam Angelus ad illum misit, vt ab illo, quædam ab Angelo dicta obscurius, sibi peteret explicari. Etiam à Beatissima Virgine missum ad illum aiunt non vnum. In doloribus suis aiebat se thesauros admirabiles reperisse. Quotannis bis per dies 15. ad Exercitia secedebat: alias quoque septem horis orationi datis quotidie, Superiorum permissu. Post mortem etiam admiranda quædam illo patrauit Deus, quæ eius vita narrabit. Dixi de illo quædam etiam in Annalibus MARIANIS Societatis IESV. Moriens vultu iucundo post altum silentium; *Quàm dulcis*, inquit, *res est mori!* Eâ quam viuens secum semper gestare solebat S. Michaëlis imagine cordi cuiusdam ægrotantis admotâ fama est dolores acerrimos illicò discussos: ipsum quoque cuidam post mortem adesse visum, brachio eius gladioque arrepto prohibuisse, ne se interimeret; monuisse, vt dæmonis insidias caueret; periturum fuisse nisi DEIPARA ab eo religiosius culta illum periculo exemisset: quare iret, ac peccata cùm reliqua tum etiam hoc, dolenter confessione sanctâ eluere; DEIPARAM verò colere pergeret longè quàm hactenus vnquam impensius. Prefixa est Parthenicis eius operibus in folio illius effigies, cum illustri epigraphe.

Crucifixus.

Silentium.

Obedientia.

Mortif.

Angelus.

Lectio spirit.

B.V.

B V.

Angelus.

Patientia.

Mors.

S. Michael.

B V.

VIII. DIE APRILIS.

P. MAVRITIVS VINNAS.

Hispanus 8. April. Cæsaraugustæ. 1558.

MAnresæ natus matre piâ, & Ignatio Patri nostro ibi eximiâ pietate addictâ. In Societate Operarius perinsignis maximè circa moribundos, & circa spiritualia exercitia enucleanda fuit. Primus in Collegio Cæsaraugustano migrauit è vita; cuius Corpus, vt ait Societatis Historia, vnà cum vestimentis illibatum post biennium, nec quicquam graue olens, nec vllâ violatum tabe repertum est. Addunt Aragoniæ Prouinciæ litteræ; illius cadauer cùm sacrificali veste deberet indui more consueto, & eleuaretur, in pedibus constitisse non minùs quàm si viueret, non sine admiratione spectantium.

Charitas. n. 49. Mors.

Mors.

P. THOMAS ZDELARICHIUS.

Croata Vilnæ. 8. April. 1572. ætat. 40. Soc. 18.

HVnc Societatis historia veterem Athletam, ingẽs Vilnensis Collegij columen vocat, & de illo hæc addit. 6. idus Aprilis sanctè obdormiuit in Domino, dum tertiò ea verba repetit. Domine IESV, suscipe spiritum meum. Egerat vitæ circiter quadraginta annos, octodecim Societatis, omnium testimonio, ac nominatim Vaiseuitij, pietate præcellens, exempli probatissimi, filius obedientiæ, consolatio, & requies Superiorũ: adeò semper ad omnia, & paratum à voluntate, & structum à facultate reperiebant. Bonus idem sacro suggestui, bonus Tribunali pœnitentiæ, bonus clauo etiam Religioso. Multis verò, & modis, & annis laudatus in Scholis, dum Latinas litteras, dum Græcas, dum Philosophiam in Austria profitetur. Ex nostratibus linguis, Germanicam non ignorans, Vngaricam tenens, callens Illyricam, vt ortus in Zagrabiensi Diœcesi Drauum inter, ac Sauum.

n. 200.

Obed.

P. LEO ENRIQUEZ.

Lusitanus Vlyssipone. 8. April. 1589.

EGregio sanguine; virtute vsque ad eminentissimæ virtutis famam laudatus. Gaudebat se rideri, quòd esset pusillo corpore. Quendam cùm iurantem audisset, positis humi genibus rogabat, ne id faceret, sed ille monitorem humi deiectum, & verbis, & pugnis, & calcibus malè affecit. At incredibili brachij dolore dicitur mox correptus, culpam agnouisse, ac Leone orante illicò planè conualuisse. Fama etiam fuit, dæmonem sua sibi habere iussisse, cum quo Nouitium clam colloqui deprehenderat, & quem vidisse quoque dicebatur sub cuiuspiam forma respondentem. Magna illi contra Dæmones vis fuit. Quidam properanter ad laqueum properabat, vitam sibi noctu erepturus. Huic Sacerdos paruulus in Ponte apparuit, illum à facinore absterruit, & & Patrem Leonem adire iussit. Paruit desperatus ille; & Patre Leone accito, eumdem fuisse qui sibi noctu apparuisset, agnouit, vitâ in meliorem penitus commutatâ. Henrico etiam infanti Cardinali ægro, & vigili, anno 1556. noctu apparuit; dolores cessaturos prædixit, consignauit, morbum repentè fugauit; idcircò Henricus Leonem sibi in Con-

Zelus.

Oratio.

Apparet viuens.

Calamitates. Euch.

Ira Dei.

Confessarium acciuit, & Societatem deinceps impensè amauit. Coram Sanctissimo Sacramento, pro auertendis calamitatibus oranti vox ex hostia allapsa est; Nequaquam, nequaquam! dimitte me, dimitte; nam castigabo, castigabo. Præclara illius obedientiæ, humilitatis, & aliarum Virtutum decora recenset eius vita in annum 1589.

P. ANTONIVS SARDUS.

Messanæ. 8. April 1592. alijs 2. Iul.

Vocatio. Medicus.

HVnc hodie extinctum reperio in M.SS. Cæterum sic de illo annuæ Messanences. Migrauit in Cælum, vti speramus, P. Antonius Sardus senex innato candore animi, atque simplicitate dilectus Deo & hominibus. Illustris erat toto Regno ob insignē peritiam, & quemdā quasi principatum artis Medicæ. Audiuit à Christo, veni post me, faciam te fieri medicum animorum; quam vocem ita generosè complexus est, vt non modò se suaque animum, corpus, seruos, fortunas omnes; sed vniuersam propè familiam Deo deuouerit; filiam, & vxorem charam in primis adduxit, vt cuperent, & amplecterentur Monasterium Sacrarum Mulierum suo magno ære, maiore labore ædificatum. Ipse rarò exemplo Societatem ingressus, præmissis tribus liberis adolescentibus tantæ Indolis, quantam illorum præclarus exitus Confirmauit. Vt vno facto se multiplex holocaustum offerret Christo, illique non vno, sed pluribus animis seruiret, quem habiturus est æternum generis propagatorem in Cælo.

P. DOMINICVS PIERIVS.

Belga Luxenburgi. 8. April 1557. ætat. 69. Soc. 48.

HVius viri modestia singularis, in precibus assiduitas, religiosus ac suauis candor illi apud externos opinionem sanctimoniæ fecit. Vnde passim *Boni Patris* nomine appellebatur. Nullam legum nostrarum læsit: paratus fuit semper obedienter annuere quicquid agere iuberetur; & promptus agere quicquid à quopiam rogabatur. Si quid contra se dictum audiret, dissimulanter ferebat; cùm ipse de omnibus quàm optimè sentiret, ac loqueretur, sibi vni inclemens. Præter alia munia cum diligentiæ, fortitudinis charitatisque significatione insigni obita, longâ plus quàm quatuor ac triginta annorum in humanioribus disciplinis tradendis patientiâ operam diuinæ gloriæ nauauit, fructu eximio iuuentutis, in omnes eius officij partes studiosissimè intentus, etiam inter acerrimos dolores morborum, quibus identidem illum diuina bonitas exercebat. In delicijs illi erat si quid domi vile, atque abiectum esset in quo se exerceret. Rubricarum & sacrificij diuini & officij tum peritus erat eximiè, tum obseruans: neque agebat quicquam quod non omni accuratione perficeret.

Charitas.

Patientia.

Humilitas.

IX. DIE APRILIS.

VINCENTIVS NOVITIUS.

Hispanus Romæ. 9. April. 1585.

HVius nobilitati par virtus constitit, sed acerbâ morte in flore ipso demessa. Sic de illo litteræ Domus Probationis Romanæ: Vincentius Ducis Terræ nouæ eiusdemque Mediolanensis Gubernatoris filius, Societatis ineundæ consilio, simul ac Romam attigit, vnà cum Duce Militarium rerum peritissimo, ac probatissimo, tribusque famulis ad D. Andreæ rectà contendit. Pater Generalis, ne quid eius Parentem offenderet, noluit hominem nisi ab eo potestate factâ recipere. Dum responsum expectatur, Adolescens apud nos diuersans, ex maris, & itineris afflictatione periculosum in morbum incidit. Vbi Farnesius Cardinalis resciuit, pro ea, quæ illi cum eius Parente necessitudine intercedit, & quo commodius curaretur in Palatium suum adducere summâ ope conatus est. Peruicit tamen Vincentij constantia præsertim Medicorum nixa consilio, ne loco moueretur. Cardinalis peristromatis conuestiri cubiculum, eoquè suum lectum deferri iussit, & Peritos Medicos ventitare. Verùm cùm placita esset Deo anima illius, raptus est, ne malitia immutaret cor eius. Itaque paucis diebus elatus, in Professorum Domo, tanquam Societatis Nouitius, sepulturæ mandatur. Dux autem eius Pater eodem ferè tempore, & de consilio, & de obitu filij certior factus, non modò domesticum vulnus sapienter, moderatèque culit, sed plurimùm etiam Societati debere per litteras significauit.

Vocatio.

P. HIERONYMVS GALITIA.

9. April. Siculus, Messanæ 1512, ætat. 65, Soc. 49.

INgenio, Doctrinâ, puritate, religiosæ Disciplinæ studio accurato præstans, cùm oculos caligare sibi aduerteret, à libris ad mancipia instruenda operam transtulit, id quod humilitate, patientia, fructuque permagno præstitit. Iam, iam requieturum à laboribus suis antè mortem cœlesti Musicâ recreatum affirmant illi qui ei animam agenti adfuêre.

Mors.

P. GVLIELMVS VESTONVS.

Anglus Vallisoleti. 9. April. 1615. ætat. 63. Soc. 39.

PRæfuit Missioni Anglicanæ donec in ærumnosam annorum plurium custodiam compactus, editâ ibi 4. votorum professione in exilium iectus est. Noctes integras aliquando peruigilatione sanctâ orando traduxit. Ciliciis ferè semper onustus, singulis noctibus se flagris cædebat. Ipsi Hæretici ad eum Angliâ excedentem spectandum confluebant; quippe ab expulsis Dæmonibus famâ notum. Dæmones multifariam insidiosos, & sæpè sibi spectatos vicit oratione, sacrâ lectione, assiduo corporis cruciatu. In diutino carcere oranti, ac suas ærumnas proponenti visum est filum è cælo instar lucidi radij porrigi cum hac voce: *Hoc ego te filo suspensum habeo è prouidentia mea: tecum sum ego; nec te deseram.* Inde illi admirabilis in Deum fiducia. Post sacrificium celebratum, horam integram de genibus ducebat in silentio sancto absconditus; aliàs quoque

Mortific. Oratio. Prouidentiæ Dei. Fiducia in Prouid. Sacrum. Silentium.

quoque silentij adeò fidelis custos, vt nunquam extra concessa tempora loqueretur. At de illo enucleatè plura in vita ad annum 1615.

X. DIE APRILIS.

MAGISTER IOANNES BAPT. TVBALLINVS.

10. April. Italus Panormi 1593.

PRæclaris naturæ donis, & virtute illustri conspicuus; at patientiæ potissimùm admirabilitate laudatur. Nostram iuuentutem humanioribus disciplinis imbuebat, & magnam expectationem de se concitarat. Cùm paralysi correptus, septem, vel vt alij perhibent vndecim, annorum spatio neruis dissolutis ita iacuit, vt cadaueris instar esset, nec se mouere posset, dolorum plenus. Nunquam vllum intoleranter illas ærumnas ferentis animi signum dedit, nunquam, quicquam quo recrearetur petijt, etiam à superioribus enixè inuitatus. Lætitia in eius vultu, ac verbis hilarè gratias Deo agentibus tantâ, vt nonnisi ab inhabitante spiritu sancto eam proficisci, dixerint omnes; disertéque affirmarint, in eius facie quasi faciem Angeli explendescere. Dicebant alij, nullum animo adeò perturbato ad illum adire, quem stupenda illa patientia, tantoque gaudio cumulata hilaritas non tranquillet; tentationes quoque à nonnullis eo solo aspectu dispulsas. Cæterùm tota illius occupatio sine tædio erat cum Deo, & libris pijs, quorum ille pagellas linguâ voluebat, cùm manus haberet vsu omni penitus destitutas. Interea verò secundùm multitudinem, & longitudinem dolorum, Consolationes Dei lætificabant animam illam tam diu incommodissimè habitantem. Expirante illo Patrum quidam illi familiaris, tametsi eius migrationis inconscius, in corde præsensit, nescio quid iucunditatis planè singularis; quæ vnde manaret ignarus, tandem Tuballini morte intellectâ, ea quid sibi vellet, aduertit.

Patientia.

Mort.

Mort.

P. ANTONIVS MORGVES.

IN huius viri moribus egregia religiosè vitæ Disciplina, in morte verò prouidentia Diuina eluxit pro solatio morientis. Degebat extra Collegium in Castello natalis soli, & optabat vehementer aliquos de Societate in morte habere præsentes 10. Aprilis diem supremum sibi adesse præsentiscens, obnixè assidueque rogauit Domesticos, apud quos erat, vt è specula prospicerent, (quemadmodum aiunt litteræ Anicienses) num aliquis de Societate aduentaret; quas voces identidem reperebat, donec moribundo renunciatum est apparere procul duos de nostris. Ingresso Patri clarè, maturoque iudicio, summariam totius vitæ confessionem, exorsus est; sacroque, inunctus oleo, eadem horâ piè in Domino, Crucifixum amplexatus, obdormiuit.

Gallus in Castello S. Germani 10 April. 1613. Soc. 18.

Mort.

P. IOANNES AVGVSTINVS CONFALONERIVS.

Italus Aronæ.10, April 1639. *B.V.*

DVo in hoc viro laudant ij, qui cum pernouêre: feueram Virtutem, & constantem, flagrantemque in Diuinę Matris cultu accurationem. Toto quadraginta annorum spatio nullum Sabbati diem intermisit, quo non meditaretur de aliquo argumento è Beatissimæ Virginis vita delecto; quæ constantia memoriam, laudem, imitationemque meretur. Æqua quędam morum bilanx illum in perpetuo sibique semper simillimo virtutis constantissimæ tenore firmabat. Id quod maximoperè semper laudant ij qui sciunt quid sit vera quid fucata, vel caduca virtus. Verborum erat parcus admodum, ita vt ne otiosum quidem verbum, vnquam se ex illo audisse mihi quidam dixerit lueulentus & fide dignus testis qui cum illo sat diu habitauit. Iram, ad quam à natura erat propensior, adeò frenauit, vt nunquam concitatâ voce vel signo vllo se commotum esse ostenderit, etiam in occasionibus id genus prolapsioni valdè obnoxijs. Id etiam perpetuum & quotidianum illi fuit, vt, Nouitiorum more, dimidiam horam postmeridianam orationi matutinæ adijeeret,

Sabbatum.

Constantia.

Lingua.

Mansuet.

Oratio.

P. IOANNES DOMINICVS ARESIVS.

EMenso Philosophiæ, Theologiæque totius curriculo, Coadiutor spiritualis formatus Philippinas obtinuit. Vbi in Cabaliensi vico nauiter procurauit ea quæ ad salutem animarum spectant. Mortem ibidem honestissima in causa oppetijt, inter orandum hastâ confixus ab Indo quem reprehenderat quòd se certiorem minimè reddidisset, matrem de vita periclitari, adeòque illam suâ seu negligentiâ seu malitiâ sine sacramentorum ope de vita migrare fiuisset. Percussor Indus solâ fugâ se necis eius authorem esse prodidit, cùm id P. Ioannes, viuus adhuc repertus ab Indis alijs, prodere nunquam voluerit.

Sardus in Philippinis. 10. Apr. 1645 ætat. 40. Soc. 23.

P. ISIDORVS DE SAAVEDRA.

NObili apud Indos genere natus, fertur dæmonem adspectabilem sibi sæpiùs & vidisse & vicisse: ante initam Societatem Sanctos PP. Ignatium & Xauerium non semel spectasse admirabili voluptate animi ad arduam virtutem accensi: imò & augustissimam cæli Reginam crebriùs in vita conspexisse. Quam assiduo & nũquam segni amore prosecutus, eius ope integram ab omni grauiore noxa suæ incentiæ laudem seruauit.

Peruanus Limæ. 10. April. 1651. ætat. 64. *Tentat. S.P.Ignat. S.Xauer.*

B. V.

XI. DIE

XI. DIE APRILIS.

BENEDICTVS GOEZ COADIVT.

Lusitanus in India Orient. 11. April. 1607.

HIc militarem suam licentiam cum Religiosis moribus commutauit, Societatem anno 1584. ingressus: ad quam hoc viso permotus est. Anno 1583. in Templo coram B. Virginis imagine in genua prouolutus, & vitæ suæ rationes dolenter expendens, petebat à IESV per MARIAM veniam peccatorum. Tum paruulus (vt ferunt) in DEIPARÆ sinu puer, quasi mater pro Benedicto iam veniam impetrasset, in lacteas lacrymas abundè solui est visus: quibus ara subiecta immaduit; ijs, qui spectaculo interfuêre, strophiola liquore illo mirabili certatim, & cum admiratione imbuentibus; Benedicto verò se in Societatem IESV dante: in qua per Mogorenses, & aliàs Orientis Indiæ Missiones magno animarum studio, & religiosæ vitæ innocentiâ vixit.

In B.V. sinu IESVS flet.

Confess.

P. EMMANVEL DE BARROS.

Lusitanus in viridi Promõtorio 11. April. 1611

HVnc in viridi Indiæ Orientalis Promontorio laborantem insignis admirandæ virtutis fama ore omnium celebrauit. Eius precibus (verba sunt annuarum inde missarum.) Eius Ieiunijs exactum narrant à femina Dæmonem Inquilinum, qui eam multis annis insederit; eum, cùm se colligeret ad exitum obfirmatus, negaretque è veteri deijciendum possessione, Patrem eatenus restitantem vrsisse, vt discessum tandem promitteret, quocumque signo iuberetur. Agebantur hæc in loco, qui distat ab Altari passus ferè triginta. lucentes igitur in eo cereos iubebatur extinguere. Iussum factum; tam longè absentes extinguit vno Spiritu fœmina concitatior, & domesticum simul expuit Dæmonem. Idem Pater strumosum puerum, cui omnia alia remedia frustra adhibebantur, post preces, oleo ante Sacram Eucharistiam pensili illitum restituisse sanitati fama memorat. Vallem ipsam crebris frequentem prædijs mali Lemures infestauerant, terribilibus modis insaltantes: suppetias ierant Sacerdotes alij, nullo euentu. Accitus P. Emmànuel, Domos obit, piacularem spargit rorem, reperensque salutare IESV nomen, vallem omnem lustrat; quibus armis infestam Lemurum Turbam, ex loco penitus proscripsit, & fugauit.

Euchar.

P. DIDACVS SOTVS.

Hispanus Murciæ. 11. April. 1617 ætat. 69. Soc. 51.

VT animæ magis promptas Domi nostræ operas reperirent, ac vt ne quid ipse sibi laxamenti quæreret, voto concepto promisit se nunquam exiturum, nisi expresâ Superiorum id imperantium voluntate coactum. Flagris in se quotidiè semel seuerè animaduertere non contentus, secundò id, & nonnunquam tertiò repetiuit. Cilicijs assiduis corpus, etiam in senio, ita vexabat, vt cùm non nisi octo iam horis à morte abesset, sit repertus duobus ferreis cilicijs adeò arctè adstrictus, vt ea frangi necesse fuerit, quò ab illis expediri posset capulo tam vicinus.

Zelus.

Mortif.

Mort.

P. STANISLAVS GAURONSKI.

Polonus Posnaniæ. 11 April. 1610. *Iter.*

ILlustri domo licèt natus, tamen cùm Romam ad Theologiam mitteretur aiunt cum toto itinere (cùm id citra scandalum licuit) aurigam egisse. Beato Aloysio cõtubernali familiariter vtebatur & imitabatur virtutem, quam coràm spectabat. In rectione, sua commoda exosus, vltima omnia eligebat; cibo paruo; sæpè nullo, lectulo duro, vestibus attritis contentus. Post acceptum diuinum viaticum cum lachrymis gratias egit. Pro beneficio Vocationis. Anno deinde 1622. eius cadauer iuuentum penitus incorruptum, colore albo succo recenti quin & sanguine è presso labio, & auriculâ dextrâ expresso; sarcophago, ac vestibus plane absumptis. Auxit admirationẽ corporis illius constitutio succi, & carnis plena; locus ipse humidus à vicino fluuio, qui in veure exundat. Rem, & nostri, & 4. Medici explorauêre. Neque id alienum est, vt credatur in homine in quo singularis planè cum Deo conjunctio, ac aliæ solidæ virtutes præcessêre.

Superior.

Vocatio.

P. ANTONIVS RVIZ DE MONTOYA.

Hispanus Peruanus, Limæ. 11. April. 1632. *B.V. Corona. Mortif.*

CVm esset paruulus nouem annos natus, quotidie coronam DEIPARÆ attentè recitabat cum lachrymis; & nudatum tenerum pectus lapide verberans, conabatur actum diuini amoris elicere. Ipse sibi texuit funem cilicinum quo se cingebat cùm adesset spectaculis. Postea tamen abijt effrænis in via cordis sui procax, libertatis & gloriæ cupidus, licenter effusus ad insanias fallas, & à Sacramentorũ vsu omni per triennium alienus, modicâ tantùm scintillâ pietatis retentâ, vt sacrificio missæ quotidie interesset, ac DEIPARÆ rosarium recitaret. Ab hæc effrænatione post multa capitis pericula iam redire incipientem ad cor, & in Deiparæ sacello, eiusdem coronæ, seu rosario recitando intentum, ac veniam petentem quòd rosarij domi oblitus pensum illud è digitis persolueret, dicitur imago Deiparæ ex altari alloeuta in hæc verba: *Desino esse solicitus: ego breui dabo tibi rosarium.* Mox incredibili tam perditæ suæ vitæ odio, ac nouo erga Dei Matrem amore flagrans, ad P. Gonsaluum Suarez Societatis IESV Sacerdotem (qui Antonium pijs colloquijs ad frugem reducere nitebatur) adijt. Is conspecto Antonio, dixit; sibi eo die datum elegans rosarium: & illud ei dans monuit, vt conaretur Deiparæ esse valdè addictus; Antonio iucundè attonito, ac expletam dati à Deipara promissi fidem non sinè vtriusque admiratione narrante. Cùm inter seueriora, & molliora vitæ consilia medius fluctuaret, dæmonem deformem valdè, sed & Angelum suum formâ cælesti spectabilem sibi videre ac ab eo defendi est visus, & ad religiosæ vitæ amorem exarsit. Cùm per octo dies pijs S. Ignatij commentationibus animum exerceret, ac instar pumicis aridus marcesceret, nil tamen omitteret; quarto demum die visus sibi est videre magnam vim populi, ab Angelis, & à quibusdam de Societate Patribus defensi, contra dæmones populo illi ad infernum rapiendo intentos. Inde illum admirabile desiderium subijt Paraquariæ adeundæ. Mox ad Christi in excelso throno sedentis latus, & ad fugendum ex aperto illius vulnere delicias cælestes sibi admitti visus est, conspectis de Societate Patribus in veste vndequaque

B.V.

Rosarium.

Piacolloq.

Angelus.

Tentatio.

Exercitia.

Morty

B.V.

quaque pellucidâ, symbolo eius candoris quo rationem conscientiæ suæ reddunt ijs à quibus gubernãtur. Quare tum illi in pretio ac amore esse cœpit hactenus parùm amata Societas: cui nomen dare vt posset, Grammaticæ studijs animum tanto conatu applicuit, vt per menses vndecim ad Rhetoricæ vsque classem euaserit.

Anno 1606 die Præsentationis Beatissimæ Matris ad Societatem admissus, in Dei matris manibus deposuit omnia ea quæ per omnem vitam erat acturus; vt illa satisfactionem, quam vocamus, omnem pro animabus purgatorij applicaret. In Nouitiatu, Reginæ Seraphinorum opem ardentissimè implorabat, vt per eam pro anteactæ vitæ licentia veniam, & amorem erga illam ac reuerentiam perpetuam obtineret. Hic se aiebat eius præsentiam persensisse, ac se illi suum cor porrexisse, quod illa benignè acceptum sui cordis loco reposuerit, ac suum vicissim clienti suo donauerit; Antonio tunc delicijs pleno, & promittente, se iam nihil eorum quæ Deo non placent amaturum, de viribus totis laboraturum vt etiam ab alijs toto corde amaretur. Sæpè dixit suis Superioribus; multa se à liberali Dei ac Dei Matris manu accipere, velut in præmium eius conatus quo se vincere ac affligere connitebatur omni occasione oblatâ. *Mortif.*

Anno 1607. Nouendiali pietatis exercitio eam in rem instituto, petijt *B.V.* à B. Virgine Paraquariæ missionem: & videre sibi visus est Deiparam inter S.P.Ignatium atque Xauerium mediam, ac dicentem; fore vt eò mitteretur.

Monitus pro Paraquaria adeunda, exercitijs asceticis animum excoluit. In quibus quinto die hæc illi species oblata est. Patebat iter arduum, & asperum: ac in illo visebatur Deipara splendoribus glorioſa, quasi pulcherrimæ cuiusdam portæ custos, ad quam vbi per arduum illud iter appulit Antonius, à Deipara peramanter acceptus, ac inuitatus vt ingrederetur, posteaquam ingressus est, vidit hortum peregrinis & nunquam visis floribus mirabilem, cuius intima penetralia, Deiparæ hortatu ingressus, Christum istic videre sibi est visus in horti centro stãtem, ac lateris sui vulnus manu tegentem: à quo accitus, ad osculum sacri vulneris procubuit, à Christo illi admotus, eiusdemque amplexu recreatus. Videbatur sibi eò magis sitire qui plus inde bibebat: & videre flores omnes aureos aut argenteos, distinctos lapidibus pretijs, at odore tactuque longè suauissimo. Quicquid deliciarum hoc fuerit, certè Antonio inde ingens quoddam lumen increuit, in quo & suam exilitatem & diuinæ Maiestatis granditatem vidit; ac voluntate inflammatâ exarsit vt per omnem vitam tali Domino, ac Dominæ quantâ posset contentione seruiret.

Iam votis religiosis obstrictus cùm aliquando desideraret scire *quomodo posset Deo valdè placere*, aiebat se diuinitus monitum vt vigil esset in omni religiosarum legum accuratione; in parendi studio; ac in Dei vbique præsentis memoria retinenda. Diebus festis examinabat se, quomodo in amore Dei proficeret: ad cuius compendium eâ industriâ vtebatur, vt se amore Dei gereret erga omnes instar mancipij. *Regula.* *Humilitas.*

Sæpè Deiparam sibi vel præsentem adesse, vel audire loquentem est visus. Vt cùm coronam quotidie pro constantia in vocatione recitaret, monitus est, fore vt in ea constans moreretur: eadem Virgo Mater ei adfuit se pro primo sacrificio præparãti, nec discessit nisi sacrificio ad finem deducto, *Vocatio.*

P. Martinum Xauerium, S. Xauerij nepotem morti proximum amicè rogauerat vt in cælo sui procuratoris munere fungeretur; ac suo nomine factâ Reginæ cæli reuerentiâ peteret
B V. ab illa pro suo Antonio teneram erga cultum Deiparæ voluntatem atque amorem. Cùm deinde pro illo mortuo diuinis operaretur, visus sibi est cælestis curiæ delicijs interesse, ac eiusdem lumine vndequaque perfundi. Inde illi tenerior quædam erga Deiparam propensio, cœlestium rerum æstimatio, & humanarum contemptio maior increuit. Edoctus tunc est in illo lumine; ad consequendum eum quem optabat amorem erga Deiparam, necessarium esse sui examen solicitum, & particulare ad extirpandos leues quosdam nęuos, siue prolapsiones; quia quæ speculum perfectionis fuit, vult suos amicos esse perfectos: deinde eidem frequenter ad Deum recurrendum per orationes quas iaculatorias appellamus: denique quotidianam aliquam sui afflictationem ac victoriam de seipso, amore Virginis, referendam. Tum ille sibi persuasit hæc omnia sibi à suo Xauerio impetrata: de quo postea inter semidormiendum auditam sibi de magnâ luce hanc vocem dixit: Hic quiescit Martinus Xauier: hîc recipit glorioſum præmium laborum: cum illo quiescent qui cum illo laborarunt.

B.V. Vt se Dei Matris mancipium testaretur, cinxit se catenâ ferreis aculeis asperâ quam per omnem vitam retinuit
Mortif. quoad licuit per morbum, & obedientiam id ei postea prohibentem. Ordinario Sacerdotum penso, Deiparæ officium adiungebat quotidie; rosarium verò vnà cum populo recitabat. Sabbato ad imprimendum Indis cultum Deiparæ, adhibitis etiam modis musicis manè sacrum de illa canebat, vesperi Litanias.

Cùm per 40. dies ascēticæ exercitiorum spiritualiū solitudini se dedisset post longa ieiunia, flagella, cilicia pernoctans crebrò in oratione petebat sibi à Deo per Dei Matrem impetrari *amorem Dei*, docerique ab illa *quomodo Deum amare deberet amplius semper & amplius totis viribus cordis sui.* Aiebat, se auditum à Regina cæli: ac oranti sibi coram Dei Matris imagine conspectum Spiritum sanctum in specie columbæ aureæ quæ super illius pectus consederit, & cor suauissimè vellicarit, ac illud amore diuino tenerè inflammarit. Neque aliud quidquam se tunc facere potuisse, nisi Deum diligere, dolore quoque amabili sibi inde relicto in omnem vitam. Cantabat diuinas misericordias velut ebrius à torrente amoris, & libellum admirabilem conscripsit, quem sic inscripsit: *Ars breuissima ad eliciendum ignem amoris Dei in oratione.* Amor

Cùm inter sacrificandum desideraret vnà cum sacrificio cor suum Dei S. Michael. B.V. Matri offerre, & per illam Deo, S. Michael illud Beatissimæ Virgini Matri dedit, vt illa illud æterno Patri offerret. Totum meum desiderium, ait, erat obtinere purum amorem erga pulcherrimam, pijssimam, purissimam Seraphinorum Reginam, non pro me solùm, sed etiam pro toto mundo: vt omnia omnium corda se sentiant vulnerata castissimo illius amore, vti tunc meum sentiebat. Inter gratias agendū, Amabam, inquit, & amabar. Aliàs manè nunc sibi visus est videre DEIPARAM in ætate florida. Putabat se tunc illius anima esse in medio rosarum ac florum variorum; cùm illam repentè penetrauit radius quidā accensus, in cuius medio erat cor splendidum & ardēs in manibus diuinæ huius Dominæ, sagittis duabus confixum. Ibi se in altiorem Dei, & assistentis custodis Angeli notitiam peruenisse. Aliàs manè

manè inter orandum sentiebat sibi cor eleuari, ac videre velut in cælo empyreo IESVM & MARIAM. Insatiabile erat in eo desiderium *proficiendi semper in amore Dei plus & plus*, corde præ desiderio palpitante, ac velut esuriente, fame dulcissimâ. Alio die in sacrò videbatur sibi ab Angelis circumdari coram Deipara, & ad hanc à corde suo sagittas vibrari. Aiebat: sicut diues dum aliquid molestiæ sentit; pro leuamento domi cistas thesaurorum plenas contemplatur, & mœrorem abstergit: sic & se inter ardua memorem fuisse Dei, ac Matris Dei, & delectatum fuisse. Certè aliquando in Hispania æger cùm opem Deiparæ imploraret, illam vnà cum S. P. Ignatio sibi adstantem à se visam, & se à febri conualuisse affirmauit. Suadebat *Amor Dei.* vt qui *diuino amore* flagrare vellet, opem Deiparæ ac S. Mariæ Magdalenæ poscceret. Eadem de causa colebat etiam impensè S. Teresiam: & videre sibi aliquando visus est Deiparam cum Angelis, S. Mariâ Magdalenâ hinc, inde verò S. Teresiâ Deiparæ latus claudentibus. Adfuisse ait & Christum scaturientibus per eius pedum vulnera sanguinis viui riuis, qui aiebat, eum assecuturum id quod flagitabat. Inde illi felices æstus amoris excelsi, & humilitatis profundæ; didicitque diuinitùs ea omnia sibi per Deiparam obtigisse. Anno 1620. 5. & 6. Febr. cùm in matutina meditatione expenderet, quantũ *in perfectissimo erga Deum amore* *proficisset*; sensit se accendi: & videre sibi visus est columbam niueam expensis alis aureos radios de se spargentem: quæ postea super illius caput quieuerit; ipso lætitia tantâ perfuso vt ea ipsi visa fuerit (quemadmodum latinè ipse scribit) *quasi voluptas Angelorum.* Inde ad cor volare est visa: & tum datum esse signum ad finem horæ meditationis quam stupebat tam citò effluxisse.

Cùm in recitandis, pro more, sanctorum omnium litanijs totum se infra omnes humilitate profundâ demitteret, vocem ad se perlatam percepit, quæ aiebat: Antoni, ego elegi te, vt animas istas illumines. *Litania.*

Cùm *amorem diuinum* in concione quadam suis conatus fuisset imprimere ardore insigni, & inde domum redux, in cubiculo Deum oraret, vt in ijs qui eum audierant magnum diuini sui amoris ignem incenderet; visus sibi est videre Christum, & se sacro eius lateris vulneri os admouere, ac inde guttas legere; vt paruuli guttulas lactis sugunt. *Amor Dei.*

Cùm ad gentiles Indos conuertendos vndequaque excurreret, plurimosque ad Christum perduceret, idola in foro palàm combureret, essetque Pater omnium ac Magister, plurimum laborum & ærumnarum tulit; ab iniquis etiam permulta perpessus. At quicquid calumniarum, & calamitatum pateretur, Deipara illum suauissimè solabatur.

S. Michaelem fecit præsidem cordis sui ac suorum sensuum. Vnde quicquid ageret, illi, & per illum Deo ac Dei Matri offerebat. Inter vescendum, semper aliquid mittebat IESV, & MARIÆ per Angelum suum custodem. *S. Michael.* *Mortif. Mensa.*

Orans in horto aliquando visus est ore accenso, fixis in cælum oculis, à terra sublimis. Ægrum, & ob febriles æstus reliquâ pedis parte non tectum, inuisit ac præsenti S. P. Ignatio benignè commendauit Christus, vt ille suæ militiæ socium solaretur. At Ignatius Ægrum digito monstrans, Domine, aiebat, istene est de tua Societate? Mox Antonium acriter omissæ legis coarguit quòd pede non satis tecto decumberet. Madritum ad Re- *Oratio.* *Regula. S. P. Ignat.*

gem

gem è Regno Peruano proficiſci iuſſus, à Rege Catholico multa feliciter impetrauit contra eos qui Indos vexabant, & eorum ſaluti impedimento erant.

Oratio. Limæ obſeruauêre domeſtici illum à noctis medio vſque ad matutinum tempus per ſex horas oraſſe. Dixit Confeſſario ſuo quòd putaret ſe tempus illud perdidiſſe, ſi cyathum aquæ biberet, aut aliquid ſumeret *ſine actu amoris Dei.* Vnde dicebatur, omnes etiam eas quæ indifferentes vocantur actiones, ad excelſam diuini amoris ſphœram reducere conſueuiſſe. Per annos aliquot illâ iaculatoria oratione vtebatur: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Sæpè illum ad orationem Angelus cuſtos excitauit: animæ è Purgatorio auxilium ab eo petiêre: Limæ à ſanctiſſimo Sacramento radios ad ſuum pectus venientes, & viciſſim alios à ſuo pectore erumpentes in ſanctiſſimum Sacramentum ire vidit. Cùm vehementer doleret audiens SS. Euchariſtiæ Sacramentum ab hæreticis contemptum, & indignis modis tractatum, Chriſtus illi faciem ſuam inſtar octodecim annos nati adoleſcentis oſtendit venuſtate ac ſplendore pulcherrimam.

Euchar.

Societa. Cùm in quapiam Prouincia calumnias pateretur Societas, Antonius pro ea orans, videre ſibi viſus eſt illam Prouinciam velut in corde Dei. Et Præpoſitum Prouincialem ſolatus eſt, tranquillitate ex vero prædictâ. Nam breui illi qui Societatem accuſarant, falſi vltrò ſunt ſe eſſe mentitos: & vnus eorum dixit ſe triginta ſex fictis chirographis Societati maculam aſpergere fuiſſe conatum.

Aiunt illum per octo exercitiorum dies aliquando nil cibi admiſiſſe, præter SS. Euchariſtiæ Sacramentum. Nam tametſi per eos dies duos panes in cubiculo, veluti pro annonâ habuerit, vt ijs veſceretur, ſi ſe viribus deſtitui perſentiſceret; tamen poſt exercitia integros illos reddebat ita vti acceperat.

Euchariſ.

Ieiun.

Infeſtos ſibi dæmones diſſipauit pronunciatis Iesv, & Mariæ nominibus, & oratione *ſub tuum præſidium.* &c.

Iaculat.

Aliquando Cherubinus vnus, aliâs Angelus cuſtos, ſemel duo Angeli, ei conſpecti ſunt.

Cùm Limæ diem extremum obijt illicò religioſus quidam Ordinis Deiparæ de mercede, ac alia quædam religioſa perſona, dixêre ſe vidiſſe quòd cum gloria in cælum abierit. Prorex Peruanus, cum conſilio Regio eum ſepulchro ſuis humeris intulêre. De illius chirographo erga ægros benefico, & alijs multis quæ admirabilitatem habent, multa ſcribit Doctor Ioannes Franc. Xarque in eius vita Cæſarauguſtæ anno 1662. cum approbatione maiorum Hiſpanicè in lucem data.

Mort.

XII. DIE APRILIS.

INNOCENTIVS FONTANA SCHOL.

Italus Romæ. 12. Apr. 1577.

IPso Paraſceues die, quo olim Religionem ſe initurum vouerat, exceſſit in Collegio Romano Innocentius nuper tyro magnis clarus victorijs inter prœlia domeſticorum nobilium, quæ latè deſcribit anno 1577. Societatis Hiſtoria, cuius verbis iubet adſcribere id quod per morientem in ſeminario Ioannem Baptiſtam adoleſcentem à Beatiſſima Virgine impetrauit. Repentè Ioannes Baptiſta inſolitam in lætitiam os explicans, Sanctiſſima, inquit Virgo hîc adeſt præſens. Innocentius ad eam vocem, lætitiâ, & veneratione plenus, nihil diſertè explicans, ſed in Societate per illam impetranda fixam habens curam; Quando inquit, adeſt Mater Sanctiſſima, bonam mihi, & adiutricem precare, & Ioannes Baptiſta: clementiſſima, inquit, Mater hoc ait; te id quod optas aſſecuturum. Hæc, & plura ibi. Et verò aſſecutus eſt quæ Virgo promiſerat.

Vocatio

B.V.

P. PETRVS DE ANASCO.

Hiſpanus in Peru 12. Apri. 1603. ætat. 55. Soc. 33.

HVic ægro vt ferunt, & ego id refero in Annalibus MARIANIS, Dei Mater, enixè vocata cum paruulo in ſinu IESV adfuit, ſolata eſt, valetudini priſtinæ reddendum promiſit, & Societati ſui filij nomen dare iuſſit. Multa de illo habent annuæ anni 1605. è quibus excerpo ea, quæ ſunt ex ipſius P. Petri chirographo propria illius manu conſcripta: dum; inquit, in pueritia mea irati ob defectus aliquos in me parentes mei animaduertere volebant, accurrebam ſtatim ad ſanctiſſimam Virginem, iratoſque parentum animos mitiores redditos inueniebam: idque ipſum quamdiu litterarium frequentaui ludum expertus ſum, hoc manè ab amantiſſima parente in templo ipſius, ſingulis quibuſque diebus ante ingreſſum ad Scholas petens auxilium; ſabbatiſque in eiuſdem honorem, & reuerentiam ieiunans; mox verò, ac in horum aliquo deficiebam, aduerſi etiam aliquid eo die procul dubio experiebar. B.V. Sabb.

Sequitur ibidē: ſingulis ſabbati diebus præcipuum aliquod à Deo optimo beneficiū, ob deprecationem eiuſdem ſanctiſſimæ Matris accepi. Hæc me ad Societatem adduxit, in eademque conſeruauit: vbi quæ ipſius causâ ſenſerim, quoniam verbis explicare non poſſum ſilentio prætereo. Confeſſario dixit, quoties ſingularis illius beneficij recordabatur, quod ægrotans à ſanctiſſima Virgine accepit (recordatur verò frequentiſſimè) toties eamdem pulcherrimam, ſuauitatis, amoris, humanitatiſque pleniſſimam mentis oculis intueri, ſicut primò eamdem corporeis viderat; animumque tum ſuum dulcedine quadam conſolatione que celeſti plenum relinqui. Atque ita in libello illo huius rei (quod conijci poteſt) mentionem faciens: Iuuenis, ait, in periculoſiſſimum morbum incidi, in quo illud mihi accidit, quod glorioſus Deus, atque egomet ſcimus atque in grati animi ſignum firmiter cum diuina gratia conſtituo pro huiuſmodi beneficio ſingulis ſextis ferijs me diuerberare, ſacrum item, Feria 6.

coronam, & quicquid ijs diebus boni egero in gratiarum actionem offerre.

Præclarissimum quoddam semper extitit omnium exemplar; sed trium præsertim vt ipse in eodem libello testatur, studiosissimus fuit; tria hæc, inquit, toto vitæ tempore mihi in primis spectanda sunt. Primum obedientia, præ cuius executione oratio mihi ipsa, corona, sacrum, quies, & somnus omittenda sunt. Secundũ verò, est oratio in qua quęcumq; mihi temporis interualla superfint insumẽda sunt. Tertium est mei ipsius annihilatio, & contemptus, quò omnes exercitationes, & cogitationes meæ simul cum rigida corporis castigatione dirigenda sunt. Quæ omnia prestitit opere multo perfectiùs, quàm scripta reliquit, vti ex permultis exemplis quæ scribi possent conijcitur.

Imitatio. In hoc ipso libello Catalogum reliquit rerum atque virtutum, quas, vt præcipuas in Patribus Fratribusque quibuscumque frequentiùs agebat obseruarat, quod quidem licèt ad audiendum iucundum, ad narrandum tamen quia longius æquo est, necnon quia multa ex eo ad viuentes adhuc spectant, prætermittam. Duo tãtummodo in aliorum exemplar inseram de ijs, qui vitâ iam functi sunt. Agens igitur de Patre Illefonso de Barzana, Pater, inquit, Barzana, quem veluti Parentem amantissimum à Deo mihi exhibitum summo prosequor amore, habet eximias virtutes, ac dona cœlestia, quæ à Deo accepit. Viget in ipso maximum feruentissimumque æternæ animorum salutis studium, vera, & ardentissima quædam charitas, summa animi submissio, paruulique cuiusdam candor singularis. Diu, noctuque in laboribus est assiduus, aliaque id genus multa, quorum ipse mihi conscius sum. Iterùm ibidem: Limam accessi, oculos statim in Ioannem Atienza Collegii Rectorem, coniecij quem, vt virum integerrimum considero, vt religiosissimum, vt humillimum, vt affabilem, vt eruditissimum, vt prudentissimum vigilantissimumque, & quod mihi in ipso maximum quid videtur, integritas quædam animi est, æquitasque singularis, quâ omni illum tempore omnique occasione affectum inuenias. Atque in hunc ferè modum egregia aliorum repetit dona, atque virtutes; subditque ad extremum: hi mihi omnes exemplo sunt, quorum dum recordor, mei me maximè pudet. Tu, Domine, qui (quæ tua bonitas est, ac munificentia singularis) dona ista tua, cœlestesque diuitias tantâ liberalitate dispertiris, efficias deprecor, Pater amantissime, vt reliquiarum saltem, quæ hisce tuis fidelissimis seruis superstant, particeps fiam, Amen, Amen.

P. BRVNVS BRVNVS A S. CRUCE.

IN Romano Seminario seueræ in seipsum virtutis exẽplar fuit Brunus*, cùm se tertiò quot hebdomadis cingulo scorteo verberaret, catenulis ferreis cingeret, ter in hebdomada ieiunaret, accuratè ad omne punctum legum Seminario præscriptarum sese componeret; ingenio, musicæ peritiâ, piâ morum facilitate amabilis. Ad Societatem in vigilia B. V. Assumptæ admissus, se ad arduas missiones quotidianâ sui flagellatione, duro lecto, fame ac siti exercebat. In Seminario Romano à prima die quâ S. Catharinæ Christo paruulo in B.V. sinu sedenti desponsatæ imaginem vidit puer, illam quotidie manè ac vesperi salutauit. Adfuit illi postea in Æthiopia cum Iesu paruulo Virgo Dei Mater, cùm fortitudinem peteret contra pericula, & tormenta; & inserto illi in digitum cæle-

Italus in Aethiop. 11. April 1640. ætat 50. Soc. 35.

Mortific.

B.V. S. Catharina

Lusita Ibid. æ Soc. 35

sti

stiannulo, festum ei desponsationis, quam in Iesu & Catharina coluerat, celebrauit. In Æthiopico itinere, cùm diuinis operaretur, totus illi vultus visus luce perfundi. Quindecim inter barbaros fidei Romanę infestos lethalibus plagis acceptis vixit superstes; id quod infans quidam (hactenus nunquam locutus, & illum neque postea in tormentis à constantia recessurum affirmans) fore prædixerat; quodque Christiani à Deo impensiùs flagitabant indicto ieiunio paruulis quoque lactentibus. In excelso monte, vbi cum Catholicis alijs obsidebatur, in summâ aquæ penuria, & siti, nudipes SS. Sacramentum in supplicatione circumtulit, ieiunio suis priùs indicto. Ita impetrauit vt in monte illo abundè pluerit. Ab Alexandrinis Schismaticis Romanæ fidei perinfensis magna perpessus, & ad mortem damnatus, ipso quo in odium Orthodoxæ fidei suspendi debebat die, P. Ludouico Caldeiræ ad genua supplex aduolutus, enixè petijt funi suo, & sibi benedici: & suspensus, lapidibus est appetitus. Propertius Medicus, Bruni germanus, datas à Bruno ad se ex Æthiopia literas admouit humero, in quo acerbis doloribus vrebatur, à Deo per Brunum sanitatem petens, si verum esset quòd P. Brunus in Romanæ fidei odium occisus esset. Confestim cessit dolor, nec redijt.

Sacrum.

Patientia.

P. LVDOVICVS CALDEIRA.

Lusitanus ibid. ætat. 55. Soc. 39.

HIc Bruni comes fuit in Apostolatu Æthiopico, ac socius ærumnarum. Suspendendo P. Bruno, & eius funi benè precatus, ille quoque post Brunum pari de causa suspensus est; & vterque lapidum imbre impetitus, pro more Æthiopum Catholicos hac morte damnantium. Schismatici repertam Crucifixi quâ Brunus, & Ludouicus vtebantur, effigiem abiecêre, idolum Romanæ fidei, vt illi aiunt. Corpora de patibulo deposita custodita sunt perdiligenter: postea incertum quò euanuerint, cùm nec ab hominibus, nec à feris ablata fuisse constaret. Alijs diuinitùs ibi actum quidpiam opinatis, malim existimare attentam sagacis cuiuspiam Catholici industriam, pio ingenio, modum aliquem reperisse quo illa clam sublegeret ad priuatam venerationem.

Fides.

P. CAROLVS PAVLINVS.

LVdouico XIV. Regi Christianissimo à confessionibus vt esset, electus, illum decennem ad diuina firmauit, & diuinæ synaxi illum primum stitit, mirè illi charus. Religiosi S. Crucis vulgo de Britonario Parisijs, vt ad veteris disciplinæ accurationem flagrantiamque redirent à Societate opem impensè implorauêre. Datus illis ad triennium P. Paulinus cum tribus alijs Patribus, & Coadiutoribus duobus, qui præesset nostris, & domesticæ totius Cœnobij disciplinæ, totâ œconomiæ curâ penes illos relictâ. Quo triennio ita se vniuersæ illorum disciplinæ nostri tamen instituti integritate illæsâ, & P. Paulinus & socij accommodauêre, ita illos cœlesti exemplo, atque Doctrinis ad calorem pristinum reduxêre, vt hanc Societatis beneficentiam Patres illi luculento testimonio, & honestissimis laudibus sint prosecuti, dicto, & scripto ad Rei memoriam immortaliter confirmandam.

Gallus Parisijs 12. April. 1655. ætat. 62.

Instauratio.

XIII. DIE APRILIS.

HENRICVS VAN HONSEN COAD.

Belga Traiecti 13. April. 1615. ætat. 55. Soc. 26.

Oratio. Patientia.

IN culina sæpè sublatis in cælum oculis ac manibus velut in extasi repertus, nec satis aduertens cùm vocaretur. Ferè analectis mensæ vescebatur. Si tempore concessi Colloquij alius quàm de diuinis Rebus inferretur sermo, tacebat, vel etiam somnum simulabat. Quantumuis tardè, aut fessus vesperi decumberet somnum tamen vltra alios nunquam produxit. Inter dolores fortitudo illius admirationi fuit; & supremo in morbo rogatus, ecquid esset, quod illi solatio esset, respondit: Ipsa hæc afflictio. Fertur, is qui Henrico familiari consuetudine magis coniunctus erat Pater, mox ac Henricus animam

Mors illustr.

edidit pulsari tertiò audijsse tabulatum; & in suo cubiculo lumen ingens aspexisse.

P. ENGELBERTVS KEILERT.

Germanus Brunsbergæ 23. April. 1622 ætat 61. Soc 30.

OPerarius Animarũ saluti studens foris industriâ variâ exhortando, at domi orando seque pro illis acriter afflictando; maximè pro ijs quos extremo in agone iuuabat, etiam pestis tempore ad obsequia lue tactorum expositus. Perhibet de hoc Epistola Brunsbergensis, Sacerdotem quemdam externum (cui morienti supremo in conflictu ille accuratè adstiterat, iuueratque) humatum, iam

Charitas erga morientes

nocte intempestâ se P. Engelberto spectandum obtulisse, atque gratias ei amplissimas retulisse pro impensa tam fideli opera in extremis: se enim eius auxilio salutis æternæ portum feliciter attigisse.

P. DIDACVS DE TORRES RUBIVS.

Hispanus Chuquisacæ in Peruana. 13. Apr. 1638. ætat. 82. Soc. 66.

MAgna itinera, labores magnos in Peruana Prouincia exantlauit: sine culcitra, sine linteis capiebat somnum, quotidie se verberans & plerumque vsque ad sanguinem; quotidie cilicio indutus; & bis in hebdomoda ieiunans, præter dies, quibus Ieiunium imperat Ecclesia. Nullius officij, vel ætatis obtentu, illi persuaderi poterat, vt cubiculo perpurgando, lecto componendo, & alijs vsibus alienam operam admitteret. Sæpè rogabat Deum, vt se tandem, tandem aliquando bonum efficeret; cùm ipse id per tot annos nequicquam conaretur tantâ virium imbecillitate. Cum pro more signum daretur ære campano ad verrendam domum, etiam extremo in semo, inter primos aderat; licèt vix iam esset par vel scopis aptè sustinendis. Hoc faciebat ne id

Mortific.

Humilitas.

Oratio.

non ageret, quod omnes faciunt. Mente orandi studio, perseueranter quatuor quotidie horas dabat, licèt in illa diuinis illis, quibus illa oratio nonnunquam abundat delicijs, minimè perfunderetur. Quotidie Peccata confessus accinctus erat semper ad æternitatem: quam adijt morte tam felici, vt ij, qui adfuêre omninò putarint illi

Confessarius.

morienti Christum cum DEIPARÆ Virgine adspectabilem adfuisse.

P. FRAN-

P. FRANCISCVS DE LAREDO.

Hispanus Giennæ. 13. April 1657. ætat. 50. Soc.

FVit hic è prima Hispalensium nobilitate, ac dicendi vi tantus, vt habitus fuerit inter primos ætatis suæ Euangelicos Oratores. Ægrè capiebant templa frequentem atque auidum auditorem, siue rudes primâ fidei institutione eruditet, siue pro concione alios inflammaret. Fuit etiam in aduersis animo imperterrito semper, ac strenuo ad labores. Præfuit cœtui S. Spiritus annis pluribus adeò laudatè, vt eum sodales parentis loco haberent, & mortuo etiam parentarent. Quare ad panegyricam dictionem in eius exequijs habendam disertum quendam è S. Augustini familia, & maturum ætate, religione, ac virtute oratorem (qui morienti P. Francisco, nullo tunc sociorum fortè præsente adfuerat, vltimumque ritè à peccatis absoluerat, vrgente præter opinionem vi morbi) inuitauêre, quo quidem munere ille magnâ omnium approbatione grauiter & copiosè perfunctus, præclara P. Francisci decora perbellè dilaudauit. Atque hic idem sacer, ac religiosus fideque omni dignus orator, paucis post exequias diebus ad Collegij Rectorem venit, eique persanctè testatus est, sibi in conclaui suo visum ex interiore cubiculo prodire P. Franciscum de Laredo in ea Societatis veste quâ viuens vtebatur, vultu tamen solito amœniore quo veluti risum, & quiddam cælestis lætitiæ cum maiestate ac reuerentia præsefe-rebat. Turbatum se primo inexpectati viri aspectu; sed P. Franciscum familiariter, vt amici solent, adduxisse subsellium, sedisse, atque dixisse: bono animo esto (verba sunt epistolæ ita vt ex Hispania perscripta Romam est) ipsissimus ille ego sum quem viuentem amasti, quem iam iam moriturum in confessione sacramentali absoluisti, & quem pro concione tantâ laudum commendatione condecorasti. Tibi de me dicenti Angelus meus custos ad ad gradus pro suggestu ad fuit auditor. Hæc tua in me officia gratissima habeo pro ijsque gratias impensè tibi habiturus huc veni, Dei permissu. Scito Societatem Iesv numini esse maximè in delicijs. Sunt enim ei gratissimæ huius ordinis functiones. Perge porrò sine mora ad P. Rectorem nostri Collegij; & hæc ibi nomine meo dices: Caueant maximè Societatis concionatores, ne verborum phaleras, & amœnos sententiarum flores in concionibus ostentent; sed potiùs solidis Christianæ disciplinæ argumentis ignaros imbuant, ac terrore minarum incusso, æterniſque præmijs præpositis mortales ad æternitatem manu veluti ducant. Ego enim quia in floridiore iuuenta cultioribus dicendi ornamentis in meum potiùs plausum quàm in auditorum vtilitatem conciones perpolire satagebam, plusculos dies in flammis Purgatorij sum detentus. His dictis illicò videri desijt. Nempe hic etiam post mortem concionari non desijt, & quidem ad concionatores, æternitatis satores non florum.

Patientia.

Angelus.

Concionat.

Purgat.

XIV. DIE APRILIS.

P. MICHAEL RVELIUS.

Germanus Confluentiæ 14 April 1586. *Mors.*

HVius vitam religiosi labores, mortem prouisam, sed repentinam, insignis apparitio coronauit. Quintum iam (inquiunt annuę Confluentinæ) & sexagesimum annum in hoc saxeto elaborabat: & in summis temporibus diuino munere suum sibi præsagisse exitum videbatur: itaque ad eum se multis ante diebus auidè comparabat. Supremo die sacris, quibus iamdudum propter dolorem capitis abstinuerat, cùm se extremum facere diceret, operatus est; tum externos, domesticosque comiter consalutans, valere singulos iussit: adiecit, non dubitare se, quin postero die terrori multis, & spectaculo foret. Ita factum. inter cænandum apoplexiâ correptus, paucis post horis extinctus, elatus postridie, vti prædixerat admirationi multis, exemplo omnibus fuit; contemplantibus quàm sit fragilis vita humana, quæ tam breui frangitur.

P. RODERICVS ALVAREZ.

Africanus Hispali 14. April. 1587. ætat 75. Soc. 21. alij ponunt 16. April.

ADolescens tunc secularis ingentes ad magnam virtutem instinctus, âc simul carnis permagnas molestias, persentiscebat. Vnde in campis crebrò in has voces erumpebat; *Domine, vim patior: responde pro me.* Inde illi magni ad carnem castigandam, ad colendam Dei matrem, ad occasiones procul habendas stimuli accessere. Tum illi apparuisse fertur Dominus; & immundum illum spiritum adeò ab illo abegisse, vt tranquillè deinceps vixerit in pace Angelicâ, ac virginitate perpetua, post tot victorias. Lautum Patrimonium dispersit, & dedit pauperibus. A Christo, eiusque matre sanctissima non semel visitatum affirmant illam visitationem inter celebriores habuisse, quâ Christum vidisse dicitur audiuisseq; dicētem: *sequere me.* Deliberabundo, & petenti quomodo inuitatui illi esset parendum? respondisse Beatissimam Matrem Dei; id facturum, si Societatem Iesv ingrederetur. Paruit, petijt, impetrauit: id quod certè Deiparæ acceptum retulit; quippe Homo ætate tunc ad 45. vsque annum prouectus, & oculo altero iam inde ab infantia sua orbus, nec alias habilitates, præseferens. In Societate voti religione se obstrinxit ad nil dicendum, quod vllum mortalium posset offendere. Quidam alto mœrore obsorptus leuamenti aliquid ab illo postulabat. Orauit paulisper in silentio Rodericus; & mox, age, inquit, ad Beatissimam Virginem adi eamque nomine meo roga, vt te pristinæ animi tranquillitati restituat. Abijt iussus ille, & vix orare coram Virginis Matris imagine exorsus, mox admirabili pace se donatum persensit. Inenarrabili amore ferebatur erga Iesvm & Mariam familiari vtriusque colloquio persæpè recreatus. Quâ nocte obijt, visa est anima eius, vt aiunt, magno stipante Angelorum choro in cælum ferri. Alius sub auroram eiusdem noctis vidit cælum pandi, multosque de Societate Patres inde in terras descendere, qui rogati respondēre, venire se ad excipiendum de Societate

Sacer-

B V. Vocatio. B V Consultio. Charitas. Lingua. B V. Castitas.

Sacerdotem qui eo tempore expirarat. De hoc alia memoria digna dabit annus 1587. in vitis illustribus.

P. STEPHANVS DE AVILA.

Hispanus Limæ. 14. April 1601. ætat. 52. Soc 31.

HIc in Collegio Abulensi tunc habitabat cum P. Martino Gutierez ea dicta sunt de salute sociorum quæ suo loco in Martino scripsi, & Romæ in anno dierum illustrium in lucem dedi. Apud Peruanos magnâ sapientiæ, & virtutis præstantissimæ opinione floruit apud vtriusque ordinis optimates, eoque altiùs quo illum videbant incredibili modestiâ profundiùs abijcientem. Ante morbum supremum dixit cuidam se breui moriturum. Extremo vitæ die manè disertè affirmauit alteri, se illâ nocte migraturum è vita. Morientem dicitur inuisisse ipso extremo horæ articulo Sanctus Thomas Doctor Angelicus, cui Stephanus erat apprimè addictus. Mortui merita quorumdam sanitas celebriora reddidit fassorum se illius ope implorarâ sanatos.

Mors.

S Thomas.

P. SEBASTIANVS BARRADAS.

Lusitanus Conimbricę 14. Ap. 1615. ætat 73. Soc. 57. *B V.* *Vocatio.*

OMnium, quæ germanum Societatis, & Professorem, & Concionatorem exornant virtutum laude singulari floruit Barradius. Ad Societatem vt veniret, illi ad B. V. aram *à scalâ* oranti, Virgo Mater imperauit. Vnde ille tentato cuidam dixit, & sæpiùs dulci quodam sensu repetijt; Mi frater, Beatissima Virgo ipsa me iussit ingredi Societatem. Tanta de illo fuit opinio, vt ad illum videndum aduentarent, multi; ac optarent, vt vel fimbriam vestimenti eius contingerent, aut à tonsore de capillis illius aliquid impetrarent. Rhetoricam, Philosophiam, & sacras litteras explicauit; ad concionem dixit efficacitate tantâ, vt intra vnum annum ad 60. auditores ad Religiosa Castra perpulerit, *Pauli* quoque nomen vulgò adeptus. Cubieuli adeò amans, & fugitans occasionum temporis cum sęcularibus terendi, vt intra nouem annos ne semel quidem ad Portam sit visus colloqui cum externis. Ter aliquando noctis vnius, interuallo se inclementer verberasse deprehensus est, interpositâ inter singulas vices vnius horæ oratione. Vrticæ in lecto, cibus feruens ori ingestus, calceorum par vnum per octo annos portatum, vestes tam laceræ, vt post eius mortem, ne mendicis quidem dari potuerint, nota sunt de illo, & in vita enucleatiùs enarranda. Thorax illius lineus clam illi subductus tam erat pannosus vt perticæ fuerit alligatus ad cineres è furno colligendas. at illum ille thesaurum suum vocans, repetijt, non sine lacrymis testibus tenerrimæ erga Matrem suam paupertatem voluntatis. Libros in Bibliotheca voluebat; in cubiculo non nisi Biblicis concordantijsque contentus. Oratio illi extrema in ætate per horas 12. ducta. Nullam B. Virginis imaginem patiebatur neglectam; nec nomen iacere abiectum. Aiebat, se, ac reliquos peccatores à Deo, Dei Matris precibus tolerari. Sub mortem iussus aliquid socijs dicere pro extremo documento, vocem, qua potuit contentione collegit, & dixit. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Nec se melius consilium posse suggerere quàm humilitatem imitatricem Christi. Hęc illi fuit suprema vox quæ quidem posset intelligi.

Concio.

Silentium.

Mortif.

Oratio.

Paupertas.

B. V.

Mors.

Humilitas.

P. AN-

P. ANTONIVS GAUDIER.

Gallus Parisijs. 14. April. 622. ætat. 50. Soc. 33. *Vocatio.*

IN Gallia primùm Societati nomen dedit; sed quia corporis habilitas in eo nostris munijs erat valdè infirma, è tyrocinio dimissus ad suos, in Belgio demum, iterùm rediit, corpore iam valentior. In Societate præter moralem Theologiam, ac Diuinam Scripturam explanatam præfuit Nouitijs, ac in tertia Probatione Patribus, magno mortificationis, orationis, peritiæ spiritualis exemplo. Magna illi spirituum perspicientia, sagax ingenium ad pretiosa à vilibus separanda; & exemplo non molliora suadens, quàm verbo, efficacitas verbi; & calami. Ad mortis imminentis nuncium, gaudebat se in Societate mori; mecuenda tamen addebat esse Dei Iudicia. Morbos suos amore in IESVM tenerrimo solabatur, diuinæ præsentiæ artifex perinsignis. Dæmon, aut magus, Monachi veste tectus disertè dixit, se cum P. Antonio Gaudier denunciatas inimicitias exercere. Leodij cõfitentem ægrum posteaquam audiuit, monuit, vt se altiùs introspiceret, ac omnes latebras explicaret: sibi enim videri, haud satis omnia enucleasse. Deprehensus æger, fassus tandem est, se Dæmonem, Ioannis nomen mentitum, habere, famuli munus humanâ in specie obeuntem. Illum verbo iussit facessere Antonius; & famulus Dæmon euanuit. Aliàs etiam è fœmina sublatis cachinnis ostendit dæmon placere sibi, quòd Antonius cum equo per iter cadens, prolapsione illâ pedem sibi fregisset. Sed de his eius vita. *Dæmon.*

XV. DIE APRILIS.

P. MARTINVS GOMEZ.

Hispanus Granatæ. 15. April. 1567. ætat. 30. Soc. 9. *Vocatio.*

AD Societatem accessit, quòd censeret in illa exaggeratum quemdam sanctimoniæ florem esse; ac se nihil maius, aut gratius Deo facere posse. In illa ita se gessit, vt normæ domesticæ, se quàm posset optimè accommodaret, pietate, silentio, doctrinâ. In scholis ita docuit, vt summâ cum accuratione authores reuerentiâque tractaret, ad pietatem referret omnia, & verè doctum, ac religiosum Magistrum vbique se esse ostenderet. Desiderabat Nouitiatum repetere, quòd sibi parum istic profecisse videretur. Voto potitus est; sed præpositus Nouitijs Magister. Mors eius hoc habet singulare, quòd penultimo vitæ suæ die à Rectore interrogatus, quando putaret sibi proficiscendum ad Patriam? Respouderit, crastino die post sumptum sanctissimum Viaticum; modò per ipsum id liceret: illum enim sibi loco Dei esse in terris. Fiat Dei voluntas; per me licet, inquit Rector; & Martinus post sumptum immortalitatis Viaticum, ne quidem semihoræ spatio gratias egit, cùm placidè vitam omnium opinione virtutis ordinariæ terminos supergressam terminauit; in qua conatus fuerat semper vnicè respondere, ac par esse ipsis moribus excelsæ illi opinioni, quam de Societatis virtute secum attulerat. *Mors.* *Obedientia.*

P. GVT-

P. GVTTIERRE DE CASTRO.

Hispanus Murciæ 15. April. 1603.

HVnc laudant Murciæ annuæ Collegij à pietate quòd semper moratus fuerit in cubiculo, vel in templi choro: aiuntque, fuisse ita humilem, vt fateretur se nunquam inanis gloriæ tentationem sensisse, quòd in se diceret nihil esse, de quo posset gloriari. Ita fuit pauper, vt scabellum solùm haberet; nec sellam in cubiculo pateretur; abiectisque semper vestibus indueretur, ita feruidus, vt pœnitentes quantumuis duros ad lacrymas prouocaret; ita ad laborem propensus, vt prius à vita, quam à labore discessurum se promitteret. Itaque obnixè peti, à Domino ne diu in lecto ægritudinis causâ decumberet, quò laborare semper posset. Et annuit illius optatis Deus; cùm quatuor non amplius dierum spatio ægrotarit, moxque decesserit, summo totius ciuitatis dolore, quæ post eius obitum ad funus frequens concurrit, etiam Rosarijs, & icunculis eius vultui religionis ergo admotis, ac vestibus quoque certatim direptis.

Humilitas.

Paupertas.

BALTHASAR DIAZ COADIUT.

Lusitanus Romæ 15. April. 1610. ætat. 75. Soc. 57.

SEbastianum Regem in Africam secutus, inter cadauera iacuit saucius; inde captiuus abductus, redemptus, & Regis Henrici nomine Hierosolymam missus est peregrinus. Eboræ pharmaca pro pauperibus conficiebat, orandi studio mirificè addictus. Post prandium ibat ad Templum & pro nostris istic iacentibus effusè precabatur, eorumque nomina distributè descripta quotidie recitabat vt partitione factâ singillatim alijs diebus alios nominaret. Operæ suæ mensuram esse volebat, non personam, quæ aliquid peteret, sed necessitatem.

Industria pro defunctis.

P. ROBERTVS PERSONIUS.

Anglus Romæ 15. April 1610 ætat. 65. Soc. 37.

MAgnâ suâ indole ad cauendas insidias sorum hæreticorum fraudes vsus, euasit non semel periculo iam vicinus. Edmundum Campianum in Angliam ipse induxit, & plures alios ad cruentum, fortissimumque agonem educauit, firmauit. Philippi II. Regis Hispani liberalitate ad Anglicanæ iuuentutis emolumentum, & Ecclesiæ istic labantis vtilitates mirificè est vsus, & seminarijs pluribus, vel fundatis, vel constabilitis dexteritate planè singulari. Par ingenio pietas, & peregregia in scribendo felicitas: facundia verò tanta, vt illum Anglorum nonnulli suadæ medullam appellarint. Multùm illi debet melior Anglia, multùm domicilia nationis eiusdem in Hispania, Lusitania, Belgio, Italia; Hispali, Vallisoleti, Gadibus, Vlyssiponæ, Duaci, Audomari, Romæ; vbi obijt præstans magni animi, nec minoris patientiæ, pietatis modestiæ documentum.

P. ANTONIVS ARAGONIVS.

Italus Neapoli 15. April ætat. 45. Soc. 1.

DE hoc sic habeo in pretiosis occupationibus morientium in Societate IESV. P. Antonius Aragonius olim Dux Montaltus, & Princeps de Paterno, Neapoli anno 1631. 9. Aprilis in Professorum domo Societatis IESV vota nuncupauit, inter dulces lachrymas, præsente Prorege, & filio suo Principe alijsque magnis. Filium,

Societatem amplissimè, ac tenerrimè cordi haberet, rogauit, sequè illi pro principali, ac præcipua hereditate deuotionem, & protectionem erga Societatem relinquere affirmauit. Mox, P. Vincentio Carrafa porrigente, Viaticum, & supremum vnctionis mysterium accepit. Tum nostris pro more tanquam peregrè profecturus amplexu valedixit, etiam Nouitijs. Votis, quæ ediderat suâ manu subscripsit 15. Aprilis ad Societatem Ciuium supernorum iter absoluit, anno ætatis 45. Christi 1631. Præter generalem, quam veluti Nouitius, votis præmisit confessionem, ait P. Vincentius, illum à præsente Confessario sæpiùs petijsse absolui, quandiu loqui poterat, vbi verò iam nec peccata verbis, nec dolorem testari poterat, percusso supplicitèr pectore flagitabat beneficium Sacramenti, quod in sanguine Agni tollit peccata mundi. Satisfactionis loco, patiebatur, & quicquid pateretur offerebat Deo; ita dolore, frequenti confessione, ac satisfactione sese purgabat. Per 12. dies non nisi bis modicum quidpiam comedit, cùm non posset. Inedia hæc inter crebras Confessiones illi pro pœnitentia fuit. Toto corpore exulcerato, iam indusium in crustam induruerat, & siccæ partes, ac duræ corpus miserum, dum se verteret, lacerabant. Valetudinarij Præfectus, vt purulentum illud indusium forficibus partiretur, & eius loco aliud sensim ægro induceret conabatur; sed negabat P. Antonius; verùm aiebat, se hoc doloris quicquid esset ad finem vsque vitæ pati velle, ingratiam Crucifixi. Ita crebrâ exomologesi se abluebat Christi sanguine; cui se suomet pure, ac vlceribus, duratoque indusio cruciatum offerebat. Hoc idem Sacramentum pœnitentiæ crebriùs repetitum clypeus illi fuit contrâ insidias supremi hostis. Aiebat se ad prælium tentatoris gemino armorum genere esse potentissimè communitum: Iesv sanguine, & Mariæ Dei Matris gratiâ. Respondebat ergò cogitationibus suis identidem hæc sola, nec aliud: Verum est me peccasse, nihil præmij mereor. Verùm habeo tutelarem Iesv sanguinem, & Mariæ Matris gratiam, idque generosè impauidus repetebat præsente semper ad manum Crucifixo cum Imagine, & Rosario Beatissimæ Matris, & libello Regularum, quæ quatuor vsque ad mortem sibi carissima præ oculis, & corde habebat, quasi Berchmanni morientis exemplo. Quem etiam crucifixum, & B. imaginem filio suo Principi, vt se mortuo daretur, petiuit. M. Teresia de Spiritu Sancto in cœnobio Carmelitanarum, P. Antonij olim coniux 15. Aprilis Confessario suo, P. Erasmo Marotta Societatis Iesu, Panormi retulit; se circa horam 10. quâ ipsa horâ P. Antonius Neapoli moriebatur, à somno excitatam, vocem audisse dicentem: surge, & ora, quia in hoc puncto moritur. Adnotauit diem, & horam P. Marotta; & ecce à P. Carafa litteræ Neapoli, quæ P. Antonium 15. Aprilis horâ 10. mortalitate ereptum aiebant. Sic moritur iustus.

XVI. DIE

XVI. DIE APRILIS.

GVILIELMVS ELPHINSTONIVS.

Scotus Neapoli. 16. April. 1548. ætat. 22.

REgio per matrem sanguine natus in Scotia fidē Catholicam complexus, eapropter multa perpessus est. In seminario Romano cùm degeret, fuit mirè accuratus in omni accuratione disciplinæ, ac legum. D. Guilielmo Cheisolmio consobrino suo mœstissimus in seminario dixit, noctu visum sibi videre Matrem suam (quæ secundo cognationis gradu ipsam Reginam Scotiæ attingebat, & mortua erat in hæresi) sibi adstantem formâ miserabili, dicentem se eius Matrem esse, at infelicem. Quoniam, inquit, ad æternos inferni ignes damnata sum. Tu verò felix, qui in vera salutis adipiscendę via constitutus es. Addebat, se ab ea scisciatum esse, an in inferno essent magni etiam & potentes; illam autem confirmasse, multos esse, & quidē profundè infra alios; & maioribus supplicijs addictos. Et euanuisse.

B. V.

Cum Patribus spiritualibus sæpè agebat, rogabatque doceri: *quomodo in in B. V. amore quàm maximè progredi posset.* Iam olim constituerat, nunquam fœminam aspicere: idque præstitit. Societati adscriptus in morbo Neapoli votis Societatis nuncupatis, diem quomodo clauserit sic explicant prætiosæ occupationes morientium in Societate. Non videtis, aiebat, non videtis Angelos? tum cum Angelo custode submissâ voce locutus est. Illud ita dixit, vt posset intelligi: denunciasse sibi Angelum suum custodem, ipsum per Purgatorij pœnas transiturum, sed ab Angelo ipso breui eripiendum, & ad Paradisi gloriam perducendum:

Ang. cust. Morti.

vbi Ignatius occursurus ei esset, vt eum coram SS. Trinitate sisteret. Mirę fuêre internarum animi deliciarū, quibus gestiebat, significationes: & nescio quid narraturum, vires, ac lingua defecit, cùm nihil intelligeretur, nisi MARIA, & Angeli. Crucifixum, B. V. & S. Patris Ignatij imagines præ manibus, oculisque habebat, alloquebatur admirabiliter post viaticum candelâ benedictâ accensâ petitâ, rogauit, vt suas alij quoque accenderent, & ad B. Virginis imaginem conuersus: Tu scis, inquit, Domina mea, quoties tibi cor meum obtulerim. Quietem ab his suadenti, dixit: Non est amplius quiescendi tempus. Eundum est in Paradisum. Illud quoque obseruatu fuit dignum, quòd Patri cuidam quædam sepè sibi sub extremum articulum suggerenda suggesserit; & P. Salmeroni nunciauerit, vt sibi in extremis luctanti benè precaretur. Cardus Tapia post eius mortem, visus est sibi à B. Virgine in cælum introduci, ibique Guilielmum videre genibus flexis ante thronum SSS. Trinitatis orantem. Cùm in templo postea illum iacentem videret illum eundem quem in cælo viderat hunc esse agnouit, sibi antea nunquam visum.

B. V.

REINERIVS STRATIVS COADIVT. NOVITIVS.

Germanus Treuiris. 16. Aprils. 1605.

DE hoc sic habent eædem occupationes: Coloniæ in rei domesticæ adiutorem admissus, dum Treuiros petit, vix itinere vnius diei confecto in morbum incidit; quo repentè ita debilitatus est vt facultas longiùs

B.V. Vexatio.

progrediendi non esset. Crescente, iāq; omnes artus peruadēte morbo, putabat humanitùs fieri non posse, vt ad desideratum locū perueniret. Quid faceret? Ad Dei matrem, cui peculiariter addictus erat tamquam ad sacram anchoram, ardentissimis votis circa medium noctis recurrit. Nec frustra: Repentè adesse visa est instar glorioſæ matronæ pio adolescenti, pia mater, magnâ luce circūamicta: collaudatoq; pio ineundæ Societatis desiderio, Treuiros tandem ad destinatam metam peruenturum prædicit, ibique ad meliorem vitam migraturum. Hoc viso recreatus, partim Angelo, vt ipse aiebat, impellente, partim duobus viæ comitibus, quos eiusdē quoq; propositi socios habebat, adiuuantibus, ceu portum tandem Bethlehemiticæ domus incredibili suo cum gaudio attigit. Vbi cùm per superiorem vocato medico, nihil prætermitteretur, quo refocillari æger reficiq; posset; frustra, inquit ille, ista: Iam enim de vita hìc finienda præmonuit me Dei parens; eademque breui cum filio, & Angelis aderit ad immortales me sedes deportatura. Itaque sæpiùs exomologesi factâ, Sacramentisque omnibus ritè munitus, duodecimo post ingressum die, mirâ suauitate concinens *Alleluia*, omniumque circumstantium animos ad grates Deo reddendas permouens animam Deo reddidit.

B.V. Solatur agonia.

P. IACOBVS GORDONVS HUNTSEVS.

Scotus Parisijs 16. Ap. 1620. æt. 77. Soc. 57.

REgio in Scotia sanguini illigatâ stirpe ortus per ipsos 50. ferè annos docuit Philosophiam, Theologiam moralem, Scholasticam, controuersam, linguam sanctam. Fuit Nuntius Apostolicus in Hibernia, In Anglia, & Scotia multa, & carceres quoque perpessus euasit mortem, quòd se regij sanguinis reuerentiæ id debere dicerent Scoti. Ingentia itinera pedes confecit. Imperijs non precibus, & securâ libertate secum à Superioribus agi volebat. In omni verbo, & gestu ita se componebat, vt mirabile illud elogium sit consecutus: In illo nihil vnquam vlli displicuisse. Putant gemina Societati quotidie cōsueta examina ab illo nunquam omissa, quicquid itinerum exantlarit. Manè vnâ horâ reliquos anteuertebat surgendo, pietatis, ac temporis lucrandi causâ.

Fides.

Obed.

Examen.

B. ALBERTVS CHANOVULSKI.

Bohemus Clatouiæ 16 April. 1641. ætat. 61. | Soc. 42.

HVic viro magni felicesque pro fide orthodoxa suscepti labores nomen Apostolici perperêre. Literæ, Collegij Clatouiensis autorem vocant, & visam testantur aliquando flammam pulchris radijs illius capiti circumfusam. Virtutes eius potissimæ fuêre, zelus, candida charitas, obedientia singularis ad nutum omnem.

Fides.

Benef. Flamma cælestis.

P. IOANNES HERENNIVS.

Belga Insulis 16. April. 1641. æt. 84. Soc. 63.

INter præcipuos qui de Prouincia Flandrobelgica optimè sunt meriti viros censetur Ioannes, plusquàm decennio Prouinciæ illi Præpositus. Per ipsos 30. annos tota illi cœna fuêre duo oua, quæ sorbebat. Eas temporis particulas, quas in hora orandi tu- siendi necessitas auferebat, postea supplebat, ne quid deesset illi tempori vndequaque implendo. Quotidie vesperi sanctissimum Sacramentum adibat, & ibi tria exequebatur. 1. contritionis actum concipere intentiùs nitebatur.

Oratio.

Mortif.

Oratio.

Vesperi.

Fides.

Euch.

batur. 2. Preces fundebat, quibus lucraretur indulgentias stationum. 3. Particulatim pro ijs orabat, qui in Templo nostro sepulti sunt. Omnes amore quodam reuerentiæ similimo prosequebatur. Insulis; & illa moles Collegij, & in subsidium egenorum mons pietatis gratuitus, illo adnitente surrexêre. *Charitas.*

XVII. DIE APRILIS.

P. HENRICVS WALPOLVS.

Anglus Eboraci. 17. April. 1595. ætat. 36. Soc. 11.

ADhuc adolescens cùm esset, viginti hæreticos orthodoxis lucrifecit: ad Societatem exemplo suo vnum suum consobrinum, & tres germanos suos pellexit. Anno 1593. 4. Decembris captus, Eboraci iudicibus prodidit se quis esset; scripto quoque porrecto testatus, se fidei causâ in Angliam reuertisse. Adiecit in eodem commentariolo controuersa quædam; & parænetica de fide Catholica amplectenda; oblatam etiam ab amicis occasionem è carcere fugiendi fortiter aspernatus. In Londinensem carcerem compactus. 25. Febr. anno 1594. fame, siti, frigore pessimè habitus, & 14. vicibus quæstioni subiectus est, vnde à morte repertum est, vtrumque pollicem tunc illi fuisse auulsum. In loco vbi orabat, super murum descripsit nouem choros Angelorum; & his imminens MARIÆ Matris Dei, ac super hanc IESV, super omnia denique Dei nomen Hebraicè, Græcè, Latinè. Eboracum retractus, in carcere noctu ferè orabat, donec fessum somnus breuis opprimeret. Ibidem pangere illi otium & animus fuit pia quædam carmina materno idiomate scitè ac eleganter. Ita disputauit, vt omnes in stuporem adduxerit; fons etiam sapientiæ à quopiam appellatus, 13. Aprilis catenis grauis inter reos iudicibus sistitur. Summa obiectorum erat; quòd Sacerdos; quòd alios ad Papæ fidem accersat, vt alij Sacerdotes, quòd in Angliam venerit orthodoxæ religionis proferendę causâ; eòque pronunciatus est læsæ maiestatis reus, duodecimuiris nequicquam suadentibus, vt se patriæ legibus accommodet. Patri suo scripsit iam damnatus; vt excubitoribus suis certam pecuniæ summam donet. Suasum illi etiam extremis vitæ horis, vt Reginæ voluntati obsecundet in in agnoscendo atque testando eius primatu Ecclesiastico. Renuit, & respondit; id esse contra diuinas leges. Ergò datâ omnibus veniâ, Catholicos vt pro veræ fidei lumine alijs impetrando Deum orent hortatus, *Pater noster* clarè dixit; & *Ave* MARIA exorsus necdum finierat, cùm de scalis deturbatus, strangulatus, funè præciso deiectus, quadrifariam sectus est; ad atrox innoxij viri spectaculum lachrymatis facilè bis millenis.

Ridet. *Oratio.* *Ridet.* *Charitas.* *Mors.* *B.V.*

P. GEORGIVS FEDERVS.

MAtheseos peritiâ insigni, & charitate memorabilis fuit P. Georgius. Quæ in ætatem futuram profutura illo adnitente sint facta, sic habent annuæ; Memorabile habetur, quòd Orphanotrophium apud Monacenses condere primum, post etiam impensis amplioribus locupletate instituit,

Germanus Monachij. 17. Apr. 1609. *Zelus.*

stitit, vbi ad quadraginta hodie peruli seorsim, ac puellæ educantur tantisper, dum illos, aut opificio matura ætas asserat, aut honestior clientela excipiat, quibus quidem omnibus quàm gnauiter consuluerit Pater, haud facile est explicatu: Effecit, vt de publico ærario, & singularis Magister conduceretur qui prima illis elemẽta traderet, & Matrona, cui de puellis cura esset, vt aut lanam facere, aut acu pingere illæ scirent.

Pater *Eduardus Oldcoenus* aliquibus hoc die passus creditur: nos de illo 7 Aprilis egimus.

P. EMMANVEL TEXEIRA.

Lusitanus 17. Ap. 1635.

IAm inde à teneris mente orandi studio fuit perquàm impensè addictus, atque vt se animarum saluti posset impendere, vigesimo ætatis anno prima latinæ linguæ rudimenta discere aggressus, Græcas etiam & Hebræas literas perdidicit, Theologiæ quoque studijs absolutis. Trigesimum agebat annum, cùm se Societati transcripsit miro ad sacras expeditiones ardore, ac pari successu felix, vsque ad rabiem dæmonis; à quo pessimè habitum aliquando ferunt, quòd tot animas ex eius rictu educeret. Humilitate fuit perinsigni; crebrisque ad festa ieiunijs addebat tria quothebdomadis, ita vt feriâ quartâ, sextâ, & Sabbato nil nisi panem & aquam admitteret. Aiunt illum nunquam grauiore noxâ maculasse primam innocentiæ suæ vestem: à morte autem cadauer illius mirabili odore fragrasse.

Zelus anim.

Mortif.

P. IACOBVS MORELLUS.

Germania Bruntruti. 19 Apr. 1635. ætat. 64. Soc. 43.

HIc tanquam ingens dolorum, patientiæque spectaculum meretur in ægrorum solatium non omitti. De illo ergo Bruntrutio, sic annuæ superioris Germaniæ: Ingenij, ac morũ facilitate eximius, seu maiores disciplinas traderet, seu istud Collegium per annos vndecim gubernaret, seu Episcoporum Basileensium conscientias dirigeret. Vltimis quatuor annis discipulum se vocabat in Schola patientiæ, corrupto sanguine, in fœda vlcera exeunte. Vnde biennio supremo etiam cæcus, totis pedibus maximè miserabilis, & exesus, doloris, & patientiæ speculum, & viua Tobiæ, ac Iobi fuit effigies. nequidem tristior visus vnquam; sed animo sibi præsente, libero, ac tranquillo laudans, & gratias agens Deo. Memoria lectarum rerum illi erat pro oculis, vt solitudinem solaretur, quam illi etiam prolixa oratio condiebat. A milite Malemort proditionis cùm Bruntruti præesset accusatus, & eiectus vnà cum socijs sub annum 1636. ab eodem Marsiliæ postea capto, & ad triremes damnato innocens est declaratus, cùm ille diceret; se Patribus Bruntrutanis notam proditionis mendacio teterrimo inussisse ac effecisse, vt solum turpiter vertere iuberentur. Dolere se de diro mendacio ad quod tamen inductus fuerit metu suspendij imminentis.

Patientia.

Cæcus.

XVIII. DIE

XVIII. DIE APRILIS.

P. ANTONIVS SANCHEZ.

Hispanus Xeresij. 8. April. 1601. ætat. 59. Soc. 38.

IN Tyrocinio admirationi fuit Magistro nouitiorum tam acer, tamque incitatus citra interspirationem vllam ardor Antonij. Adeò in se quà priuatim, quà palàm sæuiebat, vt alios ad miserationem commoueret. Totum corpus ordine lacerabat flagris, nulli parti parcens; & se inter flagra identidem ita compellare auditus: sustine, canis, tantisper; sustine. Toto Aduentu, & Quadragesimâ vesperi, nihil omninò, quo se reficeret delibabat, nihil potionis tunc admittebat vsque ad noctem. Nihil vini sibi etiam rogatus indulgebat: artes alias ex alijs excogitabat, quibus corpus affligeret. Brachia inter lauandum in culina feruenti aquâ, lucernâ in cubiculo vstulabat, aiebatque. Vstulare, immunda sus, vstulare: sic aiebat se discere timere ignem æternum. Cùm à natali sua domo non nisi leucæ interuallo abesset, adigi tamen haud vnquam potuit, vt suos inuiseret. Aiebat missionibus nihil esse lautius in mensa Societatis Iesv. Lingua illi quàm parca verborum tam suauis erga omnes magnâ significatione reuerentiæ, ac demissionis. Sæpè aiebat se rusticam, pastoritiam vitam duxisse, ac illius temporis gesta iucundè narrabat. DEIPARÆ imaginem ornabat floribus, & coronis. Aiebat se aliquando noctuabundum cum socijs Angeli custodis implorati voce auditâ, & luce quadam conspectâ è paludibus, & periculo emersisse. Xeresij peste ictis opitulatus est.

Mortif.

Missionis.

Ang. Custos.

P. PETRVS BERNAL.

Hispanus. Gadibus. 18. April. 1601.

MAgni nominis iurisperitus cùm esset, iudicij æterni metu se in Societatem abdidit, nil spes suas moratus, ad Septimancense tyrocinium Granatâ pedes mendicatò profectus est per octogena propè millia passuum hyeme sæuiente. Collegia, & Prouinciam rexit maternâ quadam suauitate grauitatis. Loricatum illi pectus, & dorsum, quà setis quà ferreâ radulâ, carni adstrictis. Ieiunia, flagra susceptra pro ijs, quos delinquentes admonebat; corporis supplicia, nocturna inter orandum pernigilatio, ingenua sine ambiguitate vllarectio, supplementum ab ipso in classe infima docēda præstitum, cùm regeret; perdiligens Catecheseos cura in illo laudi eximiæ fuêre. Sacrum pro quodam ægro celebrauit, & æger sacro peracto vt fertur, conualuit, pro amisso puero, vt oraret rogatus, prædixit illum eâ nocte domi dormiturum. Illo adhuc orante adfuit puer; & dixit se ab ignoto viro ex auijs, deuijsque adductum, sed illum videri mox desijsse. Moriens illud dilecti sibi sancti Pauli aeroama pronunciauit: Reposita est mihi corona Iustitiæ? & vixit. Mortuus ære publico à succollantibus certatim celebrioribus præsulibus est elatus.

Nouitius.

Mortif.

Sacrum.

Oratio. Prædictio.

DA-

DANIEL ROSNER
COADIUT.

Germanus Halæ. 18. April. 1630. Soc. 33.

HVnc è latebris hæreseos in hunc modum eduxit Deus, vt aiunt annuæ. Non aliud illi persuadere poterat primò noster, quàm vt sacrificio immaculato quotidie matutinus adesset. Faciebat id ille quidem haud grauatè: at de perpetua Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiâ mul-

Fides. Sacram.

tùm anceps: vsque dum defixis attentè oculis in hostiam sacrosanctam tempore sacrificij eleuatam, ipsum in illa Christum viuâ patientis imagine spectabilem sibi ostensum dixit; ac totus primò in S. Matris Ecclesiæ, deinde in Societatis sinum se recepit; querelas, excusationesue miscendi planè ignarus, & otij osor; deuoti laboris, charitatis, & amabilis illius sacramenti, è quo sapere didicerat, longè amantissimus.

Euch.

Passio Christi.

XIX. DIE APRILIS.

FRANCISCVS
ABBAS COADIVT.

Italus Melitæ 10. Maij, alijs 19. April 1611. ætat. 70. Soc. 44.

HVmili stirpe, at excelsâ virtute vir, humilitate potissimùm, vnde si à quopiam rogaretur, & epistolam aliquam perlegeret, respondebat se ignarum, ac rusticanum hominem esse. Nunquam induci potuit, vt crepidis, vel quadrato pileo vteretur. Aiebat se indignum amore illo qui in Societate Coadiutoribus exhibetur. Libellum pium sibi legi curabat: & memoria commendabat quædam Iacoponi apophthegmata, ac alia singularia, quæ opportunè secularibus in medium afferebat sensu magno. Magna illi apud externos authoritas, magna illorum per eleëmosynas in illum liberalitas. Si noctu ad portam campanæ sonum audiret, mox vestiebat sese, ac Superiori offerebat vt comes iret Patri ad ægros exituro. Rarò carnibus vescebatur. Aiebant passim, illum cum Angelis familiariter agere, atque ab ijs in massa subigenda, & pane apparando pinsendoque iuuari. Inde illi voluptate cœlesti exundans dans pectus in voces diuini amoris æstu plenas erumpebat. Sancti opinione, ac nomine vulgo celebrabatur. Turcæ ipsi captiui dicebant illo mortuo, mortuum esse sanctum.

Humilitas.

Lectio.

Angeli. Vide annuas Melitenses.

Labores.

IOANNES DIISSEL.
COADIUT.

Germanus Treuiris 19. April. 1631. ætat. 77. Soc. 51.

AD omnem obedientiæ actum attentus, nunquam petijt domo vel pedem efferre, nec extulit, nisi iussus. Singularis in illo eluxit erga Patres reuerentia, otij odium, & pietatis exquisitæ donum maximè erga SS. Sacramentum; coram quo expendebat quicquid otij à laboribus illi fuit residuum teneritate planè insigni. Omnes de Societate mirificè amabat. Vnde erga eos, qui dimissi auellebantur, commiseratione maximâ ducebatur quòd bono tanto essent frustrati.

Mortif.

P. HIE-

P. HIERE MIAS DREXELIVS.

Germanus Monachij. 19. Ap. 1638. ætat. 71. Soc. 40.

VIr, vt calamo ita moribus religiosè accuratus, & suauis Per ipsos 23. annos, quibus ad Maximilianum Bauariæ Ducem pro concione dixit, nunquam vllum supplementum admisit; eloquentiâ istic eâ vsus, quæ nihil affectatum, tumidum, fucatum redoleret; sed solidum, pium, doctum. Coadiutores nostros domi per ipsos annos 17. domesticis exhortationibus instruxit. Exemplis eloquentem, maguum vitâ; voce, calamo Ecclesiasten, virum inter huius seculi præcipuos vnum, præsentis æui Phœnicem, & Phœbum dixere varij. Aiunt numerum libellorum illius Monachij (taceo typos alios) impressorum ad 170. millia exemplarium excreuisse. Lautam eruditionis apparationem: illi locupletabat silentium; legendi, & notandi assidua consuetudo. Maximilianus Dux de illo ægro dixit ad medicum enixè illum ei commendans; Reipublicæ Christianç plus interesse Drexelium viuere, quàm facilè cogitari possit. Nec lacrymæ inuisentium illum Principum ad morientis lectulum abfuêre. Eius effigies tomo 1. operum Antuerpiæ præfixa est, cum elogio vitæ: ad cuius calcem sic de illo perscribitur. Tanti viri laudibus illud accedit, quòd M. Baro Thimon Lindelo, vir & genere, & bellicâ re, multorumque annorum militari imperio insignis de eo, etiam scripto, & iuratus asserebat; videri sibi visum esse non semel P. Drexelium, cùm olim verba de tutelari Angelo faceret cælesti luce circumfusum, radijs toto corpore, quà extabat, coruscurare.

Scripta.

Silentium.

Angelus. Concio.

P. LVDOVICVS MAIGNET.

ETiam cùm Prouinciam regeret, ac solerti iudicio præstaret, illud tamen alienæ sententiæ facilè accommodabat: aiebat verò sibi prudentiæ nihil esse, assecuturum se tamen aliquid consilio sapientum consultorum. Etiam extrema in senecta dixit se sine mora paratum ad suscipiendam Indicam missionem, si ita iuberetur. De alijs & benè sentiebat semper, & nunquam loquebatur malè. Tenera illi inter orandum pietas, & pulchra demissio, vnde suauissimum ei fuit inter orandum asseres cubiculi sui deosculari ac lambere, instar miseri canis coram Deo suo, vt ille de se loquebatur. Frequens illi, ac propè assidua erat oratio etiam coram SS. Sacramento; quæ vt coram Deo esset efficàx, clam funem gestabat è collo tanquam reus, in signum demissi animi coram diuina maiestate. Extremis octo vitæ annis se Coadiutoribus adiungebat cùm illi à Præfecto spiritus puncta ad meditandum, pro more, acciperent. Per omnem vitâ (dum id per superiores licuit, licuit autem vsq; ad annos decrepitos) manè cùm pulsu consueto signum daretur alijs ad surgendum; ille flagro arrepto se cædebat vsque ad finem pulsus. In morbo nihil doloris vnquam se pati præsetulit, nihil non accepit quicquid iussu medici offerrerur. Postremâ ab exequijs nocte (verba sunt epistolæ de illo Romam prçscriptæ) de se per morbum vltimum benè merito Patri cuidam (qui nomen suum taceri voluit) spectabilis iu somnis dicitur adstitisse, compositione corporis, vultuque planè amabili. Cubiculum dicti Patris totum collucere cœpisse, item ipsum demortui cubiculum visum esse

Gallus Mus. siponti. 19. April 1657. ætat. 81.

Humilit.

Oratio.

Mortif.

Charitas.

longè maiori splendore perfusum. Porrò non somniantis vanam fuisse speciem argumento fuit gaudium incredibile quod tum quidem Patrem cepit, perque multos inde consequentes dies totum tenuit delibutum. Hactenus literæ.

XX. DIE APRILIS.

MAG. FRANCISCVS CAIETANUS SCHOLASTICVS.

Italus Messanæ 20. April. 1601. ætat 20. Soc. 3.

HVnc è Marchione, religiosum, à Philosophiæ curriculo morbus, à Grammaticæ quam docebat Schola, mors, quam ipse prædixit, ipso die Christi morientis abstulit, non minorum virtutum religiosum quàm fuerit eius generis claritudo. Humilitas illi, corporis asperè tractandi seueritas, & perpetua cum Deo coniunctio semper cordi fuit, cuius rei eximia documenta dabit prolixior eius vita. Cùm diuinæ synaxi accumberet aliquando, visam affirmant ex eius ore amabilem flammam prorumpere: visitatum etiam à DEIPARA, & cælestibus Angelis extremo in morbo, adeoque post mortem admirandis quibusdam claruisse,

Euchar.

B.V.

Mors.

P. NICOLAVS CVSANVS.

Germanus Luxemburgi 20. April. 1636 natus 1574. Soc. ingr 1600.

STrenuus planè, ac Religiosus operarius domi & foris per Cœli sæuientis iniurias, per prædonum pericula, per tot molestias, vt fassus fuerit, se persæpè toto corpore contremuisse, cùm foras esset eundum ad arduas missiones: ad quas petità in triclinio erratorũ veniâ, varijs in culina demissionis Officijs, crudelibus in corpus flagris comparabat sese vt iret, & fructum permansurum afferret. Iter pedes

Missiones.

instituebat; & orando aut catecheſim tradendo traducebat, non semel in luto collapsus viribus itineri tanto imparibus. Foribus per plures menses cibarius panis, & caseus, pultes, aqua frigida illi erant epulæ, quibus reficeretur; terra lectulus, in quo quiesceret. Chirothecis nullâ per totos 30. annos nisi vltimâ vitæ hyeme est vsus; idque, coactus vi morbi. Vno in oppido tantum boni ab eo præstitum aiunt per octo dies, quantum istic à nemine factum fuisse vlla superstitum ætas meminerit. Vbique B. Virginis Rosarium, & vespertinas eiusdem litanias persuadebat in domibus recitandas. Hæc illum Virgo contra calumnias, vt innocentem ita fortem protexit, cùm turpitudinis, & hæresis accusaretur ab ijs, qui facilè de alijs ea quæ ipsi faciunt suspicantur, aut mentiuntur. Domum nihil de vitæ foris actæ laxamento vllo afferebat, accommodatè ad omnem temporis & ordinis disciplinam, & admissæ singulares leges mirificè attentus. Tenerioris ad scrupulos vsque conscientiæ cùm esset, scrupulos fugauit nauiter occupatus. Vnde si de quopiam scrupulis obnoxio sermo inferretur, dicebat: Cessabunt illi scrupuli, si egregiè occupetur. Orantis ritus erat, humi genua citra vllum adminiculum ponere, ac lachrymis persæpè verba, quæ pronunciabat aspergere, quas etiam in triclinio fundebat aliquando lectione mensæ auditâ, quę illi attentio semper emolumento fuit. SS. IESV nomen, & pronunciabat suauissimè, nec aliter; nisi aperto, & inclinato

B.V.

Oratio.

clinato capite scribebat. In concione iram, & ignes spirabat, aliàs irasci nunquam visus. Mors etiam intentum supremis morientium officijs ferè inter eorum cadauera occupauit. P. Gaspar Nidrum ad eius sepulchrum vbi adijt exiguo quopiam voto concepto, aiunt omnem illi è tibia, quo hactenus acerbissimè torquebatur, dolorem euanuisse.

P. LVDOVICVS DE LA PALMA.

Hispanus Madridi. 10 April. 1641. ætat 81. Soc. 66. *Superior.*

PRudentiæ laude tantus fuit, vt quo suo pares paucos, nullum superiorem habuisse putetur. Inde illi gubernatio mirabilis ad sustentandos infirmos, & ad alios prouehendos. Nulla hora, nulla occupatio, nullum Superiorum imperium, vel inferiorum imbecillitas illi vultũ è placida illa sibiq́ue semper constante tranquillitate demouêre. Innocentiam ab omni graui noxâ à Baptismo integram, silentio singulari, cultu Deiparæ, occupationibus instituto proprijs feliciter custodiuit vsque ad mortem; vbiq́ue in in ipsam instituti germanitatem, intimamq́ue prudentissimi Ignatij mentem perspicientia mira intentus. Extremis annis (vt ipse prædixerat) egregia illa oculorũ acies, qua pollebat obtusa, ac propè extincta est. Obijt sabbato die Deiparæ Virgini dedicato: id quod ita fore præsentione quadam præceperat, & pronunciarat. Cuius Virginis amorem in suis nouitijs, alijsque quibus vnquam præfuit altè imprimere fuerat connisus.

P. ANDREAS BRUNNER.

Germanus Oeniponti. 20. Ap. 1650. ætat. 61. Soc. 45.

HVnc de vitæ statu ancipitem S. Andreas coram illi cum Cruce videri visus & gladio minax, Christi crucem in Societate amplecti iussit, ac moras trahenti verbera quoque inflixit. Sentiebat enim se, ductis in crucis in medio sectæ figuram (qualis S. Andreæ Crux pingi solet) vulneribus concidi, & illa vulnera tamdiu tergo infligi quoad recepit se imperata facturum. Et mox mente iucundæ paci redditâ hilaratus, promissis stetit; vitâ in Societate ductâ quæ talia decebat exordia. Quicquid illi imperabàtur, securus erat Superior, illud ex obedientiæ sententiâ benè gestum iri. Et Boni scriptoris, & Ecclesiastæ partes honoratè impleuit, vsq; ad eminentię laudẽ. Ad neruũ dictioni sacræ à Deo impetrandum, non priùs quàm benè in seipsum sæuiret, suggestum conscendit. Suorum natalium, & pueritiæ egestatem sæpè narrabat. Anagnostæ officio functus est in ætate etiam vltimâ, & scribendo, dicendoue occupatus. Mirâ vi, mirâ efficacitate facundiæ. Agebat oratorem animarũ purgatorij. Quotmensibus aliquod illis tributum pendebat: voto quoque concepto illis quidpiam promittebat vt aliquid per eas impetraret. Reperta est scheda eius consuetudinis vestigium sic inscripta: *Votum trium sacrorum pro animabus Purgatorij tu,* IESV, *ratum esse velis. Vos, animæ quæsitum nobis ius tuemini. Auersa scheda pars habebat hæc verba: Votum trium disciplinarum extra ordinem, & recitandi officium defunctorum pro animabus, purgatorij. O animæ, facite me vobis debitorem.* Aiebat, se luculentam

Vocatio.

S. Andreas.

Obed.

Mortific.

Humilitas.

Purgat.

S.P.Ignat. B.Aloys. illarum opem expertum. Expertus etiam est auxilium S. P. N. Ignatij, & B. Aloysij; ab illo à dissimulata per verecundiam hernia, ab hoc à longo & graui capitis dolore curatus. Triennio apud Sueciæ Regem obses multa tulit hilariter.

XXI. DIE APRILIS.

IOANNES BAPTISTA SPINOSA COAD.

Hispanus Vallisoleti in America. 21. April. 1624. ætat. 90. Soc. 30.

ANte initam Societatem apud Turcas captiuus, in præsentissimo pudicitiæ periculo, à procacacibus fœminis inuitatus, fortiter stitit victor. Offerebatur illi Matrimonium Mahometano ritu: abnuit, & asperè vapulauit vt à Christo descisseret. *Fides.* Nec sic superatus, in carcerem coniectus, & mortis iniecto metu minaciter tentatus est: sed & ibi vicit. Victoriæ firmamentum illi fuit, Confessio, quam apud Sacerdotem istic fortè repertum peragebat; & D. Synaxis quâ reficiebatur. Illud quoque diuinæ prouidentiæ fuit; quòd triremis à nullo custodita in mari ab illo reperta sit. Hanc ille perrogatis aliorum captiuorum consentientibusque sententijs, vna cum captiuis conscendit, & in Mexicum appulsus in Societatem, tametsi iam senex, at senectâ crudâ, & viridi, admissus est: *Obed.* in qua eo ipso, quòd aliquid imperaretur, ararduum non putabat, perinde quasi obedientia omnem difficultatem rebus detraheret. Pro cubiculo arctissimum angulum impetrauit. Citra vllum respectus humani metum, cum fœminis breuiter, oculis modestè deiectis, nec admodùm vrbanè agebat, ne vrbanitas aliquid caliginis offunderet virginitati; quam foris per annos 60, In Societate verò per reliquos triginta integram conseruauit, vnà cum innocentia lethalis noxæ semper experte; sancti apud seculares nomen adeptus, eòque apud illos auctoritate potens ad sacra consilia, cum non nisi de diuinis texere sermonem vellet.

P. BENEDICTVS MOLETVS.

MAgna illi noctis pars peruigilatione sanctâ ducta est in oratione Dei, cùm diei quoque quicquid posset orando expenderet, vel coram sanctissimo Sacramento, vel in alto sub tecto, iucundo cæli aspectu piè admodum delectatus. Omnes illas virtutes, quas in operario religioso requirimus, mus, laudant in eo ij; qui cum illo versati sunt. Homicidæ scelerato, à quo Benedicti germanus erat insidiosè trucidatus; non tantùm ipse ignouit, verùm etiam nobili suæ familiæ, Matri, & fratribus geminis iusto dolore, ac vindictæ cupiditate inflammatis, cùm iam reus in carcere teneretur, vt ignoscerent, persuasit. Pudicitiam suam etiam in illa occasione intactam seruauit, quando in secreto conclaui fœmina non ignobilis, at clàm scelesta, veste virili dolum abscondens, illum ad scelus blandè primùm, deinde infamiæ illi affingendæ nomine minaciter, sed nequicquam, inuitauit; illo ruborem illi, ac æternorum suppliciorum metum incutiente. Per annos 18. qua Præpositi, quo Rectoris functus

Italus Messanæ. 21. Ap. 1634. ætat. Soc. 66. *Oratio.* *Castitas.* *Superior.*

ctus officio, nunquam vllius cubicularis adiutoris opem ad verrendum, aut cubiculum componendum admisit, suppleuitque Ianitoris, & alia Coadiutorum officia priuatim, & palàm, in Templo, culina, fabrica, pistrino, sese in infimis quibusque exercens. Domesticam disciplinam nullo aulæ vllius laxamento turbari sinebat, citra omnem humani respectus metum. Cùm domi nihil esset quod in Triclinio apponeretur nostris, egregiâ in Deum nixus fiducia, consueti æris campani signum haud omitti iussit; & intereà ex improuiso adfuit opportuna liberalitas Dei, quæ abundè prouidit. Fœmina, quæ à graui in puteum prolapsione caput quassauerat, & iam nono die nihil propè cibi admiserat, ferunt repentè velut è somno experrectam surrexisse sanam sibique P. Benedictum Confessarium suum adfuisse, ac se ab eo persanatam affirmasse, comedisseque incolumem. Mortis suæ tempus affirmatè, & ex vero prædixit.

Resp. hum. *Fiducia in Deum.* *Oratio.*

XXII. DIE APRILIS.

P. BERNARDVS COLNAGVS.

INflammati Patris nomen illi ab ardore, quo Deum vbique spirabat adhæsit. In conclaui suo à viro nobili, & nostro quodam visitatus, conspectus est inter orandum à terra sublimis. Inter sacrificandum fertur vidisse in Hostia Crucifixum per quinque vulnera sanguinis riuos effundentem. Ad Beatissimam Virginem colendam vtebatur exemplis varijs, & imitatione sanctorum: ad illam litteras dabat, atque ab eius aspectu admirabiliter se refici sentiebat, Impositâ Bernardi pectori aliquando manu Virgo Mater, illi dixit: labora nauiter, & indefessus pro salute peccatorum, & adducas ad me animas. Hoc enim obsequium præ reliquis omnibus est mihi longè charissimum. Suauissima illi cum Sancto Antonio Patauino, cum cum sancta Agatha, cum cælitibus alijs familiaritas. Conspectus dicitur post mortem ad latus sancti Patris Ignatij dicentis: *Hic est verus filius meus:* aliàs visus Panormi, Ignatio sub vmbella eunte, Bernardus vnam vmbellæ hastam seu baculum, sustinere; tres reliquas, sancto Xauerio, B. Aloysio, & B. Stanislao tenentibus. Supersedeo alijs quàmpluribus, quà admiratione, quà imitatione dignis. quæ anno 1641. ex authenticis Processibus digessi, & prodibunt in eius vita ad annum 1611.

Italus Catanæ 2. April. 1611 *Oratio.* *Crucif. Euch.* *B.V.* *Zelus.* *Sancti.* *S.P. Ignat.*

P. ANTONIVS DE CARDENAS.

NObilitatem suam, etiam ante initam Societatem, dignis moribus ornauit. Inter sacrum audiendum, vehementi impulsu audire sibi visus est vocem dicentis: *sequere me.* Ignotus quidam, sed celebratæ virtutis vir, illi hactenus ignoto, Domine Antoni de Cardenas, inquit, Deus te vult habere in Societate IESV. Ad socium eius verò: Te autem in ordine S. Augustini. In Societate Grammaticam, & Philosophiam docuit: deinde vnus è summis operarijs Euangelicis habitus. Dicendi ad populum, orandi, & lachrymarum dono fuit singularis. Illis qui ab eo commendari pro officijs petebant, respondebat: finite me viuere, & mori in

Hispanus Xererij. 22. April. 1615. ætat. 52. *Vocatio.* *Occupationes seculares.*

pace. Deus, vt vos fugerem, hîc me abscondit. Inde illi otium ad sancta, quia nihil otij negotijs secularibus concedebat. Videbatur habere aliorum voluntates cereas plenè ad nutum, vt illis confessionem persuaderet, ipsis qui confitebantur stupentibus. Videbatur legere corda mortalium, adeò appositè illis, futura etiam, edicebat. Sæpè cum pallio descendebat, & socium vocabat, cùm diceret se vocandum. Et ita eueniebat, mox ad portam appulso aliquo qui eum ad moribundum quempiam accersebat. Integram suorum Clericorum sodalitatem aliquando educebat ad missiones, fructu mirabili, & magnâ apud illos authoritate, cùm illis absentia & futura non semel prædiceret. De quibus eius vita loquetur anno 1615.

Zelus.

CORNELIVS IX NOVITIVS.

Belga Mechliniæ 22. April. 1618. ætat. 25.

HVmaniorum, Philosophiæ, ac Iurisperitus ad Societatem nuper accesserat, sed illam ille scientiam, quantâ dissimulantiâ potuit, sepeliuit, humilitatis, & Dei vbique amandi studiosus. Nulla illi hora inexplorato effluxit. Nam consuetudinem illam piè, inuiolateque seruauit, vt singulis horis in genua prouolutus, animum intra se colligeret, & quantis poterat viribus, cor ad præsentis Dei amorem expergefaceret, ac inflammaret. Sanctissimum Sacramentum crebrò visens, cùm licuit, coram illo diu supplex perstitit, lacrymis interea iucundè ore toto manantibus. Cum Deo semper, cum hominibus quoad potuit nunquam locutus est, nisi iuberet necessitas. Vnde incorrupta, & inuiolata illi fuit semper sancta silentij lex, ab illo nunquam vllo verbulo lacessita.

Singulis horis.
Amor Dei.
Silentium.

P. ALBERTVS RVFFINVS.

REgiense Collegium vnà cum Horatio, Flaminioque Germanis suis fundauit, & postea rexit magno studio disciplinæ quam à se ipso seuerè, a manter ab alijs exigebat, magno & recto animi robore. Deiparæ Virgini studiosè addictus, illam ascetici sui stadij agonotheram, & Principē adiutricem elegit; illius honori, Rosaria, Hymnos, Preces alias, insigni corporis afflictioni coniunctas obtulit; ad idē alios impensè hortatus. Estensium Ducum confessiones perdiu audiuit, integritatis, & candoris laude tantâ vt Raynaldus Estensis Cardinalis disertè de illo pronuntiarit. P. Albertum aulas frequentare cogi quidem, sed illi nil omninò quod aulicum fumum oleat adhærescere. Mortis suæ vigiliam apud Beatissimam Virginem celebrauit. Vesperi enim ad celebrem illam, quæ Regij religiosè colitur Deiparæ Virginis Imaginem adijt salutatum, extremis ibi functus officijs pietatis, quo illam, vt hactenus vitæ, ita deinceps præsidem patronamque haberet, ac eadem nocte diei 22. Aprilis feliciter migrauit è vita, religiosus ad finem vsque Virginis salutator.

Italus Regij 22. Ap. 1615. ætat. 69.
Superior.
Pater aulicus.
B. V.
Mors.
B. V.

XXIII. DIE

XXIII. DIE APRILIS.

P. GONSALVVS BARNOVVS.

Hispanus in Peru. 23. April 1620. ætat. 37. Soc. 10.

VT ad Societatem penetraret, multis illi certandum fuit cum inimicis domesticis: à quibus, vt plus abesset, Societatem complexus in Perunium concessit. In paupertate singulari studio excelluit, ne ad sacros quidem vsus quicquam elegantiarum admittens, & vnicâ, eaque simplici è charta, B. Virginis imagine contentus, cuius aspectu se ad affectus teneros accendebat. Vultus illi pudicè modestus, *Modestia.* vestes attritæ, ac luculentissimæ testes paupertatis dilectæ: cibus parcus, & oculi cùm aliàs tum verò inter vescendum nominatim, nunquam sublati. *Mortifio.* Ieiunia illius erant penè inedia. Toto Aduentu, & sæpè aliàs, pane tantùm vescebatur, non nisi frigidâ in potu admissâ. In morbo si quid inconsiderantiæ, vel indiligentiæ accideret à ministris, tegebat silentio; vti, & cœnam aliquando non allatam, altero è duobus illi assignatis existimante alterum id facturum. Morti proximus plenus lætitiarum. Quis, inquit, ad sociorum coronam, quis non altissimè sentiat, Patres mei, de Societatis instituto? O quam Religionem! o quàm certum centuplum quod in illa morientibus promittitur! ô quale centuplum!

P. ANDREAS BRUCHMAN.

MAgnæ, absolutéque virtutis virum hunc fuisse testatur datum de illo elogium. Fama celebris affirmat, illum desperanter ægrum, se sancto martyri Iosephato Polocensium, olim in Ruteno ritu Archiepiscopo impensè commendasse; illum ei vigili, & sedenti noctu conspectum hæc verba dixisse: Et en quia inuocasti me, adsum. *Habe spem, Pater, in Domino Deo firmam.* Nam hac vice non morieris: & ideò mox vbi sanitati restitutus fueris, Deo gratias referas. Hæc à sancto clarè dicta, Andreas distinctè percepit, eorum veritatem receptâ incolumitate breui expertus, & post menses aliquot religiosâ morte decessit.

Prurenus Polociæ. 23. April 1640. ætat 64. Soc. 46. *Sanctis.*

P. IGNATIVS DE FONSECA.

STirpe nobili natus, in Societate humilitate, sui afflictatione, rerumque diuinarum peritiâ excelluit, eoque Magistri Nouitiorum, ac postea plurium Collegiorum Rectoris partes egit laudatè, sancto exemplo. Dicuntur ægri plures precibus ab illo fusis persanati: Villaregij quidam à calculo: P. Garcia Rodriguez ab acerrimis doloribus, postea quàm Ignatius pro illo celebrauerat non reuersis. Hispali cuidam matrimonium perperam ineunti magnas clades ex vero prædixit. Plura dedi de illo in vita ad annum 1577.

Hispanus Hispali, 23. April. 1577. *Oratio.*

XXIV. DIE

XXIV. DIE APRILIS.

P. GONSALVIVS MELENDIVS.

Hispanus Neapoli 24. April. 1580. Soc 12.

HVic per molestias plures, & morbos multifariam exercito ad patientiæ documentum Christi patientis species oblata est ante mortem. Omnia hæc breuiter sic habet Societatis historia; ad Societatem adiunctus in Boetica anno ante duodecimo, cùm Christophori de Royas Cordubensis Episcopi Prouisor laudatissimè fuisset: dein Madritano Collegio Præfectus, ob insignem prudentiam atque virtutem, à Rege, & Nuncio Apostolico ad cognoscendos sacerdotum, ac Religiosorum moris in Boeticam missus est: quod ita nonnullos, quorum res agebatur, offendit; vt confictis criminibus ad sacrum Quæsitorum Tribunal eum vocarint: quibus, vt explicaretur molestijs, ac rerum abse gestarum rationem redderet, vocatus Romam, dum Neapoli magno, cum domesticorum exemplo, externorumque versatur, in grauissimos incidit, diuturnosque morbos. Paucis verò antequam moreretur diebus, cùm vno, eodemque tempore multis acerrimisque doloribus torqueretur; inter suscipiendam diuinissimam Eucharistiam, incertum, an corporis oculis, an tantum illustratâ mente, vidit, vt perhibent, Christum Dominum, qui ostendens ei multitudinem, acerbitatemque cruciatuum, quos olim in terris causâ nostrâ susceperat; addebat: Hinc intellige, quanto sint minora, quæ tu pateris: quâ ex visione, quoad spiritus superfuit, solatium cœpit maximum.

n. 78. 79.

Patientia.

Mors.

Christi pass.

Patientia.

SEBASTIANVS BARRETTVS SCHOLAST.

HIc inter orandum, animum per summam attentionem; inter vescendum; & alias, oculos per summam modestiam componebat, modestissimi cognomento dignus. Do, quæ de illo Annuæ Eborenses: studio precandi laudabilis, & modestiæ ornamento prædicâdus. Id Archiepiscopus Theotonius animaduertit: nam cùm prandaret apud nos, & oculos per cœnationem circumferret, ministro patellam porrexit; atque, hanc dixit, defer ad illum fratrem *modestissimum*. Cupiebat ad Indos proficisci, atque Iapones; & eo solo sibi affirmabat acerbam videri mortem, quòd eò nauigare nequiret: & vouerat antea cùm valebat, pro viribus acturum, vt ad eos populos obedientia mandante mitteretur. Ardebat Dei videndi incredibili quodam desiderio; eamque rem iam moriturus crebris sermonibus vsurpabat. Eluxit illi Aprilis dies quartus, & vigesimus, vitæ vltimus. Ad eum recreandum, carmen de cœlesti felicitate fratres quidam cecinêre: ibi animus ergastulo corporis solutus emigrauit.

Lusitanus Eboræ 24. April. 1598. ætat. 21. Soc. 6.

Mors.

IACOBVS MAGNVS SCHOLASTICVS.

MAntuæ in Patria, quo die ante biennium Societatem fuerat ingressus, eodem anniuersario receptus est, vt spes nos tenet ad Societatem ciuium supernorum. De hoc Iuuene, inquit Mantuanum Collegium, multa præ-

Italus Mantuæ. 24 April. 1603. ætat. 17. Soc. 4.

præclara sanè prætereo, tantùm dico, illum semper fuisse Deo placendi studiosissimum. Hæc illius erat quotidiana ad Deum precatio, vt rationem verè, perfectéque Deo in Religione seruiendi doceretur. Mirus in illo fuit amor in fratres omnes, quorum in occursu ita gaudio perfundebatur, ac si rem esset optatissimam assecutus: quin & illud addebat non leue suæ in omnes beneuolentiæ indicium, quòd, & pro eo, qui se illi obuium fecerat statim salutationem Angelicam secum ipse recitaret; & si quem esset compellaturus, id non nisi aperto capite faceret vnquam. Interrogatus à Magistro Nouitiorum, num qua in re peculiarem difficultatem sentiret, nullam vnquam sciuit exprimere. Porrò in obedientia, humilitate, exacta legum nostrarum obseruatione excellebat inprimis; sibi verò nihil omninò facere videbatur, cùm tamen tam multa faceret, tamque diuinis rebus intentus esset, vt omnes eum admirarentur, propterea que in rebus exterioribus occupandus esset, & admouendus à Præside, vt propter valetudinem animum aliquando ab intenta illa, perennique rerum diuinarum cogitatione diuerteret. Sed nimirùm Deus illum sibi, non nobis volebat. Nam cùm hisce, & alijs virtutum exercitationibus satis se Deo, & hominibus decem, & octo mensium spatium in tyrocinio probasset, cœpit sanguinem spuere: quem morbum adeò æquo tulit animo, vt sanitatem à Deo petere non sit ausus, nisi cùm id iussit Magister Nouitiorum. Ingraueſcente morbo, nec curationem vllam admittente, missus est Mantuam: sed nec terrena Patria quicquam illi leuaminis attulit, cœlestibus ad se iam ciuibus accersentibus, quare sextum post mensem, quàm in morbum inciderat, sanctissimis Sacramentis ritè communitus animam Deo reddidit 8. Kal. Maij, quo die, vt ante diximus, seculum reliquerat.

Oratio.

B.V.

Ovid.

P. FRANCISCVS ICART.

NObilitate, sui demissione, plurimâ corporis afflictatione, sed & pro animarum salute susceptis laboribus fructu permagno fæcundis, mirâ denique in educandis verbo exemploque, Nouitijs dexteritate fuit Prouinciæ vniuersæ nobile documentum. Domi, & foris præclaro sancti elogio celebrabatur: & visus est aliquando in splendore quodam cælesti extasi absorptus. Aiunt eum pueri caput scabie coopertum persanasse cùm manu illi impositâ diceret; *O bone, paruule, Deus te curet, ac benedicat.*

Hispanus Gandiæ 24. April. 1610.

Oratio.

P. IOANNES GVERET.

HVius discipulus immane parricidium perpetrarat. Qua propter ipse quoque tamquam illius magister, perinde quasi conscius, in suspicionem, & diram quæstionem tractus, quartam horæ partem ad precandum impetrauit; id quod ore ac oculis amore diuino adeò inflammatis fecit, vt ijs, qui eum spectabant scintillæ diuini amoris iudices illi ab ore toto erumpere viderentur. In equuleo tam paratè, tam sapienter respondit, vt Iudices innocentiæ suæ, ac fortitudinis testes, & admiratores habuerit. Dixit postea sibi diuinitùs id euenisse, MARIA matre gratiæ inuocatâ, vt nihil omninò dolorum persenserit, vnde postridie illis ita tortis pedibus, octo Gallicas

Gallus Nancei. 24. Apr. 1630.

Oratio.

Ieucas, & mox Romanum quoque iter confecit. Romæ in Professorum domo Minister, deinde in Lotharingia Nouitiorum per 18. annos Magister, & Principum confessarius pro viro velut è cælo lapso habebatur. Etiam occupatus expeditè cor eleuabat in Deum. Cùm de diuina bonitate sermo erat, toto vultu illi fluebant suaues amoris lacrymæ. Angelum custodem familiariter coluit; eius etiam aspectu, quemadmodum creditur recreatus. Supremæ noctes, integræ illi fluxêre in illis versiculus identidem repetendis: MARIA Mater gratiæ, &c.

Ang. cust.

B. V.

P. GREGORIVS WEILHAMER.

Germanus Treuiris. 24. April. 1650. æt. 50. Soc. 22.

HIc pium diem persanctè obijt in tyronum domo, appenso ad collum gemino fasciculo sanctorum sorte menstruâ in Societate ductorum, & vnà tumulo condendorum. Nouitios dum in infimis quibusq; officijs imitaretur, eos vicissim ad imitationem sui perpetuâ exempli pulchritudine accendebat. Mira illi ad diuina persuadenda facultas, cui vix vllus facilè obluctabatur proterunus. Nullo dubiæ, seu tenuis valetudinis obtentu sibi pepercit, quin à seipso quotidie flagris infligendis vapularet. ad Catholicam veritatem adduxit facilè quingentos, quorum ferè trecenti breui abiêre de vita. Lapillo B. V. Foyensis persæpè morbos pepulisse affirmant fuisseque magnis elogijs, & parui Patris nomine passim percelebrem. Nunquam optimatum quempiam cuiuscumque negotij causâ adibat, quin infimæ sortis domum aliquam & afflictos in ea conueniret, ac solaretur. Mortem num timeret rogatus in morbo, respondit; se quæ à Deo hactenus flagitasset, omnia consecutum; vnam hanc felicis mortis gratiam adhuc ad cumulum superesse; ac se illam auidissimè (manantibus vbertim cùm hæc diceret lachrymis) expectare.

Sanctè. Mort.

Mortif.

Fides. B. V.

Humilitas.

EMMANVEL DE ARTEAGA COAD.

Hispanus. Limæ. 24. April. 1654. ætat. 80. Soc. 60.

DEmissionis, ac religionis studio permultùm excelluit. Licèt pane modico vesceretur, tamen cibos alios vix libabat, vt plus obueniret pauperibus. Quærebat labores quàm maximos, ijsque se quanto maximo conatu poterat, impendebat; nihil habens, & nihil desiderans. Fidelis erat Deo, ac Societati etiam cùm foris versaretur in officijs quæ non nisi probatæ virtutis viris committi debent. Angelo custodi deuotus cùm esset, opem illius opportunam expertus est, quando ille Emmanueli se dicitur videndum obtulisse & commonuit periculi quod eius pudicitiæ ab impudente fœmina imminebat, quæ illum ad conclaue quodpiam dissimulanter vocauerat. Fugit illicò monitus, vt aiunt, ab Angelo suo Emmanuel, ac tenerrimâ grati animi significatione plenus rem omnem Patri spirituali enarrauit. Extremis sex annis lecto ferè affixus inter acerrimos dolores decubuit, nunquam questus, semper contentus, & diuinæ voluntati consentiens.

Labor.

Ang. Custos. Castit.

Patientia.

XXV. DIE

XXV. DIE APRILIS.

P. GREGORIVS DE VALENTIA.

Hispanus Neapoli. 25. April 1603. ætat. 54.

THeologicum, clarum, religiosum in illo ingenium emicuit cum facilitate morũ, & explicandi felicitate. Certè à Clemente VIII. de gratia auditus, magno est elogio honoratus. Viri modestia, & ordinis domestici obseruandi religio in illo singularis eluxit semper. Ita obibat ea, quæ disciplina domestica præscribit, quasi ad ea voti religione se obstrinxisset: cuius documentum est illud, quòd cùm Romam euocatus iter Ingolstadio pararet, cuipiam ioco dicenti illum ad rubrum pileum euocari, post breue silentium madidis oculis in hæc verba respondit: Crede mihi, mi Pater, nisi quis meditationem suam matutinam quasi ex voto obeat, facilè hæc optabit.

Disciplina domestica.

Mentis Oratio.

P. SIMON WIPPERMAN.

Germanus Osnaburgi. 25. Ap. 1609. *B. V.*

IN tyrocinio die quopiam otium nactus, vnius diei spatio notatus est vigesies, & semel coronam B. Virginis percurrisse. Facilitatem mentis ad Deum colligendæ, quâ erat à Deo donatus, cuiusuis ingenij habilitati præferebat. Diu æger, quotidie diuina Synaxi reficiebatur, pijsque colloquijs, maximè si è libro Iob quidpiam afferretur. Aiunt, cuidam illum ingenuo candore disertè aperuisse se in Nouitiatu à Beatissima Virgine oſculum accepisse. Inde illi de Beatissima Virgine agendi suauitas, & gratia singularis, Humilitatem cultu omni, officio, verbis, profundo ànimi sensu in officijs abiectis erumpente impensè coluit semper, famulus Ancillæ Domini, Dei Matris.

B. V.

Humilitas.

P. CHRISTOPHORVS DE MENDOZA.

Hispanus in Paraquaria. 25. Apr. 1635. ætat. 46. Soc. 19.

EPeruano Regno in Paraquariam clam profugit adolescens, vt Societati nomen dare posset, auulsus à nobili sua domo. In Societate omnia quæ agebat, patiebaturúe, in sacrificium Deo pro animabus purgatorij offerebat. Plures colonias inter barbaros instituit, plurimis ad Christi fidem adductis; donec à veneficis, celebris magi iussu in eum irruentibus, sagittis confossus est; vnâ per tempora, duabus in humeris, tum sude illi caput quassatum est. Veneficorum vnus eius auriculam abstulit pro præda. Crucifixus ex eius collo pendens repertus, cachinnis ac sannis exceptus. Adhuc viuentis, & Christi fidem prædicantis os malleo à veneficis contusum, denteſque plures excussi. Mox raptato nasus, auris, vtrumque labium, lingua demum abscissa. tum demum desijt Christum loqui. Pectus denique apertum, euulsum cor, & intestina è ventre. Cadauer in flumen abiectum.

Purgat.

Fides.

P. GASPAR PAES.

Lusitanus in Aethiopia. 25. April. 1635. æt. 42. Soc. 28.

Imagines. Fides.

IN Æthiopia, cùm ob dubiam Æthiopici baptismi formulam confertim & plebs & nobilitas peteret batizari, fecit id Gaspar, etiam fessus in opere iucundo & glorioso. Pingendo quoque Regis, & aliorum animos excitabat ad pietatē. Imperatori mortuo superstes vidua in schismate pertinax, filio, baptizato licèt, persuasit; illius Regnum, nisi Romanâ fide profligatâ, stare non posse. Electo ergo Patriarcha nostro, Gaspar clandestinus istic hæsit, ad Catholicorum qui in fide persistebant solatium. In festo S. Marci in Gasparem Catholicis instruendis intētum dynasta quispiam cum 150. lancearijs irruit; quorum furore Gaspar occubuit, lanceis hastilibusque confossus. Ipsi hostes obstupuêre, idque disertè postea testati sunt; Patris Gasparis sanguinem è vulneribus manantem non decidisse in terram; sed in cælum, seu in aërem, euanuisse.

Sanguis mirus.

Mors.

Cælum.

P. IOANNES SLOSTOVVSKI.

Polonus Iar. slauiç. 15. Aprils. 1651.

PRopè Iarosaluiam ab suburbanam ædem Beatissimæ Virginis obijt. Hic ante 56. annos Vilnæ ob desertum Arium, à patruo, & omni humanâ re, ac spe desertus, eoque se flagrantiùs in DEIPARÆ fidem dedens coram illius imagine, atque ab illa consultrice consilium petens, eiusque monitu Societatem ingressus voce illâ tunc auditâ. *Pete: ingredere Societatem IESV.* In Societate moriens Patri suæ conscientiæ præfecto, candidè affirmauit, se purissima suâ Domina opportunam Oeconomiæ suæ pluuiam, serenitatem, & quicquid demum petierit semper impetrasse, eiusdem impetratione à vitæ discrimine vnà cum equo in profundam foueam secùm delapso, & aliàs cum ab equo raptaretur, ereptum. Humilis Beatissimæ Virginis, fuit semper seruus, & filius, quasi diceret cum psalmographo Mariano. *Vernaculus tuus sum ego: minimus in familia tua.*

V B.

Vocatio.

S. Bonau. ps. 125.

XXVI. DIE APRILIS.

CHRISTIANVS SCHACHER COAD.

Germanus Monachij. 26. Ap. 1615. ætat 80. Soc. 47.

Paupertas.

SVi contemptione, ac studio paupertatis planè fuit insignis; vnde nunquam quicquam, quod aut nouum, aut nouo simile esset, vel petijt vel admisit; duobus his in veste omni, quâ vtebatur intentus, vt munda esset, atque attrita egregiè. Ad aulam Principum per ipsos 50. annos Patres comitatus, libellos lectitabat; &, si se dabat occasio, aptè, sed verecundè, aulicis, ea dicebat quæ ad vitam cum virtute ducendam opportuna esse didicerat. Cæterùm præclarum de illo istud elogium perscribitur; quòd *taciturnitate* fuerit admirandâ.

Silentium.

P. ALPHIVS

P. ALPHIVS MANFITUS.

Italus Noti. 26. Ap. 1635

HVnc eximiæ super ordinariam virtutis nomine vulgo celebrem virum singularis in disciplinæ domesticę studio attentio, sacrum quoddam secretum, ac mirus cubiculi amor; silentium, oratio attenta, magna de diuinis rebus loquendi peritia, verborum parsimonia, nunquam elata vox, in sede Confessionali magni exempli modestia commendauêre. Quibus confitentibus aures præbebat, pietatem spirabant, adeò vt cùm inesse alicui videbatur singulare quidpiam egregiæ virtutis, prouerbo diceretur. Hic Patre Alphio Confessario vtitur. Cuidam, cui secunda omnia fluebant ex animi planè sententia, ne his fideret, grauiter, edixit; prædixitque illi successus improsperos. Prædictionem rei euentus veram fuisse ostendit. Cùm ad Sodales diceret apoplexiâ ictus inter digrediendum aiebat; à Deo se vocari. Et mox concidit. Mortem admiranda quædam secuta fuisse traduntur: Marium Cangemi paralyticum, acceptâ iam extremâ vnctione mutum, cùm frusta è Patris Alphij veste illi admota sunt à pio quopiam Sacerdote, ad se redijsse, ijs Sacramentis, quæ hactenus ob sensus vi morbi abalienatos percipere non poterat, munitum esse, testamentum condidisse, demum conualuisse.

Confess.

Mors.

P. CHRISTOPHORVS FERREIRA.

Lusitanus Nangasachi. 26. Ap. 652. æt. supra 80.

COmpertum non est quo die agonem glorioſum expleuerit hic heros Christi; sed placuit illum hoc S. Marcellini lapſi primùm, deinde coronati Martyris die ponere; quippe qui & ipse tormentis Iaponicis impar, cùm in fossa è pedibus in caput pronus penderet, defecerit, postea tamen facti pœnitens (vt quidem de illo credibiliter plurium literæ aiunt, & ego fidem illis, licèt non planè indubitatam, probabili tamen famâ nixam, tantisper adhibeo; paratus aliter credere, si magis explorata olim contra fortasse afferantur) facti, inquam, pœnitens, magnum vt olim fragilitatis suæ, ita postea diuinæ misericordiæ documentum sit factus: ne vel nobis præfidentes corruamus, vel de Deo desperanter cogitare aliquid audeamus. Apud Iapones *Yendo Tecia* illi nomen fuit: vixitque semper in mœrore animi, conscientiæ stimulis agitatus; neque tamen palàm Christum fateri ausus: ne tormentis subiectus ab eodem iterùm deficeret. Tandem instinctu Dei horrendum Apostasiæ flagitium exosus, decreuit hisce tormentis potiùs corpus obijcere quàm æternis. Quocirca cùm iam ætate annum octuagesimum supergressâ, & morbis graui, lecto affixus decumberet; suspirabat sæpè, aiebatque dolenter: Itane, Domine Deus meus, fieri potuit, vt ego sanctissimæ tuæ fidei desertor sim factus, metu amittendæ vitæ huius tam caducæ? O Domine! O misericordiarum Pater! Erraui, sicut ouis quæ perijt. Ah, mi Deus, ah Domine mi, quantum me pœnitet, quòd te offenderim! Et plura his vbi dixit; illud crebrò repetebat: Domine, suscipe hanc meam voluntatem in sacrificium! & adminiculo tuæ gratiæ me sustenta, vt constans in tormentis perseueranter tester amorem meum erga te vsque in finem. Hæc inter vberes lachrymas, atque singultus crebrò ingeminantem audiebant vicini Iapones: à quibus commoniti,

Gubernatoris milites, Christophorum velut visitaturi adiêre; ac ex eo incredibili dolore pleno, doloris causam roganêre, audiuêreque causam esse quòd à Christo vero Deo ac homine, metu mortis & cruciatuum, turpiter defecisset. Quare idem Xoyæ Gubernatori nunciauit; se nimirum fidem Christianam profiteri, eamque tueri velle vsque ad mortem. Quapropter Gubernatoris iussu ad fossam raptatus est, Christum semper clamans, ac prædicans; ibique de tigillo suspensus felicem agonem concluſit: bonis quæ habebat mox ad fiscum redactis, vt fieri solet in ijs, qui in fidei odium occiduntur.

Fides.

Prædixerat de hoc Marcellus Mastrillus iam olim, fore vt in Iaponia nouum Marcellinum habeamus. Cumque sacrificaret, ac Bastum Coadiutorem virtute supra ordinariam magnâ illustrem rogaret, vt eo in sacro Christophorum Deo impensiùs commendaret; à sacro peracto dixit P. Marcello Bastus: visum sibi Christophorum Ferreiram in veste Societatis, sed sordidâ, cùm ille diuinam hostiam tolleret in sublime: cùm verò illam frangeret, conspectum sibi eundem in veste mundâ, & nitidâ: denique cùm diceret, *Domine, non sum dignus*; Ferreiram coram ibi constitisse in veste vndequaque candidâ, & instar crystalli transluciđâ.

Vocatio.

Sacrum.

Hisce iam scriptis, ac typo semel iterumque vulgatis, nouæ Macao literæ 29. Decem. anno 1655. à Georgio Nunes Soc. Iesu datæ perferuntur, in quibus ea confirmantur quæ de glorioſa Christophori Ferreirę morte narraui: & dicitur, magnam fuisse Iaponum admirationem, cùm eum viderent; audirentque dicentem se esse, ac velle viuere & mori Christianum atque Catholicum; & perseueranter ijs quæ dixerat adhærentem vsque ad mortem, quam in Iaponico fossæ tormento fortiter oppetijt, id quod aliunde quoque plurium testificatione firmatur.

XXVII. DIE APRILIS.

P. PETRVS DE MONROI.

Hispanus Hispali. 27. April. 1598.

MIris despicientiæ sui artibus ingenioſus fuit in Societate; ad quam anteaquam se reciperet diu rebellis lumini tandem se peruicit, posteaquam nouem sacra in honorem SS. Spiritus celebrari curauit, vt lumen acciperet, id quod Deus vellet consilium capiendi: Societati Sacerdotium opimum reliquit, in eaque Coadiutoris munera, labore insigni obiuit toto decennio tametsi nobilis, & lautè domi educatus. Dum ad studia, & sacros ordines accitus tantâ demissione vbique se gessit, vt pauci eâ virtute illi pares sint visi; Etiam cùm præesset, coram summis quibusque rudem se affirmabat, & ignarum quid esset respondendum. Alias obtusam sibi esse aciem ingenij; & plura hisce similia. Lacerna illi pro veste, nuda tabula pro lectulo ibi centone vno inuolutus dormiebat; quotidie ieiunabat, orabat efficacitate tantâ, vt quicquid orando peteret, assequi videretur. Aiunt cuiusdam è nostris morbo cruciati dolores in se transferri petijsse, & priùs illos persensisse, quàm preces absolueret.

Vocatio.

Humilitas.

Mortif. Oratio.

Charitas.

P. WEN-

P. WENCESLAVS STURMIVS.

Bohemus Olomu. ij 17 April. 1601. ætat. 70.

A Sancto Patre Ignatio ad Societatem olim adlectus, tenerrimâ erat erga institutum, ac leges nostras reuerentiâ, & obseruatione, nil tàm erat minutum, quod acciperet, nisi Superiore priùs annuente. Zelo fidei contra Picardos illustri, scriptis illum concionibus missionibusque, luculenter testatus est. Etiam æger ad templum reptabat, vt confitentes audiret. Id quod feriâ 5 Maij hebdo. cùm per horas plures fecisset, vesperi apoplexiâ tactus est, antiquum religiosarum disciplinarum omni accuratione, ac prisca pietate, domi forisque singulari exemplo, etiam in senectâ expressarum documentum.

Zelus.

P. ANGELVS SIBYLLA.

Italus Caltaternę. 27. April. 1611.

BEnè vbique siue præesset, siue subesset de domicilijs, vbi erat, & de religiosâ disciplina meritus est Pater Angelus, vir integerrimus comitate morum, atque candore, at maximè sui despicientiâ, omnium bono Religioso dignarum virtutum viua, nec vnquam otiosa effigies. Mamertino tyrocinio iterùm regendo destinabatur. Sed prædixit quà domi verbis, quà Catanam datis ad quemdam litteris, frustrà id agi: se enim non Mamertum, sed ad feliciorem vitam properare. Id quod euentu breui firmantum est.

Mors.

P. IACOBVS RHO.

ANno 1611. in Orientem soluit. Macai Batauis oppido diripiendo imminentibus, ciues bellicorum tormentorum tractationem, & quomodo mœnibus cingi Macaum deberet, edocuit; eoque magnas illis vtilitates attulit. Pechini feliciter tractauit, & Euangelium, & Mathesin; Regi impensè gratus: à quo oblatos Magistratus non admisit. Mortuus magnâ pompâ, celeberrimâ viâ, sepulchro illatus; & Mandarinorum iussu eius effigies coloribus expressa vt viueret inoculis, & memoria Posterorum.

Italus Pechini in Sinis. 27. Ap. 638. ætat. 48. Soc. 26.

Humilitas.

XXVIII. DIE APRILIS.

P. IACOBVS CERVTUS.

Italus Romæ 28. April. 575. ætat. 33.

HVic sancti Alexij vita lecta tenebras adolescentiæ, in quibus iacebat, absterfit. Lumen petenti quid agendum esset, vir veste nostrâ, & pileo insignis totâ nocte cõspectus est, incertum vigili, an dormienti. In tyrocinio nescio quem torporem illi excussit scheda fortè lectulo affixa, in qua hæc legebat: *Ad quid venisti? Ad seruiendum, non ad regnandum.* Ex eo tempore, *Pro Patre*, inquit *mihi* IESVS *erit: pro Matre, cœli Regina Maria: sancti Angeli pro fratribus.* Peccatorum suorum aspectu exterritus, & confusus, nec audens diuino conspectui se sistere, Beatissimam Virginem internunciam per quam admitteretur, assumpsit: & sanctissimam Trinitatem precaturus, pro præparatione semper *Aue* MARIA præmisit. Aiunt, vota ab illo

Feruor spir.

B. V.

Vota reno-

illo quotidie primùm semel, tum bis, ter quater, decies demum vicies, denique ter millies renouata; ter quotidie humi pronus pauimentum trecenties lambebat. Laureti in sanctissima illa domo, mira dixit sibi fuisse concessa. Etiam noctu ter excitabatur ad Lauretanas DEIPARÆ Litanias recitandas, quas interdiu sæpè recitabat. Si quis illi se commendabat in preces, *Aue* MARIA statim pro illo recitabàt, ne memoriam aliud quàm Deus occuparet. Vt esset magis pauper, etiam coronâ Beatissimæ Virginis se priuauit, digitis pro granis vsus; fassus est aliquando, se vel pronunciato Beatissimæ Virginis nomine, statim habuisse contritionem sensibilem vsque ad multas lachrymas; & cognouisse quod B. Virgo sit promptior ad suppeditandum nobis opem quàm simus nos ad petendum. Angelus custos ab illo rogatus, noctu non semel illum, sed sæpiùs excitauit. Plura de illo dedi inter vitas illustres ad annum 1570.

B. V. Noctu.

Paupertat.

B V.

P. DIDACVS FERNANDES.

In Brasilia in Reritiba. 28 Apr. 1607 ætat 60. Soc. 41.

MAgnas Brasilis vtilitates attulit eius vita, magnum verò dolorem mors, tanto de illius virtute populi sensu, vt terram è loco in quo est conditus postularint ad venerationem. Animarum Christo addicendarum desiderium ad magnos illum labores compulit. Aiunt annuæ, illum istic è barbaris ad Christum adduxisse facile 12. millia animarum.

Zelus.

P. CAROLVS A LOTHARINGIA.

Gallus Tolosæ. 28. April. 1631. ætat. 39. Soc. 9.

EPrincipe, Episcopo ac Comite Virdunensi Societatis impetratæ humilitatem amplexus est: ad quam 2. Februarij permotus multis lacrymis perfusus fuit. Dæmon ex energumena, cùm templum ingressus esset Carolus tunc adhuc Episcopus, ridiculam cogitationem illum, & ineptam habere dixit; quòd vellet in coruum nigrescere. Digresso illo timere se dixit dæmon, ne Carolus id quod moliebatur perficeret. Illud enim negotium Deiparam suscepisse tractandum, & peragendum. Romæ 11. Iunij veste nostrâ indutus, postea Tolosæ præfuit domui Professorum. Sancto Patri Ignatio mirum in modum fuit semper addictus, atque pauperibus. Æger cùm loqui prohiberetur duos Patres rogauit, qui de diuinis coram illo colloquerentur, affirmauitque asseuranter, se illo morbo moriturum. Gregorius XV. Pontifex Maximus, 22. Aprilis 1622. potestatem illi faciens Societatis amplectendæ, earum, quæ id agunt animarum statum ait Regibus inuidendum: agnoscere se felicitatem illius, gratiasque Deo agere, qui per illum velit augere sanctarum artium, Christianorumque triumphorum exempla. Proficiscere, inquit, ad eam sacræ Militiæ Societatem Catholici nominis defensione, & Hæreticorum excidijs clarissimam. Idem ad Ducem Lotharingiæ ita scripsit de Caroli consilio: *Hominum, Angelorumq; linguis laudanda deliberatio.* Quatuor Societatis votis quintum adiecit 8. Decembris 1628. Romæ, & scripto complexus est, *se semper quæsiturum maiorem Dei gloriam in rebus grauibus: & semper defen-*

Vocatio.

B.V. 11. Iunij.

Fides.

Vocatio.

defensurum immaculatam Beatissimæ, & dulcissimæ Virginis Matris suæ conceptionem &c. Plura de illo in vitis illustribus ad annum 1631.

XXIX. DIE APRILIS.

P. FRANCISCVS PAGIVS NOVIT.

Anglus Londini 29. April. 1602.

Lectio spiritu.

PIoannis Tomsoni familiaritate conuersus, & ad cælestia permultùm accensus est, potissimum cùm salubre quiddam animo suo ab eo ad exscribendum accepisset. Patribus in Anglia seruiuit; eapropter pericula, vinculaque perpessus. Postea Sacerdos exempli optimi, ac zelo sorti plenus, cùm, Societate impetratâ, iter pararet in Belgium ad ponendum ibi tyrocinium, captus; & Londini maiestatis læsæ (quòd Sacerdos esset) damnatus, suspensus, excarnificatus est,

Fides.

P. IOANNES GUALBERTUS.

Gallus Pictauij 29. April. 1626. ætat. 65. Soc. 44.

Vocatio.

HVic ecquid à se Deus vellet circa vitæ statum piè deliberabundo, & semel atque iterùm in secreto musæo librum fortè aperienti, locus ille occurrit, qui monet deserendum esse Patrem, & Matrem &c. ei qui Christi discipulus esse velit. Societatem ingressus suâ illam beneficientia, sed magis virtute locupletauit suauis illi, pacata, & ad commiserationem propensa indoles; vnde ab ægrorum cura, & consuetudine, atque officijs auelli non poterat, charitate se verè discipulum Christi esse testatus, cuius tituli causâ domum, & seipsum reliquerat, quemadmodum à libro illo suo monitum se olim fuisse meminerat.

P. CAROLVS DE REBREVIETTES.

Belga Duaci 29. Ap. 1617. ætat. 29. Soc. 13.

AD præclarum ingenium insignem diligentiam habebat adiunctam: vnde illi permulta eruditio. Ad B. Virginis cultum vnicè promouendum se promissione obligarat: & particulatim adnotarat quicquid ab illa beneficij se accepisse commeminit. Solemni formulâ se illi quotidie dedicabat, eiusque imaginem sibi præ oculis esse volebat, æger, & petebat illam suo cordi imponi, si vi morbi mente forsitan aberraret. Sancto Patri Ignatio impensè planè fuit addictus, eiusque cultui primum cuiusuis mensis diem destinabat, si conualuisset. Non admittebat quicquam sibi, aut potionis, extremo in morbo, quod non SS. IESV nomine, & aquâ sancti Patris Ignatij expiasset, conscientiâ quoque per quotidianam exomologesim, semel, & aliquando sæpiùs, expiatâ.

B.V.

Mort.

S.P.Ignat.

Confess. quot.

XXX. DIE APRILIS.

ANONYMVS HISPALENSIS.

Hispali. 30. April. 1591.

HIc dies mortis ab aliquibus assignatur illi, cuius mors vel eo ex capite fuit conspectior quòd videatur à Beatissima Virgine impetrata, ne extra Societatem, illam obiret. De illo sic Iannuæ. Alteriùs conspectior mors; quòd ei certas ob causas nostri edixerant facesseret Collegio, ac res suas sibi haberet; quod vbi audiuit, nihil mutato vultu respondit; vel inuitis illis se tamen vnum è Societate futurum, quoniam id à Dei Matre impetrasset. Nec; frustrata illum spes, qui si viueret, abeundum sibi sciebat, vixit, vt nunquam abiret.

B. V.

Vocatio.

P. Iacobum, seu Didacum Zuniga aliqui hoc die ponunt. Vide 3. Apr.

P. ABRAHAMVS GEORGIVS.

Maronita ad mare rubrum. 30. April. 1595. ætat. 32.

HIc etiam tum infans, quartâ & sextâ quauis feriâ à sugendo lacte abstinebat. Cum B. Aloysio ad S. Ioannem in Laterano minoribus initiatus ordinibus, postea in Lusitania Santarenæ admirandam, quæ istic est, Eucharistiæ hostiam adorans vidit in illa Christum Cruce onustum, à quo animatus est ad mortem, quam intellexit sibi esse in fidei odium inferendam; idque socijs lætus dixit. Inter summas Indiæ ærumnas, deliciarum plenus, in hæc identidem erumpebat: *O quæ diuitiæ, ô quæ diuitiæ sub sancta ista paupertate latent!* In Æthiopiam institoris Armeni instar destinatus, à Matthia Albuquertio Prorege agnitus, & amplexu salutatus est; dicente illo: Hæ sunt artes quibus suos in mortis discrimina dat, & oculos mortalium fallit, vt animas lucretur, Societas! Ibi proditus, tentus, & id ad quod istuc ibat fassus, cùm iuberetur Christum abijcere, vel saltem id simulare, spe libertatis, mercium, ac dignitatum oblatâ, id execratus, in carcerem detrusus est. Inde eductus, iussus est vel mori, vel dicere: Alius non est Deus, quàm Deus, & Mahometes eius Apostolus; mori elegit; accepitque mortis sententiam. Ad glorioſum supplicium Societatis cultu prodijt, vt Sacerdos, in oppido Delec. Primus gladius in illum vibratus fractus est: alter leue illi vulnus inflixit, & fractus est: tertio demùm cæsus est felix. Fuit Abrahamus, homo suarum perturbationum pacatè potens. Semel in die vescebatur: silentij magnoperè amans. Dixit quispiam; se per illum obtinuisse à Deo quædam, & absentis cuiusdam futuram in Societate defectionem didicisse. Prædixit; se in Æthiopiam minimè peruenturum. Saraceni ad spectaculum effusi, testati sunt, ad eius sepulchrum, per ipsos 40. dies, faces igne cælesti splendidas luxisse. Tres etiam aues ignotæ atque candidæ locum circumuolare sunt visæ. Omnes illius necis authores ante euolutum 40. dierum interuallum extincti; omnibus qui id notauêre stupentibus. Ipse Insulæ Gubernator, semestri elapso, capitis supplicium luit.

Euchar.

Crux.

Paupertas.

Fides.

Mortifica.

Oratio.

Prædictio. Facies cæl.

Mors.

P. IOSE-

P. IOSEPHVS FVRLANETTVS.

Italus Arimæ. 30. April. 1593. Soc. 22.

VEnetiæ illi patria fuit. Goam difficillimâ, & plus quàm mille quingentis vectoribus morbo absumptis exitiali nauigatione appulsus, in Scimo Christianos excoluit: Tacazzukij iuuentutem in Seminario rexit: gentiles plures quà ibi, quà in vicinia Christo addixit: & in oppido vnico supra bis mille sexaginta capita baptismo lustrauit. In Insula Goto laboranti sub Tono tyranno Ecclesię clam succurrit; & veneno à barbaris porrecto quassatus, atroci dolorum vi cruciatus, Arimæ tandem glorioſum finem suis doloribus, atque laboribus, inter summa patientiæ documenta imposuit.

Fidei.

P. IOSEPHVS SANIULIANVS.

Hispanus Neapoli. 30. Aprił. 1605. *Morr.*

MOdestiâ oris, & animi demissione, ac morte sancti Thomæ Aquinatis reliquijs honoratâ, Patrumque ordinis sancti Dominici beneuolentia conspicuus fuit Iosephus. Hæc omnia Annuæ sic exponunt: Confessarius erat Comitis Beneuenti, qui id temporis regias vices in hoc regno gerebat: qui P. Iosephum dum ægrotaret inuisit, filiosque suos pluries ad eum misit inuisendum, idem fecerunt multi regij consiliarij, alijque proceres. Vir sanè maximæ pietatis, ac demissionis, isque ab omnibus habitus est, vt ad eum omnes, cùm viri nobiles, tum etiam pauperes confugerent, quarum indigentias Proregi ex animo commendabat. Maximè cum diligebant cæterarum familiarum viri Religioſi, quem ex morbo decumbentem magna charitate inuiserunt. In primis R. P. Prouincialis è Dominicana familia, qui quidem brachium sancti Thomæ Aquinatis è Monasterio in cubiculum nostri Patris demorientis apportauit; vbi ara erecta, collocatumque in ea brachium, candelis vtrimque accensis. Ægrotus habito primùm ad D. Thomæ Reliquias colloquio pietatis, ac lacrymarum pleno, deinde animam, nostramque maximè Religionem commendauit ijs verbis, quæ à circumstantibus lacrymas vberes elicuerunt. Tandem apostemate acriter punctus dies omnino duodecim magnæ patientiæ signo edito migrauit in cœlum, Prid. Kal. Maias. Insequenti die idem Pater Prouincialis Dominicanorũ cum fratribus quinque, & viginti, defunctorum matutinas preces, & missam in ara maxima nostri Templi pro eius Manibus concelebrauerunt optimâ cum ciuitatis frequentiâ, atque exemplo.

P. CLAVDIVS PONCEOTVS.

Gallus Anicij. 30. April. 1609.

HVic ægro candidi Adolescentes duo feruntur ad pedes planè specie cœlesti adstitisse cùm summis doloribus vreretur, nunciasse æque noua illi adhuc eo in morbo aduersa esse toleranda, & faucibus plenioribus potiones anxias hauriendas; quas, in phialis aquâ turbidâ repletis, coram miscere videbantur, vt aiunt loci annuæ: cùm interim tertius adest, qui è conspectu priores remoueri iubet, angoris enimuerò terminum adesse, sic REGINÆ cælorum visum: de cu-

Patientia. B.V.

Angeli. ius imperio, & auctoritate significabat se fuisse missum; neque verò ipsammet longius abesse. Desierat loqui simul ac Beata Virgo cum filio

B.V. Iesv spectabilis adstitit comitabantur Dominum BB. Claudius, & Ignatius, hic parens ille patronus: adhærebant aliquot è Societate Patres Cælo Beati, qui omnes lectulo applicuti spoponderunt futurum breui, vt ducibus se ad æternæ salutis portum inueheretur. Lætos nuncios mirabilis excepit animi voluptas, quæ sæuiente nihilominus vi dolorem exhausit, vt non conscio rei peractæ Medico, febris multum remisisse, & æger solito melius habere videretur. At dum ille arti suæ acceptum refert, quod erat artis omninò diuinæ, facile id sanis persuasit, ægrotanti tamen non ita, qui vitæ spacium breuius præcognoscens, Sacris omnibus ante decessionem præmuniri expostulat. Deponit itaque quæ conscientiam premere iudicabat, & viatico salutari pascitur, oleo sacro denique bonus Athleta ad certamen vltimum inungitur. Triduum superuixit in continuis precibus, defixis statu immobili in Christi de Cruce pendentis obiectam effigiem oculis, eam modò dissuauians, modò pijs allocutionibus compellans. Interrogatus à Patre paulò ante excessum, num quid animæ molestiam faceret? Hoc vnum inquit, *quòd in his, quæ Dei fuerunt, totus ego non fuerim.* Magna certè sui despicientia magnæ vitæ integritas in eo claruit, vt Angeli tutelaris aspectu sæpius exhilaratus non sine argumentis credatur,

P. FRANCISCVS DE MORA.

Hispanus Caranacæ. 30. April. 16..

HVmilitatis, patientiæ, constantiæque exemplum dedit Franciscus de Mora dignus cuius nomen porrigatur imitationi posterorum in labore Scholarum humilium, quarum

Humilitas. ille Classem infimam laboriosâ planò impigritate inter pueros ita sustinuit, vt illos characteres, agnoscere, colligere, legere, pungere docuerit per ipsos triginta quinque annos muneri tam difficili, at apud Deum glorioso, intentus.

P. MELCHIOR DE GADEA.

Hispanus Granatæ. 31. April. 1616. ætat. 85. Soc. 55.

DVobus ante alios horis surgebat; & per tres horas ante, tres post meridiem orabat. Quotannis exercitia obibat partitè: per 30. dies, decem ad natalem Christi, decem ad Pascha, decem ad Pentecosten. Chiragra, & podagra totas illi manus, ac pedes per extremos annos deformarat nec tamen orandi consuetudinem intermisit. Noctem Sancti Ioannis Bap-

Exercitia.

S. Ioan. Bapt. tistæ flagello in se crudelis, & peruigilatione sanctâ ducebat, placando Deo, qui eâ nocte à multis offenditur.

Conf. quot. Quotidie confitebatur, & singulis mensibus, ac sexto quoque mense generaliter; quotidianam se verberandi consuetudinem cum per manus fractas tenere iam non posset, in solidam dolorum patientiam transtulit; Cruce magnâ, clauis

Mortific.

uis ferreis, aſperâ, pectori arctè adſtrictâ. Fer. VI. & Sabbatho ieiunabat, ſilentij amantiſſimus, obſeruantiſſimuſque, licèt ſæpè ſe daret occaſio Conſanguineos tamen, à quo Societatem ingreſſus eſt, nunquam inuiſit. Externi de illo aiebant, ſanctum Franciſcum in illo apud nos habitare.

MENSIS MAIVS

PRIMO DIE

P. MARTINVS DE S. DOMINICO.

Hiſpanus in vrbe S. Iacobi. 1. Maij. 1593. ætat. 53. Soc. 23.

SIngulare in illo ingenium, atque dexteritas in ſacris expeditionibus elucebat. Magnâ erga Deiparam pietate imbuere pagos, villas, vrbes nitebatur, vt hâc arte puritatem, & quicquid boni animo deſtinabat, induceret. Quare vſum Roſarij mirificè propagauit. Plura iumenta roſarijs onuſta ibant eò quò ibat ille, quæ roſaria ille in omnes partiebatur, & Parochis perſuadebat vt ſuis tabulam quondam à ſe relictam ſæpiùs perlegerent, in qua myſteria roſarij adnotarat. Et perſpicuis experimentis videbat hanc pietatem fuiſſe nobile compendium ad egregiam populorum cultionem; faſſis multis ſe à Beatiſſima Virgine monitos, vel per Angelum ab illa miſſum iuſſos vt peccata quæ hactenus per ſacrilegium obticuiſſent ad ipſum referrent; apud illum præſens remedium reperturos: id ni facerent, in æternum exitium abituros. Vnde illi certatim ad P. Martinum accurrebant, parati agere quicquid ille præſcriberet. Domi ea illi optima videbantur quæ omnium erant deterrima: nec niſi hæc admittebat. Humilitati Chriſti erat addictiſſimus, & ſanctiſſimæ eius Matri; cuius ſe mancipium fecerat, aiebatque ſe ſi quid haberet, per illam à Deo accepiſſe. A teneris inchoauit nec vnquam per omnem vitam omiſit conſuetudinem Roſarium B. Virginis quotidie flexis genibus per horæ integræ ſpacium recitandi, dulciſſimâ erga illam fiduciâ fretus, exiſtimabat ſe nihil ab ea petiturum, quod illa impetratura ſibi à Deo non ſit. Inde illi facilis ad ardua quęq; perpetranda & animus, & ſucceſſus. Nam ea nonnunquam eius auxilio expediuit, quæ alij haud poſſe putabant. In periculis, in curandis corporum neceſſarijs, in adiuuandis pauperibus, in flectendis obſtinatis, in ęgris foouendis, in omni quod occurrere poteſt, negabat deficere poſſe miſericordiam huius Dominę ac Matris (ſicut non deficiebat oleum Eliſæi) quouſque parata & piæ fiduciæ plena deuotorum illi cordium vaſa afferimus. Inde illi nitida illa & nullo inquinamento vnquam tentata virginitas, nunquam vlli vel veniali peccato hâc in re admiſſo affinis. Cùm verò miſſiones per caducas iam vires exercere non poſſet, curauit pingi elegantem, ac piam Virginis Matris imaginem, eamque aræ imponi, vt ab omnibus coleretur. Aiebat enim, ad puritatis & mundi cordis donum à Deo impetrandum nihil eſſe tantæ efficacitatis quantæ eſt hanc amare, atque ſub huius præſidium confugere. Hanc erga cultum Deiparæ flagrantiam aiunt qui eius geſta deſcribunt, fuiſſe illius occupationem, quæ ſe in eum vndequaque penetrarit, & quâ totus imbutus fuerit ſemper atque abſorptus. Ante mortem petebat ſibi relinqui ſolus. Poſt horæ ſpatium ingreſſus ad eum ſocius eius P. Gaſpar

B.V.

Roſarium.

Caſtitas.

Confeſſ.

Paupert.

B.V.

B.V.

Hora Roſarij.

Mors

Gaspar de Auila illum toto vultu ardentem inuenit; ac hæc verba identidem repetentem: *Christus Dominus noster, & Virgo Mater; Christus D.N. & Virgo Mater!* Ita felicem animam Deo reddidit Sabbato, cùm repentè sublatis cum gaudio in cælum oculis pectus gestu supplici percussisset. Post mortem cuidam conspici visus, ei cælestes stimulos addidit ad omnia aduersa ob diuinum amorem libentissimè toleranda. Fœminæ item se spectandum stitit quæ olim ab illo ad bonam frugem reducta, ad vomitum redierat, eamque acriter commonuit, vt saperet. Et resipuit illa sui olim viui nunc mortui Magistri hortatu seriò ac perseueranter bona.

Patientia. Amor Dei.

Discè à morino.

P. ANTONIVS TORRENTINUS.

Italus Panormi. 1. Maij 1601. ætat. 49. Soc. 17.

VIr fuit conspectæ in ferendis contumelijs constantiæ; ad parendum celeritatis, & alacritatis; ad patiendum fortitudinis: & silentij doloribus dissimulanter tegendis, perpetui. Nulla illi hora importuna erat, quâ suam operam præstare poterat charitati. Sodales nobiles illum sanctum virum appellitabant. Mira in illo fuit in verbis, ac tempore non otiosè collocandis religio. Vnde cùm in Professorum domo esset confessarius domesticus, erat omnium horarum vir quacumque adiretur: sed illud meretur de illo memoriam, fortè plus quàm à vulgari virtute profectum, quòd, quâ temporis religiosè collocandi, quâ se minimè indulgenter tractandi, quâ minùs loquendi studio, sibi imperarit & verò etiam obedierit, vt è cubiculo rarò admodùm, domo autem foras ambulatum nunquam omninò quoad vixit, prodierit, nisi iussus.

Castitas.

B. V.

Silentium.

Cubiculum. Mortific.

Morti

ANTONIVS MADRID COADIVT.

Hispanus Panormi. 1. Maij 1609. ætat. 80.

DE hoc, anni Mariani Sabbato 33. ita scripsi. Romæ Beato Stanislao cælestes inter IESV, & MARIÆ calores pectore ardenti, & fatiscenti, atque inter patiendum diuina dulce deliquium passo, curator aderat, pannos applicabat, & videbat felicissimi illius adolescentis faciem splendore illo illustrem, qui est è splendoribus sanctorum. Ne verbo offenderet, vel tacebat omninò, vel de Deo loquebatur ea, quæ illi, sanctæ meditationis plenum suggerebat, silentium. Singulari tamen de Beatissima Virgine loquendi gratiâ, diuinoque lepore præditus; loquebatur corde affatim pleno, sed tamen malebat cum ea, quàm de ea, malebat cum sanctissimo illius Filio in altari latente loqui, vbi tres etiam quatuorve horas orabat sine fulcro. Quotquot Mariana festa reducebat annus, tot ille sancta sanctè seruabat ieiunia (exceptis reliquis) quibus festum præueniret pane tantùm, frigidaque contentus. Deinde dulcissimus hic, & laboribus tot, tot orationibus, & lacrymis fessus senex eam, quam die Sabbathi ieiunandi mordicus arripuerat consuetudinem, dimisit nunquam, adeò vt legerim, illum inchoati illius moris retinentissimum, totâ vitâ Sabbathinum ieiunium vsque ad octogesimum, qui illi supremus vitæ annus fuit, ætatis annum intermisisse nunquam. Sabbatho ieiunasse commune habet Antonius cum plurimis, etiam millenis, at verò tamdiu constantiam eâ in re tenuisse, adeò rarum, & singulare id est, vt inter millenos vnum tamdiu constantem haud facilè reperias.

Silentium.

Sabbat. ieiun.

P. L. V.

P. LVDOVICVS BALLESTER.

Hispanus. Valentiæ. 1. Maij. 1624. ætat. 82. Soc. 60.

STudiorum, cubiculi, temporis, ac linguæ custos perdiligens; & tamen si plateatim in compitis, vel in templis, pro concione dicendum erat, facundus, ardens, mirabilis, cum lacrymis, & fructuoso euentu auditus. Iam de illo desperanter pronunciarant Medici cùm rogatus vellet ne nouissimo extremæ vnctionis Sacramento pro morte vngi, respondit: vt id in quintum diem differretur. Plus illi, quàm arti suæ fidei dedêre medici; & Ludouicus præter spem artis ad quintum vsque diem prouixit, ac munitus mysterijs decessit, funere tali honoratus, quali solent ij, quos vulgo habemus supremæ virtutis laude insignes. Addam hic non omittendum quidam totidem verbis, quibus in scriptorum nostrorum Bibliotheca de illo narratur & iisdem propè verbis habet etiam in annum 1624. domus Professa Valentina: Acerrimus erat, & pietatis augendæ procurator, & vitiorum exscindendorum vindex; tentauitque inspirato illo quidem, sed felici successu licentiam Bacchanaliorum, quæ prorsus erat in ea vrbe effrænis, coërcere producto in compitalem concionem hinc cadauere, illinc Christi è cruce pendentis effigie. Quam rem Antiochenus Patriarcha; Archiepiscopus idem Valentinus D. Ioannes de Ribera, nobilitate, prudentiâ, litteris, ac vitæ probitate clarissimus tanti fecit, vt Ludouici per vrbem tonantis imaginem curarit sibi coloribus exprimi ad viri venerationem.

P. ANTONIVS DE GREEF.

Belga Neomagi. 1. Maij. 1636. ætat. 47. Soc. 27.

HIc inter anni 1638. heroes, ac victimas charitatis censetur. Cùm adolescens tum adhuc à fugacibus ad æterna se trahi a Deo sentiret, in aula Sodalitatis B.V. pudicitiam suam voti Sacramento illigauit: & per quietem noctu cæli Reginam augustissimo in lumine spectabilem aliquandiu sibi videre visus est, incredibili voluptate. In Societate postea in arduis expeditionibus ærumnarum, & animarum sibi plenus, affligendi se studio, & orandi desiderio flagrabat. Neomogensibus vicis, vijsque singulis cælites patronos singulos assignarat, ac ibi concursans, eorum opem exposcebat, in quorum vico, vel platea rem animarum curabat. In periculo, ne comprehenderetur ab hæreticis constitutus, diuinam opem implorauit, & ecce adfuit mox adolescens, Ioanni Berchmano Romæ iam olim mortuo amico, promisso pallio, staturâ, vultu, ætate simillimus, qui militem compellans; Eia, age inquit, hunc hominem missum fac, & mihi, & multis ciuium apprimè notum. E vestigio abire permisit miles Antonium: & Adolescens videri desijt.

Castitas.

B.V.

Zelus Sancti.

Ioannes Berchmans.

II. DIE

II. DIE MAII.

P. HIERONYMVS DE MERCADO.

Hispanus Mexici. 2. Maij annus defuit in litteris Indedatis

HVnc ab ipso Tyrocinio incunte semper pauidum, & de conscientiæ tranquillitate anxiè cogitantem, sub mortem serena quædam pax excepit. Præter cilicium somnus illi quothebdomadis ter non nisi superasseres captus, & spontanea flagellatio bis quotidie repetita orationem illius armabat, in qua mirificè attentus erat, ac ferè perpetuus. Triduo ante illius mortem cuidam valdè religioso viro conspectam esse ferunt insignem pompam sanctorum, atque sanctarum, quæ P. Hieronymi cubiculum longâ serie ingredi videbantur.

Mortific.

Mors. Sancti.

DOMINICVS FERNANDEZ.

Lusitanus Goz. 2. Maij 1583.

ET suæ, & aliorũ salutis cupido, & studiũ in illo singulari propensione emicuit. In Chorana Indiæ Orientalis insula per annos 27. laborauit sudore tam felici, & ferè admirabili, vt renouato veterum quorumdam sanctissimorum in Ecclesia virorum, qui fidem feliciter propagauêre exemplo, cùm in eam Insulam penetrans, non nisi septem reperisset Christianos, laboris tamen assiduitate, magnâ diuini numinis ope adiutus, moriens ibidem quinque millia reliquerit Christianorum.

Fidei.

P. ANTONIVS DU FOVR.

Gallus Rotomagi. 2. Maij. 1610.

DVodecimo postquam in calce sepultus iacuit anno, integra eius caro, viscera cum odore suaui reperta. Linteamen, quo inuolutus fuerat, Coadiutori in peste infectorum obsequio laboranti ad caput admotum, dolorem omnem dicitur abstersisse.

Post mortem.

P. IOANNES PEREIRA.

Lusitanus Asiæ. 2. Maij. 1635.

CVm P. Gaspare Paës (de quo dixi 25. Aprilis) in Æthiopia inclytis laboribus felix, lanceis confossus, sub accenso fœni cumulo positus tum adhuc spirans; inde à pia fœmina erutus, à Christianis fotus, Assæ tandem 2. Maij diem extremum gloriosâ morte consummauit.

III. DIE MAII.

P. IOANNES BAPTIST. BARMA.

Hispanus Murciæ 3. Maij. 1560.

B. Francisci Borgiæ in Theologia Magister. Ad huius pedes prouolutus est Dux idem Borgia cùm vale illi diceret Romam profecturus. Aiunt illius dicendi efficacitate permotas Gandiæ omnes vulgatę formæ, ac pudicitiæ fœminas castè resipuisse. Gandiæ Rector cùm esset, omnia Turcicæ classis imminentis metu plena erant, & agros tanta siccitas vexabat, vt fames magna timeretur. Ille, perrogatis suorum sententijs, ad Beatissimæ Virginis Assumptæ opem ita recurrit, vt totos, qui augustum illud festum antecedunt octo dies partitè in socios distribuerit; inter quos ter à non Sacerdotibus celebrata sacra synaxis, eodem synaxeos die voluntariâ verberatione à singulis ter peractâ; vt Mater misericordiæ filium flecteret; pluuiam impetraret, hosticamque classem arceret. Additæ aliorum alijs continuatâ serie succedentium preces à quinta post mediam horam vsque ad nonam post meridianam, seu vespertinam. Audiuit, & quę petebat Collegium impetrauit Virgo; nam, & imbres toto biduo affluentissimè cecidêre, & classis Turcica aliò vela vertit. Licèt concionaretur quotidie, totâ tamen quadragesimâ nil aliud cibi, aut potionis quàm aridum panem, & aquam admisit; breui, ac duro somno, non nisi humi capto. Fœminâ procaci ab eo, morbi obtentu, obscenum flagitium flagitante aluo leuandæ locum petijt, vultum retrimentis sordidauit, prodijt; & impudens illa bestia inopinato spectaculo, modestiam didicit, exemplo Ioannis in Societate postea in plures transmisso. Quantâ in opinione fuerit explicat fusiùs Alegambe in eius vita ad annum 1560. P. Antonius Cordeses certè diserte affirmauit, hunc vnum esse è viris quos vnquam sanctimoniæ studio præstantes nouisset.

Concio. V B Assumpta.

B V.

Concionat.

Mortif.

Castit.

P. ADALBERTVS BAUSECH.

Bohemus Viennæ 3. Maij. 571.

HIc Pragæ cùm ante initam Societatem in Templo Collegij mente composita precibus fundendis incumberet, vt id narrat Societatis historia, *pueri venustissimi specie in sacrosancta hostia IESVM vidit*; rogantique quid ab se vellet. *Volo* (respondit puer) *vt tibi sis, vbi es.* Nempe se inter IESV socios in Collegij templo esse, atque inter illos in illorum cœtu manere, iuberi aduertit Adalbertus, & obedienter obtemperauit, facilè quisquilias humanorum nominum auersatus; inimicos eius voluntatis domesticos diuinâ voluntate tam dulci significatione contestatâ, vt vel inuiti annuerent, facilè tranquillauit: ac vitam in Societate ab anno M. D. LVI. vsque ad annum M. D. LXXI. multâ doctrinæ, plurimâ virtutis illustrissimę commendatione transegit, III. Maij Viennæ Austriæ vitâ perfunctus; de quo ita Laurentius Magius. Austriæ Præpositus Prouincialis. Tertio die Maij migrauit ad Dominum ille benedictus Pater Adalbertus, dimidium animæ meæ propter multas eius virtutes, cuius mors vt communi bono perincommoda accidit, & Academiæ, & Collegio nostro, & Theologorum nostro

Vocatio.

Euch.

nostro seminario, cùm esset *ille vas omnium bonorum*, & ad labores infractus; ita vulnus cordi meo tale inflixit, vt etiamnum perdoleam. Sic Magius.

P. HENRICVS GARNETVS.

Anglus Londini 3. Maij. 1606.

CONiurationem à Catholicis quibusdam temerè factam in Anglia, vt subiecto puluere pyrio summa quęque hostium religionis Catholicæ capita, dum essent in comitio, tollerentur, conabatur consilijs omnibus, vijsque licitis impedire: sed agere quod libebat ei non licuit, cùm id secretum in Sacramento, adeòque sub sigillo confessionis, accepisset. Erupit conspiratio: & Henricus in eius suspicionem vocatus est, quòd eius conscius eam non impediuisset. Sumptum de coniuratis proditione detectis supplicium: Henricus datus in vincula; ibi variè laboratum, famis quoque tormento adhibito, vt proderet ea quæ in confessione audierat. Fortiter noluit: & in Senatu ita calumniam diluit, vt palàm omnes innocentiæ illius annuerent. Rogatus; num Ecclesiam Anglicanam hæreticam esse censeret? Respondit: Hæreticum esse qui Romanum Pontificem non agnoscat. Quocirca damnatus est capitis, quòd secretum in confessione auditum non reuelasset: quod Sacerdos; quòd Iesuita esset. Magnum Iesuitam, & paruum Papam eum vocabant passim. In mortuali pegmate fidem Catholicam professus, & hæresim detestatus, Catholicos tamen monuit, vt à machinatione omni abstinerent, Deum sua curaturum. Denique tam piè, tamque constanter in extremo illo vitæ articulo rem gessit, vt diceretur, tantundem illâ suâ fortitudine, quantum 20. annorum laboribus, rei Catholicæ profuisse. Ioannes Wilkinsonus, qui aderat, post eius mortem in spicam incidit occisi Garneti sanguine aspersam, in quâ, crystallo inclusâ, conspectâ est effigies Garneti vultum referens. Vidit id Ioannes, eiusque socius; vidit matrona quædam nobilis, & alij: legatus quoque Hispanus, qui sexcentos aureos pro ea offerebat. Pictores à Pseudo Episcopo accersiti, & iussi miraculum imitari, id supra suæ artis imitationem esse dixêre. In fronte imaginis crux erat stellæ inclusa: mentum occupabat Cherubini alatum caput, in vertice corona velut graminea viscbatur. Testatus hæc est Ioannes iuratâ fide; dixitque visum sibi intueri Garnetum in cælo inter Sanctos non postremos: se quoque lumine magno impletum. Affixa sunt palàm dissecta membra, & caput; quod visum est circulo purpureo ambiri. Spica illa; periculosè parturientem fœminâ iuuit; aliam à diris doloribus liberauit: strophiolum Garneti sanguine imbutum, à puero febres abegit. Verum, ac celebre est de hoc anagramma P. Gualteri Pauli velut vaticinium reperientis in nomine: Pater Enricus Garnetius: Pingêre cruentus aristâ.

Confess.

Fider.

Imago in spica.

Mors.

P. IGNATIVS BLANCVS.

Hispanus Tarraconæ. 3. Maij 1615.

CONcionator erat, Deum verè, Deum, non plausum popularis auræ quærens. Maioricæ Alphonso Rodriguez conciones suas commendarat: & ille fusis pro illo precibus responsum accepit, magno fructu eas obiturum, si eas diuinæ gloriæ, & mortalium saluti faceret. Anno 1609. idem Alphonsus P. Blancum vidit genibus nixum penes B. Virginem, quæ illi suam in fidem recepto auxilium

Concio.

B.V.

pollicebatur: & præstitit: nam graui catarrho vocem quoque intercludente quadam quadragesimâ præpeditus, cùm ad concionem dicturus prodiret, vocem, & vires recipiebat tantisper, & dictione perfunctus catarrho iterùm plenus vocem amittebat. Alphonsi precibus exorata B. Virgo, plures Blanco (aliàs inutili futuro) incolumitatis annos à Deo impetrauit, ipso interea Blanco mirè se afflictante, ac magnam lacrymarum affluentiam, earundemq; ex aliorũ oculis concione ciendarum gratiam consecuto, sequè DEIPARÆ in mancipium obligante. Vnde indicem seruitutis Marianæ catenulam semper in crure gestabat, quam cingulo alligabat.

IOANNES ADAMVS SCHOLTZEN SCHOL.

Germanus Græcij. 3. Maij. 1650.

IN Austriacis anni 1650. annuis sic de illo scripsi. Hunc acerba mors è Logica decerpsit; ceu turbo nascentem rosam. Vultum eius, & oculos implebat innocentis cuiusdam, perpetuæ, atque è mutua naturæ & disciplinæ consortione consertæ modestiæ tenella & casta lux. Conscientia tam custodita, vt toto tyrocinij biennio nunquam se meminerit illam vllâ venialis etiam næui labeculâ, cui quidem libera voluntatis deliberatio accesserit, temerasse. De cælesti Matre cogitanti, cor sibi abripi aliquando ingenuo candore teneritateque confessus, in illius nomen totus, totus in Christum in Cruce & in Eucharistia dilectum, vultu, oculis, osculis, lachrymis hiabat. Vide ibi plura. Putatur primam Baptismi fidem nullâ vnquam grauiore noxâ violasse.

Modestia.

Veniale pec.

B V.

IV. DIE MAII.

P. IACOBVS DE SOTOMAIOR.

Hispanus Gadibus. 4. Maij. 1571. *Vocatio,*

GAdibus in obsequio peste afflatorum obijt Heroum morte, nobilis victima charitatis. Hic ante initam Societatem, cùm Granatæ studijs operam daturus domum quæreret in qua diuerteret, ait se diuinâ voce iussum, nullam vt aliam domum quæreret, quàm Societatem IESV. Cunctatum se aliquantisper, sed impulsu acerrimo perpulsum tandem, ac victum manus Deo dedisse. *Pro bono* IESV, quemadmodum ipse loquebatur oprabat pati asperrima, semper in diuinæ præsentiæ; velut in speculi conspectu, agebat quicquid ageret; inde illi quies animi excelsa, & suauissima in composito semper vultu modestia. Dicebat, se cùm ægrè haberet Rosarium Beatissimæ Virginis recitare, atque hoc velut alexipharmaco, præsentissimo consanescere.

B.V.

B.V.

P. IOAN-

P. IOANNES DE CASTILLO.

Hispanus. Vallisoleti, 4. Maij 1599.

HVnc paruulum pia, & illustris Mater ad præcipuam erga Dei Matrem pietatem excitans, aiebat; illum Deiparæ precibus impetratum, eique dedicatum fuisse. In Tyrocinio per B. Virginis manus voluntatem suam omnem vndequaque Deo transcribere connitebatur: id nisi faceret, nil se facturum arbitratus. Ibi singularem quamdam Deiparæ opem inter orandum, ac inflammatum eius amore pectus persentiscebat, ad quiduis pro illa ferendum promptus, & auidus occasionum pro ea patiendi, in quo desiderio pro IESV, & MARIA plurimùm patiendi à S quoque Irene Virgine de cælo conspectâ firmatus esse fertur, & excitatus: quæ certum illi à IESV, & MARIA auxilium pollicebatur. Illa vbi videri desijt, adfuit caterua Dæmonum horrenda in Christum, eiusque Matrem dicentium. Energumenus etiam credebatur. At peruicit demum omnia, fasso dæmone id se his turbamentis contendisse, vt à Beatæ Virginis cultu auerteretur. DEIPARÆ Christum gremio tenentis imaginem sæpè exosculabatur: & fuit cùm vicissim sibi ab ea videbatur oscułum accepisse. Die Pentecostes vidisse perhibetur Spiritum sanctum è cælo super nostros diuinam synaxim à P. Ludouico de Ponte porrigente accipientes, descendere. Plura de illo in vita, suo loco.

Path.

B. V.

Euch.

P. OTHO EISENREICH.

Germanus Monachij. 4 Maij 1609. ætat. 60. Soc. 40.

HVnc ob fauces exasperatas vocis vsu destitutum, adeòque mutum, sed longâ patientiâ, & Sacramentis instructum pia mors occupauit. Romæ illum B. Franciscus Borgia ad Societatem adlegerat: ibidemque tyrocinium laudatè explerat. In Germania docendo, & regendo valuit; & Constantiensis, ac Monacensis Collegiorum firmandorum pars magna fuit. Impetebatur Societas per calumniam ad famæ discrimen adducta. Sed Otho rem omnem diluit, & famæ nostræ id interesse ducens, litteras pro nostra innocentia publicas impetrauit à à Duce Guilielmo, à quo ad Lauretanam B. Virginis peregrinationem ductus, ob vires modicas alieno egebat auxilio; quod illi Guilielmus Dux adeò cumulatè præstitit, vt ægro, propè ritu famuli, ad officia, velut Minister, adfuerit.

Prudentia.

B. V.

V. DIE MAII.

P. FRANCISCVS VILLANOVA.

Hispanus Compluti. 5. Maij 1557. ætat. 48.

HIc, & humiles natales, & os de forme, nec vllam literaturæ vllius notitiam nactus, diuinæ tamen prouidentiæ, ac obedientiæ ductu singulari factus est Princeps columna Collegij Complutensis. Literas primas, & Grammaticam didicit in Societate natu iam grandior, vir admirabilis prudentiæ, pietatis, & in Deum fiduciæ, in animis tranquillandis, in exercitijs tradendis, in aduersis dextrè fortiterque quà sustinendis, quà peruincendis. Dixit cuidam fidentius; nihil sibi vnquam occurrisse in actione virtutis, à quo sensus abhorreret, quod ope diuinâ non sub egisset, vbi se non vicisset. Inde illi illud quod nec humilitatem stirpis erubuerit, idque occasione quacumque, quòd percutientibus maxillam alteram iteratè porrexerit, genu submisso; quod veste, cibo, etiam cùm præesset, se infra omnes abiecerit; quòd itinera Italica, Hispanica, Lusitanica, pedes confecerit, pane tantùm caseoque, pro cibo contentus, vt dixerit, se si curiositate duci sentiret, nec si Ange-lus pro Collegij foribus concionari diceretur, exiturum ad eum videndum & audiendũ. Dicebat, ab ea, quam nunc difficillimè peruincimus perturbatione nos in morte grauius perturbandos. Perpetuus illi stimulus erat, quo se vrgebat: *Villanoua, ad quid venisti; veni, vt crucifigerer. Quod in te non sanasti perfer in alijs, ac tace, & Deum roga.* Excitatoris matutini officium obiuit quoad vixit, horâ integrâ iam orando ductâ, antequam alios excitaret. Non vltra Dialecticam erat studendo progressus, & tamen Magister erat doctissimorum quorumuis. Sapientissimi quique Doctorum Compluti aiebant illius rationibus manus, pedesque vinciri, citra vllum locum effugij. Multa de illo habet Societatis Historia in annum 1557. inter quæ illud quoque de Villanoua 14. Maij inter Beatos gaudente; quando P. Martinus Guttierius decimo post obitum die fertur cognouisse Villanouam beato Dei conspectu iam frui. Moriens, Matri tunc etiam ægræ, ac prope animam agenti fertur statim, se in pulchra glorię luce dedisse spectandum & illius cubiculo mitis odoribus perfuso eidem mirabili leuamento fuisse.

Humilitas.

Victoria sui.

Humilitas.

Mortif.

Mors.

P. GEORGIVS CARVAHAL.

Lusitanus Ikizuki. 5. Maij. 1592. ætat. 42. Soc. 14.

CVm Rudolpho Aquauiua, & socijs, cruentis illis fidei Christianę heroibus, vectus in Indiam, post Nouitios Goæ laudatè institutos, in Scimo Iaponiæ Insula, Regnoque Bungensi, postea Firandi, fidei propagandæ operam insignitè nauauit. Porrectum illi à barbaris venenum, cum dolore capitis acerbo, deinde febri inflammatâ, mox vomitu cruento, afflixit; & octauo post die morte oppressit.

Fides.

P. STANI-

P. STANISLAVS BRUNOVIVS, ET SOCII.

Polonus in Silua 5. Maij 164: æt. 52.

CVm Socij ad Schismaticos Ecclesiæ reddendos adhibiti laborarent, inito senaculo decreuêre schismatici, vt Patres, vbi vbi possent, occiderent. Factum id per conductos ad id sicarios schismaticos in silua decem quercuum dictâ, operâ latronum dicentium; Non vestra, sed vos quærimus. P. Stanislaus Brunouius iam aliàs odio erat Schismaticis, ob non vnam de illis relatam victoriam, coram Proceribus; & quòd (summo certè Schismatici Archimandritæ dolore) primus ipse Periaslauię Catholicum templum,

Fides.

primus tam exosæ Schismaticis Societatis Iesu domicilium collocarit, Scholas Catholicas aperuerit: ac Schismaticos non paucos orthodoxis adiunxerit. Cùm Iarosslauiæ Rector Collegium gubernaret, apparuit illi Albertus Mechouski è Societate Scholasticus ante annos ferè 17. vitâ functus,

Lusitanus Ikizuki. Maij. 1582. ætat. 42. Soc. 4.

Purgat.

Sanctorum communionem, ideſt, leuamentum pœnarum, petens: apparuit & Illustrissima Dux Iaroslauiensis sexto à morte mense, & dixit. *Pater, cur promissa non exoluis?* Mox ille promissa 60. sacra pro illa curauit. E missione (vbi vnionem Ruthenorum, vt vocant, seu cum Romana fide conjunctionem curarat) reducis caput à grassatoribus securi percussum, & guttur sagittis semel iterumque confossum est.

Fides.

P. GASPAR WOYNICX.

INternectus cum P. Stanislao, cùm sagitta in manus dextræ palmâ fuisset vulneratus, & bis securi percussus in collo. Fuit Gaspar zelo, pudicâ modestiâ, & illo potissimùm elogio inclytus, quòd nullum vnquam vllo dicto vel facto læserit.

Polonus ibid. æt 30. Soc 9.

Lingua.

P. CHRISTOPHORVS CARNOSTAVIUS.

VNà cum his cecidit pari de causa. Fuit perpetuâ virginitate, ac fidei Catholicæ zelo planè insignis. Ei Popus, vt vocant, seu sacrificulus schismaticus, persæpè malè minari auditus est, eò quòd (Dominâ Regni Cancellariâ impensè adnitente,) in ipsius bonis templum ademptum Schismaticis, ritui, & concionibus, ac vsibus Catholicis transcripsisset. Vnde illi, cùm à grassatoribus cæderetur, dictum: I nunc, scelestè; & concionare. Dictus est *flagellum Schismaticorum*: & per quietem audire sibi visus est vocem; *Vis esse Martyr?* Cui ipse respondit: *Amen.* Fuerit id seu præsignificatio, seu pium somnium certè cruentus, & glorioſus occubuit, clamante interea sicario: *Inunc, & concionare, scelestè.*

Roxolanus ibid. æt. 40. Soc. 18.

IOANNES DOMAGALSKI COAD.

ACcessit tribus maioribus illis victimis quarta victima, eorum comes. Fuit silentij, & laborum amans, ac Dei Matri pro vocationis per illam

Polonus ibid æt. 36. Soc. 8.

illam adeptæ beneficio, quotidianâ eiusdem officij recitatione gratus. A missione cum Patribus redux, in silua sagittâ in corde traiectus occubuit. De hisce quatuor perhibet fama constans: in loco, vbi occisi sunt, lumen conspectum: vti & in templo, in quo sunt conditi, lux quædam totum templum illustrans apparuit plus quàm horæ integræ interuallo.

Mort. Lux.

VI. DIE MAII.

P. FRANCISCVS BENCIVS.

Italus Romæ. 6 Maij 1594. ætat. 52. *Vocatio. Crucifixus.*

DVm de Societate incunda deliberandus, mœstus, variè fluctuans, & consolatorem quærens noctu lachrymaretur, pulcherrimam Crucifixi effigiem obiectam per horæ ferè spatium vidit vt aiunt, æstu animi nunc ad Societatem, nunc ad spes mortales accedente, & recedente. In Societate tres fratres habuit, mitiobedientiâ, labore inter docendum, & scribendum improbo, humilitate modestissimâ, morumque simplicitate conspicuus. Fusiùs de illo annuæ Romanæ anni 1594.

P. ANNÆVS MAUPEOV.

Gallus Sononis. 6. Maij. 1634.

HIc mundi satur posteàquam latè Orientem concursasset, ac miserandam Turcarum cęcitatem attente, meditateque vidisset, in ipsa honorum quà re, quà spe, quippe Regio ærario iam præfectus, ad Christi castra se transtulit in Societate Iesv. In qua, & fidei donum, & paupertatis thesauros magnificè prædicabat, æstimabatque impensiùs. Frequentissimâ in carnem verberibus afflictam sæuitiâ fuit præstans; atque inde fortasse illi tanta, in perpetua orandi assiduitate, fuit è cælo concessa affluentia lacrymarum, vt post orationem non longam, vnum sæpè, ac alterum quoque strophiolum vix illi sufficerit ad eas abstergendas.

P. ANTONIVS DE RHODES.

Gallus in Prou. Lugdunensi 6. Maij 1636. ætat. 77. Soc. 60.

COnciones ad extremum vsque virium, ætatisque magnâ contentione, ac rei catholicæ, diuinoque gloriæ emolumento exercuit, verè Concionator Crucis, cuius triumphum agere videbatur quando deiectum passim vndique quà quà hæresis grassabatur, crucis trophæum, vbi vbi oppidorum concionaretur, erexit, pristinoque loco splendori restituit. Concionales hæretici dogmatis impostores acerrimè profligabat. Speciem prodigij habet (verba sunt epistolæ de illo perscriptæ) quòd cùm aliquando in quemdam huiuscemodi impostorem incidisset, illumque ad fidei pugnam lacessiuisset, tanto verborum pondere illi nostræ fidei mysteria, magno spectante cœtu probarit, vt impostor non secus, ac si fulmine ictus foret, in terram moribundus corruerit; spumasque horrendum in modum totis buccis profuderit.

Crux. *Concio.* *Zelus fidei.* *Confes.*

P. VALE-

P. VALERIVS DE LEDESMA.

Hispanus Manilæ.6. Maij 1639. ætat.83. Soc.67.

POst tyrocinium per ipsos duodeviginti annos humaniora docuit cum laude, nihil questus, & tum primùm; iam Sacerdos, Philosophiæ admotus est, Francisci Suarez postea in Theologia discipulus; qui Valerio de Indijs adeundis consilium petenti dixit. Vade felicibus auspicijs in Philippinas, ibi eris Prouincialis, & Manilæ bis Rector. Id quod factum. Etenim primùm Zebuense, tum Manilanum Collegiũ rexit: inde Prouinciam vniuersam per annos octo: deinde Nouitios, ac denique Manilanum Collegium iterùm gubernauit, omni rectione tandem post annos 40 perfunctus. Dæmon ingenti strepitu in ea in qua P. Valerius in India degebat domo, & per suos magos, suum in eum odium testatus est. Naturæ suæ ardore ad diuina translato vsus est egregiè. Conclusêre medici Vallisoleti, cùm de illo tunc ægro consultarent, illum esse *igneæ naturæ in summo gradu*, neque facile vllum à se lectum in libris, qui Valerio in hoc par esset. Et tamen adeò sui compos erat ac potens, vt præter viuidos quosdam spiritus in dicendo, & consilijs, nullam iræ aut commoti animi significationem vnquam ediderit, semper verè humilis, verè omnium amans, & documentum viuum in optimo Superiore suos non sua quærente virtutis. Potiorem Prouinciæ partem obibat pedes. Peccata totius vitæ breui compendio dolenter, ac prudenter confitebatur quotidie, ijs quæ particulatim narrare non poterat ad generales quas antea obierat exomologeses remissis. Post tres horas quietis surgebat, & orabat. Et paulò ante quàm alij surgerent, quietis iterùm aliquid capiebat, vt diei pondus vegetus sustineret. Ad aram inter sacrificandum aliquando animo linquebatur. Aliàs in oratione ab humanis abductum laudasse fertur Christus ob virtutes cùm alias, tum quòd in casu quodam id fecisset quod diuinæ voluntati magis consentaneum esse ducebat. Aliàs suam illi opem promisit. Sabbato quodam sancto singulari luce perfusum se sensit circa sensum illorum verborum *ego sum qui sum*: quæ lux postea increuit ope S. Francisci (quem vnicè colebat Valerius) addentis: *ego sum qui sum; tu es qui es.* At maior hisce lux fuit illa à Deo postea sic illi loquente. *Tecum ego sum qui sum, tecum*; cum insigni fiduciâ diuini vbique præsidij adfuturi. Superiori disertè dixit, se curæ esse Matri Dei, & de hoc se ante annos aliquot redditum certiorem. Confessario sexies aut septies affirmauit, Deiparam sibi videri visam dixisse. *Fili, saluabere.* Praxis illius cum Deo, & Dei Matre agendi erant orationes iaculatoriæ, quarum quibusdam plus insistebat, verba singula iterùm ac iterùm regustando, & repetendo vsque ad suaue cordis incendium, idque se aiebat à suo S. Francisco sic orante didicisse. Vnde & illi fluebant horæ ac dies in Dei præsentia, illo suspirio sæpiùs repetito: *Deus meus, & omnia.* Inde illi lux, vt necessarijs prouideret sed maximè vt ne Spiritus Societatis in subditis intercideret, aut elanguesceret. Martyrij Iaponici desiderijs ardebat. Manilæ cùm naues summo cum desiderio anxiè expectarentur, pro concione dixit, Bono essent animo: naues aduentare, & mox nuncio de nauibus appulsis allato vaticinij veritas enituit. Rogatus clam, an id diuinitùs didicisset, obticuit.

Obed.

P. Suarez prædictio.

Confess. quot.

Oratio.

Voluntas Dei.

B.V.

Iaculat.

P. FRANCISCVS COLIN.

Hispanus in Philippinis. 6. Maij. 1660. ætat. 68. Soc. 34.

MAioricæ Alphonso Rodriguez familiariter vsus, multa cum illo de diuinis contulit; eiusque vitam postea typis in lucem dedit. Philippinas Insulas vbi adijt, istic Tagalensem linguam intra duorum mensium spatium ita didicit, vt ad concionem aptè dixerit cum Sociorum admiratione. Deinde anno vno vix elapso, centum quà paruulos, quà adultos baptismo lustrauit. Silentij, orationis, lachrymarum, ac sui assiduè afflictandi dono fuit illustris. Sæpè, ac diu viuebat in syluis cum ijs quos erudiebat, Deo, illisque Christo formandis intentus. Mamlano Collegio, ac etiam vniuersæ Prouinciæ præfuit cum laude magni ad omnes exempli, industriæ, charitatis. Quotannis à 17. Septembris vsque ad 4. Octobris, Francisci sui tenerè memor, secedebat ad ascenticas S. P. Ignatij exercitationes. Potionis cuiusdam Indicæ (quam Ciccolatam vocant) vsum nunquam admisit, ne se indulgenter his quasi delicijs tractaret. Aiebat, se id Beatissimæ Virginis amori dedicasse, vt à potu illo abstineret: monitum se ab illa interno instinctu, seu voce, vt se ad eius vsum nullis precibus adduci pateretur, placiturum id sibi si ab eo constanter abstineret vsque ad mortem. *Mortific. B. V.*

Oratio.

Incredibili Martyrij desiderio flagrabat, quotidie coram Cruci affixo Christo petens donum pro eo moriendi.

In Mindorana Missione, cùm duos, à quibus ferè pendebat conuersio reliquorum, duros videret, ac noctu vigil secum dispiceret ecquis modus ineundus esset illos ad fidem adducendi: repentino timore correptus est, num ipse qui de aliorum salute cogitaret, saluus futurus esset. Ergò delectulo sese proripuit; ac totus in preces effusus, Deum rogauit vt velut pro pignore prædestinationis ac salutis suæ duos illos sibi donaret. Obtinuit. Etenim diluculo, duo illi hactenus pertinaces, vltrò Franciscum adiêre, ac baptismum ab eo magnoperè flagitauêre; Francisco & illis & sibi vnicè gratulante, ac diuinæ misericordiæ gratias referente. *Zelus.*

VII. DIE MAII.

P. PAVLVS ACHILLES.

Italus Panormi 7. Maij 1586. ætat. 74. Soc. 47.

IN Sicilia habitus pro magistro, & norma virtutis. Præfuit Collegio Panormitano primus Rector, idque per annos 23. continenter, suauitate tantâ vt ipsa in eo charitas loqui diceretur. Ne disciplinæ, ac simul charitati deesset, quendam ad suscipiendum nescio quid pœnæ commeritæ per ipsos 30. dies attemperatè disposuit, cùm nec parcere vellet, nec lædere. Cùm nihil domi esset quo socij vescerentur, tamen ære campano signum dari iussit, & eodem tempore, ad portam tantum annonæ appulit quantū sat erat. Liberalem experiebatur Deū, quia & ipse erat erga pauperes liberalis. Semper infra alios se habere, libenter moneri à quolibet, in pistrino laborare, sanctissimum Eucharistię Sacramentum frequenter visere, illudque absens etiam noctu, & interdiu crebrius reuereri, cum fœminis ne in ætate

Charitas.

Humilitas.

Mortif. ætate quidem extremâ diutiùs colloqui, nullum diem quin se acriter flagro exciperet præterire, illi solenne fuit ac sanctum. Feriâ verò sextâ qualibet nec priùs se flagellare desinebat quàm sanguinem elicuisset. Sub pedum plantis duas acutas arundines gestabat, quæ illum clauorum instar laniabant. In quadragesimâ, etiam senex, ieiunij tam fuit retinens vt vesperi nullum omninò bolum admiserit. Vultus illi semper serenus: animus planè sui potens. Inter orandum repentè iussit Patrem quendam è naui in quâ iam abiturus erat reuocari: & nauis illa à Turcis postea est intercepta. In Sacrum. P. Pauli sacrificium incruentum die Christi natali celebrantis manibus cõspectus est pulcher & splendidus IESVS infans. Ab impio quopiam vibratus in eius pectus gladius, ceræ instar reflexus est planè innoxius. Cùm dæmones in eius Collegium ad tentandos Socios impudicas fœminas vellent inducere, fassæ sunt illæ se à S.P.Ignatio prohibitas. S.P.Ignat. A morte fama increbuit, illum in cælum citra Purgatorium abijsse: inipsâ mortis horâ cuidam è Societate, & postea pluribus, gloriosus apparuit. Mort.

P. DIDACVS SAMANIEGO.

Hispanus in S. Cruce. 7. Maij 1624. ætat. 85. Soc. 64. IN Castellæ Prouincia, & ferè Vallisoleti in Professorum domo per annos 25. magni operarij & vtilis Procuratoris munus insignitè gessit, & ægrè tandem Peruanas Indias impetrauit anno 1586. S. Michaeli Archangelo ex asse addictus, illum glorioso splendore illustrem vidisse perhibetur, qui ei promisit omnem opem ad Indos, & obstinatos peccatores conuertendos. S. Michael. Zelus.

Et admirabile fuit quot Didaco occasiones aliæ ex alijs nascebantur alios baptismo, alios pœnitentiæ Sacramento expiandi, qui illicò expirabant. Vitam duxit integram, & nullo vnquam lethali peccato fædatam. Virginitatem suam plurimâ rerum aduersarum vel sponte susceptarum, vel vltrò venientium patientiâ communiuit. Vocabatque ea quæ patimur *Cruces viuas*. Deus illi in sacro id persæpè flagitanti ostendit quædam signa è quibus se in Dei gratia esse aduertit. Multis ægris auxilium impetrauit ope Deiparæ, cui erat dilectus imprimis. Innocentia. Cruces viuæ. Patientia. Sacrum.

P. IOANNES BAPT. BAESA.

Hispanus. Nangasachi. 7. Maij 1626 ætat. 68. PIetate, impigritate, ac dicendi neruo tantus fuit, vt per annos 36. Christi nomen plenâ vbique messe per Macaum, Goam, Mozambicum, ac per varia Iaponiæ Regna circumferens, intra triennij vnius interuallum facilè 75. millia capitum adultorum Christi baptismo abluerit, vt paruulos taceamus. Persæpè illo baptizandi labore adeò fessum vidêre multi, vt vix brachium attollere, imò aliquando vix illud commouere potuerit. Furente Daifu persecutione, quà acerrimis per anni spacium morbi doloribus, quà paralysi prostratus, cistæ, seu arcæ, includi debuit, & in exilium deportari; cùm ne sic ægroto quidem quies concederetur. Nangasachi in carcere ærumnis extincti eius corpus quæsitum est flammis à barbaris abolendum. Fides.

P. GASPAR DE CASTRO.

Lusitanus prope Arimam. 7. Maij 1626. ætat. 66.

IN Societatem pro Coadiutore coop-tatus, P. Sebastiani Morales Iaponiç Episcopi comes fuit. Postea cum P. Petro Martinez, Sebastiani successore, Macaum deuectus, & ibi disciplinis necessarijs instructus, initiatus, in Iaponiam ductus, ibi veterum Christianorum ritu ac more semper fessus, & semper laborans, atque in seipsum sæuus potiùs quàm seuerus, mira in speluncis, in quibus latere cogebatur, perpessus est. Ita ærumnosam, sed felicem, mortem è sepulchris illis hausit, semper viuens in spe martyrij. Anno 1614. socijs è Iaponia proscriptis, ille clam è nauigio adrepebat; & saluti octo millium Christianorum consulebat per continua capitis Deo in victimam deuoti pericula. Aliquando in feretro, velut mortuus, elatus est; vt exploratorum diligentiam, & artes effugeret, morte per vitam ita semper afflictam productâ in obsequium animorum: id quod per annos 24. est naviter executus.

Fides.

Zelus.

P. IOANNES FRANCISCUS SVARES.

Gallus Tolosæ 7. Maij. 1617. æt 66. Soc. 51.

IN Tolosana Prouincia de Philosophia, Theologia, rectione Collegiorum, atque Prouinciæ, laudatè meritus, illud elogium est assecutus, vt *nulla virtus illi deesse* diceretur. Longo vsu condocefactus, cò demum peruenit fastigij, vt quantæuis occupationes, illum à Deo minimè auellerent. Scrupulis, ac dubijs obnoxios mirificè tranquillabat. cuidam pax redijt auditis à P. Ioanne his tantùm verbis: Videret quem in finem sua omnia referret. Orandi efficacitate tantus, vt fœmina vanitatibus plus æquo addicta pro qua mariti rogatu orauerat repentè modestè sapere didicerit. Archiepiscopum Viennensem, à podagra liberauit postquam Lauretanas B. V. Liranias pro eo recitauit. Pro quodam impuro priuatim in sacello per 2. vel tres horas celebrans auditus est dicere; non te dimittam Domine, donec benedixeris ei: & ecce scelestus ille mox ad Patrem venit, alius planè deinceps ab eo, qui fuerat. Beatissimæ Virginis Rosarium quotidie recitabat, nec aliter se quietis vllius partem capere posse aiebat. Eidem suum cubiculum pro sacello consecrabat, per illâ sæpissimè tria petebat, Dei gloriâ, sui contemptionem, salutem animarum. Romæ B. Aloysio & Amico, & Monitore est vsus. A mensa redux, tales à Deo socios pro colloquio petebat, quibuscum in diuinis profiteret, non autem contristaret Spiritum sanctum. Diei totius ducendæ seriem, ac rationarium sibi præscripserat; aiebatque, se illum ordinem à Deo didicisse. Plura particulatim de illo dabit eius vita in annum 1627. In perpetua ab omni lethali peccato integritate se humilitatis exquisitæ studio seruauit; & his legibus: quas ipsius verbis hic adscribo ac finio: esto

Intentio.

Oratio.

B. V.

Sacrum.

B. V.

Cubiculum.

Recreatio.

Dies.

Humilitas.

1. Vt Nouitius, nouissimus, & abortiuus
2. Vt cadauer mortuum
3. Vt eductus ex inferno
4. Vt crucifixus cum Christo
5. Vt infans Dominus Iesvs Christus in præsepio.

Scrupuli.

P. FRAN-

P. FRANCISCVS DE MENDOZA.

Lusitanus in Philippinis 7. Maij. ætat. 40. Soc. 21.

HIc anno 1621. 17. Iunij, Societati adscriptus, postea cùm in Mindanao Philippinarum Insula Mahometanis ad Christum reducendis insudaret, illorum insidijs interceptus, & & per plura vulnera peremptus est: minatis id antea barbaris; ei qui ad fidem prædicandam istuc venturus dicebatur, se clauas suas in pectus illisuros, & animam elisuros. Quidam frustulum e Patris zonâ in aquam intinxit, & aquâ illâ epotâ grauem morbum discussit. *Fides.*

VIII. DIE MAII.

IOANNES ANTONIVS OLIVERIUS COAD.

Siculus Panormi. 8. Maij 1576.

DVo in hoc memorabilia sunt, eoque digna, quæ minimè omittantur, alterum est mors, quam Panormi obijt plena heroicę charitatis inter obsequia pestè languentium; alterum vita probati exempli, quâ enituit, consentanea diuino instinctui, quo perpulsus cùm foris matrimonio illigatus duos liberos suscepisset, eosque ad Societatem conuolasse gauderet, ipse quoque vbi mors coniugis intercessit, se filiorum exemplo Societati adiunxit. *Vocatio.*

DOMINICVS FERNANDEZ COADIVT.

Hispanus Madriti. 8. Maij 1577.

ADfuit Patri Petro Manrique 12. Ianuarij anno 1577 Compluti è vita discedenti hic Dominicus, olim eius famulus; quemadmodum de illo scripsi in eius vita ad annum 1577. & velut degustatæ in Petri tam suaui agone mortis desiderio captus, migranti charo suo quondam Domino nunc in Christo fratri dixit; optare se quoque hac vita defungi; æternam inire. Quocirca quam flagrantissimè posset petere se, vt felici æternitate donatus Dominici sui tam foris, quàm in Societate famuli, ac adiutoris, diuinæ Maiestati coram commendandi, & breuì hinc ad videndum coram, & amandum summum illud bonum atque pulcherrimum euocandi curam susciperet. Impensè id se optare, vt abruptis hisce vinculis corporis eò breuì Dominum suum secutus, euaderet. Recepit se id facturum Petrus; & verò promissis etiam stetit. Nam Dominicus Compluti Madritum translatus, cùm P. Francisco Porres Procuratori datus in socium, ei mœstior videretur, causam rogatus dixit. Se tabescere desiderio moriendi. Quartum ire iam mensem ex quo Compluti P. Petrus Manrique pretiosum diem insigni planè apparatione obierit. Iniectam tunc sibi incredibilem celerioris mortis cupidinem: flagitasse se ab eo in extremis iam posito vt id suo, & olim, & tunc Dominico impetraret ad videndum coràm Deum felici morte appulsus. Promisisse quidem tunc, & fidem nec dum exoluisse Manricium, nam se adhuc hic hac in lacrymarum valle relinqui plenum viuendi tædio, nato è desiderio moriendi; eumque, cui ad hanc Societatem comes adhæserat, eò quoque perpediem sequendi; omnem sibi moram esse tormentum, nec aliud se in S. Symxi, sub diuino sa- *Mortis desid.*

crificio, & omnibus pietatis officijs agere quàm, vt bonus Deus fidelis sui Petri Manrique promissa compleret, omni morâ iam tandem abruptâ: & tamen se viuere, aut potius vix viuere, præ desiderio moriendi. Sub huius desiderij magisterio, & veluti sub mortis disciplina se vitam ducere, illuc semper, quò ex compacto vocandum se sperabat; intentum. Dixit hæc Dominicus; & Petri promissa compleuit Deus. Nam Dominicus eodem die febri correptus, mysterijs curatè instructus ad cælum anhelans optatò vitâ perfunctus est.

DVO PATRES ANONYMI RUTHENENSES.

Galli Ruthenis. 8 Maij 1 8.

HOs hôc die vnà extinctos è munuscriptis accepi. Mors admirabilitate non caruit ad verbum breuiter à Ruthenensi Collegio sic narrata: sublati Sacerdotes duo nec sine prodigio. Eorum enim vnus integrâ valetudine, alteri, qui Præfectus erat valetudinarii, item valenti, quasi ad condictum inuitaret conuiuium, *Breui*, inquit, *ambo splendido epulo excipiemur*. Et verò eodem vterque die, eademque pene horâ decessit.

Mort. Conuiuium.

VINCENTIVS MORELLVS COADIUT. NOVITIUS.

Siculus Mamerti. 8 Maij 1597.

HVnc etiam eodem die vitâ defunctũ notant aliqui, cui cum Ioanne Antonio Oliuerio illud cõmune, quod hic etiam viduus duos filios ad Societatem sit secutus: illud diuersum, quòd tertium foris reliquerit, quem postea in carcere, quò eleëmosynam ferebat inuenit, & se Patrẽ oblitus, ac tantùm tyronem se esse memor, opem rogantem non alio, quàm alium quemuis vultu sit allocutus. Negabat sibi iã religiosis in castris merenti fas esse publicam causam suscipere: facturum se ad quod agendum veniisset; attulisse se pro ijs, qui custodiâ tenentur subsidij quidpiam. Licere ipsi quoque inde partem capere non secus ac alijs: neque plura debere sperari à religioso Nouitio. Ita dixit; nec secus fecit, insigni sui victoriâ, & exemplo.

Victoria sui.

P. IACOBVS SEV DIDACVS DE GUZMAN.

Hispanus Hispali. 8. Maij 1606. ætat. 85. Soc. 51.

ILlustri stirpe natus Patre Comite de Bailen. Inter studendum Scholasticos pauperes qui vnà cum illo Sacramenta quothebdomadis frequentabant, sustentabat. Cùm Societatem ingredi pararet; à Ioanne Auila, inter alia hoc documenti accepit, vt è veteris illius Monachi apophthegmate repeteret secum illud: *Ego iudicari, veni, & non iudicare. Quid ad te: Tu me sequere.* A B. Borgia Romam ad Ignatium cum P. Gaspare Loarte missus, è fonte hausit aquam vitæ spiritualis, factus perquam inclytus per Italiam, & Hispaniam Catechista vsque ad deuexam ætatem. Hispali eam in rem autor fuit Congregationis Doctrinæ Christianæ. Erexit & Sodalitatem Cleri, ac nobilitatis. Corpus licèt morbis vexatum, asperè habuit xsu crebro ciliciorum atque flagrorum. Deiparæ rosarium semper illi pendebat è collo, & sæpiùs recitabat, canendis eius laudibus tenerè animum sancteque oblectans. Noctem Feriæ v. in honorem SS. Sacramenti agebat peruigil in orando, quamdiu id morbus non vetuit. Sæpè noctu ad orandum lectulo consurgebat: & cùm senex aliquando in nocturna illa de genibus oratione

Non iudica. *Catechism.* *B.V.* *Eucbar.* *Oratio.*

oratione indormiſceret, baculo ſe caſtigabat, vt experrectus oraret. Simplicis columbæ inſtar ſine felle amabat omnes & amabatur: neque quicquam tam publicum erat vllius facinus quòd ille carperet, aut non excuſaret. Lautę (quam nec vnam, nec ſemel habere potuiſſet) hæreditatis, nobilitatiſúe nullam vnquam mentionem admiſit. Illo inconſcio pictor, nobilium Didaci conſanguineorum iuſſu illum depinxerat. Eam imaginem vbi vidit Didacus, turbatus primùm, illicò adiecit, more ſuo: *Laudetur IESVS: ego etiam Iudam aliquando pictum vidi.* Acerrimi colicæ dolores illam intra 20. horarum ſpatium è vita exemêre, inter illos etiam dolores Sacramentis hilarè procurari petentem, atque dicentem: *Eamus, eamus, Domine. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi* &c. Et pulſando pectus: identidem, *In cubilibus*, aiebat, *veſtris compungimini.* Exequiæ illius à paruulis, à clero, à nobilitate celebratæ; ac virtutis fama tanta, vt ingens vis populi ne armatâ quidem manu arceri ſatis potuerit, quin ea faceret quæ circa ſanctorum cadauera ſolet pietas populorum.

Charitas. Humilitas. Mors.

IX. DIE MAII.

P. ADRIANVS CHESSOY.

Gallus Antiſiodori. 9. Maij. 1631. ætat. 58. Soc. 17.

SImplicitatem ſanctam præclaro aliorum quoque virtutum ſtudio adornauit. A morte compertum eſt, illum nihil omninò habuiſſe, præter vnicam Angeli cuſtodis imaginem. Non alijs rebus, quàm diuinis, & conſcientiæ quæſtionibus ſtudium addebat; cibo vix alio quàm pane veſcebatur; vino tali, quod ab aquæ infuſæ copiâ vini ferè nomen amitteret. Sacrum ad omnem rubricarum accurationem religiosè, nec ſine lacrymis obibat. Angelis, Cuſtodi potiſſimùm, tam fuit addictus, vt *Pater de Angelis diceretur.* Quicquid Angelicarum congregationum, libellorum, precum hiſtoriarum poterat reperire, legebat, adnotabat, narrabat, nec vlla recreationis hora illi elabebatur, quin de illis aliquid in medium afferret. Sæpè illi Angeli adfuiſſe dicuntur, Cuſtos potiſſimùm: quem coràm aſpexit, cùm Societatem iniret, aliquoties etiam antequam ſacris initiaretur. Et particulatim ſæpè, in Sacramento potiſſimùm, illi ſe Chriſtus amanter ſpectandum obtuliſſe fertur: ſæpè ipſe comitatum ſe duobus Angelis vidit à cubiculo vſque ad altare cùm iret diuino ſacrificio operaturus, ſtipabant illi latus Angeli hinc, & inde; nec abibant, niſi ſacrificio iam peracto. Per octo extremos dies delirio tenebatur: ſed hoc ipſum illi haud ex improuiſò accidiſſe illud argumento eſt, quòd noctu excitato vicino ſuo prædixerit, ſibi dilirium imminere neque idcircò angi quemquam debere, ſe enim diuinâ gratiâ ad mortem comparatum eſſe.

Mortificatio. Ang. cuſt. Chriſtus. Angeli. Sacrum.

P. GABRIEL POTIER.

Gallus Cadomi. 9. Maij 1655.

HIc ſeu diſciplinis litterarum adoleſcentes inſtrueret, ſeu Flexiæ conuictorum contubernium regeret, ſeu aliud quid officij obiret, religiosâ cum laude peregit omnia. Ad hæc per pulpita templorum celebriorum Eccleſiaſtæ flagrantiſſimi munus geſſit acerrimè,

acerrimè, præclarâ commendatione, ac fructu. Illud autem insignis eius modestiæ specimen est quòd cùm Româ de gradu illius litteræ perlatæ fuissent, è nominum similitudine natus error fecerit, vt Coadiutorum spiritualium vota sibi decreta esse intelligeret. Qua in re tametsi sui satis conscius, cùm errorem posset facilè suspicari, dissimulanter, modestè tacuit, & oblatam sibi Coadiutorum spiritualium formulam palàm recitauit. Errore demum agnito ij, quorũ intererat & virtutem illius, ac silentium suspexêre; ac illum adscripsêre quatuor vota professis, concepto ab eo illis proprio Sacramento.

Humilit.

X. DIE MAII.

P. IOANNES BRENNERUS.

Belga Monachij. 10. Maij 1596. Soc. 31.

MAgni planè zeli vir, & conspectæ pietatis, ac industriæ ad expedienda ea, quæ saluti mortalium aduersantur. Veila imperiale Sueuiæ oppidum est funestum, hæresi miserandum. Ibi trium ferè mensium interiectu hæreticis, catholicisque permultùm profuit Ioannis industria, & in dicendo felicitas, atque authoritas. Aiebant Senatum vniuersum cum plebe tota orthodoxæ fidei adiungendum fuisse nisi fœderatarum Vrbium hæreticarum Societas vetuisset. Quod proximum tamen fuit (aiunt de illo annuæ Spirenses) multa eius sententiâ ad catholicam religionem augendam instituta sunt., hæreticorum connubia cum Catholicis abnuuntur, non Senator in Consulem, non in Senatorem ciuis hæreticus eligitur; neque in ciuitatem vllus admittitur, qui non ante Catholicæ Ecclesiæ nomen dederit. Einsdem etiam suasu ciuitas duos præcipuè Germaniæ Principes viros, ac Catholicæ religionis defensores sibi patronos delegit; eorumque patrocinio gloriatur.

Fides.

P. IOANNES XVARES.

Hispanus Hispali. 10. Maij 1601. ætat 61. Soc. 43.

COmmendatur in illo spectata vitæ probitas, & animarum zelus, vtriusque indices, erant illius conciones per annos multos ab illo habitæ *feruenti spiritu*, vt de illo dicunt literæ, *quibus veritatem sincerè, sine fuco, sine pigmentis, graui oratione, magnâ efficacitate suaserat.* Ad hæc, aiunt de illo Hispalenses; Christianæ humilitatis opera adamauit, inseraire, vel in exacta ætate coco; vnà cum tyronibus abiectissima obire munia, eosque rogare, vt modum, quo illa fieri deberent, indicarent, vili, pannosoque vestitu in publicum exire, aliaque id genus plura exercere solebat. Illud singulare euangelicæ submissionis exemplar quòd impacto sibi ab impudente colapho, quo tempore Collegij Rector erat, alacri, ac sereno vultu percutienti alteram maxillam obtulerit. Hos tam egregios labores, ac virtutes Deus optimus familiaritatis arctissimæ mercede compensarat, eas homini suauitates infundens, quæ illum iustis diei sparijs Deo soli vacare dulciter impellebant; & cùm extremi morbi doloribus, qui maiores erant, quàm iudicabantur, vt mors opinione citior declarauit, acriter vexaretur, huius con-

Humilitas.

consuetudinis non oblitus, tam assiduas Deo gratias habebat, atque agebat', vt non pati sed gaudere potiùs videretur.

P. MICHAEL FERRER.

Hispanus in Collegio Maræneusi 10. Maij. 1608 æt. 77. Soc. 46.

INter vetustissimos Bœticæ Prouinciæ Professos cùm esset, non minùs prouectâ virtute præluxit socijs, illis maximè quos ad aulas, non propria propensio, sed obedientia destinauit. Ducibus de Arcos illum per totos 30. annos à Confessionibus magnâ cum integritate, solicitudine, diligentiâque fuisse perhibent annuæ, nunquam ad Palatium ire solitum, nisi euocatum; nihil solicitum de carne, & sanguine, quamuis multis modis promouere suorum consanguineorum rem, dignitatemque potuisset; solitudinis, & silentij rarum amorem in eo fuisse: ac sermonem de diuinis, cubiculi secretum precandi studio intentum, delicijs omnibus antepositisse, nunquam octo dies exercitiorum quotannis omisisse inter quæcumque negotia, licèt id nec dum lege tunc fuerit constitutum; Christo patienti addictum impensè per extremos quadragesimæ dies potissimùm; ijs diebus more fontium oculos eius lacrymis dulcissimis assiduè fluxisse.

Confess. aulicus.

P. BARTHOLOMÆVS POLUS.

Hispanus apud Quitenses in India Occiden. 10. Maij. 1649.

VIr eloquentiâ, & admirandis laborum pro Euangelio susceptorum sudoribus planè memorabilis. Tota illi vita erumnę, pericula, Euangelium, Baptismus, dolores, quibus ab ineunte iuuentute acriter exercebatur, nec tamen impediri se sinebat à quæstu dulcissimo animarum. Eo loci vbi sacras expeditiones exercuit sudo cælo, & sole flagrantissimo in locis apertis, & ab omni Montium societate remotis, cadunt è serenissimo aere Serpentes, quartam vlnæ partem longi, & ferè pollicis mole crassi, squammis colore argenteis lucidi, geminis capitibus insignes, nam, & caudæ locum alterum caput occupat teneris dentibus, & ore armatum, non secus, ac alterum. Videntur tamen in eo talparum quiddam habere, quòd oculos nulla hactenus diligentia in illis repererir. Veneni sunt adeò pertinacis, si quem momorderint, vt cùm contra omnia reliqua venena medicina non desit, contra istud, necdum vlla sit inuenta, nisi terra Sancti Pauli; quæ sola illi medetur sed fidei potiùs viribus quàm naturæ. Pater Bartholomæus Polus in sua per illas oras missione vidit, & à peccatis absoluit Indam fœminam, quam id genus coluber morsu sauciatam veneno suo adeò profligauit, vt horribili, ac miserando spectaculo sanguinem oculis, auribus naribus, & ore toto per ingens, ac lethale profluuium egurgitaret inter dolores vsque ad mortem tantos, vt ad illos explicandos lacrymæ citiùs, quàm verba suppeterent.

Zelus.

P. IACOBVS BVTEUX.

Gallus in noua Francia. 10. Maij. 1652. æt. 52. Soc. 32.

PEr annos duodeviginti in septentrionalibus illis Americæ missionibus versatus est, etiam valetudine tenui, & afflictâ, sed animo vires corporis supergresso. Eucharis ei lingua, & ad corda Neophytorum teneriùs ei penetrans, atque peruadens. Cibus illi ferè inedia; dura, & breuis humi quies potiùs quàm somnus; cùm ei, & alimenti, & requiei instar esset oratio,

Mortif.

suique afflictandi assiduitas. Optare se aiebat in sæuitiem Hiroquæorum incidere, actum enim amoris Dei, longè puriorem esse in medijs flammis. Vnde plus, quàm millies, quantum prudenter poterat, se in eas occasiones dedit vbi maximum erat discrimen, ne ab Hiroquæis caperentur, nullo vnquam timoris dato indicio; multò minùs, vt pedem aliquando ea de causa retulerit. Artikamegorum natio, (quos vulgo pisces albos vocant) illi præ alijs dilecta: quippe Christo ab illo genita, educata, & perscitè instructa. Eximia quædam in illo populo innocentiæ ac pietatis teneritas emicabat; adeò, vt exulare ab eorum terris peccatum videretur; illis Angelicâ quadam integritate contra omnem, etiam minimam conscientiæ labem attentis, atque Christi amore mirificè inflammatis. Reliqua de illo ex annuis Franciæ anni 1652. peti possunt.

Amor Dei.

Fides.

P. STEPHANVS FABER.

Gallus in Sinis. 10. Maij 1657. ætat. 61.

CVm P. Sebastiano Viera Iaponiæ Procuratore in Orientem profectus, per iter tanta præstantissimæ virtutis edidit documenta, vt alter Xauerius diceretur. Cùm in Iaponiam penetrare non posset, in Sinis Apostolicos suos labores magno gentis illius emolumento, magno rei Christianæ incremento ita animabus impendit, vt corpori suo nil parceret, ac voluntates omnium lucraretur, amareturque vt Pater. Vnde cùm aliquando illum audire ac videre percuperent, neque omnes id possent, arbores conscendebant; vt vel sic suo desiderio potirentur. Semper illi ad manum erat quòcunque iret, vasculum cum aqua lustrali, quâ ægros paruulos, vel adultos etiam ærumnis confectos & morti proximos, ac instructos, expiabat. Missionum difficillimas effligitatione sanctâ sibi deposcebat: nil negabat vlli quantumuis æger; charitate dolores corporis superante vt alijs prodesset. Fame vrgente, sua vendebat, vt alienę inopię subueniret. Flumina ita vt erat vestitus, non eques aut vectus asino, sed pedes, superabat, & vestibus nunquam positis, vt siccarentur iter reliquum ita madidus exantlabat.

Castitas.

Castitatis votum aliquot annis ante Societatem initam nuncupatum, insigni magnæ modestiæ, paupertatis, & voluntariæ sui afflictationis exercitatione seruabat fidelis Deo. Si cum fœminis loqueretur, nunquam visus est oculos attollere. Si quid oculis aut menti turpe occurreret, imaginem Deiparæ quam secum gestabat, amplexu tenero ac fiduciâ complexus, opẽ illius exposcebat, & impetrabat. Quotidie se flagro cædebat, & carnem forcipibus lacerabat. Quo sæuitię instrumento cùm Sociorum quispiam ad id eum vti aduertisset, ac ei religionem inijceret, respondit Stephanus, suum cuiuis iumentum adeò notum esse, vt modum illud tractandi haud soleat ignorare.

B. V.

Mortific.

Maiorem noctis partem ducebat orando; idque vt posset, contra somnum variè dimicabat: tum demum ita, vt erat vestitus se super aßerem componebat. Consanguineus quidam Regis, homo alias obstinatus, rogatus est vt P. Stephani mores obseruaret, ac inde metiretur nostræ fidei sanctitatem. Obseruauit ille nocte quadam P. Stephanum sub dio cùm ningeret humi flexis genibus gratias Deo prolixè agentem pro beneficijs quibus etiam ingratos & à fide alienos prosequitur. Tanta erat orantis compositio, tantus dicentis ardor, vt diluculo Princeps ille hactenus durus vltrò ad templum

Oratio.

nostrum

noſtrum aduolârit, & baptiſmi Sacramentum petierit

Humilitas. Tantâ cum omnibus reuerentiæ ſignificatione agebat, vt id alij mirarentur, eumque monerent ne ſuâ illâ demiſſione aleret ſuperbiam barbarorum; ſed ille aiebat virtutum fructus tum demum vberiores fore, ſi humilitatis noſtræ radices profundiùs iacerentur.

Angeli. Duo viri conſpecto P. Stephano ſeſe humi abiecere profundæ reuerentiæ causâ: & rogati cur id facerent, reſpondêre viſos ſibi duos elegantis formæ adoleſcentes à quibus P. Stephanus tenebatur in alto à terra ſublimis.

In Hanchun Sinarum, locuſtarum examen ingens quod agris exitium afferebat, aquâ luſtrali agris aſpersâ fugauit. *Aqua benedi.*

Aiunt etiam ſenis cuiuſdam in morte à P. Stephano baptizati animam conſpectam ferri ab Angelis in cælum. Id quod Bonzius quidam à ſe viſum ad concionem dixit.

Ingenio, ac variâ literatura in diuinis atque humanis diſciplinis fuit magnus, & par cathedræ cuicunque: at virtute longè maximus, & inter maiora Indici Apoſtolatus exempla ponendus.

XI. DIE MAII.

P. MICHAEL RUGGERIVS.

Italus Salerni. 11. Maij 1607. IN Orientem cum P. Rodulpho Aquauiua profectus, Macaum accitus eſt, vt in Sinas eâ quâ pollebat ſolertiâ penetraret; id quod feliciter perfecit, Sociorum primus eòque dignus memoriâ poſterorum. Dè illo ſic in ſcriptoribus Societatis. Bis quotannis ad nundinas cum Luſitanis negotiatoribus ſubnauigabat in Catonienſis Prouinciæ Metropolim, explorabatque ſedulus, num ab aliquo fortaſſe Magiſtratuum ſedem in Regni parte quapiam poſſet eblandiri. Cœpit initio cùm nō nullis illorum agere, & quandam aperuit illi neceſſitudinem ſolertia, & in agendo comitas quâ præſtabat: cui cùm accideret opinio virtutis, & doctrinæ, ſtudiumque Sinenſium litterarum, quod euoluendis ipſorum libris præſeferebat; tantam illi quorumdam gratiam conciliauit, vt attributis in ædibus, quibus legatos Siamenſes conſueuerunt accipere, rei faciendæ diuinæ obtinuerit commoditatem. Sæpè tamen eundo redeundoque & delinitis per Europæa munuſcula Magiſtratibus, aream Ædi ſacræ, ac prophanæ excitandæ in vrbe Sciauquino primus ſociorum obtinuit anno M. D. LXXXIII. quam anno mox vertente extructam inſtruxit opportunâ ſupellectile, quæ cùm nouitatis Europęæ quidpiam haberet, multos ad ſpectandum ciebat, quibus per eam occaſionem ſemper aliquid de diuinis rebus Ruggerius ingerebat. Dum autem aliam alibi, atque aliam ſedem figendi aucupatur modum, multa coactus eſt ſubire incommoda. Verbis etiam nonnullibi malè acceptus, vinculorum minas intentatas euaſit. A Neophyto impoſtore coram Magiſtratibus adulterij poſtulatus eſt, eo ipſo nimirum tempore, vt aiebant, admiſſi, quo ſcilicet eum longo abfuiſſe itinere conſtabat; ideò retectâ calumniâ, pronunciatus eſt Ruggerius innocens; at impoſtor ver-

Zelus.

beribus, alijsque supplicijs dirè mulctatus. Iam quò firmiores ageret radices Sinica statio, Alexandro Valignano Visitatori consilium fuit ab Summo Pontifice legationem ad Sinarum Regem procurare. In eam rem missus in Europam Ruggerius qui posset præ omnibus eam explicare, ceu primus expeditionis auctor, & explorator. Anno salutis M. D. LXXXVIII. difficili vsus nauigatione, & facto penè ad Insulas tertias naufragio; Olysippone tandem saluus excendit, & Madritum ad Philippum II. Hispaniæ Regem visendum se contulit, à quo exceptus est inusitatis tanto Principi humanitatis Officijs. Posteaquàm verò Romam venit, negotium interitu duorum, triumúe Pontificum impeditum primùm, mox etiam ita tractatum fuit, vt nullum deinceps operæ tantæ, atque laboris pretium exstiterit. Ruggerius verò fractus incommodis, præsertim, cùm ætas etiam deuexa quietis aliquid postularet, Salernum concessit, ibique vitæ reliquum cum documento virtutis exegit.

P. ILDEPHONSVS DE MIRANDA.

Hispanus Huancauelicæ in Peru. 11. Maij. 1609. æt. 60. Soc. 40.

VIrtutes illum non in humili gradu habuisse, pauperum amore, atque liberali erga illos studio præstantem, & Ægidio illi Franciscanæ familiæ alumno meritò conferendum, strenuum denique in vineæ Christi cultione per ipsos 40. annos operarium fuisse perhibent litteræ Peruanæ. Et tamen (quod miramur) aiunt, & pro maiore cautela audimus, de hoc tanto viro narrauit quidam huius vrbis primarius fideque dignissimus homo, se dum pro Patre Ildephonso defunctorum pensum orando persolueret, eius animam in expiatorio igne versantem sibi videri visam deinde tamen post viginti horas ad cœlestes Beatorum sedes conscendisse. Hoc inquam P. Rectori ipsemet nobilis ille magnam præ lætitia lactymarum vim effundens retulit; & si opus esset id iureiurando se confirmaturum affirmauit. Huius cadauer cùm anno 1610. aliò esset transferendum postquam per 16. menses fuisset sepultum viuaque calce instratum, integrum prorsus repertum esse scribunt Gumangenses, multasque partes ita molles, & faciles, vt viui hominis iudicarētur, quod sanè consonum aiunt esse & ipsius Ildephonsi moribus, & testimonio de salute illius, quod de illo dederat Guamangensis ille ciuis primarius.

Purgat.

P. MATTHÆVS RICCIVS.

Italus Perquini. 31. Maij. 1611. æt. 59. Soc. 38.

ROmâ in Orientem missus, Sinas Mathematicis oblectauit, & pellexit ad fidem multos his prolusionibus manuefactos. Cùm varijs rurbamentis affligeretur ibi, res Christiana, per quietem sibi audire visus est verba illa: *Ego tibi vtraque in Vrbe Regia propitius ero.* Et verò feliciter id experimento condidicit. Afflictis aliquando rebus Beatissimam Virginem rogauit, vt prouideret. Prouidit illa. Nam postridie tres viri graues testificatione ritè data illum à suspicione falsi, de quo accusabatur, criminis absoluêre, & ille è custodia liber dimissus est, ac diplomate quoque donatus. P. Iulio Mancinello sæpiùs spectabilis apparuisse fertur, & quidem radijs gloriosus. Vnde Iulius mortem illius longè antecognouit, quam ea per literas significaretur.

Fiducia Fidei.

B. V.

Cruciſ.

Mors.

DOMI-

DOMINICVS DE CVNHA COADIVT.

Lusitanus Vlyssippone 11 Maij. 1644. ætat. 46. Soc. 12.

PIetate ac pingendi arte fuit perinsignis etiam ante initam Societatem, potissimùm posteaquam Christi cruci affixi dolores aliquando meditans in viua quadam mentis imagine videre sibi videbatur

Crucifixus.

Christum cum Cruce, & diuinam illam faciem sanguine affluentem, plenus ipse solatij cælestis cùm sibi Christi vestes tangere videretur, ac ipsum Christum penes se transire. Superatis dæmonis domum concutientis, & se illi magnæ vmbræ instar in horto ostendentis, ac alijs, terriculamentis, 30. Martij anno 1632. Societati se addixit, id quod voto concepto iam ante promiserat. Ibi variâ lætorum tristibus permistorum vicissitudine, mœrore animi morbisque tentatus tandem sensit se cælestibus delicijs inundare, dulcissimâ quadam prædestinationis suæ veluti tesserâ tunc acceptâ, cùm Deiparæ sacellum præteriret

B.V.

reuerentiâ illi exhibitâ. Tunc tanta illum salutis quasi certæ fiducia, tanta è cælo idcircò voluptas impleuit, vt vix iam se teneret quin etiam in voces erumperet. Inde sub orationis tempora

Fiducia. Fides.

sæpè illi hæc vox audiri est visa: Age perge de solatio in solatium, teque coniunge sanguini Christi Dei. Tum illi solida quædam, & perpetua Dei vbique præsentis memoria cum illiquefacto velut in cor cælo adhæsit,

B.V.

scintillæ instar sensim glisscentis in incendium, vt ille Magistro suo explicabat, cum incredibili affluentia deliciarum amoris Dei variè in corpus etiam exundanti, maximè cùm Angelicæ mensæ accumberet; tunc enim vim lachrymarum tantam effundebat, vt se tanto diuini amoris ponderi iam

Mens.

imparem fateretur. Aliquando cælum se illi aperire visum; ac in eo lux quædã longiùs latiusque increscens. Neque inueniebat verba quibus indicaret quid aliquando vidisset cùm inter orandum desideraret, creata omnia cùm suo conditore coniungi, ipse quoque à Deo inuitatus, vt Deo vnà cùm illis coniunctus intraret in gaudium Domini sui. In horto tyrocinij ad crucifixum vi diuini amoris sibi vnà cum corpore in altum eleuatus videbatur, crucique velut affigi, ac immanibus dolorem persentiscere tanquam clauorum illas penetrantium. Id quod aiebat sibi semel ac iterùm euenisse. Cùm verò tantis cæli delicijs lassum corpus fatisceret, diceretque Deo Dominicus se iam ferendo non esse; visus est illud audire quasi à Deo, sibi dictum: qui Deum habet à se, ac pro se: nihil est quod vereatur. Quæ ille verba magno animi æstu per hortum inambulans repetebat, corpus deinceps firmum ad illud gratiæ gloriæque se illi infundentis pondus expertus. Recreationis tempus, annuentibus maioribus, coram SS. Sacramento expendebat, Christo illi è sacra illa ædiculâ, vt ipse videre sibi videbatur, viso prodire obuiam, ac eum amplexari, suumque cor eius cordi coniungere. Dæmonis illum mirè excruciantis sæuitiam Christus miris delicijs compensauit, quando illi se spectandum visus est obtulisse nunc columnæ alligatum, nunc verò crucis baiulum, sed aspectu amabili. Cùm valetudinario ministraret, ægrum quendam Deiparæ impensiùs commendabat; & ex vero prædixit ægrum valiturum: id enim se à Deipara impetrasse. In omnes se quàm profundissimè demittendi artes intentus, hoc agebat oratione apud Deum, apud homines industriâ, vestium paupertate, ac voluntatis ad omnem Superiorum nu-

Oratio.

Hortus. Crucif.

Cruc.

B.V.

Hum. 14.

Obed. Euch. tum submissione perpetuâ : maximè posteaquam aliquando diuinum Sacramentum à P. Prouincialis manibus percepturo visus est P. Prouincialis totâ facie Christi vultum referre; quæ Christi in Superiore relucens imago illi altè impressa inhæsit, vt Deo verè in hominibus obediret. Corpus afflictatabat quotidianis flagris, cilicijs; ieiunijs, nullo pro cibis sale, nullo alio condimento adhibito, tamque parcè edebat, vt sub mortem sit fassus, se fame ferè continuâ fuisse confectum. *Mortif.* Cùm se in occasione quadam pericitasset, seu mortificasset, visus sibi est audire vocem Dei dicentis : Accipe hanc consolationem pro illa mortificatione : simulque sensit se liquidissimâ cordis voluptate perfundi. Aiunt etiam eum non pauca prædixisse *Concio.* quæ postea ita euenerint. Cùm P. Marcellus Mastrillus Vlyssiponæ S. Xauerij imaginem sibi ab eo pingi vellet, ita illam pinxit Dominicus, vt Marcellus talem, omninò talem esse, dixerit sanctum suum Xauerium : & illa imago postea plura admiranda patrauit, de quibus in Marcello fusè scripsit Alegambe. Vitam Dominici descripsit latiùs P. Iosephus de Seixas, vbi plura sunt de eius admirabilibus atque arcanis.

XII. DIE MAII.

P. CONRADVS ONNEKINCK.

Germanus Moguntiæ. 12. Maij. 1607. æt. 35. Soc. 2.

ILlustrem huius famam, & iam inde à puero asperioris vitæ studium in illo commendat Collegium Moguntinum, adeò vt fræno eguerit. Viri primarij de illo inter se, ac nostris collocuti, aiebant, illum, quà palàm pro concione, quà priuatim auditum, eum demum esse, ad cuius verba possent liquescere illi qui hæresi, vel alijs vitijs obriguerint. *Concio.* Et verè plures per illum ad fidem, & frugem adduxit Deus. Ecquid adeò vndique sine intersperatione satageret rogantibus, respondebat. Et quorsum tandem ad Societatem veni? Aliàs verò Deus bone! quanti est, vel vnam animam lucrifacere, & eximere supplicijs inferorum! *Vocatio.* Reliquà de illo sic annuæ : De Beata Virgine, quam insigni pietate coluit, negare est solitus quemquam posse vel primæ vocationis, vel supremæ salutis iacturâ periclitari, qui in eius se *B. V.* clientelam, fidemque ex animo contulerit. Conciones suas, quasi diuinitùs quæ dicenda essent subijci animo suo optaret, in more habebat submissis genibus conscribere. In morbo eximiæ fiduciæ aduersus Christum crucifixum, fastidij harum rerum mortalium, pietatis erga cælestes patronos suos, quorum nomina quæ quotmensibus sortito obtigerant sibi moribundo recitari, atque implorari orauit.

P. PETRVS EDERUS.

Germanus Cremsirij. 3 Maij 1617. ætat 83. Soc. 52.

EXimia in hoc viro virtus vbique claris argumentis eluxit. Sed ea illi cum alijs fuêre communia : istud cum paucis commune habet, quòd magno constantiæ nullo fastidio fractæ, magno accuratæ in minimis diligentiæ, magno demissionis præclaræ documento ipsos vicenos continentes annos in Grammaticæ tradendis rudimentis vtilitati paruulorum diuinæque gloriæ transcripserit, in *Humilitas.* illo

illo puluere laboriosè versatus ad gloriam immortalem.

MATTHIAS LE COVSSI COADIVT.

Lotharingus Mussiponti 12. Maij 631. ætat. 84.

Vocatio.

HIc famulus cùm esset Collegij Treuirensis, iussus est comitari quendam, qui Prouinciali Franciæ commendabatur tamquam expertæ virtutis vir in coadiutorum numerum adlegendus. At in literis, per scribentis inconsiderantiam, nullum nomen erat, nam illum tantùm literæ commendabant qui illas afferret. Per iter candidatus ille Matthiæ ignaro quid in illis esset, epistolas tradidit ad Præpositum Prouinciæ deferendas. Ipse propositi parùm retinens aliò iter flexit. Ita cecidit sors super Matthiam. Etenim Prouincialis acceptas litteras de illo ipso loqui ratus, eum benignè accepit. Rogatus Matthias, num ad gloriam Dei cuperet in Societatis obsequijs permanere; annuit; & se non in famulorum, sed in Coadiutorũ numerum redactum lætatus, ac miratus, operam sedulam in lue, ac in varijs obsequijs assiduo studio, magno Coadiutorum exemplo probauit. Monebat Coadiutores, vt Scholasticos Patresque honore, ac reuerentiâ prosequerentur. Plura de illo annuæ. P. Ioueninus Garaudel spectatæ virtutis opinione laudatus vir, Matthiam vitâ functum clarâ luce circumfusum vidit, ac dicentem audiuit *Benè secum agi*. *Mors.*

XIII. DIE MAII.

P. RODERICVS HURTADUS.

Hispanus. Berlangæ 13 Maij 1578. ætat. 34. Soc. 14.

Morbus.

INter magnas viri huius virtutes patientię illius admirabilitas tunc eluxit quando nescio quæ colluuies ei in alterum gutturis latus incubuit; vnde magna sęuitiâ, cauterijsque, igne, ferro, integris carnis frustis, inde non sine dolore insigni, punctim, cæsimque auulsis in Rodericum Chirurgi manus deseuijt, quo in laniatu patibiles sibi eos dolores putauit altus Roderici, & animam in patientia possidens animus, perpessione ipsâ fortior; quasi salubrem illam, sed perpessu asperam excarnificantis carnes Chirurgi artem alieno videret non suo in corpore exerceri. Orandi studio id erat assecutus, vt posse omnia videretur, oculis illi exercitationi propè illiquefactis dulcissimâ lacrymarum vbertate. Troianus Episcopus eum visens, illum in alto aëre à terra sublimem, longeque ac latè porrectum, quasi in lectulo iaceret, inuenit, vt ipse id perhibuit. In diuino sacrificio diuina patiebatur, sui tunc minimè compos; vndè admoneri debuit, ne prolixiùs quàm par est sacrificaret. Dæmones multifariam illum vexauêre, vlulatu, strepitu vario, eius cubiculum implere auditi. Inter alia turbamenta veteratoris pessimi fuit & illud, quando conclaue suum ingressus aliquando Rodericus monialem istic reperit, formæ, ac verborum elegantiâ comptam, & delicatâ quadam blandiloquentiæ teneritate compositam ad illaqueandas illecebris aures & oculos Roderici. Sed ille, ad castissimorum nominum imitationem, fugæ, id est, victoriæ, capto consilio, ad maturrimam præsentis periculi propulsationem quantâ potuit properatione cursum in templum intendit; ac ibi coram omnis pugnæ, atque victoriæ suæ agonothe-

Patientia.

Oratio.

Damon.

Castit.

ta

ta Christo in Eucharistia absconditò sestitit.

IOANNES THENENSIS COADIUT.

Belga Louanij. 3 Maij 1610. ætat. 71. Soc. 45.

PEr ipsos triginta annos perdiligenter Excitatoris functus est officio, licèt profundiori somno esset obnoxius. Opportune (vt de illo annuæ) certum expergiscendi, tempus nulli alij acceptum, nisi Angelo Custodi, cui se ante somnum seriò solitus erat commendare (nec enim instrumento aliquo vtebatur excitante) referebat. At nihil æquè viri perfectionem quàm admirabilis eius patientia in morbo præsertim graui, & diuturno, exhibuit. Cùm enim per enormia vlcera omnis ei corpulentia viuo, videntique sensim difflueret, crebroque semimortuæ carnes resecarentur, signum tamen impatientiæ tantis in cruciatibus edidit nullum: immò tum etiam cùm acerbissimus eum in festaret dolor, precatorios globulos identidem percurrens. *Nunc*, inquit, *demum sentio quàm suaue sit pati!* Chirurgus ipse cùm nimius in expostulandis eius pro se precibus videretu, rcausam rogatus quamobrem id faceret: nam existimo, inquit, illum mirificæ prorsus esse virtutis, qui tantam in doloribus tantis præstet patientiam.

Patientia.

P. HIERONYMVS GALITIA.

Siculus Messanæ. 13. Maij 613. æt. 65. Soc. 51

HVius quà ætas, quà litterarij labores totum oculorum lumen extinxerant. Quocirca operam omnem, otiumque erudiendis in fide mancipijs Æthiopicis piè, impigreque transcripsit; charitate, ac fructu lætabili. Morientem Angeli concentu suauissimo recreauêre vt ferunt. Ita feliciter ad æternitatem inuitatus abijt ad lumen videntium Deum.

Mors. Angeli.

GREGORIVS DE ARROYO.

Hispanus. Hispali. 13. Maij 1649. ætat. 70. Soc. 54.

DE hoc ita scripsi in heroibus, & victimis charitatis: Annis quatuor, & quadraginta in corroganda pro Hispalensi Professorum domo stipe, virtutis opinione vsque ad sanctimoniæ famam illustri, vixit. Inter eam, quæ domi gliscebat corporum tabem voluntario sui sacrificio se obedientię obtulit admortem in supremo charitatis munere oppetendam. Eapropter Valetudinario domestico, ijs, quos iam pestis lecto afflixerat addictus, omnium quas ætate longâ sedulo collegerat, virtutum vires, ac neruum exercuit: vsque dum & ipse vires eodem afflatu corruptas vbi persensit, XIII. Maij diem sibi, vt supremus esset optauit, vt cum Christo in cælum ascendente fidus & ipse comes eadem horâ, quâ ille abijsse fertur ascenderet, id quod præsensione quadam animi tam suauiter sperabat, vt vaticinatione affirmarit eam sibi horam inter mortales fore supremam, quæ Christi cælos petenti fuerat triumphalis. Prænunciationem è notitia fluxisse, obita eadem die, ac horâ mors affirmauit.

Charitas.

Mors.

XIV. DIE

XIV. DIE MAII.

P. GONSALVVS VAZ DE MELLO.

Lusitanus Vlyssiponæ. 14. Maij. 1563.

INgenio, nobilitate, opibus floruit foris, in Societate verò concionali suâ efficacitate, ac admirabilitate tantus fuit vt clausi adhuc templi fores obsiderentur, & religiosæ familiæ. plerosque suorum qui aduentabant, illi dicerent se debere: ad Societatem verò aliquando 30. dierum interiectu duo, ac triginta accesserunt illius dictione permoti. Illius ad sacras expeditiones percursatio, paupertatem pro vehiculo, viatico, & diuersorio habuit; fructum verò vbique propè supra fidem vberrimum, cum honore, quo vbique accipiebatur, adeò, vt ex Vrbe Pharo totus illi clerus, & Magistratus obuiam prodierit. Per iter Deiparæ preces aliquando fundenti Gonsaluo adfuisse in sublimi comitem itineris Dei Matrem ad ea, quæ ille orans agebat attentam, & æquis cum illo passibus procedentem, socius eius vidit, & persanctè id affirmauit, vt fusiùs retuli in Annalibus MARIANIS.

Concio.

Paupertas.

B. V. Iter.

P. IOANNES ALBOTODUS.

Maurus Hispali. 14 Maij 1578.

QVi hunc semel delibauit, nunquam deseruit, tantum illi religiosi magnetis inesse sunt experti omnes. Aiunt illum Mauricæ suæ nationis fuisse Apostolum; & quia rē Christianam apud suos egit, factum fuisse ferè Martyrum, cùm illi & necem non semel moliti sunt. Quendam è Mauris suis in taberna obscœna garrientem verbis castigarat, sed ille minacitet Ioannem iussit facessere: futurum aliàs, vt naribus truncaretur. Abijt, vt iræ locum daret Ioannes, at impudens ille Maurus pœnas Deo dedit. Etenim postridie discordiosis clamoribus cùm quopiam rixatus naribus ab illo truncatus est. Ad humilitatis alimentum, naralium suorum, & gentis Mauricæ contemptam sortem sibi identidem obiectabat.

Fides.

Castitas.

P. STANISLAVS HERBERTUS, ET P. IOANNES HARTI.

Polonus, & Alter Anglus Iaroslauiæ. 14. Maij. 1595.

ALter etiam cùm esset morbo factus mutus, tamen à labore necdum cessans laudari meretur: alter Anglicanorum tormentorum in odium fidei illatorum perpessu, & eâ, quâ post septimum à morte annum repertus est corporis integritate cōmemorabilis est. De de illis id quod scribit Iaroslauiense Collegium: decessit P. STANISLAVS HERBERTVS, vir excellenti virtute, & huius Collegij Rector aliquandiu; qui linguæ vsu ex morbo aliquot annis penè destitutus, rei domesticæ tamen, quod vnum potuit, procurationem administrauit, negotium neque parui momenti neque homini debilitato expeditum. Itaque non ante destitit labore sibi difficillimo, huic Collegio prodesse, quàm vitâ, spirituque destitutus obijt pridie idus Maias; elatus est magno totius ciuitatis tum nobilium,

Mutus.

tum popularium mœrore: qui tantam virtutem, & studium de omnibus benè merendi altè animo impressũ retinebant. Eodemque ipso die, quo ille humatus est P. IOANNIS HARTI, qui in Anglia fidei Catholicæ odio equuleo tortus erat, corpus septem annorum interuallo non sine admiratione adhuc integrum ex alieno in nostrum sepulchrum est translatum.

P. IOANNES ARNOVX ARNULPHVS.

Gallus Tolosæ. 14 Maij 1636. æt. 6. Sol. 42

LVdouici XIII. Galliæ Regis Ecclesiastes, & Confessarius fuit magnâ religiosæ modestiæ zelique felicis laude. Cardinalis Vbaldinus P. Ioanni Aloysio Albritio, è quo hæc habeo, Bononiæ, disertè affirmauit; se cùm in Gallia Nuncij officio fungeretur, neminem vnum inter priuatos nouisse, cui plus istic deberet Ecclesia, quàm Arnulpho Parisijs, Gratianopoli, Tolosæ. Pro Societate multa præclarè ab illo perfecta, siue cum domicilijs, siue cum Prouinciæ toti præesset. S. P. Nostri, & instituti accuratè fuit reuerens, & obseruans. *Fides.*

XV. DIE MAII.

P. FRANCISCVS LVPIVS.

Lusitanus in Æthiopia 14. Maij. 1597.

HIc per ipsos 29. annos P. Andreæ Ouiedi Patriarchæ Socius, & laborum comes fuit. Iurati testes dixêre: Lupij virtutem primis quibusque heroibus æquari posse. *Mortific.* corpus ad lacerâ pellem tantùm, & ossa redegerat inediâ, perpetuisque verberibus. *Labores.* Sæpè illi in ore illud: Vitam hanc & nobis à Deo datam, vt laborando assequamur æternam; neque aliter se habere hominem, qui non laboret, quàm auem, quæ non volet. Vnus Ouiedo alijsque superstes cùm mansisset, omnia, quæ domi erant dedit pauperibus; *Eleemos.* etiam pallium, exemplo Martini in frusta discissum & quia istic indecorum non est sine tunicâ interno tantùm amictu vti, tunicam quoque diuisit in plures. *Paupertas.* Lectus illi nudum solum erat; cùm saccum quoque illi vsui sibi datum ægro humi cubanti donauit; inde illi extrema plagnè, & glorioſa paupertas. Persæpè inter sacrificandum, & inter orandum cœlesti splendore perfundi visus est instar Solis: quo aiebant ij, qui viderant oculos sibi fuisse perstrictos. Pater quispiam filium monebat, vt illum magnificaceret; Illum, ego inquiebat, aliquoties vidi cùm operaretur Sacris seu ad circumstantem populum verteret, oculis, & ore flammas iaculari, & toto capite luce mirabili splendescere. A morbo graui conualuerat, Deo illum Catholicorum precibus adhuc dante: id quod ille in templo peracto sacrificio affirmatè dixit; & adiecit; se biennij adhuc interiectu à morte distare; quod ille biennium ingenti contentione inter labores pro fide susceptos impleuit eo modo, qui decuit conscium suæ mortis; & octauo ante euolutum biennium die, accitis Catholicis, non nisi septem, adhuc dies è concesso sibi duorum annorum spacio esse reliquos affirmauit. Adfore post annum vnum, qui illis diuina procuret. Benè prædictum, vtrumque. *Oratio.* *Sacrum.* *Mors.*

que. Etenim die septimo elapso decessit, & post anni vnius interuallum Melchior Syluius ad Abassinos appulsus præstitit, ea quæ Lupius vaticinatione illâ suâ promiserat.

P. GREGORIVS ROSEFFIVS.

Germanus Augustæ 15. Maij 1613. ætat 85.

Viennæ Austriæ tyrocinium posuit sub P. Ioanne Victoriæ anno 1559. Romæ deinde Germanorum conturbernio præfuit ad D. Marcelli. Tum Viennam redux, Canisio in concionali munere illi suppar successit, ad res difficiles enucleatè pro Catholicis contra hæreticos explicandas mirè fœlix, & facilis. Othonis Cardinalis iussu Tridentinum Concilium promulgauit. Prouinciam Superioris Germaniæ diu rexit, & plerisque domicilijs nascentibus interfuit industriâ singulari. Romam quinquies à Prouincia sua missus. In extremi morbi doloribus, pro magnæ suæ patientiæ alimento habuit orandi studium: & illa verba potissimum: *Da, Domine, patientiam, & auge dolorem.*

Fides.

Patientia.

P. PETRVS PLEMPIVS.

Belga Alcmariæ 31. Mai. 1640.

Alcmarienſibus in Hollandia per ipsos 25. annos fideli labore, industriaque adfuit. Ad Societatem exemplo Timothei germani sui permotus fuerat: verùm è tyrocinio ad suos remissus est, quòd valetudinem Societatis muneribus minimè parem haberet, languore, nescio quo fatiscens. Acerbum id Petro accidit: at breui, & illi valetudo prospera redijt, & ille ad Societatem reuersus est, tãto deinceps flagrantior. Aiunt literæ numerum iniri haud posse illorum, qui per eum, vel in fide Orthodoxa retenti, vel ad eam reducti sunt. Id, quod labore tam assiduo fecit, vt semper omnibus fuerit admirationi. Perpetua illi constitit semper Virginitas. De Dæmone item triumphi continui, cùm inuidus ille, ac ob animas tot reductas rabidus genius, Petrum persæpè terriculamentis varijs, quà per se, quà sagarum operâ infestaret.

Vocatio.

Dimissus.

Castit.

P. GABRIEL DE BAEZA.

Hispanus in Peruana. Coll. Pacis. 1. Maij. 1614. Soc. 52.

Per ipsos 42. annos in Indicis laboribus versatus est, magnò commodo animarum, arduis itineribus, & ieiunijs ferè ad inediam vsque seueris clarus. Noctu sesquihorâ, diluculo ante alios horâ integrâ atque dimidiâ, cum alijs verò aliâ iterum horâ orabat: idque adeò incenso studio, vt inflammato eius pectori recreando debuerint (vt olim B. Stanislao) panni frigidâ madidi admoueri. Vbique in diuinis oculis; velut in cæli luce, agebat omnia. Diuinum officium non nisi de genibus recitabat, etiam fessus. Ad verba quibus fortè lacessebatur, surdus; ad respectus humanos cæcus, in seipsum inclemens, perpetuo cilicio & cruce aculeis aspera se armabat, vt Virginitati suæ caueret, etiam in carne tantis laboribus, quotidianis flagris, morbisque attritâ. Nunquam odores vllos admisit, spectaculis nunquam interfuit, nullius vnquam legis violatæ reus est visus. Religioso cuidam quiddam interrogaturo priùs quàm ille interrogaret, respondit. Fuêre qui se ob ea quæ clam benè egerant ab illo laudatos, & vt pergerent firmatos sunt fassi; alij se ab eo reprehen-

Oratio.

Mortific.

sos ob quædam malè patrata dixêre, mirati quomodo id ipse sciret quod inconscijs omnibus actum esset. Exequiæ illius ab omnibus ordinibus celebratæ. Indi ploratum in dies plures extendêre: pauperes verò, celebrato velut senaculo, constituêre vt illi nouendiale sacrum, corrogato ære, mendicorum omnium nomine curaretur.

XVI. DIE MAII.

P. IOANNES DIONYSIUS.

Italus Forliuij. 16. Maij 1617.

AIebat, vel ex eo se sanctitatis eximiè obligatione teneri, quòd Senensis esset, id est ex patria sanctorum; lingua illiverborum parca, oculi semper modesti, submissi, cor præsentis Dei cogitatione collectum.

Oratio.

Erga Dei Matrem, & S.P. Ignatium eius amor apparuit cùm de illis mirâ cum teneritate loqueretur, ac ita illos describeret, vt plurium opinio fuerit, illum vtriusque conspectu è cœlo fuisse recreatum. Pietatis officijs, tam fuit addictus, vt ferè in templo habitaret, canonicum officium bis exequeretur; antequam diuinum sacrificium celebraret, alijs interesset, atque illo perfunctus tot alia sacra audiret quotquot in templo habebantur. Nobili cuidam Romam iter adornare se dicenti respondit. Non iturum Romam, sed Forliuij vxorem ducturum, & liberos ex ea susceperturum. Ita euenisse ipse nobilis dixit, & euentus ostendit, cuidam infelicem mortem, alijs alia ex vero prædixit. Quidam retulit illum cogitationis cuiusdam suæ conscium fuisse. Barthosellus Forliuiensis tunc Antistes eius consilia magni, virtutem verò maximi faciebat. A moriente benedictionem petiuit, sed Ioannes non prius annuit, quàm eodem tempore ab eodem cui benedicebat Episcopo viciſſim benediceretur. Perlato de Ioannis morte nuncio; idem Barthosellus Episcopus humi prostratus, fronte in terram demissâ diuinam misericordiam per Ioannis merita implorauit; idem factum à nobilissimis quibusdam alijs. Nec defuêre è nobilitate viri præstantes; qui quotannis ad eius sepulchrum die anniuersario supplices, rosis illud alijsque floribus asperserint: non desunt, qui diuinam beneficentiam se mirificè expertos dicant. Nostri Patres plures illi se quotidie commendabant, priuatæ pietatis affectu.

Prædictio.

ÆGIDIVS CLARAMONTIVS SCHOL.

Italus Placentiæ. 16. Maij 1611. Soc 3.

CVm adhuc esset paruulus, arcano quodam impetu se impelli sentiebat ad patiendum amore Dei: & cùm occasionem quæreret patiendi, noctu se de lectulo proripiebat, & super vitium fasciculos decumbebat. Illud in illo obstupuêre domestici, illum quando vnà cum alijs more consueto domi litanias omnium sanctorum recitabat, licèt Societatem nunquam vidisset, nec de illa, vel de S. Ignatio quicquam auditione percepisset nec sui facti rationem reddere sciret, nunquam omisisse quin adderet: *S. Ignati, ora pro nobis.* Tyrocinium anno 1618. ingressus totus in eo erat, vt quàm profundissimè se demitteret, ac in omnem patien-

Mortific.

S.P. Ignat.

patiendi occasionem aspiraret. Sancti Andreæ Apostoli imaginem purgans, familiari teneritate dicere illi auditus est: Præclara enim verò charitas hæc tua est; mi Andrea, quòd Crucem totam tibi vni serues; ego autem illam tibi furto surripiam; & duarum ferè horarum interiectu febris illum, veluti crux illi submissa, corripuit. Aliàs Catenæ frustum fortè repertum collo circumdans, & Martyrij desiderio ardens, flagranter in hæc erupit: O si possem hoc pro amore Dei! Post meridiem coram Nouitijs à Magistro Nouitiorũ repentè interrogatus quoties (vt loqui mos est) eo die suam voluntatem mortificasset; rubore coopertus, & respondere iussus, negauit id se dicere posse, nisi granis Rosarij, vbi id annotauerat, numeratis. Numerare, ac edicere cùm iuberetur, id à se duodevigesies factum dixit. Æger interrogatus, quid in silentio illo suo agerer, Nunc, aiebat, corde inuisebam templi nostri altaria. Cùm sub vitæ finem totis horis illi sanguis per nares effluueret; sinite, aiebat ijs qui magna cum doloris significatione illi aderãt, sinite sanguinem meum exire: Deus illum sic vult habere; sit benedictus Deus! Inde illi mors, quam obijt cum sensu suauissimæ pietatis.

Amor Dei.

Mortif. interna.

Morbus. Oratio.

P. SIMON BERENDT.

VAriâ litteraturâ, musicæ peritiâ, & sacris, quà per aulas, quà foris missionibus exercendis fuit præstans. Quidam è veterno peccatorum excitatus aiebat, se à Deo ad illum mitti vt ei, quæ aperire metuebat flagitia ritè panderet. Visum sibi per quietem religiosum virum, qui templum ingrederetur: vocemque sibi auditam; hunc esse à quo expediri posset è noxis, quibus premeretur: ita conscientiam illi ab eo, tranquillandam. Benè manè templum adijt is qui hæc viderat: & P. Simonem ingredientem aspexit, atque illum omninò sibi noctu ostensum agnouit; rem omnem, & postea peccata omnia, narrauit; tranquillatusque est altâ pace conscientiæ perpurgatæ. Paupertas illi cara, & pretiosa; vnde per annos plures veste vnicâ vtebatur. Curru euersu miserè allisus, confractis sex ossibus fortissimæ patientiæ documentum fuit. Pro felici morte officium Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis quotidie recitabat. Et verò mortuus est, cum sensu tenerrimæ pietatis, magno desiderio hinc ad æterna migrandi.

Prutenus Brunsbergę. 16. Maij. 1650. ætat. 94. Soc. 49.

Confess.

Confessio.

Paupert.

B.V.

XVII. DIE MAII.

P. MARCVS VANDEN TYMPEL.

Belga Louanij. 17. Maij. 35. ætat. 60.

HVnc, vnius de Societate mors, ad Societatem adduxit. Cùm enim tum adhuc admodùm adolescens ad quemdam in supremo agone positum fuisset admissus, decreuit se cum ijs viuere velle, qui sic morerentur: & castitatis sacramento se illigans, per 6. ipsos annos cum nobilibus parentibus luctatus est, donec eos tandem peruicit, anno 1597 ingressus, excelsa quædam, & illustris amæni animi demissio in illo, ac ingeniosa erga Dei Matrem variè colendam religio emicabat. Missioni Hollandicæ præfuit annis XII. Castrensi verò vno. *Laudetur Sanctissimum Sacramentum* tessera illi erat, quo ad Christum sæpè adspiraret, quam alijs inculcaret, quaque pronunciatâ excitari manè ab excitatore volebat, vt experrectum prima illa cogitatio occuparet.

Mors.

Vocatio.

BV.

SS. Sacramentum

Manè.

P. ALBERTVS WIGLOCKI.

Polonus Iarosslauiæ 17. Maij. 1647. ætat. 60. Soc. 33. *B.V.*

CONspicuum religiosi Ecclesiastæ ingenium in illo semper, ac præcipuus diuinæ Matris opportunè laudandæ ardor eluxit; quippe, qui nullam concionem omiserit, quam non aliquâ Beatissimæ Virginis Matris laude condiret, permagnâ semper fiduciâ illi addictus. Præmissiæ vehementi flammarum moli ad nos vento vectæ statuam Dei Matris ex ambulacro acceptam opposuit, & ad Socios anxiè, satagentes; Mittamus, inquit timorem; hæc Margarita nos teget, tutosque seruabit. Obstupuêre socij statim ab illis verbis ignem remisisse, flammasque ab incendio ad nos vibratas confestim auersas. Per omnem vitam è collo gestabat effigiem geminam, alteram Christi patientis, alterâ verò Matris Virginis condolentis.

V B. Statua.

Concio. Christus patiens.

B.V Imago.

IACOBVS GOFFETTI COADIUT.

Italus Romæ 1. Maij 1658. ætat. 80. Soc. 58.

HVius viri plena effigies sunt regulæ Coadiutorum, & ille harum vicissim omnium ac singularum vera imago fuit. Hoc ipsum quod alijs impedimento esse videri posset, illi, & stimulo, & adiumento perinsigni erat ad virtutem vulgarem modum supergressam quòd literas ignorarit. Quocirca concessis ad loquendum temporibus erat auidus ad diuina totis auribus haurienda, reliquis verò ad labores toto die nunquam intermissâ continuatione perpetuos, & magno silentio, ac orandi contentione pretiosos. Noctem natiuitatis in templo agebat peruigil in oratione Dei; dies autem illos, ac noctes pro delicijs habebat quibus 40 horarum apparatio in templo domus professæ illius operam requirebat. Ibi longæ horæ illi ductæ in studio adorandi præsentem in Sacramento Christum; id quod pietate tantâ, & tam perseueranter faciebat, vt legatorum quispiam id in illo obseruarit, & ab illo pro se orari absens etiâ postea flagitarit. Fassus aliquando est magnâ

Labores.

Oratio.

magnâ grati animi significatione Iacobus, iam se istic supinum ex alto fuisse casurum, nisi manu quapiam, & vi, quam manifestè sentiebat, fuisset à tergo protrusus, eóque impetu se retrolabentem propulsum sensit, atque à tam vicinâ iam prolapsione seruatum. In templo coram Sanctissimo Sacramento orans contemplatione absorptus, ac veluti dormienti similis videbatur. At vigilabat. perstabatque non sine admiratione multorum flexis perdiu genibus, & corpore ita prono, vt egregium summâ cum demissione supplicantis specimen præbuerit aspicientibus, vultu terram non quidem tangente, sed magnoperè inclinato. Quo tempore quid tamdiu ageret interrogatus, respondit, se à Deo misericordiam implorare pro se maximo peccatore. Semper aliquid, in quo muratij officium exerceret, reperiebat in tectis, in vijs, aquæ ductibus, alijsque restaurandis, operosè solicitus in oratione, silentio, & labore; aiebatque gratias Deo se debere, quòd tam bonum ad labores suos locum esset nactus, vt ferè operę gaudere solent, si à quopiam conducantur. Mortuos ab annis compluribus ille componebat, ille sub mortuali fornice collocabat; eóque tantâ pietatis significatione descendebat, & cadauera tractabat, vt non sine sensu animi molliore, & aliquando non sine lachrymis spectaretur. Paupertas in illo tanta, vt nihil, etiam piorum, munusculorum admittere voluerit; vestes lacerrimas non tantùm non erubuerit, verùm etiam tenerè amarit; humilitas tanta, vt se rudem fassus, ab omnibus doceri optarit; obedientia tanta, quantâ maiorem Superiores nesciunt in alio quopiam se vidisse, aut desiderare posse; afflictandi se tanta & cupido, & perseuerantia vt nullum diem abire siuerit, quo in se staturâ horâ flagris non sæuierit. Totam hebdomadam partitè ita distribuerat, vt in triclinio quotidie aliquid piæ, aut corpori molestæ exercitationis obiret; nunc à vino, nunc à quopiam edulio abstinebat; aliàs consueta, quæ istic fiunt, id genus exercitia obibat; nullo die; sine sacra hac velut lineâ, prætermisso. Nemo in eo quidquam reprehensione dignum se vidisse dixit. Murius autem Vitellescus Præpositus Generalis illum domus professæ custodem Angelum appellauit. Habebant nescio quid gratiæ in oratione iunctæ callosæ illæ manus, & tota hominis compositio digna erat viri admirabilis cognomento, quod illi omnium ore dabatur. Summa in vestibus, cubiculoque paupertas, in oculis modestia, in ore silentium, in silentio oratio, in manibus, ac pedibus labor, in toto homine obedientia, in omni deniq; illius viuendi serie viuũ, & super omnes eminens, Coadiutorum exemplum ita relucebat, vt citra vllius iniuriam illud eius vita post se relinquat elogium. *Abundantius illis omnibus laborauit.*

Euchar.

Mortif.

Mortif.

Paupertas.

1. Cor. 15. 10

XVIII. DIE MAII.

P. IOANNES PAVLVS NAVAROLA.

Ita'us Romæ. 18. Maj 1597.

HIc eam, in qua natus erat nobilitatis ingenitæ indolem ad studium virtutis ita traduxit, vt modestissimus, atque humanissimus fuerit erga omnes. Hoc in laude singulari, ponitur in eius elogio, quòd animo suo semper inuigilans, licèt omnia, quæ ab eo rectionis munus postulabat accuratè perficeret, nullâ tamen occupatione se à Dei præsentis memoriâ vnquam auelli pateretur, vsuque illam vsque adeo combiberet, vt factis ipsis illud Eliæ dicere videretur, *Viuit Dominus, in cuius conspectu ego sto hodie*, Hinc altera illi laus, & quidem ab omnibus, qui cum eo versati sunt, quòd ex hac tam attenta in se ac in præsentem vbique Deum oculos defigendi assiduitate, tantam æquitatem animi possederit, vt nemo in eo vnquam commoti animi signum animaduerteret.

Superior.

Oratio.

P. FRANCISCVS TRENTO.

Hispanus Mexici. 18. Maij. 1609. ætat. 36. Soc. 19.

HIc purum pectus religione insigni semper atque attento studio custodiuit ad examinis legumque omnium apicem peruigili oculo stans in specula super seipsum. Vnde siue domi, siue foris ageret, Deo, ac sui semper inter negotia omnia persanctè memor ita innocentiæ suæ stolam candidam conseruauit, & præter pretiosum virgineæ integritatis thesaurum, nullâ etiam alia labe mortali vnquam conscientiam inquinauit. Hic nimium ignis erat, quem ille suâ illâ humilitate atque modestiâ veluti sub cinere tuebatur.

Regula.

IOANNES MARTINVS COADIVT.

Hispanus Cæsar-augustæ 18. Maij. 617.

HOc die hunc charitati ægris impensę immortuum reperio, cuius virtutes luculenter exequitur Collegium Cæsar-augustanum dum illum *o nium virtutum imaginem* vocat. Iuuat particulatim adnumerare ipsius epistolæ verba: Apprimè videtur, inquit, expressisse rerum ac virtutũ omnium imaginem, quas nostræ sanctiones exigunt ab huiusmodi hominibus. Instrumentum erat commune moderatorum ad omnia temporalia munera diligenter exercenda, vt commisso illi negotio, curâ omni essent vacui. Studiosissimus paupertatis, rei neglectæ custos vigilantissimus, laboris patientissimus obedientiæ singularis, pari erga omnes animo, disciplinæ solicitus, accusator sui, nullius increpationis auersor, circumspectus, modestus admodum. Attulit ei mortem charitatis officium, quo die noctuque incumbebat ægrorum nostrorum curationi: desideratus homo, temporarijs rebus vtilissimus, & tyronibus, & veteranis documentum, & calcar pietatis nostris constitutionibus expressum.

Obit.

XIX. DIE

XIX. DIE MAII.

DIDACVS MENDOZA COADIUT.

Hispanus. Madriti. 19. Maij. 1578.

HVnc suum per itinera comitem ægregiâ cæcæ obedientiæ cultione exercuit. P. Antonius Araozius humilitatis, orandique perstudiosum. Moriens diuinæ Matris aspectu recreatus fertur; feliciter, aiebat, prosperè adueneris, ô mea Domina, Domini mei, ac misericordiæ Mater. Vnde mihi hoc? vnde tanta benignitas, atque indulgentia! quomodo ista ego commerui?

B.V. Mort.

P. FRANCISCVS BORDESIUS.

Gallus Petrocoricis. 19. Maij. 1596

HVius Germanus (vt in pretiosis occupationibus morientium scripsi) tres quos habebat liberos Societati se dedicantes lætus vidit; demum eidem & ipse addictus, nuncupatis sub mortem votis, & suis omnibus (ciuis erat Petrocoricensis) Societati transcriptis. Ad huius in æde nostra magna Vrbis celebritate tumulati, sepulchrum post dies aliquot accessit P. Franciscus, & supplex à Deo, vt felici morte breui fratri iungeretur in cælo, petijt; ac secuto die sacrificanti missa è cælo vox audiri visa dixit: *Exaudita est oratio tua.* Accinxit se ille, quibus poterat artis sanctissimè moriendi industrijs: & breui; post dies aliquot morbo fratrem ad immortales secutus est; voto suo sancte potitus, & fraternæ mortis meditatione ad benè moriendum abundè instructus; priusque testatus nullum se diem vixisse, quem non aliquâ cogitatæ mortis commentatione ornasset.

Mort.

Oratio.

P. THOMAS SANCHEZ.

Hispanus Granatæ. 19. Maij. 1610. ætat. 60. Soc. 44.

COrdubæ ad aram Deiparæ quæ *sancti fontis* nomine admirabilis, & benefica est lachrymatus, dixit se nõ priùs ab ea discessurum, quàm baldam suam linguam, ob quam à Societatis ingressu arceretur, Deipara expediret. Surrexit linguâ expeditâ; ac demum Societate impetratâ cùm non nisi tenue vitij iam correcti vestigium illi ad beneficij memoriam Deipara reliquisset, aiunt literæ illum quoties Cordubã deinde proficiscebatur priùs Virginem, quàm Collegium salutasse, ac proximum quemque diem in Mariano *sancti fontis* Sacello totum meditando transegisse. Charitas in illo tanta, vt rumpi maluerit, quàm vllam cuiusquam noxam, vel leuissimam seriò, vel ioco vlli dixerit. Statuit, carnem suam non minore odio persequi, quàm Dæmonem. Inde illi sensus arcto sub fræno, & ab ijs cibis abstinebat, qui palato iucundi acciderent. Meditandi horæ matutinę postmeridianam alteram adiungebat. Cùm tyronum Magister esset, ob vnum, quem à Societate dimittere cogebatur, animo tam fuit anxio, vt clamores ederet ac deliquium patereturet. In triclinio innocens reprehensus, ad Eucharistiam adibat, gratias agebat. Ministri operâ id illi semel factum acerbius: at ille voto firmauit, se suam innocentiam silentio dissimulaturum; quę tamen postea in lucem venit; & ille Ministrum, etiam à Societate postea dimissum, de-

B.V.

Lingua: Vocatio.

Charitas.

Mortif.

Vocatio. Euch. Patientia.

Mortif.

inde charitate est prosecutus. In mensa oculos modestiâ vsque adeo infrænauit, vt nec assidentium vllum nec ministrum viderit. Semel tantùm in die, & quidem vesperi, ac parcè comedebat; pane, figidâque ante Christi & Beatissimæ Virginis festa contentus. *B. V.* Voto se obligarat nouas vestes nunquam induendi. Tessera illi erat perpetua: IESVS, MARIA, *sanctissimum Sacramentum*, quorum honori Fer. 5. 6. & Sabbatho se inediâ, cilicio, flagello atterebat; certo quoque virtutum exercendarum penso adiecto, de quibus erit scribendi locus in vita ad annum 1610. *Paupertas.* *Pietas.* *Mortif.*

P. ARNOLDVS DE BERG.

Belga Embricæ. 19. Maij 1657. ætat. 46. Soc. 27.

NAta, & facta illi abusque teneris annis indoles ad virtutem, se Coloniæ dum literis erudiretur mirâ modestissimę verecundiæ laude, ac in reliquam iuuentutem exemplo explicuit. Cùm Embricæ humaniores disciplinas traderet, Societati iam olim adscriptus, à Batauis vnà cum tribus sociis captus, ac trimestri spatio tentus, ærumnosæ custodiæ incommoda magno animo tulit. *Charitas.* Vbi quidem illud commemorabile charitatis ingenium est, quòd cùm carcerarius vesperi singulorum quos vinctos attinebat pedem alterutrum ferro illigaret, Arnoldus vt socium qui ei proximus adhærebat ab ea molestia, rigente hyeme, citra tamen fugæ periculum, expediret, inobseruabili dexteritate pedem alterum in tenebris vinciendum porrexerit; quem ille alterius esse ratus, ferro innectebat, eumque cuius pedem à se ferro vinctum opinabatur liberum, Arnoldum autem vtroque pede vinctum relinquebat. Quæ ars Arnoldo non semel cessit feliciter; & socio charitatem Arnoldi admirato, & ipso Arnoldo de felici rei successu in sinum læto. Inde liber postea, & Sacerdos, ac inter quatuor vota professos relatus, neglectis ijs ad quas explicandas peridoneus & erat, & habebatur, altioribus disciplinis, humaniora (& ferè Græca) perdocuit, silentij, orationisque impensè amans, Diuinæ cõmentationi horam vnam dabat manè quotidie cum Socijs; post meridiem aliam ipse adijciebat. Ante, ac post recreationem, aliàs item præstitutis horis, nunquam omittebat Christum adire, ac in diuino Eucharistiæ ferculo salutare. In Scholis peringeniosâ pietate humana diuinis condiebat, citra putidam vel affectatam diligentiam occasione quasi vltrò subnatâ. Innocens illi erat semper lingua, neque de vllius nomine malè merita; etiam auribus ab id genus verbis abhorrentibus quæ qualicumque maculâ nomen cuiuscunque aspergerent. Quotmensibus, imò quothebdomadis, certum sibi diem præfixerat, quem totum daret spiritui contentè instaurando. Quo tempore *cultus iustitiæ silentium* illi erat: & sedebat *in pulchritudine pacis, & in requie opulenta*; semper ditior spiritu inde factus, *Oratio.* *Silentium.* Ierem. 32. n. 17. 18.

XX. DIE

XX. DIE MAII.

IOANNES SEVILLA COADIUT.

Hispanus. Granatæ. 10 Maij 1607. Soc. 32.

HVius in Societate petenda constantiam, in impetratâ humilitatem, silentium, modestiam hisce verbis perscribunt Socij Granatenses: Vt in Societatem adscriberetur adeò constanter, & serió laborauit, vt tres hiemali tempore noctes ad limina nostræ ianuæ immobilis perstiterit, firmo animi decreto illinc non recedendi, donec esset in Societatem cooptatus. Compositque voti factus, cùm supra consilium, ac prudentiam, quâ præstabat, latini sermonis non esset imperitus, & sacros Canones per duos annos delibasset, minoribusque esset initiatus ordinibus, inducinunquam potuit, vt inchoata studio non desereret: quin potius ita Marthæ sorte contentus semper fuit, vt in eo annis duobus, & quinquaginta, quos in Societate vixit, ne minimum quidem vestigium literarum apparuerit: quippe quas ille mirâ cautione, & submissione occultare semper studuit; taciturnitatemque in rebus omnibus perpetuò coluit, cum ea totius corporis modestiâ sociatam.

Vocatio.

Oratio.

Humilitas.

Silentium.

Ierem. 31. n. 17. 18.

P. PETRVS PAES.

Hispanus Gorgoræ in Æthiopia. 26. Maij. 1622

PEr ingentia maris, hominumque pericula in Æthiopiam penetrauit, ærumnas, inediam, contumelias, carceres perpessus; in arctâ custodia catenis breuibus vinctus, & ad remos in triremi damnatus. Æthiopicæ missionis verè pater fuit per ipsos annos XIX. ad excipiendam Sultani Seguedi Imperatoris Æthiopiæ Ecclesiæ tunc se addicentis confessionem euocatus per 10. dies pedes, & ieiunans iter intendit in caloribus. Atque illud negotium peractum, feliciter postremum ei fuit in vita. Nam reuersum, morbus, ac mors excepit. Imperator, ipso audito eius mortis die pullam vestem induit; nullum cibum, nullum doloris leuamentum admisit; ad eius sepulchrum postea expansis brachijs vbertim flevit; Patrem, Doctorem, amicum suum illum appellans. In litteris ad Prouincialem de illo datis Venerandus, inquit, P. Petrus Paez perfectissimum prototypon pœnitentiæ, & virtutis, pater animæ nostræ, sol resplendentissimus, & qui cinctus clarissimis radijs veræ lucis illuminauit Æthiopiam, & disiecit tenebras Eutychetis. Postquam sol hic lucidissimus eclipsatus est, & ab oculis nostris euanuit, pro lætitia successit in nobis mœror, pro gaudio planctus; neque is qualiscumque sed qualis Alexandriæ excepit obitum Sancti Marci, & Romæ iacturam SS. Petri, & Pauli Apostolorum Christi. Sed quid hic verba facimus de præstantissimis virtutibus huius Apostoli, qui intus, & foris in dictis, factisque nihil, nisi humilitatem spirabat? si charta hæc amplitudine cælum exæquaret, & atramentum mare, omninò impar nobis videretur capiendæ vel minimæ partis bonitatis, & fructus tanti Patris. Os fuit nostræ benedictionis, noster Magister, noster Apostolus, quantus quantus est laude dignus.

Iter.

Fides propagata.

Biblioth. Script.

Humilitas.

IOANNES CREVEL COADIUT.

Gallus Rhemis. 20. Maij 1628.

Labores. Vesperi. Euch.

PErpetuum orandi studium illi cotis instar fuit ad labores, vt non minus ipse vnus, quàm tres Coadiutores alij, laboraret. Vesperi antequam cubitum concederet, coram Sanctissimo Sacramento prolixè cor effundebat. Vestes illi laceræ, & quæ vix illum satis tegerent taceo frigus arcerent. Tametsi naturâ esset ardentior; sui tamen domitu eò euaserat, vt nunquam commoueri sit visus, quicquid occasionum se offerret. Sanguinis pro fide fundendi flagranter cupidus, notatus est audito martyrologio manus iungere; ac oculos in cælum leuare, desiderij sui indices, & coram Deo interpretes. Et verò ieiunia, feriæ sextæ cultus, accuratio domesticæ disciplinæ, sui afflictatio eiusmodi in eo fuêre, cuiusmodi par est esse in eo, qui seriò dolet sibi deesse martyrium eòque ipse connititur voluntario sui martyrio non deesse.

Fides.

FRANCISCVS RIGAVLT COAD.

Gallus Missiponti. Maij 16[illegible]

DVo in hoc, præter alias optimæ notæ Coadiutoribus dignas laudes, commendantur: alterum quòd in conuictu degens per ipsos 20. annos primo sacro ministrare quotidie ne semel quidem vnquam omiserit, insigni planè inter tot negligentiæ occasiones constantiâ; alterum quòd in silentij legem illum peccare nullus vnquam aduerterit.

Mane. Silentium.

XXI. DIE MAII.

P. GVIDO ROILETTVS.

Gallus Billomi. 21. Maij 1570.

Charitas.

HVnc primum aiunt in Collegio Romano Philosophicas disciplinas tradidisse. Ad stipes pro occultis inopibus procurandas valuit auctoritate, misericordiâ, ingenio: idque vt facerent matronæ nobiles, persuasit; vt Vrbicus procurator pro illis constitueretur, effecit. Sensim liquescebat illi exangue corpus laboribus pro Deo susceptis ceu viua hostia Deo. Allatum diuinum viaticum per inconstantiam stomachi sumere cùm non posset, adorauit, & ita est allocutus, vt ijs qui aderant multum excusserit lachrymarum. Cæterum in crucifixi complexum, & oscula vltimas vires effudit tanto sensu, vt diuinæ misericordiæ nutu præsens tunc Billomeus ciuis, homo tetri aliàs ingenij, ac linguæ præ ferocis, cui ad frugem reducendo P. Guido diu nequicquam insudarat, illâ tam sancti agonis apparatione, ac spectaculo emollitus, peruicaciæ suæ veniam petierit proiectus in genua. Ita & vita, & mors Roiletti pretiosa, & ad aliorum salutem salutaris fuit.

Misericord. Euch.

Morienti adesse.

P. GABRIEL DE LA VEGA.

Hispanus in Collegio Chilensi. 21. Maij 605. ætat. 38. Soc. 12.

OMnibus laborum, missionibus familiarium, oneribus abundè respondit. De illo Chilense Collegium, post alia plura, sic scribit. Quidquid de optimo quopiam Societatis opera-

rio

rio dici posset, ex ijs præsertim, qui ad has partes mittuntur, in ipsum optimè cadit, qui infatigabiliter, varijs linguis Chilensi præsertim hac, elaborauit; quâ artem quamdam cum dictionario, & annotationibus quibusdam confecit addiscentibus eamdem non mediocri vtilitati futuram. Illud silentio prætereundum non fuit, quòd vocatus Pater, vt ægrotæ cuiusdam confessionem exciperet, quæ anno iam integro doloribus maximis premebatur absque omni iam post omnia adhibita remedia, salutis spe, euangelium coram ipsa recitauit manumque super ægram imposuit, atque adeò benè habuit, vt eodem prorsus temporis momento, omni se omninò dolore liberam senserit: nec deinceps vel illo ipso vel vllo aliquo alio dolore correpta est: id quod diuini verbi efficacitati iuxta Christi promissum, est tribuendum. Mirabilis huius facti per omnem continuò ciuitatem fama peruasit, atque alij alia huiusmodi de eodem Patre prædicant quibus omnibus (quæ Patris animi summissio erat) fides potest adhiberi.

Operarius.

Fides.

Mans.

Silentium.

P. IOANNES SEBASTIANUS PARRICIVS.

Moriens adesse.

Hispanus Limæ, 21. Maij 1612. ætat 76. Soc. 56.

Vocatio. Lectio.

Humilitas.

HVic opulento tunc adolescenti familiaris & pia cum Societate consuetudo, rerum fluxarum contemptionem sensim induxit: ad Societatem verò illum Ludouicus Granatensis attentè lectus pellexit. Ingenio, doctrinâ, probitate vbique insignitè excelluit: nullius gloriæ sensu tangi visus, quòd diceret, hoc verò à vera Theologia esse quàm maximè alienum, aliquid gloriæ fugacis admittere. Inediâ ferè supra modum se macerabat. Prouincialis creatus, lachrymis profusis doluit iacturam silentij sancti, à quo auellebatur. Lectus illi fuit vellus arietis: oratio sæpè ad 12. horas ducta per iter. Instinctus cælestes in suorum dierum rationarium referebat; præter quotidianam & sæpè iterùm, ac tertiò repetitam sui verberationem; quotidie verò sub festa quatuor cilicijs vtebatur. Ante concionem per horam vnam, sacco vestitus in culina laborabat: post concionem flexis genibus septem Psalmos pœnitentiales recitabat. Per annos 30. humi dormiuit. Postea ætate, ac obedientiâ id vetante paruit, sed in lecto non nisi vestitus decubuit. Noctis pars magna illi erat oratio. Beatissimæ Virginis officium, & Rosarium de genibus quotidie exequebatur. Ieiunia illi crebra, eaque inediæ potiùs nomen commerita, & sæpè pane tantum, frigidaque contenta. Hæc illi artes fuêre virginitatis perpetuæ conseruandæ; corpori parùm cibi dare; ac multùm supplicij ab illo exigere. Nullam horam abire sinebat, quâ se non introspexisset, an eâ horâ omnia sua ad maiorem Dei gloriam direxisset. Qua in re quoties deliquisse se aduertebat toties positis humi genibus, orationem Dominicam, & Angelicam salutationem decimò repetebat. Sensus procul habere studebat ab omnibus, quæ delectant; linguam non nisi cælo addixerat. Ter quotannis exercitia sancti Patris obibat; ante mortem verò (quam sibi ex verò prædixit, in diem sanctissimæ Trinitatis) per dies quadraginta. Gloria eius post obitum dicitur reuelata. Multa, quæ viuus prædixit, mira, quæ operatus est; lachrymarum eius efficacitas ad corda emollienda, sublime à terra corpus dum oraret, dæmones illi infensi, &

Oratio.

Mortific.

Cilicium. Humilitas. Concio.

Mortif.

Oratio B. V.

Mortific.

Hora. Examen. Extensio.

Mors.

Oratio.

in illum sæui, mors denique oppetita inter admirabiles diuinæ charitatis æstus dabuntur ad annum 1622. in eius vita.

REMIGIVS SOMER COADIUT.

Belga Louanij 2. Maij 1628. ætat. 84. Soc. 44.

B.V.

ANte initam Societatem Louanij in sancti Petri æde coram Beatissimæ Virginis ara cereum diebus Dominicis accendebat, aiebatque se illâ tegente à præsentissimis vitæ periculis eripi, quæ subibat inter milites annonam vehens. In Societate laborum auidus, si quid laxamenti illi offerretur, modestè id recusans alijs dari postulabat. Vnde per ipsos quadraginta quatuor annos Louanij commoratus, nullum, quamuis vicinum, Collegium vidit. Aeger sacris omnibus tam religiosè fulcris suis nixus intererat, vt lachrymis totus flueret. Etiam tunc, nec morbi nec ætas, nec frigus acrius illi vnquam persuadere potuerant, vt somnum vltra præstitutum omnibus tempus produceret, aut vt ieiunia vel bolo vno laxaret. Totis, quibus in Societate vixit annis horridum, latumque subuculæ instar, cilicium gestauit; non in somno, non in coquenda ceruisia, non in pistrino, denique nullo obtentu illud deponens. Extremâ ætate iussus illud exuere, pro quali quali doloris leuamento cingulum cilicinum impetrauit. Vbicumque de quocumque aliquid etiam leuiter sinistrè dici audiebat, vel abibat, vel aures digitis obturabat. Vestes illi pannosæ, cibus parcus, opinio virtutis tanta, vt P. Antonius Sucquet Romam iturus benedictionem ab illo petierit, ac tandem extorserit.

Cilicium.

Charitas.

XXII. DIE MAII.

P. GONZALVS CARDOSVS.

Lusitanus in Æthiopia. 22. Maij 1574.

ANno 1556. Goam, inde cum P. Andrea Ouiedo & socijs anno 1557. in Æthiopiam appulsus: per multas ærumnas, perstudiosè præ alijs erudiebat monachos à schismate deprauatos. Periculis delectari videbatur, & esse magnes voluntatum; quas mirâ dexteritate trahebat à dissensionibus ad amorem. Cum P. Francisco Lupio ad pagum quempiam itinere dierum quindecim profecturus, obedienter ac hilarè se ire dixit; at prædixit se inde minimè rediturum, imò eò ne peruenturum quidem. Per iter, affirmauit Lupio; mortem sibi proximam imminere: illumque impensè rogauit; vt seipsum in tempora meliora seruaret incolumem pro communi bono. Progressi, ab ærumpentibus ex insidijs latronibus inuaduntur. Lupio repentè se abdente, Cardosus primo vulnere ictus concidit, atque occubuit, & omnium celebratione vulgata fuit sententia, illum Orthodoxæ fidei odio internectum.

Mors prædicta.

P. IOAN-

P. IOANNES BAPT. MACCADIVS SEU TAVORA.

Lusitanus Nangasachi 22. Maij 1617. ætat. 36. Soc. 20.

ANno 1601. in Indiam, 1609. in Iaponiam prosperè penetrauit; & ibi laborauit vsque dum anno 1617. 22. Aprilis, dum, confessione auditâ, formulam absolutionis pronunciaret, captus est ab insidiosis exploratoribus, qui ad Christianos indagandos erant submissi. Miram cordi suo afflari lætitiam aiebat, quoties cogitaret, quòd iam olim septem tantùm annos natus, auditis Christianorum apud Iapones triumphis, ad eosdem toto iam tunc desiderio exarsisset. Omuræ in carcere cum alijs adeò lætus egit, vt fuerit contestatus, se ne quidem cum orbe vniuerso felicitatem illam commutaturum. In epistolis gratias Deo reddebat amplissimas pro re tam magna: & negabat, se vnquam altiùs diuinæ scripturæ adyta introspexisse quàm in carcere Omurano, in media illa palude. Tam ipse quàm P. Frater Petrus ex Ord. S. Francisci, pridiè diuinitùs intellexêre, imminere sibi postridiè supremum diem; idque alter alteri lætus aperuit. Hoc die ad decretorium tribunal ituri, cadentibus lætis lachrymis, iucundè cecinêre: *Te Deum Laudamus*; & prolixè in se verberibus sæuiêre, Deo supplices, oratione productâ. Scribebat; mori se plenum solatij quod hauriebat à bono Iesu cui moreretur, cuius odio mortem sibi aiebat inferri, & mortis nuncium vocabat nuncium laureatũ. Tum secuti psalmi, & verba inflãmata, & vicissim alteri ab altero facta confessio. Ad mortem educendi, Litanias Sanctorum omnium recitabant. Educti verò sunt ad sacrum illum Nangasachi collem cum Crucifixo in manu. In loco illo gloriæ iterùm se inuicem expiant pœnitentiæ Sacramento, amanter se amplectuntur, gladio cæduntur. P. Ioannes Baptista vno accepto vulnere exurrexit, IESVM, & MARIAM pronunciauit; & iterùm, ac tertiò saucius obtruncatus est. Aiebant tam Neophyti, quàm gentiles; in eo vbi duo hi cæsi sunt loco, sæpiùs conspecta sibi esse duo sidera pulcherrimis radijs mirum in modum nitentia, & quod lætabile est cum primis, ille qui P. Ioannem cepit, ac obtruncauit, eodem anno mense Nouembri Omuræ Christianus, in eiusdem fidei odium occisus, Ioannem secutus est. Aiebat P. Ioannes; sibi tres in vita dies omnium; longè iucundissimos illuxisse: primum eum quo Societatem, alterum quo carceres fuisset ingressus; tertium verò eum quo mortis in hac causa oppetendæ nuncium accepisset.

Fides.

Charitas.

Pati.

Oratio. Mortif.

Apparatus ad mortem.

IESVS MARIA.

Mors. Lux.

P. BARTHOLOMÆVS PETRACCIUS.

Italus Neapoli 22. Maij 1612. ætat. 62. Soc. 40.

FOecundum illi eruditione sacrâ, & prophanâ ingenium, & prompta lingua, mores hilares, atque dulcissimi, sed religiosi prorsus, ac virginitate perpetuâ nitidi. Vnde plures ad vitam cœlo dignam adduxit illâ suauitate, ac mirabili contra vitia libertate in pulpito. Quacunque in vrbe per Quadragesimam concionabatur; Sabbatho (quo alij vacant) eius Vrbis sanctum sibi concione celebrandum, & ciues ad illum flagrantiùs colendum accendendos delegit, præstititque feliciter.

Concionat.

Sancti vrbium.

P. HYA-

P. HYACINTVS GRILLVS.

Italus Parmæ. 2. Maij. 1630. ætat. 34. Soc. 15.

PIctum quoddam dicendi illius genus, quod initio in dicendo ad concionem elegantius potius, quàm religiosius susceperat, Superioribus timorem iniecit. At id vbi ille aduertit, vt erat religiosè ingenuus, omnem illum ornatum cum modestiâ commutauit, fructu permagno, apparatione præmissâ diligenti, at verbis non è fide memoriæ recitatis, verùm è præsentis argumenti, & cordis officina petitis. Audiebatur secundâ omnium celebritate, cùm Parmam lue flagrare vbi audijt, facultatem eò se in id periculum conferendi tandem impetrauit; & eadem, quâ Parmam appulit nocte in Limodochium diuertit, vt ad ægros confestim perrumperet; præsentissimam eam suæ saluris occasionem vocans. Pridiè quàm peste afflaretur in ponte Parmensi ignotus senex, cultu Sacerdotali, & humano maius quiddam præferens, illius operam, quam ægris præstabat, Deo gratam esse dixit: mercedem propediem acceptu-rum. Quare ageret, se ad extrema vitæ componeret. Digressi vt fuêre ab inuicem, Hyacinthus oculos in virum ecquis esset, mox reflexit; at iam ille videri desierat & verum prædixisse, affirmauit euentus.

Concio. *Charitas.* *Mors.*

XXIII. DIE MAII.

P. FRANCISCVS ARIAS.

Hispanus Hispali 21. Maij. 1605. ætat. 72. Soc. 44.

TOtus è spiritu paupertatis, & seueræ in se pœnitentiæ disciplina profectus, præstabat industriâ singulari in serendis de Deo, & ad Deum traducendis sermonibus, ac in infimis quibusque instruendis. Hispali Puerilia bellorum imitamenta, quibus cunei puerorum concurrebant cum fundis, nec sine graui sæpè vulnere abscedebant, dissipauit. Fœminam nullam vnquam inuisit, nisi vera vrgeret necessitas. Quadragesimam totam agebat in cilicio; festis tantùm exceptis. Gaditani Collegij Rector cùm esset, seque ad concionem orâtione prolixâ disponeret, à Scholastico quodam nostro eius cubiculum fortè ingresso in oratione sublimis à terra repertus est. A mortui cadauere pileus, calcei, tibialia, & vestis ipsa direpta est: corpus loculo particulari conditum, & plumbeâ quoque laminâ cum inscriptione adiectâ.

Castitas. *Mortif.* *Gratiæ.*

MAG. ANDREAS PAVLICHIEZ.

HIc ad ea verba, *subuenite sancti Dei spiritum* edidit, patientiæ longioris laude insignis; de quo annuæ Transyluaniæ sic reliqua prosequuntur; Fuit vir planè religiosus, humilis, obediens, & magnus mundi, suique contemptor. In Scholis, & in concionibus, quando opus fuit optimè semper se gessit. Dum ex Boemia per Vngariam in Transyluaniam iret, per ciuitatem quandam iter fecit, quæ à Patria sua adeò propè aberat, vt duabus, vel tribus horis ire, & redire potuisset, ipse tamen licèt ibi diem ferè integrum substitisset sineque vllo incommodo parentem quartum supra centesimum annum agentem inuisere valuisset

Croata Albæ. 3. Maij 1606.

Charit. *Mortif.* *Mortif. ef.* *Consang.*

luisset id non solùm non curauit, sed ne verbum quidem eâ de re, vel cum Superiore, vel cum socijs fecit minimum, Croata natione fuit: omnia tamen idiomota suo finitima Polonicum Sclauonicum, Rascianum callebat. Præter Latinam etiam ita Grecam, & Vngaricam linguam nouerat: vt hisce æquè facile & eleganter, ac materna loqui, & scribere valeret.

P. MARTINVS LASCIVS.

Polonus Cracouiæ. 23 Maij 1615. ætat. 64. Soc. 44. *Fidei.*

EXemplo, scriptis, verbo, validâ âd animarum vtilitates authoritate tam felix fuit, vt Cracouiensem Senatum vniuersum Orthodoxæ Religioni adiunxerit, autorque fuerit Sancti illius decreti condendi, quo à Senatorijs subsellijs, ac dignitate Vrbici Senatoris, omnes hæretici arcebantur. Hoc etiam authore 40. horæ primùm in Poloniam inductæ: arca Sancti Nicolai per Sodales misericordiæ ad pauperum Virginum dotem colligendam instituta. Stupuere hæretici, quòd scelopis eius lateri admotis nihil omninò terroris, constantiæ plurimùm ostenderit. Peste coortâ suis quibus præerat ad tutiora missis, ipse discrimini caput obiecit. Nostros admirabili charitate, maternâ quadam apud ægros peruigilatione; perpetuâ seruiendi assiduitate; se autem ipsum, religioso odio prosequebatur, nil ætati parcens quo minus diris sese flagellis proscinderet, orandi, atque conscientiam dispiciendi tempora humi pronus exigeret, alienorum morborum fætores amanter, suos verò dolores fortissimis tolerantiæ exemplis exantlaret.

Charitas.

Mortific.

P. NICOLAVS CYZOVUSKI.

DE hoc viro concepta opinio sanctitatis, etiam post mortem increuit. Creditum enim est, illum à Deo impetrasse illam pluuiam, quæ die illo abundè ac opportunè, quippe diu desiderata, cecidit quo die ad sepulchrum elatus est. Orandi, se affligendi, animas ad salutem quærendi arte fuit præstans. Obedientiæ illius præmium, seu documentum fuit, quòd prosperè ei omnia cedere voluerit Deus, quando ipse tunc adhuc iuuenis ad Dæmonem ex energumeno exigendum missus, quàm ipse promptus fuit, ac dictum Superioris audiens, tam facilè dicto suo parentem inuenit Dæmonem, quippe qui statim atque Nicolaus ductô super energumenum Crucis signo orauit, abierit. Aiunt illum tertiò valetudinem corporis quando illius salus iam pro deposita habebatur, recepisse diuinitùs ope SS. Ignatij, Xauerij, Barbaræ, Bibianæ quibus erat apprimè addictus. Sub mortem elegantes, & suaues hymnos idiomate vernaculo est meditatus, quibus è diuini amoris fontibus ductos contritionis actus perscitè illigauit, quique lucem postea posthumi aspexêre. Aiebat, in Societate necessarium esse habere os vulgare ad cibos parabiles citra delectum comedendos, cameli genua pro assidua orationis nobis tam necessariæ exercitatione, dorsum verò asini ad labores. Cùm præesset, minimè alienam à sua charitate esse arbitrabatur curam disciplinæ monitis quoque crebro vrgendæ. Coadiutores censebat haud indulgenter tractandos, verùm occupandos, atque monendos; id quod exemplo Coadiutoris cuiusdam confirmabat, qui pau-

Polonus Posnaniæ. 24. Maij. 1615 ætat. 56. Soc. 39.

Obed.

S. P. Ignat. S. Xauer. S. Barbara. S. Bibiana.

Amor Dei.

Mortificat.

Superiores mortuus vi. uo gratias agit.

Mortif.

Labores.

cis post obitum diebus illi se spectabilem stitit, vt fertur, gratias egit. Primò quòd ab eo laboribus fuisset liberaliter occupatus; deinde quòd pœnis quoque, non infrequenter ad labores, ac religiosam frugem exercitus.

P. HIERONYMVS FISCHER.

Bohemus in sylua cæsus. 23 Maij 1634 ætat. 36. Soc. 10.

GRæcij Styriæ literis operam dedit, Deiparæ Virgini religiosè admodùm addictus, eiusdemque Foyensi lapillo à peste ibidem repentè curatus. Quidam de Societate (quocum Hieremias in singulari Dei Matris cultu peculiari quadam necessitudine conspirarat) post mortem illi apparuit, & ardentem aliàs in Hieremiæ pectore in colenda Deipara pietatem acriùs inflammauit, cùm dixit: *Sibi penes Beatissimam Virginem benè esse: secuturum & ipsum breui; sed via duriore.* Quæ autem illa fuerit, seu tunc seu aliàs, certè diuinitùs, intellexit Hieremias, dum eas quas dixi mortui amici voces amico cuidam referens, adiecit: se in sylua quapiam cæsum iri. Factum id in ea sylua per quam iter in Poloniam intendebat Hieremias cùm Glogouiensi Collegio tunc præesset. Ibi humi procumbens, & IESVM, ac MARIAM inclamans, ab hæreticis militibus *Iesuitas*, *Iesuitas* furenter succlamantibus pergere prohibitus, & globo plumbeo traiectus est, socijs fugâ elapsis. Percussor ferè post semestre, globo simili & ipse in duello ictus interijt. Parcebant aliorum vitæ, spolijs contenti hi milites grassatores; at Iesuitas pessimè oderant, eò quòd dicerent eos ministris hæreticis esse perinfensos; item Romanam Ecclesiam nec progressus tantos habituram fuisse in Germania, & faciliùs ab hæreticis labefactandam, nisi hoc genus hominum pro illa tam solerter sategeret. Auditi sunt ijdem exprobrare, quòd idola Catholica (ita illi Sanctos vocant, atque imagines) suis opitulari non possint; sed Catholicos, ac etiam Iesuitas, prosterni sinant ab hostibus. His nempe imbuti in Sociorum vitas grassati sunt.

B. V.

Disce à mortuo.

Mortis

XXIV. DIE MAII.

P. CAROLVS SAGERIVS.

Gallus Turnone. 24. Maij 1596. Soc. 45.

AD omnem literaturam humaniorum, Philosophicarum ac Theologicarum disciplinarum vt scitè idoneus, ita obedienter promptu; fuit etiam post maiora tractata sese ad minora demittere. Probitatis magnæ, ac doctrinæ famâ illud obtinuit, vt ne coriphæos quidem hæreticorum cum Societate conferendos esse vulgo diceretur. Veneno sublatum è vita rumor incessit: neque id ab hæreticorum ingenio alienum fuisse haud ambiguis experimentis accepimus. Cæterum Carolo illud quoque peculiare, ac inter paucos proprium fuisse in Societate videri potest, quòd in illa secum tres fratres suos, ac demum Patrem quoque Societati adscriptos lætus aspexerit.

Humilis.

In Societate Pater cum quatuor filijs.

P. ANTO-

P. ANTONIVS DE MENDOZA.

Hispanus Romæ. 14. Maij 1596. Soc. 32.

COmitis de Orgaz filius. Cùm se in tyrocinio in culina inter ollas quas perpurgabat videret, se allocutus hortabatur, ne tempus ac se perderet, ageret seriò, vt dimissis ijs quæ mundus æstimat, Margaritam cæli in humilitate hac inueniret. Variâ, etiam Prouinciarum, rectione laudatè perfunctus, Romæ anno 1593. quintæ Cong. Generali interfuit, pro Hispania electus apud Claudium Generalem Assistens. Humilitas illi semper in corde, sæpè in opere. Rector cùm esset, nunc ianitoris officium obiuit, nunc in culina operam coco addixit, nec inde abijt illius iniussu. Nouitios cùm regeret, ipse illos in ijs quæ manu fiunt operibus instruebat. Mirâ humanorum respectuum contemptione fuit præstans, profundâ suorum natalium obliuione illustris, prudentiâ in iudicijs aliorum exquirendis & expendendis perspicaci acutus ac solidus: vnde illi fortis animus ad ardua peragenda, quippe probè secum & cum suis expensa priùs atque prouisa. Valetudine licèt pertenui esset, præter crebra flagra, tamen cilicio semper vtebatur toto corpore coopertus. Vestes attritæ, calcei à veteramentario refecti; & quicquid à suis filijs optat sancta paupertas, quicquid Angelica puritas, totum in illo eluxit. Obedientiam talem Deo charam esse aiebat experimento, quæ domi ne honores quidem recusaret. In Indicæ nauigationis tempestate securus sui, & splendore coruscans, Litanias recitans est repertus. Nulli solebat respondere, nisi modicâ cum Deo consultatione præmissâ. Aiunt de suâ morte fuisse diuinitùs redditum certiorem. Medico dicenti vt fenestras aperiri iuberet, ac cælum iam vicinum respiceret, commonstrato Crucifixo: *En cælum*, inquit, *meum, & mea tota lætitia.* Rogauit Patrum quendam, vt Deo gratias nomine suo quàm maximas posset redderet, pro tot beneficijs quæ in vita omni acceperat. Vno postquâ sepultus est anno, & semestri elapso, corpus eius candidum, facile, ac integrum vnà cum vestibus est repertum.

Mortif. *Oratio.* *Mors.* *Crucif.*

XXV. DIE MAII.

P. IOANNES MORTAIGNE.

Belga Tornaci. 25. Maij 1583.

TOrnaci Rector cùm præesset, hæreticis armis vbique circumstrepentibus in pago quodam per octo dies latuit, inde in horreum stramine coopertum transslatus, ibi clam Catholicis aduentantibus Sacramenta ministrauit. Victu tenui, ac propè inædiâ sese sustentans, & tamen in antro illo ita hilaris, vt se numquam lætiorem fuisse prædicaret, magno eorum apud quos delitescebat, & post 40. quoque annos celebrato exemplo. Cùm per dolores podagræ totis aliquando noctibus nihil somni posset admittere, laudes Deo assiduè dicebat; & sæpè etiam canebat. Fiduciâ in Deum fuit insigni, nec sine operæ pretio luculento, cùm aliàs, tum verò eo tempore, quando ipso Tornaci Rectore, tertio Bacchanalium die, seu tertiâ ante diem cinerum feriâ vix aliud domi erat, quàm siccus panis. Rogatus num vellet consuetum ære

Fidei. *Patientia.* *Fiduciam Deum.*

campano signum edi, quo Patres ad triclinium conuocarentur, edi iussit, & vix illi conuenerant cùm tintinnabulo portæ pulsato, adfuit annona luculenta à pio ciue, seu à bono potiùs Deo tam opportunè suppeditata.

P. GASPAR GOELLO.

Lusitanus Canzucæ. 25. Maij 1590 ætat. 59. Soc. 34.

IN tractu Omurano vnà cum suo socio baptismo lustrauit plus quàm 35. millia Iaponum, & 60. cœnobia Bonziorum. In Sarcibus cõuertit mortales 1460. fuitque primus Iaponiæ Vice-Prouincialis, à Rege honoratus, & plurium millium animarum ad fidem accessione semper increscens per industrias laboris, ac pietatis plenas. Mortuo exequiæ celebriores factæ quàm vlli celebratas vllus meminerit.

P. IOANNES DELGADO.

Lusitanus in Guinea. 25. Maij 1610.

QVàm perspicax in Theologia Magister fuerat, tam promptus postea, & impiger in Guineæ Promontorio fuit operarius. Quantum animarum zelo arserit, testes sunt ille lachrymæ de quibus annuę sic loquuntur: Dum Bichongoris Regem familiaribus colloquijs ad nostram Religionem vellet traducere, neque rudem obstinationem euinceret, lachrymæ illi sensim decidebant. Rogatus à Rege quid ita fleret. *Tuam*, inquit, *duritiam, & obstinationem doleo, quæ te sempiternis flammis cruciandum à cæli possessione deiecit.* Immò, subiecit Rex, quia vir sanctus es, ita ploras, & forsitan me citò moriturum animo præsumis. Ita breuì Insulanorum occupauit mentes, vt de illius vita, ac moribus nihil nisi cæleste suspicarentur. Sed mors magis virtutem eius declarasse videtur, quàm vita. Varijs enim iactati morbis, ac febribus cum spe recuperandæ salutis ad eius sepulchrum confluunt; narrantque periculosum atque intestinum malum eius beneficio sublatum, quo Lusitanus quidam laborasset. Vulgatam eius sanctitatis opinionem durasse postea illud etiam indicio est, quòd anno 1611. eius Insulæ quispiam, quem lentum ciborum fastidium, inediâ, tabeque ad exrremum propè adduxerat, vbi Patris Ioannis sepulchrum adijt, ibi fastidium omne posuerit fame statim, sanitate, viribusque non sine admiratione receptis.

Zelus.

P. FRANCISCVS FRANCESCHINUS.

Italus Secin. 25. Maij 1617 ætat. 72.

VIta huius ab anno 1562. quo Societati adscriptus est, eadem continuatione virtutis viguit in communi disciplinæ Religiosæ cursu, nihil singulare habere visus quidem est, singulari tamen laude in ipsa illa vitæ ad omnem legum accurationem castigatæ constantiâ eluxit. Per annos 28. Ministri officio functus est exemplo hominis religiosi veri, atque sinceri. Prisci moris retinens, non tempus verrendi, non alia consueta ex vsu veteri, & sancto neglexit, *Deum adesse* vbique memor, id ne illi excideret D. A. in cubiculo præ oculis affixerat. Quocumque iret, seu staret, oculos, & corpus totum ad præsentis Dei reuerentiam componebat.

Regula.

Præsen. Dei

XXVI. DIE

XXVI. DIE MAII.

P. NICOLAVS BVRI.

Belga Audomari 26. Maij 1597.

AD pestiferos, adeoque ad mortem heroicam abiturus, generali confessione præmissâ, vota coram socijs in Collegio instaurauit; veniam, & preces ab ijs non sine lachrymis enixè precatus. Taceo de illo alia, quæ ferè alijs ea in sparta versantibus vsitata, vel ab Alegambe in heroibus ad annum 1597. c. 4. perscripta sunt. Vnum religioni duxerim omittere, quod ibidem hisce verbis perscribitur. Ægrota mulier conductâ habitabat in domo, morbus pestilentiæ suspicionem fecit. Eius iussu, cuius erat Domus foras proijcitur misera sub dio, cœlo pluuio, voluebatur in luto. Fortè Pater cũ digno comitatu sacram ferens ægrotis Eucharistiam, illac transijt. Tum miserandæ rei motus aspectu, positâ decenter sacrâ pyxide; suis manibus, fratre socio adiuuante, sublatam è luto reportat sub tectum. Erat Dominus domus homo militaris, iracundo ingenio, ac præferoci, & per id tempus superuenit, atque in miseram ægrotam, patremque furenter iratscitur, omnium verborum acerbitate iubet illam ex portari confestim, cunctanti arrepto ferro minitatur. Pater fiduciæ plenus nudat veste ceruicem, paratusque magno animo ictum præstolatur potiùs, quàm impium facinus admittat. Hic homini irato faces ardentius admotæ; neque contumelijs in homines, neque impijs in Deum vocibus, sacrilegisque execrationibus temperare. Ea omnia placido animo excepit, & rem sanè periculosam, sed Diuino crediderim impulsu ausus est. Vt olim S. Bernardus aduersus Ducem Aquitaniæ, sacrosanctum Christi profert corpus; Agnosce inter manus meas, inquit, conditorem tuum, eumdemque Redemptorem, & Iudicem supplex pronus venerare, tuæque impietatis, & in miseram hospitam crudelitatis ab hoc veniam precare. Ad aspectum venerandæ Eucharistiæ procubuêre supplices, qui aderant; ipse miles pauore subito perculsus abiecit se humi tremensque & à Deo & à circumfusa multitudine sui furoris magnâ animi demissione, veniam petit, totusque alium in virum muratus, & miseræ hospitæ molestus esse desijt, & nostrum Sacerdotem ingenti complexus est amore, atque ex eo tempore sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum mirâ pietate prosequi cœpit.

Charitas.

Euchar.

P. IOANNES CORNELIUS COAD.

NObili familiæ, ac militari gloriæ speique istic se ostentanti humiles in Societate labores posthabuit eò ad infima quæque propensior, quò illa plus contemptionis habebant, & laboris. Ingenuâ quadam reuerentiâ prosequebatur omnes, vicissim tenerè amatus ab omnibus per ipsos 20. annos Ianitor Collegij, & modestiæ ornamentum, calculo licèt, alijsque doloribus apprimè afflictus, nil tamen sibi parcebat, quin plagis in se desæuiret, ac horrido cilicio amictus cingulo quoque pungente sese accingeret, seu domi seu foris versaretur. Mortis imminentis haud inconscius prædixit se ad festum corporis Christi migra-

Germanus Coloniæ 26. Maij 1617. Soc. 26.

Mortif.

turum è vita: quare ad mortem se componebat omni arte, industriâ, & omni genere apparationis. Vbi æger in valetudinarium deductus est, humi prostratus, terram exosculatus est, promptum se præbens ad omnem nutum Dei Domini vitæ, & mortis. Appetente horâ extremâ B. Ignatium, & cælites ad opitulandum accersiuit, & *Alleluia* canens ita mortem oppetijt, vt in sociorum omnium ore admirabilis viri nomen, & suauem suæ virtutis memoriam, desideriumque reliquerit.

Mors.

ANTONIVS LOFFREDUS SCHOL.

Italus Neapoli. 26. Maij 1619 æt. 36. Soc. 5.

INter ipsa Religionis ineundæ consilia, ab alio illustri viro ad singulare certamen vocatus, cùm famæ suæ id interesse putaret prodijt, & inimicum profligauit, sed iacenti, & veniam per Christi pro nobis mortui amorem flagitanti, pepercit, cuius facilitatis luculentum se à Deo pretium accepisse aiebat, quod ad Societatem fuisset admissus; in qua vixit ceu superstitis inter nos adhuc B. Aloysij Felix effigies. Fama est, inquiunt annuę, Antonium morti proximum elegantissimæ semitæ ad cælum vsque procurrentis aspectu mirificè recreatum; in cuius meta S. P. Ignatius visus est ante Deiparam supplex, ab ea Societati vniuersæ vitæ morumque innocentiam efflagitare. Vixit Neapoli, quod ille Collegium lautâ 30. ferè millium aureorum beneficentiâ, & singularis exempli præstantiâ cumulauit.

Charitas.

Mors.

B. V. S. P. Ignat.

XXVII. DIE MAII.

FRANCISCVS COELHO SCHOLAST.

Lusitanus Eboræ 27. Maij 1567. Soc 8.

HVnc excelsitate animi, crucis amore, obedientiæ efficacitate, piæ cum socijs consuetudinis exemplo mirabilem prædicant, qui cum eo fuêre; adduntque nunquam in illo quicquam etiam leuis noxæ perspectum. In naturam verterat quasdam virtutum exercitationes quas alij existimabant humanis viribus intolerandas esse. Sic viuentem ex ipso Theologiæ cursu abripuit mors illi minimè improuisa. Nam aliquot ante illam diebus, Georgio Sarrano Rectore, ac socijs audientibus, Franciscus velut à somno expergefactus; quis est, aiebat, is qui nunc mihi denunciabat me 27. die Maij ad fruendum Deo hinc abiturum? Prædictioni respondit mors: quâ Franciscus illo ipso, quem tunc prædixerat, die immaculatum Spiritum ad fruendum Deo expirauit.

Studium proficiendi

Mors.

P. IACOBVS SEV DIDACVS, MONTERVS.

Lusitanus Conimbric. 2. Maij 69 ætat. 72. Soc. 52.

ANtequam alij à lecto surgerent, duas, aut tres horas ille iam orabat. Perpetua illi oratio, quotidiano, etiam per iter, flagello, cilicioque armata. Pedes obibat Prouinciam cùm illi præesset; nec rarò sine viatico. Quotidie post meridiem per semihoram Sanctissimæ Eucharistiæ mysterio, aliam item semihoram Deiparæ Virginis dotibus expendendis dabat. Con-

Mortif.

Euchar.

V. B.

Confess quot. B.V.

Conscientiam quotidianâ exomologesi purgabat, & menstruum deinde generalem Confessionem quot mensibus instituebat. Fama fuit plurium sermone vulgata, Deiparam illi aliquando se præbuisse spectandam. Sublimem à terra inter orandum conspectum ij testati sunt, qui id vidêre. Vita eius prolixior dabitur ad annum 1634

Oratio.

XXVIII DIE MAII.

LEONETTVS GAGLIARDVS SCHOLAST.

Italus Romæ 28. Maij 1564.

HIc tres in Societate germanos habuit, ipso quartus; Diacones iam erat, & curriculum Theologiæ necdum emensus, cùm mortalitate exemptus est. Hilaris in morbo

Morbus.

& ad omnem nutum obediens, non aliud leuamentum quærebat, quàm diuina loquentes audire. Corporis dolores calicem suauissimum appellabat; Achillem, Ludouicum, Franciscum germanos ipse solabatur; &

Patientia.

sæpenumerò, enixè petebat ab ijs iuuari in gratijs Deo reddendis, gestire visus cum hæc diceret, quòd maturâ morte, quòd in sinu Societatis migraret è

Mors.

vita. Bono, inquit ad P. Achillem Gagliardum, bono esto animo, Christus Dominus me valdè amat. Age meo nomine illi grates. Eius, ac fratrum, Posseuinique vocatio iucundè mutuò illigata in Hist. Societatis ad annum 1559. denarratur.

PETRVS MONERIVS SCHOLAST.

Gallus Parisijs. 28. Maij 1581.

HVic morienti nequicquam infestus Dæmon, & singularis eius innocentia, fecerunt, vt quia de vita illius propè nihil ad nos peruenit, mors certè in obliuione non sit. Egregiæ virtutis adolescentem vocant literæ Parisiensis Collegij. Is, inquiunt, morti proximus cùm adstanti Confessario infestum sibi esse Dæmonis præsentiam dixisset; iussus ab eo est quærere de ipso Dæmone, numquid contra se haberet, ac paulo post sereno vultu ad Confessarium conuersus, nihil habet, inquit. Cùmque omnes ad veras, solidasque virtutes cohortatus esset, vitâ migrauit, singularis planè innocentiæ exemplum, cui nihil supremo vitæ tempore diligens, atque criminosus accusator obijcere potuerit.

Mors.

P. THOMAS STANNEVS.

Anglus Amdomari. 28. Maij 1617. ætat. 62. Soc. 28.

SPiritualis Coadiutoris gradum præclarâ, & optimis operarijs propriâ vsque sanctitatis famam virtute ornauit in Anglicana missione, per annos 20. ibidem ante initam Societatem decem annis versatus. Sæpè in siluis sub dio illi delitescendum fuit, vt qualem qualem Sacramentis administrandis opportunitatem haberet. Anno integro ærumnosa in custodia & squalores, & morbos perpessus in exilium eiectus est, patientiæ inuictæ laude inclytus ob dira tormenta, quibus illum integer morborum catalogus exercebat, quorum leuamentum illi erat lectitata vita S. Patris Ignatij, quem cum Beatissimâ Virgine vnicè diligebat. Duas orationi, quæ mente per-

Fides.

Lectio.

Oratio.

peragitur horas dabat quotidie; cætera item horarum spatia, quatet quotidie inuisendo sanctissimum Sacramentum. Cùm calculo torqueretur, positis humi genibus piè meditando animum occupabat. Contra podagræ verò cruciatus, aiebat se aquam lustralem cum Superioris benedictione habere pro remedio singulari. *Morbus. Aqua lust.*

XXIX. DIE MAII.

IOANNES PARNESIVS COADIVT.

Grisо Cracouiæ 29. Maij 1638. ætat. 45. Soc 13. B.V. Oratio.

QVòd ex hæreticis tenebris ad orthodoxam lucem felix emerserit, pro gratiarum actione anathema argenteum Barrhi ad Beatissimæ Virginis imaginem in templo nostro appendit. In Societate horas tres dabat quotidie meditationi rerum cælestium, horis de matutina, & vespertina quiete decerptis. Ter quothebdomodis diuinâ synaxi reficiebatur, & quidem festo die cùm id ageret quinis, aut senis horis absorbebatur à Deo, mente orando Deo satis amando nunquam satur. Pro supplemento Beatos, & probos omnes accersebat. Quotidie flagello seriò in se animaduertebat & per ipsos 12. annos catenâ ferreâ, eaque geminâ cingebatur, lumbis illâ perquàm arctè constrictis, & tamen nihil muralis sui laboris omittens. Extremo vitæ quinquennio impetrauit, vt ab omni carne, ac piscibus abstineret, pane, oleribusque contentus. Ædium faber cùm esset, ac impensè laboraret, nullo in æstu sibi vel frigidæ haustum, aut indulsit ipse, aut indulgeri petiuit. Silentio, patientiâ, orationum iaculatoriarum vsu erat excellens. Sabbato, vti desiderauerat, & prædixerat, extinctus est. *Mortif.*

P. SENECA SCHREIBER.

German Oetingæ 29. Maij 1648. ætat. 55. Soc. 16.

PVtatur, nunquam vllo laxamento contra leges Societatis deliquisse, promptum illi ad officia charitatis ingenium non sine Angelica quadam mixtura cælestis modestiæ, quâ omnes reuerebatur, Angeli cognomento ab ijs haud ex vano donatus. B. Aloysio singulari voluntatis propensione fuit addictus; quippe cuius beneficentiâ luculentâ, pedem læsum, & exulceratum, atque à Chirurgis nil iam auxilij expectantem, sanum iam olim receperat. *B. Aloysius.*

P. PETRVS WRICHIVS.

Anglus Londini 19 Maij 1651. ætat. 48. Soc. 22.

HVius vitam & mortem inter mortes illustres fusè perscripsi. Post operam religioni Orthodoxæ probè impensam damnatus est ad suspendium, & consuetam carnificationem, *tanquam Sacerdos Catholicus.* Sub ipso patibulo quidam de Societate illi, baiuli specie, adfuit, & confitentem absoluit; obtentu illo vsus; quasi ab eo mandata extrema & secreta acciperet ad amicos perferenda. Dicenti ministro hæretico; illi veniam eiurato Papismo minimè defuturam, respondit Petrus: *Facesse, satan: si mille vitas haberem, mille vitas morti libentissi-* *Fides.*

mè pro Catholica religione offerrem. Magnis tam Catholicorum, quàm etiam hæreticorum laudibus ornata est illa Petri mors tanto animi sibi præsentis robore conspicua vsque ad omnium admirationem.

Oratio.

agendi, voluntatem suam diuinæ accomodandi, alijsque actibus mirè facilitatis erat atque ardoris. Vnde per plures annos nullum ex eo verbum otiosum auditum. Crucifixum semper cordi arctè admotum gestabat, vt amorem dolore acueret.

Lingua Cruc.

DICACVS BONHOMVS COADIUT.

Italus Colon. 19 Maij 1651. Soc. 22.

LAborandi, orandi, se afflictandi magnâ laude floruit. Adeò acriter se verberabat, vt eius cubiculum concuti videretur. Per annos plures non nisi præterita vitæ peccata dabant materiam pœnitentiæ Sacramenti, cùm nullius deliberatè, seu sponte commissi etiam venialis peccati se accusare auderet, quippe sibi haud conscius.

Mortif. Confess.

Monitoribus, per preces gratus fuit. Vbi festa otium ei dabant, sæpè mille salutationes Angelicas vno die recitabat, nouo ad singulas mentis ardore concepto, à quibus sibi, ac Societati certa virtutum decora flagitabat. In frequentandis internis, Deo gratias

Humilitas. B.V.

IOANNES LIEGEOIS COADIUT.

Gallus in noua Francia 29. Maij 1651.

IN murarij structoris munere, atque in aduehendis è Gallia subsidijs per ipsos viginti annos in missione Canadiensi sudore perutili laborauit; & tamen nunquam suæ oblitus modestiæ honorare omnes, omnibus prodesse studebat. Sæpè Neophytos ab insidijs hostium eripuit, illas detegens. Idem agentem insidiosa Iroqueorum manus à tergo insecuta, haud opinanti cor medium ferreâ glande traiecit. Caput illi truncatum, detractâ cute, capilloq; reuulso pro trophæo à Barbaris asportatum.

XXX. DIE MAII.

P. THOMAS COTTAMVS.

Anglus Londini, 30. Maij, 1582. Soc. 3.

AVditis Indicis annuis, ad amplectendam Societatem exarsit, Romæ illam complexus. In Angliam reuersus, Dorobernij comprehensus est 25. Decembris. Londini in turri tormento, Scauingeri dicto, per horam & amplius cruciatus, totis naribus plurimum sanguinem fudit. Vrgebatur vt chirographo testaretur, quid in Pij V. Pontificis, & Reginæ causâ sentiret: scripsit; se id sentire quod à Romana Ecclesia didicisset. Dum tentaretur vt in Confessione audita proderet; noluit, etiam dirè tortus. 20. Maij capitis damnatus, trahæ alligatus, ad supplicij locum raptatus, vnà cum socijs *Te Deum Laudamus* cecinit toto itinere. E plaustro, sub furca stans, omnibus benedixit. Libertas illi offerebatur, si Pontificis consilia improbaret; respondit: se ne mille quidem vitarum pretio à quocunque Ecclesiæ Catholicæ articulo discessurum. Suspensus, & postea ad carnificinam nudatus, repertus est nuda

Confess.

Mors.

Cilicium.

Fides.

carne accinctus cilicio, non sine suaui omnium admiratione.

P. FERDINANDVS CRENDELIUS.

Germanus Ingolstadij. 30. Maij 1614 ætat. 58. Soc. 39.

ANtiquitatis thesaurus erat huius viri eruditio; putabatque se gratiam accipere, si à quopiam: vt ex illa promeret aliquid, rogaretur. Æquus illi ad omnes iniurias animus, eò quòd formulam votorum perpetuò expendens, se diuino conspectu vndequaque indignissimum iudicaret. Quare infra illud fore ducebat quicquid molestum accideret. Eadem verba ita hominem composuerant, vt qui eum studiosè fuerat, quomodo in agendo, ac dicendo se gereret contemplatus, dixerit se vix vnquam incidisse in tam compositæ modestiæ Iesuitam. Ne æger quidem vllo signo ostendit, quo genere cibi, aut leuamenti propensius recrearetur; patientiæ suæ semper compos, ad summam eius virtutis disciplinam. Aiunt illum venena impunè tractasse; ac sæpè ollis plenis instructum ad visendos ægros ac inopes prodijsse.

Charitas.

Patientia.

Humilitas. Modestia.

Charitas.

MAG. MICHAEL MARTIVS.

Silesita Brunæ. 30. Maij. 1649. ætat. 28. Soc. 9.

IN tyrocinio, studijs, ac inter docendum, mirum in modum fuit candidus, & apertus, Patri spirituali potissimùm, cui cùm aliquando suæ conscientiæ intima penitùs aperiret, repentè totus eius vultus formâ insigni emicuit, miro quodam splendore perfusus; persanctè asseuerante Patre illo, visum sibi tunc vultum illius instar vultus Angelici. In diuinæ Synaxis vsu aiebat nunc bellaria se gustare, nunc lacte pasci, nunc odore roseo recreari. Diuinæ Matris cultui se mancipium dedit; eidemque, se rudi è ferro catenula deuinxit; quippe qui magnis nominibus ei seipsum se debere sit contestatus: primùm quòd natali eius die sit natus; deinde quòd puer illam in aëre adspectabili specie gloriosam vidisse sibi sit visus sanitatemque ab ea cùm peste laboraret receperit; quòd denique vocationis ad Societatem, & prædestinationis ad gloriam beneficium per illius manus à Deo acceptum retulerit: id enim sibi argumentis non dubijs constare asseueranter affirmabat. Vnde diem etiam, & horam, quâ migraturus erat è vita, ex vero prædixit.

Candor animi.

Euch. B. V.

XXXI. DIE MAII.

IOANNES PAVLVS DE VINATIONE SCHOLAST.

Hispanus Barcinone 31. Maij 1608 ætat. 27. Soc. 10.

MAgno ineundæ Societatis desiderio ad studia se contulit, eaque feliciter hoc amore impellente exantlauit, votis quoque iam tunc de sacramenti nostri forma adiectis; adeò ferre moram non poterat desiderij magnitudo. In Societate humaniora cum laude docuit. Sed in medio Theologiæ cursu metam vitæ attigit. Laudatur in illo amabilis quędam, & mansueta facilitas, candida in dictis moribus synceritatis lingua, & aures ab omni de aliorum fama suspecto verbo semper immunes: examinis generalis, ac particularis vsus constans, denique innocentia in primo suo candore citra vllum grauioris noxæ inquinamentum vsquequaque seruata.

Vocatio.

Innocentia.

P. ANGELVS ARMANVS.

Italus Manile. 31. Maij 1621 æt. 40. Soc. 22. S. P. Ignat.

IN maris periculis B. Ignatij ope mansit incolumis, quippe cuius imaginem contra procellas ex alto, conspicuam omnibus, appendebat. In Philippinis, alijsque missionibus, quà docendo in Scholis quà ad populum dicendo, & labores, & fructus tulit egregios. Ita Barbari, eius pro re orthodoxa conatus pertæsi, illum non semel insidiosis in locis ad necem sunt præstolati, at ille, & aliàs, & etiam tunc mansit incolumis cùm illi templum, ac domum nostram flammis iniectis aboleuêre. Longum esset percensere difficiles illius expeditiones, mirabilem in dicendo efficacitatem ad emollienda corda nefaria, magnas cęli voluptates inter cibos fastidio potiùs mouendo, quàm sedandæ fami aptos. Vnicè optabat, nullam sui vspiam haberi memoriam, nisi in precibus. Inter alia ex alijs iusta funebria, quæ illi Sodales Mariani, & varij circùm incolæ persoluêre, vt Patri, Taitayenses præter pullam vestem, quâ dolorem testati sunt, molem quoque mortualem in templi medio posuêre, ac bis in terga sua verberibus voluntarijs sæuiêre. Internæ sui cultioni magnoperè intentum fuisse arguunt ea quæ de illo annuæ Philippinæ; & ibidem pag. 799. Diuinæ perfectiones in annum seu menses duodecim, distributæ.

Fides.

P. IOANNES MEAGH, ET DVO SOCII.

Hibernus in Bohemia. 31. Maij 1639. ætat 39. Soc. 13.

IN Bohemia per iter ab hæreticis rusticis trucidatus est. In odium Catholicæ fidei patratum id esse, illud est argumento; quòd ijdem hæretici rustici alios qui vnà iter habebant, innoxios, imò benè sperare iussos, dimiserint. In diuino Sacrificio, & inter colloquendum de diuinis, ardore singulari flagrabat. In Hiberniam è Bohemia rediturus, Exercitia obibat S. P. Ignatij: quo tempore oborta illi est fiducia singularis, sanguinis pro Catholica fide fundendi. Socij, qui sum eo tune cecidêre, fuêre Coadiu-

Exercitia.

tores duu; alter *Wenceslaus Trnoska*, de quo nihil accepi; alter

MARTINVS IGNATIVS COADIVT.

Ibid. ætat. 63.

HIc magno martyrij desiderio flagrabat semper; imo & spe: ad quam putatur diuinitùs fuisse erectus. Diuino Eucharistiæ Sacramento pastus, dulcissimè lachrymabatur. In colenda Virgine Beatissima erat assiduus; eamque amoris tenerioris flagrantiam ex ipso Matris diuinæ vultu aliquando spectato hausit, aut potiùs, ampliùs inflammauit. Creditur enim aliquando illi Virgo Beatissima se spectabilem præbuisse. Eu. l. B.V.

MEN-

MENSIS IVNIVS

PRIMO DIE

P. IACOBVS SUAREZ.

Hispanus Murciæ. 1. Iunij 1566.

HVnc Valentiæ iratus Pater quod Societatẽ deserere nollet, in templo stricto ferro aggressus est, vt illum vel è vita, vel è Societate tolleret sed Iacobus illum in Collegium abductum prudenter tranquillauit. In Societate, Missionum industriâ; dexteritate; labore præstans, & magni nominis vir fuit Iacobus. Verecundum illi domi silentium, & modesta lætitia: lingua potissimùm, adducto semper fræno, vigil, ne quà offenderet. Eapropter post consuetum à mensa colloquium, statim introspiciebat in sese, an non dixisset aliquid, quod silentium potiùs meretur. Os, oculi; vultus hominis erant, velut orantis perpetuò, noctis quoque parte, non minimâ orando exactâ. Murciæ S. Claræ moniales semel atque iterùm nunciauêre ad Collegium, supra tectum Collegij flammam, & grande incendium apparere. Pater Minister, & Ianitor nil in Tecto vident, & particulatim lustrant cubicula, inueniunt orantem in conclaui Iacobum, atque â terra sublimem, neque quicquam eos, qui aderant aduertentem. Accitus Rector idem conspexit. Mors illum opportunè occupauit cùm S. P. Ignatij exercitia obijsset.

Lingua.

Oratio.

Exercitia.

IACOBVS RVIZ COADIVT.

IN *coci* munere per annos 30. magno labori magnam pietatem in diuino potissimùm Sacrificio audiendo coniunxit. Noctis quoque partem laboribus dabat, vt manè sacrificijs pluribus interesse posset. Beatæ Virginis Officium, vsu perpetuo attriuerat, sed illud persona nobilis ab eius morte in pretio habuit. Totis 30. annis, ne semel quidem petijt domo exeundi facultatem, vt animum relaxaret. Pro hoc mortuo Alphonsus Rodriquez Coadiutor Beatissimæ Virginis Coronam recitabat, cùm illum in cælo læto aspectu hilarem ad Beatissimæ Virginis Matris latus, ceu addictum semper, & charum Deiparæ clientem, aspexisse sibi est visus, & ab eadem iussus, eâ de re alios etiam reddere certiores.

Hispanus in Insula Maiorica. 1. Iunij 1601. Soc. 33.

Mortific.

B.V.

P. ANDREAS BARPI.

HVnc Patauij litteris operam dantem, & inter coortas rixas igneâ glande in tibia vulneratum prostrauit, ac lecto affixum, eâ occasione expergefecit ad æterna Deus. Societati adiunctus, absolutæ ad omnem religiosam laudem virtuti se dedit, adeò vt venerationi esset, ac etiam admirationi magna eius modestia, precandi stu-

Italus Romæ. 1. Iunij 1630. æt. 49. Soc. 26.

dium, sui victoria, dexteritas obediendi, & gubernandi. Pestem, & mortem hausit inter obsequia gloriosæ charitatis.

Charitas.

BLASIVS SCHELLING COADIUT.

Germanus Eberspergæ, 1. Iunij 1632. æt. 78. Soc. 53

INtegerrimi ad vigilandum, orandum, laborandum exempli vir, cùm, irrumpente milite Suecico, hæreticis S. Sebastiani reliquias, ac thesaurum prodere iuberetur, fronte funi contorto constrictâ arbori alligatus; IESVS MARIA, aiebat, thesaurum non scio. Quare funis & caput illi gladio fissum est, cerebrumque dispersum; cadauer simo contectum.

Reliquiæ.

II. DIE IVNII.

P. LVDOVICVS CORBINELLVS.

Italus Romæ. 2. Iunij 1591.

ADerat anno 1559. in Gallia lætò primùm, sed postea tetro spectaculo Ludouicus, quando Henricus II. Galliæ Rex Elisabethâ filiâ Philippo Hispaniarum Regi, alterâ Claudiâ Lotharingiæ Duci Carolo, Margaritâ sorore Emanueli Sabaudiæ Duci collocatâ, ipse in certamine hastâ colludens; in oculo hastæ fragmine ita est vulneratus, vt vndecimo post eas nuptias, & certamen, die mortem oppetierit. Et sic exitium tandem pro exitu habere humana gaudia sapienter meditatus se Societati addixit; quam, & virtutibus, & collatis in Collegium Romanum beneficijs, impensè ornauit. Decumbebat in Romano Collegio eodem tempore quo Beatus Aloysius; & hac nocte Aloysio absenti licèt alio in conclaui apparuit, vt narro in pretiosis occupationibus morientium, vbi sic: Beato Aloysio, tertiò visus est, vehementi dolore velut æstuans, & dicens. Tempus est, mi frater, iam me Deo enixè commendandi, eumque adorandi; vt hanc acerbitatem grauis, & periculosi doloris, quo discrucior, patienti, fortique animo ferre possim, quando, nisi singulari Dei ope confirmer, eum, prout par est, me ferre posse diffidam. Paulò post iterùm se illi ostendit, vehementiùs etiam, quàm priùs obtestans, vt ardentibus precibus, subsidio veniret. Denique tertiùm Aloysium sic compellat. Iam, iam mi frater huius miseræ vitæ calcem propè contingo. Ora Deum, vt hanc migrationem feliciter euenire, proque sua benignitate, me immortali gloria beare velit. Ibi me, pro te vicissim precari, non fugiet. Et illa ipsa nocte mortuus est Pater Corbinellus: de quo B. Aloysius P. Bellarmino dixit: absque mora Purgatorium transijsse.

Vocatio.

Mors.

P. ANTONIVS SARDVS.

Siculus Messanæ. 2. Iunij 1592.

FOris ante initam Societatem fuit magni per Siciliam nominis Medicus. Verùm auditâ manifestâ voce ex alto lapsâ, quæ dicere videbatur: *Veni post me: faciam, te fieri medicum animarum.*

Vocatio.

Vide 8. Aprilis hìc.

MICHAEL

MICHAEL HERRERA COADIVT.

Hispanus. Romæ 2. Iunij 1593. ætat. 81. Soc 24.

HIc vtramque fortunam expertus, cùm authoritate valeret, se tamen ad humilitatem Coadiutorum in Societate demisit. De illo Collegium Romanum ita scribit: Is iam grandis natu Societati se adiunxerat tædio rerum humanarum. Nam vt erat genere, consilio, authoritate excellens, carus fuerat Carolo Quinto Augusto, Cuius missu primùm in Anglia apud Reginam, deinde Constantinopoli apud Solimanum Turcarum Imperatorem legationem obierat. Sed bello inter Carolum, & Turcam exorto, diu in vinculis habitus, vt primum euasit, mortalem cum æterno Domino commutare decreuit. Erat iam propè sexagenarius, sed corporis, ac virium robore præditus. Adscitus in Societatem, etsi consilio, ac rerum humanarum vsu longè præstabat, tamen quò magis excellebat, hoc se gerebat submissius, & ad seruilia officia libentiùs descendebat. Illud autem maximè memorabile, quod cùm Pater Franciscus Borgia Præpositus Generalis ei sacerdotium deferret, atque, vt acciperet vehementer instaret, Herrera, constantissimè recusauit, se tanto munere indignum prædicans, sibiq́ue longè optabilius esse humilem, abiectamque vitam degere. Quod quatuor, & viginti annos, quibus in Societate vixit, perpetuò fecit vir externis æquè, ac nostris propter amabiles mores, egregiamq́ue in omnes charitatem vnicè carus, & scilicet insigni Christianæ humilitatis exemplo memorandus.

Humilitas.

P. ANDREAS DE CAZORLA.

Hispanus. Hispali. 2. Iunij 1649. ætat 82. Soc. 65.

HIc etiam inter Hispalenses heroes occubuit magna victima charitatis vbi de illo in annum 1649. ita scripsi: Hunc inter prima sua decora laudat Bœtica, virum potentem authoritate operis, ac sermonis, & virtutis ordinariam supergressæ, siue tertij anni Patres erudiret ad summa sanctimoniæ compendia, siue sacras expeditiones adiret, siue per Vrbes Christianæ fidei rudimenta doceret, paruulosq́ue duct aret, ac velut scintilla in arundineto, etiam in deuexa iam ætate, discurreret; siue ad Nostros Rector, aut externos pro Concione diceret, siue pro sacro Tribunali assiduus, & magno pollens consilio, ac animorum tractandorum peritiâ, sederet; siue familiari colloquio vteretur; vbiq́ue magni nominis, & ad voluntates Deo deuinciendas persanctè dexter, hisce laboribus, die noctuq́ue imminebat. In ipsis quoque diuersorijs, diuisam in choros familiam vnà cum Patrefamilias, vt è ritu Rosarij Deiparæ salutem angelicis verbis repeteret persuasorijs artibus adducebat; partem in omnem felices impetus capiebat, vbiq́ue id, quod vnum præ alijs necessarium est omni eloquentiæ suæ vi, & arte inculcans, vt detestabilem noxæ mortalis diritatem pernosse omnes discerent, ac odisse.

Concio.

P. Alphonsus de Miranda. Vide 3. Iuiij.

III. DIE

III. DIE IVNII.

P. PETRVS VRAGONITIUS.

Croata Zagabris. 3. Iunij, 1617.

HIc nobilis, tunc adhuc adolescens, nomen in Societatem dederat, cùm ex insidijs in capite fuste vulneratus, & ad extrema redactus, clarâ luce Christum specie resurgentis, & cum eo Beatissimam Virginem vidisse dicitur audiuisseque hanc dicentem. Quid huic, an id, quod petit faciemus? Respondit Matri Christus: sine, mater; modicum opus est, vt laboret. Et confestim consanuit, per 30. annos per Vngariam, & Croatiam eximius in omni munere cathedræ, Pulpiti, ac reliquis officijs. Vnus hic fuit è duobus, qui Societatem in Croatiam induxêre.

Christus. TV.

Operarius.

P. QVINTINVS COVSIN.

Belga in Goano Itinere. 3. Iunij 1618.

PIetate, modestiâ, studio animarum fuit insignis cùm viueret: moriens agebat gratias Deo, & optabat breue, quod reliquum erat temporis, patiendo transigere. Is, qui adfuit morienti scribit, illum in ipso mortis, ac vitæ vestibulo in hæc verba sensu magno identidem prorupisse: *Arcta via, quæ ducit ad Cælum, arctior, arctissima.* Terrorem hæc incussêre; ac lacrymas excussêre non paucis, ita illa repetebat, ita suo metu omnes erudiebat. Mox oculis in cælum sublatis, & iunctis manibus paratè conquieuit in suauem mortem admirandæ virtutis cognomento vulgo laudatus.

Mors.

P. FRANCISCVS DE MENDOZA.

Lusitanus Lugduni. 3. Iunij 1616. ætat. 54. Soc. 39. *Vocatio.*

NObilitate, ingenio, pietate inter paucos illustris, Domi cunclusus tenebatur, ne ad Societatis tyrocinium proficisci posset, quod vrgebat, per fenestram ausus est sese dimittere ita euolauit, Orator, Philosophus, diuinæ Scripturæ Doctor, Ecclesiastes, Superior, scriptor ac religiosus talis, vt Præpositus Generalis illum in his omnibus dixerit virum numeris omnibus absolutum. Honoris mirum in modum fugitans, nunquam de vllo mortalium non honorificè locutus est. Ad Regulas ita vigil, vt nullus illum vllius legis laxatę reum vnquam aduerterit. Summum laborem coniunxit cum summo ingenio. Prandium illi tenue; cœna vix vlla; quotidiana sui verberatio, Concio numquam sine cilicio. His ille actibus virginitatis perpetuæ decus feliciter custodiuit.

Regulæ.

Obed.

Concionat. Mortific.

IV. DIE

IV. DIE IVNII.

P. ALEXANDER GEORGIVS.

Gallus Parisijs. 4. Iunij 1621. æt. 78. Soc. 53.

IN hoc viro, cùm Parisiensi Collegio Rector præesset, ac in teterrimum carcerem detruderetur, & pro Tribunali, Regiæ necis intentatæ, adeoque læsæ Maiestatis reus ageretur; & innocentia, & mirabilis animi fortitudo religiosè triumphare est visa. In ærumnosis ergastuli tenebris, tenerrimus illi vsque ad vberes lacrymas pietatis fuit sensus; animus verò tam sui compos, vt pro Tribunali eos, quos aduersarios habuerat, habuerit salutis, ac libertatis suæ acerrimos defensores. Difficillimis obsidionis famis, ac tetræ illius infamiæ temporibus gubernauit, vultu semper ad charitatem composito, & prudentiâ nullo timore attritâ. Ita Parisiense Collegium, ita Domum Professam, ita Prouinciam Aquitaniæ rexit. Pauperum, & paupertatis fuit valdè studiosus. ad omnem dictis parendi facilitatem tam cereus, etiam senex, quàm vllus tyronum esse, aut solet, aut potest; tam fortis, vt prouerbiò diceretur, illum si quidem iuberetur, id quoque ausurum quod nemo alius auderet. Vnde non sine intolerantiæ quodam sensu infensus erat illi inertiæ, quæ audet labores ab obedientia præstitutos excusando declinare, atque alienis humeris tentat inijcere. Morientem tenerrima pietas, & fortissima inter calculi dolores patientia coronauit.

Patientia.

Obed.

P. CORNELIVS BEVDIN GODINEZ.

HVnc nullius vnquam violatæ nostræ legis reum fuisse dixêre attenti quidam, qui eum pernouêre. SS. Eucharistiæ Sacramentũ septies quotidie visitabat. Cùm in Indiam proficisceretur, fœmina sanctimoniæ opinione celebris illum hortata est, vt iret porrò; quippe vitam istic morte in fidei odium inferendâ feliciter clausurum. Per trimestrẽ Cynaloanæ, ac Mexicanæ linguæ artem ita perdidicit, vt illam ad leges Onomasticumque scitè redegerit. Crucis signum pro templi propylæo, tanquam fidei labarum, defixit. breui post ab irruente Ethnicorum manu, Sabbato, inter probra, quòd Hispanis sacrificijs sacrificulus ipse præesset, quodque indigenas peregrino dogmate ab idolis auerteret, ad templum & aram vsque, non sine copiosâ sanguinis effusione pertractus est. Inde verò in templi atrium iterùm, ac cœmeterium, & ibi variè hac atque illac ad crucem vsque raptatus, in eiusdem crucis amplexu hærens, dum adducto vtrinque fune strangularetur, bis Indicâ clauâ percussus, telisque confossus & internectus est; sacrificulo barbaro in sacrificali veste sacris aris insultante. Post biennium eius corpus incorruptum repertum esse perhibent qui vidêre; dicentibus barbaris; illum fuisse occisum non aliâ de causâ, quippe in omnes amicè beneficum, quàm quòd Indorum, ac maximè tenerioris ætatis, capita, aquâ perfudisset.

Belga apud Tarauma-renses. 4. Iunij 1650. ætat. 40. Soc. 15.

Euchar.

Fides.

P. IACOBVS VALESIUS.

Hibernus VVaterfordiæ 4. Iunij 1650 æt. 33. *Charitas.*

OCcubuit hic heros inter Victimas charitatis cùm laboraret apud peste contactos. Angelica illi anima, & corpus ab omni impudicitiæ sorde semper immaculatum, ac felix citra omnem grauiorem noxam vitæ totius innocentia, arque ad illustre illud mortis decus. Cuius mortis aggressioni par fuit, & nusquam imparatus, fælici ad nobilissimos quosque Ecclesiæ asserendos ingenio ac monendi arte præstans, quanto maiore comitate tanto feliciore efficacitate.

V. DIE IVNII.

FRANCISCVS LOPEZ COADIUT.

Hispanus Limæ in Peru 5 Iunij 1610 æt. 85. Soc. 41.

ANte initam Societatem lauta illi domi res erat, cuius trifariam diuisæ, partem Patribus sancti Francisci, alteram iis, qui ad eius portam aduentabant pauperibus, tertiam suæ domûs vsibus impendebat. E Generali Regni Peruani Visitatore Societatis Coadiutor factus est, quicquid illum ad sacros ordines inuitarent Superiores; & Archiepiscopus, ac alij flagitarent: Linguæ suæ hanc legem posuerat, & seruabat, vt rarò, parùm, & nonnisi vrgente necessitate loqueretur. Pluribus occupatus, tantâ dexteritate, ac pietate agebat omnia, quasi nihil agendum haberet, nisi cælestia. Orandi, & lachrymarum dono fuit præstans. Mortem, quâ prædixerat horâ, oppetijt. Plura de illo in vita.

Humilitas.

Lingua.

P. BERNARDINVS ROSIGNOLIVS.

Italus Turini 5. Iunij 1613. Soc. ingr. 1563.

DVlcis illi, & ad rectionem aptus natus agendi tenor. P. Iosephus Alamannius in suis ad Patrem Mutium Vitelleschum Italiæ tunc Assistentem 9. Iunij datis ait, rem esse certissimam, quam narrabo, sibique plenè vigili contigisse. Afflatum se, ac suaui complexu constrictum, & a lectulo non nihil eleuatum à vento, seu aurâ quapiam, quæ a ianua veniebat. Sensisse tunc se tenero quodam gaudio aspirari, ac subortum sibi lumen quoddam in quo citra vllam dubitationem peruidebat hanc significationem amoris esse ab anima Patris Bernardini Rosignolij, quæ tunc migrarat è corpore. Exclamasse se confestim: ô Pater, ô Pater! illo verò euanescente adiecisse: Obsecro fiat in me Spiritus tuus duplex. *Mox requiem æternam* illi de more precatum: & ad fuisse, qui Patrum Bernardinum expirasse nunciabat. Id verò ab illo sibi eò factum interpretabatur pro grati animi signo, quòd heri pro felici illius transitu diuinum sacrificium obtulisset. Quinquennio, à morte cadauer illius integrum,

Mors.

Cura morientium.

grum, illibatumque, ac recens fuisse testati sunt, qui vidêre Illius in Asceticis peritiam testantur libri ab illo conscripti.

P. IOANNES DE RIBERA.

Hispanus Manr. 5. Iunij 622. ætat. 57. So. 40.

AD Societatem venit, illa sibi canens: *Fallax gratia & vana est pulchritudo*: eâ occasione quòd consanguineæ cuiusdam suæ pulchritudinem, tantâ oculorum admiratione laudatam, vidisset in morte repentè miserandum in modum fœdatam. In Philippinis, & docuit, & rexit; difficillima negotia, & nauigationis ærumnas feliciter exantlauit. Si à Superiore moneretur, vocem illam lubens accipiebat, tamquam à Dei monentis ore profectam. Nunquam Socium, nunquam famulum ad cubiculum curandum admisit, etiam cùm præesset. Plures illi noctes oranti inter lacrymas effluxêre. Adolescens cum esset, obscœnas procacis fœminæ preces, & semel vim quoque, superauit, quando cum vestis partem, quâ tenebatur a reliquâ veste auulsam reliquit in manibus impudicis, & fugâ, pudicitiæ suæ consuluit. Beatissimam Virginem pudicitiæ suæ custodem coluit, nec vnquam de illa sine lacrymis ad populum loquebatur. Supremus morbus, illum à capite vsque ad calcem magnâ vulnerum fœditate impleuit, gratias semper Deo agentem, & Iobi historiam ex ore anagnostæ audientem. Mortis, ac æternæ vitæ responsum diuinitùs dicitur accepisse & quâ prædixerat die, fœlix mortem oppetijt.

Vocatio.

Humilitas.

Oratio.

Castit.

B.V.

Patientia.

P. IACOBVS TONERA.

Hispanus Mant. 5. Iunij 1627.

FVit primus Rector Collegij Mantesani 32. quadragesimarum conciones magno labore, gratiâ, emolumento animarum exantlauit; etiam in missionibus mirè felix & inclytus. Ad locum quendam noctu appulsus, audiuit magnam istic pluuiæ necessitatem esse. Postridie sereno cælo pulpitum conscendit, & magnâ vi dixit contra peccata quæ cælum aperiri non sinant. Vnde copiosæ lachrymæ ab audientium oculis fluxêre. Et antequàm è templo pedem efferret, optatam à populo pluuiam cælum affluenter effudit.

Concio.

Pœnitentia.

Oratio.

VI. DIE IVNII.

P. FRANCISCVS HENRIQUEZ DE NAVARRA.

Hispanus Eboræ 6. Iunij 1561.

EXperrectum illi erat ad singula, quæ agebat piè, accuratéq; peragenda ingenium. Eapropter singulis, & proprijs ad officia singula precandi formulis meditatè conceptis vrebatur, & *Gloria Patri*, & *Filio* &c. addebat, vt illa Deo in holocaustum offerret, ac se ad illa optimè obeunda sic perurgeret. Ter quotidie humi prosternebat sese, amori, & honori sanctissimæ Trinitatis. Coronâ Deiparæ quotidie, ac Sabbatis etiam officio Beatæ Virginis recitato, gratias agebat Deo pro amore omni, & omnibus Deiparæ ornamentis. Acerrimus linguæ suæ custos erat, & impetus illos, quibus lingua per incon-

Oratio.

Cultus sanctiss.mæ Trinitatis.

B.V. Lingua.

siderantiam fortè abripitur, torrentes vitiorum, errorumque vocabat. Æger impensè à Deo petijt, vt hîc purgatorij pœnas exolueret, dolorum supplicio. Et verò impetrauit, ingenti dolorum examine miserrimè cruciatus, quasi mille telorum generibus laniaretur, suauissimâ postea lætitiâ succedente vsque ad mortem.

P. IOANNES GONZALES.

Hispanus Huetæ 6. vel 16 Iunij 1583 ætat 30. Soc. 13.

PEracto Romæ feliciter studiorum curriculo, in Hispania Philosophiam docuit, & conscientiæ quæstiones. Madriti adolescentem à dæmonis consortione abduxit, & expiauit, fremente dæmone, ac se in adolescentis conuersi conspectum dante, & questo, quòd cum Societatis homine egisset, ac nominatim cum Ioanne Consaluio qui multas ex inferni faucibus animas rapuerit. Tamen Consaluij consilijs, precibus, afflictationibus pro adolescente susceptis, dæmon planè pulsus deinde nunquam comparuit. Hic idem Ioannes postea animam suã pro æterna cuiusdam salute deuouit. Rem omnem Orlandinus ità narrat in Collegio Huetensi: vt planiùs, inquit, intelligatur quàm hanc confirmandi migrantes animas consuetudinẽ Deus approbet, silentio præteriri non debet, quod de Sacerdote nostro, religionis, officijque laude præstante nuntiatum est. Is diuino consilio tum maximè in morbum incidit, cùm satis bellè se haberet; & quamquam medicorum sententiâ nihil in eo morbo putabatur inesse periculi, is tamen exploratum sibi esse dicebat, eo sibi pereundum esse: cùm medici negarent, ille tamen affirmaret, & in eo perseueraret; Rector amotis arbitris hominem rogat, vnde tandem id haberet exploratum? Respondit se ad quemdam exeuntem de vita biduo ante cùm accessisset, multumque ad Ecclesiæ recipienda mysteria in eo cohortando frustra sudasset, tandem ad Sacrificium discessisse; in eoque dum filium Dei gereret inter manus, supplicasse Patri per Vnigenæ sanguinem, ne hominem sine Sacramentis sineret interire; seseque, & suum caput pro eius deuouisse salute: continuoque sibi visum esse Deum id quod postulasset concedere, & quod obtulisset, accipere. Sacrificio autem vix peracto, illum clamare cœpisse, vt confessionis causâ sibi Pater adesset. Adfuisse se; hominemque absoluisse. Tum piè illum è vita horę circiter interuallo migrasse. Quare æquum nunc, inquit, est, vt promissi munus exoluam, quo quidem incredibili cum voluptate perfungor. Itaque ad eam horam, quam supremam sibi esse compererat, sese comparans, cessit è vita, non minore suo gaudio, quàm ciuitatis exemplo. Habet eadem Nieremberg. to. 4. pag. 745. sed ait 16. Iunij obisse.

Zelus.

Charitas.

Morientes.

Sacrum.

Mors.

P. SEBASTIANVS VIERA, ET QVINQVE SOCII NOVITII.

Lusitanus Vendi. 6. Iunij 1634. ætat. 63. Soc. 45.

SParsæ sunt per Iaponiam illius imagines; vt agnitus teneretur, id facturo promissis aureis mille quingentis. Cùm paulò ante quàm caperetur diuinum sacrificium celebraret, is qui sacro aderat Paulus homo Christianus, in cuius domo id fiebat, retulit visum sibi videre Christi sanguinem veluti spumantem in calice. Capto illo, magnus plausus coortus est, quod Romanus ille Sacerdos (ita eum appellabant quòd Romæ fuisset Procurator) iam vinctus esset. Capti cum illo

Sacrum.

illo quinque alij, quos id flagitantes in carcere, pro ea quâ Prouincialis loco fungebatur potestate, ad Societatem admisit. Ad Regem accitus, per interpretes illi respondit; cùm coram non daretur, ne conspecto Rege liber euaderet, iuxta eam istic legem quæ reos Regem videntes absoluit. E carcere scripsit; parùm fore si centum vitas, aut si mille corpora, haberet quæ Deo redderet pro actione gratiarum. Tanto se gaudio perfundi, vt vel pro minima eius parte satisfieri posse neget, etiam perpessis omnibus quæ ab vllo vnquam tolerata fuêre tormentis. Cùm Iapon reus (ad terrorem illi incutiendum) coram illo fidiculis torqueretur, & horrendus cruciatuum apparatus illi ob oculos poneretur, inuitareturque ad Deum deserendum, respondit: Se tres iam & seraginta natum annos à Deo beneficia plurima, & maxima, ab Imperatore autem non nisi compedes accepisse; Deum immortalem, hunc mortalem esse; nunquam se à fide abiturum, vllâ spe, aut metu eorum quæ Imperator possit seu promittere, seu minari. Iussus fidei nostræ summam scripto complecti; totâ 14. horarum intercapedine scripsit, & breuiter illam digessit à conditi orbis exordio, vsque ad extremum diem iudicij. Imperator in eo commentario legens ea quæ ille de immortalitate animæ illi lucubrationi inseruerat, exclamauit: *Bonus est hic Bonzius Europæus! Et si hæc vera sunt, quid nos miseri: quid nobiscum fiet?* Verùm suasu auunculi, Sebastianum neci addixit. Ergò ille ad scrobem ducitur, & causa supplicij conscripta præfertur; *quòd fidem Christianam prædicasset contra Imperatoris edictum.* Vnà cum quinque illis quos in carcere in Societatem coptarat Iaponibus, toto quod super genua est corpore in foueam è pedibus pependit per totum triduum, illis quoque superstes. Et iam antea prædixerat, se tormento fossæ non moriturum. Suppositò demum igne cruciatus est, & combustus, cùm ei viuenti priùs viscera fuissent sensim extracta, vt scribit eius socius P. Albertus Mecinski.

Regis aspectus.

MICHAEL PEREZ
COADIVT.

HVnc è Collegio ad pestè contactos abeuntem omnes benedictione sunt prosecuti. De illo ita scripsi in Heroibus, & victimis charitatis: sexta Iunij dies inter ægrorum turbam occupauit Michaelem Perez, posteaquam impetratæ sacræ illi prouinciæ per dies xv. inter ducentos lue illâ prostratos impiger ad vltima quæque medastinorum officia perpetuò adstitisset magno ægrorum, & Patris, cui adiunctus erat, ac eorum, qui pro Magistratu rem omnem gubernabant solatio. Antequàm discrimen illud ingrederetur, ad singulorum, qui tunc fortè à mensâ religiosè colloquebantur, Patrum pedes demissè prouolutus, & eos exosculatus, benè sibi à Superiore, benèab omnibus dici petijt; & se hilarè ad præstitutum locum contulit. Viuacem genium, quo flagrabat semper experrecto studio, ac diligentiæ robore subigebat, in omnes patiendi occasiones præparatâ mente intentus, modestus, atque ad perpetuam sui victoriam orandi præsidio visitando Sanctissimo Sacramento, & pertinacibus culinæ laboribus vsus; cùm, & promi condi, & culinæ officia perdiligenter, perite que tractaret; Valetudinario quoque perattentè ad omnia, quæ Medicus, quæ infirmi, quæ totaeius muneris ratio exigebat, temporum, ac rerum puncta promptus, & exquisitus; ita vt Coadiutorum plu-

Hispanus Hisp. l. 6. Iunij 1649. ætat. 18. Soc. 7.

Charitas.

rium sicut labores, ita laudem vnus hic tulerit, & ignauis generoso exemplo præiuerit ad vires Deo totâ prompti animi, & corporis alacritate impendendas; experrectis verò, ad generosam indolem oratione, ac visitandi domestici hospitis Christi officijs, denique magnâ laborum assiduitate subigendam.

VII. DIE IVNII.

P. BARTHOLOMÆVS SANCHEZ.

Hispanus. Rubayeni. 7. Iunij 1642. ætat. 29. Soc. 11.

NAtus ex voto, quo Deo à parentibus antea sterilibus deuotus est Paruulo pompæ sæcularis horror ab ijsdem iniectus, dicentibus; diuites superbos ijs quibus cum pompa vehuntur splendidis curribus, velut auriga dæmone, ad infernum vehi suæ salutis oblitos. Videbatur sibi sensu intimo ad imitationem S. Xauerij permoueri, quòd eum videret suo ingenio valdè esse cõsentaneum. Et profuit id acriter præstitisse. Sanguinem è pectore quà cor iacebat elicuit, & chirographum eo sanguine conscripsit, quo se Deo per Xauerium in salutem Iaponiæ deuouebat. Is erga Xauerium ardor illi exprobrare videbatur, si calceos nouos, pileumve, aut aliud vsui suo opportunum, admitteret; quasi parùm addictus ei paupertati quam exemplo suo docuisset Xauerius. In eodem, suaue, præsentissimumque præsidium inueniebat tuendæ in nitida sanctimonia puritatis, quicquid imaginum castæ menti obstreperet; visis aliquando etiam terris laruis, quæ abibant, cùm ille solito magis afflictus opem Xauerij imploraret. Videbatur quoque id velut à Deipara edoctus interno monitu, vt ad hanc victoriam patrono Xauerio vteretur. Cõcinnatos à P. Mastrillo Xauerij titulos, instar Litaniarum quotidie recitabat. Aliquando Crucem ferre se debere didicit, cùm 1. Decembris coram sui Xauerij effigie supplex, totam eius imaginem Cruce ingenti toto corpore coopertam vidit. Patiebatur tunc ille dulcioris è cælo auræ solatiorumque penuriam; & ad plures id genus, alasque corporis atque animi molestias æquo animo ferendas est mirificè incitatus. Animo anxium, an ritè initiatus esset, ac per nouem dies pro litanda primi sacrificij hostiâ se parantem, ipso Deiparæ natæ die manè ante quàm sacrificaret vox diuinitùs confirmauit, quæ illum hortabatur, vt se in Sancti sui manibus relinqueret, pati, & eum imitari paratus: primamque hostiam Deo pro acceptis ab illo per Xauerium beneficijs offerret. Ita illi animus conquieuit. Crucis in imagine Xauerij ostensæ mysterium compleuit mors, quàm obijt à barbaro sicâ in gutture vulneratus, alio ei caput bifariam dissecante.

Educatio.

S. Xaver.

Cor.

Paupertas.

Castitas.

B.V.

Cruc.

Pati.

B.V.

B.Xaver.

VIII. DIE

VIII. DIE IVNII.

P. IOANNES DARIUS.

Italus in Ciuit. S. Iacobi. 8. Iunij 1633.

CVm Iuris Doctor esset, videretque causâ iustissimâ cecidisse quempiam pro tribunali propter potentiam partis aduersæ; vt seculum nequam fugeret, Societati adhæsit Romæ 4. Octobris: visus aliquando auditâ de diuino amore super mensam lectione languere; viribusque plenè destitui. In Domo Professa, in Collegio Romano, in Coll. Græco erat omnibus omnia. Surgebat aliquando noctu, & cacabos in culina, reliquamque supellectilem poliebat. Cùm in platea audiret voces quibus Deus fortè offendi poterat, in cubiculo se acriter flagris accipiebat, Deum precatus, vt corda peccatorum suo amore vulneraret. Hæc Romæ, nec semel. In Peru, in Paraquaria passim zelo mirabili ardua plurima exantlauit. Vestitus dormiebat semper: nec patiebatur vllum ad ægrum noctu exire; verum ibat ipse. Capitalis hostis peccato dicebatur vulgò. Pro lectulo illi erat asser, aut sella in qua sedebat breuem non nisi trium horarum quietem captans idque per annos 40. Inter iaculatorias aspirationes hæc illi crebrò in ore versabatur: Domine, da mihi fidei, spei, & charitatis augmentum. E cubiculo exiturus, eò redux ad Crucifixi pedes prouoluebatur. Vesperi nunquam carnibus vesci voluit, sed siccis fructibus, vt minùs dormiens, plus oraret. Vt duros conuerteret, id per illorum custodes Angelos conabatur. Cuidam felicem fœminæ in periculo paulò ante constitutæ partum nunciaturo dixit omnia quæ ille nunciaturus accurrerat.

Vocatio.

Humilit. Zelus Mortif.

Iaculat.

Cruciſ.

Ang. cust.

P. CORNELIVS DE MOOR.

AVsterâ in seipsum duritie memorabilis Pater Cornelius. Tenuis illi constitit corporis valetudo, & tamen aculeatis flagris in seipsum adeò sæuiebat, vt aspersi sanguine cubiculi parietes id luculenter testarentur. Reperta sunt plura etiam strophiola, sanguine illius imbuta quæ sibi applicabat (id quod etiam Sanctum Patrem Ignatium factitasse in ijs qui in eius cubiculo asseruantur pannis lineis comperimus) vt è lacero corpore sanguinem combiberent, ne linea, & lanea vestes cruentaretur.

Belga Ruremundę. 8. Iunij 1644. ætat. 53. Soc. 30.

Mortiſ.

P. ALVARVS DE MONSALVE.

PVlcherrima quædam in illo castæ modestiæ lucebat authoritas. De illo sic habent mei heroes & victimæ charitatis. In ijs. quæ castæ modestiæ sunt, ea in illo fuit mentis firmitudo vt ægrè adduci portuerit, vt vel sorores suas inuiserit. Silendi tam accuratus artifex, & linguæ custos, vt etiam ea, quæ à mensâ colloquio destinata est horâ, (Hispani quietem vocant) linguæ suæ fideli silentio circumscribendæ memor, tempore loquendi quoque tempus aliquod tacendi prudenter inuenerit, diuino sacrificio perquàm religiosâ corporis, vocis, & quod

Hispanus Hispali 8. Iunij 1645. ætat. 50. Soc. 33.

Castitas.

Silentium.

quod præstat, animi compositione, horæ dimidiæ spatio productior potiùs erat quàm breuior agendis deinde gratijs liberaliter, vt hospiti tanto gratificaretur, anniſus. Vestitus illi talis, qui & ipse paupertatis perquisitæ non anceps index esset. In cubiculo paucis libris, & duobus icunculis instructo, ipsa illi studiorum, ac pietatis ratio erat non immemor paupertatis. Nulla magnificentia, nulla elegantia supellectilis curiosæ, nulla in verbis magniloquentia; nullo, quod aiunt diuinæ litteræ, *extollentia oculorum*, quos ille castissimâ custodiâ septos tenebat, custodes corporis, animique castimoniæ studio in se intenti: quemadmodum vice versâ, *fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius cognoscetur*: quam ille modestiam, veluti oculorum dotem, cùm semper, tum coram Superioribus potissimum perpetuam habebat, cùm aut illis loqueretur, aut loquentes obedienter audiret. Multos illa oris modestâ semper pace tranquilli compositio ad illum in conscientiæ consilijs, & in Sacramento pœnitentiæ pertrahebat, quos ille vicissim, & suos quoque discipulos, ad interuisendum persæpè in Eucharistia Dominum enixè inuitabat, inuitamentis perappositis, & exemplo etiam in domesticos luculento. Aliàs quoque cùm pestis loca quædam infesta teneret, se Præposito Prouinciæ offerebat, vitam in supremum exitium obiecturus. Verùm id illi nunc primùm licuit, cùm publico inuoluta luctu Hispalis, miserabili tempestate istud quoque in omnia pulcherrimæ charitatis munia officiosum caput inuoluit, illo pietatis officijs ac vitâ illâ morte perfuncto quæ deceat victimam charitatis. Similis mors eodem die rapuit *P. Ferdinandum Negrales*; de quo ibidem inter alia dicitur illum fuisse virum, qui se totum dederit in Spiritus potestatem. Sacramenta facilè centenis quotidie ministrauit; & alia illo digna.

Paupertas.

Modestia.

Euch.

P. VINCENTIVS CARRAFA PRÆPOSIT. GENERAL.

HVic tum puero diuinum Sacramentum porrigens Pater Iulius Mancinellus, illum vultu Angelico, & circumfusâ cælesti luce illustrem vidisse sibi est visus. Deiparæ honori Rosarium, officiumque quotidie recitabat, & præter feriæ 4. ac 6. ieiunium, Sabbato nil nisi panem; frigidamque libabat: nec Domo prodibat vnquam, quin in aliqua Beatæ Virginis æde illam piè inuiseret, eamque ibi haud perpaucis, aut breuiter salutaret. Huius opem implorans, inter flammas, quibus à sclopo disrupto, & pyrio puluere accenso fuerat inuolutus, repentè extinctas, euasit quinquennis. In Societate Neapoli Beatæ Virginis Sodalibus præesse iussus, eam prouinciam, vt susciperet Beatam Virginem per missum nuncium habuit hortatricem. Nouitio fugam silentio quærenti, id illam per octo dies iam meditari vltrò ipse dixit; & alijs alia futurâ prædixit. Orandi, ac patiendi perpetua illi fuit assiduitas, & cupido. Nec semel, nec ab vno inter orandum sublimis à terra flexis in aere genibus pendere est conspectus. Illam se B. Virgini commẽdandi formulam: *O Domine mea sancta MARIA* &c. septies quotidie de genibus iterabat. Ægro, & vigili aliquando corã conspecta Deipara (dicitur) optionem dedit vitæ, vel mortis. Cuidam Christus margaritis per plagas fluentibus adfuit, auditusque est Vincen-

Italus Romæ 8. Iunij 1649. æt. 68. Soc. 45. *Euch.*

S. V.

Oratio.

Z. V.

Vincentium Deiparæ vnicè commendare, ac dicere sibi eum, hoc etiam nomine gratum esse quòd MARIÆ cultui esset impensè addictus. Dicebat eos, qui se seruos Deiparæ mancipassent, ab illa omnia impetraturos. Supersedeo reliquis de illo in vita latè scribendis.

P. GASPAR SATALIA.

Italus Caltagironæ, 8. Iunij.

VT ad Societatem conuolaret, à parentibus fugit. In Societate fuit singularis, erga illos quibus præerat, prouidentiæ & amoris dono insignis. *Charitas.* Non semel suas vestes deposuit, & eas indigenti dedit. Vt gulam in fræno teneret, quædam quæ illi sapiunt non tangebat, quòd diceret ea necessaria non esse. *Mortific.* Vita eius in tanta virtutis æstimatione erat, vt quicquid diceret instar oraculi haberetur. Medicum de vitæ spe propè depositum securum esse iussit, & sospitatum ei ex vero prædixit. *Purgat.* Quendam de Societate mortuum vidisse fertur è Purgatorio in cælum in splendore ascendere. Alius bis illi apparuit, eique mortis tempus prædixit, eventu secuto. *Mort.*

IX. DIE IVNII.

P. IOSEPHVS ANCHIETA.

Indus è Tenerifa Insula Fortunata Reritibæ. 9. Iunij 1597. æt. 64. Soc. 47. S. V.

HVnc alij sui seculi Thaumaturgum dixêre, alij Brasiliæ Apostolum, Adamum innocentem alij. Deiparæ Virginis amore, ac imitatione, Virginitatis voto inde à puero se obstrinxit. In Societatem cooptatus, primus in Brasilia litteras latinas docuit, Lexicon, ac Drama conscripsit, & dedit. Apud Barbaros pacis obses relictus Beatissimæ Virginis vitam, sine chartâ, sine stylo, latino versu elagiaco 2086. distichis composuit, & fideli memoriæ suæ, velut libro tradidit, ab ea in vita, & puritate seruatus. Quemdam ab importunis impurarum imaginum illecebris, dicitur, orando liberauit. Ipso die sancti Ioannis Euangelistæ diuinitùs cognouit, eo die quemdam è nostris in Italia Laureti diem obijsse; & absentia plura, futuraque sæpè bello, ac pace prædixit. Ad populum dicentis humero passer insedit. Senem baptismo à lepra mundauit. noctu oranti pantheræ duæ assedêre. Viperas innocentes tractauit illæsus. *Oratio.* Charitate, orandi, ac se affligendi studio magis mirabilis fuit, quàm ipsis prodigijs quæ illi familiaria fuisse scribit Sebastianus Beretarius eius vitæ sæpè recusæ scriptor apud quem videri possunt multa de admirabili hoc viro.

EMMANVEL NIGER COADIUT.

VAletudinarium, & sacrarium Collegij Claudiopolitani in Transyluania procurabat Emmanuel, cùm Moyses Szekely, seu Siculus, Caluinista, Turcarum ope vrbem occupauit. In ea calamitate occasione vsi hæretici, in templum Societatis hostiliter irruêre, & hæreticâ licentiâ quicquid sacrum fuit ludibrio habuêre. Eos inter fuit miles qui SS. Eucharistiæ Sacramentum impiè humi dispersit, & proculcauit. Eam insolentiam *Eucharist.* *Fides.*

Italus Claudiopoli 9. Iunij 1605.

redarguens Emmanuel, ſecuri militari in capite vulneratus, & globo traiectus, glorioſâ morte, vitam terminauit.

P. DOMINICVS VALESIVS.

ItalusCrumlouij 9 Iunij 1615. ætat. 34. Soc. 17. *Lectio.*

CVm ſibi languere totus, ac tepidorum vitam in quodam tædio ducere videretur, auditâ, ſuper menſam lectâ, Sanctæ Catharinæ Senenſis admirabilis Virginis vitâ, magnis illius exemplis accenſus exarſit. Acceſſit ad cumulum etiam Beati Aloyſij vitæ hiſtoria. Quare Catharinæ, & Aloyſij auditis trophæis experrectus anno 1605. 17. Nouembris manè inter Sanctorum choros quandam virtutis imaginem ſibi videre eſt viſus, in qua Sancta Catharina Senenſis, & B. Aloyſius eminebant, atque ab illo cælitum choro viſus eſt, velut irrideri, ac etiam inuitari. Tum illi Beatiſſima Virgo cum paruulo oculis mentis obiecta illum incredibili flagrantiâ ſuccendit, & erexit ad exaggeratiſſimum culmen excelſæ virtutis totis viribus quærendum. Oculi nunquam in theatra, nunquam in ſpectaculum vllum, aut rem vllam diu defixi. Aiebat enim, id ad iniuriam neglecti præſentis Dei referri poſſe. Poſt prandium quartam horæ partem dabat adorando ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: & interpoſito tempore aliquo redibat, ac iſtic tantundem iterùm temporis explebat; nec rarò, nocte quoque intempeſtâ ad clauſam odei portam poſitis genibus Beatiſſimæ Virginis roſarium recitabat. E Thoma quoque à Kempis vnum caput flexis genibus legebat quotidie. Si quod ſibi verbum aſperius in aliquem excediſſe meminiſſet, ſe verberabat, vt ſupplicium ſumeret de ſeipſo. In cubiculo nullus lectus, nec ſedes. pro menſa erat Armarium, & ſiniſtra manus pro candelabro. Omnis cubicularis ſupellectilis inſtar illi fuit Crux magna, quam in cubiculo habebat, cui per noctes plures indormiebat, vt Chriſti lectulo. Niſſæ peſte contactis dum ſeruiret, fractæ illi ſunt vires: quibus reſtaurandis Crumlouium ire iuſſus, ibi ſanctâ morte deceſſit.

Sancta Catharina Senen. B. Aloyſ.

B. V.

Oculi.

Præſ. Dei.

Buch.

B. V. Lectio.

Pauper.

Mortif.

P. GVILIELMVS CRITONVS.

SCotis Romæ, in Belgio, in Gallia Seminaria condidit. Londini per triennium in odium fidei inter carceris ærumnas derentus eſt. Lugdunum appulſus, duos adhuc ſibi vitæ menſes ſuper eſſe. nec plures, P. Rectori diſertè affirmauit, & illis euoluris mortem, quam prædixerat, oppetijt.

Scotus Lugduni 9 Iunij 1617. æt. 8. Soc. 17. *Mors.*

X. DIE

X. DIE IVNII.

P. ANDREAS SPINVLA.

Italus Neapoli. 10. Iunij 1588.

POst domesticam nobilitatem, & quâ habitos, quâ speratos Romanæ aulæ honores, elegit abiectus esse in domo Dei admirabili cum suorum sensu, lachrymis, admiratione. Per iter is, qui vna cum illo nauigabat Cardinalis, talem expertus est Andream, vt illum diceret verum sui contemptorem, exemplum omnium, & librum viuentem, in quo par esset aulicos omnes attentè legendo versari. Cùm Neapolitano Collegio præesset Rector, insigni laude pietatis, in charitatis obsequijs, contagio extinctus est. Ægris semper assiduus, parans fomenta, cibos ministrans. Illud quoque in illo diuinæ beneficentiæ signum fuit, quòd cùm ante initam Societatem nobiscum vesceretur, & domesticam nostram in triclinio supellectilem tamquam vilem, abiectamque horreret, postea Societate receptus, visus sibi sit solito nitidiora omnia, & orbes, ac patinas velut ex argento videre; id quod à prudenti Rectoris charitate suę imbecillitati dari ratus; & sui causâ hæc minimè fieri debere questus, errorem suum aduertit; ac sæpè narrauit, quàm indulgenter à Deo sit habitus in eo ipso, in quo delicijs, & elegantiæ adeò erat addictus.

Vocatio.

Iter.

Mensa.

Vocatio.

P. MICHAEL COYSSARDVS.

Gallus Lugduni 10. Iunij 1625. ætat. 76. Soc. 62. *Operarius.*

IN sæua illa contra Societatem concitata procellâ circa annum 1594. sapienter planè Societatis rebus in Gallia præfuit. Etiam senex per ipsas octo horas, ieiunus pro Sacro pœnitentiæ Tribunali sedebat, & reos absoluebat. Pudor vetabat, vt purulentam luem, doloresque acerrimos, quos patiebatur chirurgo proderet, morique potiùs eligebat quàm eâ parte tractari sed vbi in Deiparæ Virginis fidem se obstrixit, auditus, & voto, ac sanitate potitus est. Aiebat, se maximè refici mortis recordatione. Sub mortem dicebat malle se de diuina benignitate, quàm de iustitia loquentes audire; se enim à puero citra fucum optimo illi Domino seruiuisse, Viuens, & mortuus floruit opinione sanctitatis. Nec defuêre de vtroque sexu, qui eo apud Deum Patrono vsi, dicerent, se à molestissimis, & inueteratis tentationibus animique molestijs liberatos.

Verecund. B.V.

Mors.

IOANNES MASSONET COADIUT.

Belga Namurci 10. Iunij 1631. ætat. 68. Soc. 32.

HIc intemeratum Virgineæ integritatis florem ad sepulchrum vsque, præter alias, duabus potissimum vsus virtutibus custodiuit: obedientiâ, & vescendi temperantiâ singulari. Illa, mirum in modum subegit, vt in minimis quibusque vndequaque accomm odarit illius voluntatem diui-

Obed. næ in Superioribus voluntati, vt nunquam ab ea, vel latum vnguem discesserit. Vnde obedientem spiritui carnem habebat, quasi pro præmio: ista, præter parcum prandium, ea in illo *Mortif.* fuit, vt per ipsos 15. annos, à cœna semper abstinuerit, licèt labores omnes patientiâ mirâ subierit.

P. IOSEPH CATALDINVS.

Italus Paranæ in Paraquar. 10. Iunij 1653. ætat. 80. Soc. 52. *Zelus.* IN Paraquariam profectus, ingens magnorum laborum pretiùm tulit, cùm Christo plura barbarorum millia baptismi Sacramento addixit, & sex pagos condidit. Sunt qui admirabilia de illo affirment. Et ab eo multa ex vero prædicta. Moriens, occasione quâ *Oculi.* nescio datâ, candidè dixit; se nunquam in vllius fœminæ faciem oculos intendisse. Cùm sæpè aliàs, tum potissimùm quando sacris operabatur fertur visis *Sacrum.* cælestibus recreatus. Sæpè vidit velut brachium sacrificali veste ornatum prodire de calice, quod ipsi benè precabatur cùm diuinum sanguinem adoraret. Probatæ virtutis vir videre sibi visus est illum sæpiùs cęlestibus radijs circumdatum, & splendentem; alias verò Indos instar custodis Angeli contra dæmones defendentem. Reginæ *Castit.* Virginum ope integer illi constitit Virginitatis thesaurus, eamque cùm *B. V.* aliàs non rarò, tum potissimùm eo tempore magno solatio spectauit quãdo illa ei de æterna salute solicito disertè dixit: *Noli timere, fili.* A morte *Mors.* conspectus est, à pluribus absentibus & eius mortis ignaris fulgore cælesti, & gloriæ paludamento circumdatus.

XI. DIE IVNII.

P. GABRIEL VASIA.

Hispanus. Gerundæ. 11 Iunij 1607. HVmanioris, & diuinioris litteraturæ, ac linguarum peritiâ fuit præstans; mysticę sancti Dionysij Theologiæ interpres, eiusdemque amantissimus, ac sapientissimus. Beatissimam Virginem crebrò illo carmine salutabat: *Monstra te esse Matrem* *B. V. Iaculat. orat Morbus.* id quod in quodam suo morbo, & angustijs, cùm facere per obliuionem omisisset, adfuisse illi dicitur augusta cæli Regina Virgo, & amanter illum *Apparet post mortem.* sui tam oblitum redarguit. Cuidam. cuius conscientiam viuens dirigebat, post mortem apparuit, eidemque solatium insigne attulit.

MARCVS ANTONIVS COADIVT.

NEc domi nec foris aliud ferè illi nomen erat, quàm sancti. Miram illius verbis efficacitatem indiderat Deus ad animas pertrahendas. Etiam 80. iam annos natus adhuc se cilicijs, flagellis, ieiunijs afflictabat. Inde illi maior in orando felicitas, & adeò acris *Mortif.* attentio, vt instar statuæ videretur, nullo sensuum vsu. Diuino Sacrificio *Oratio.* incredibili cordis ardore intererat. Lucunangæ palàm aliquando in templo *Sacrum.* cùm sacro interesset visus est vt ferunt, sublimis in aerem eleuari, ac ore toto carbonis instar radijs igneis collucere: *Oratio.* Impetrabat à Deo, quæ petebat. Centurionem quendâm suspendio tollendum

Italus Quiti in Peru. 11. Iunij 1612. ætat. 85. Soc. 43.

dum è vita prædixit. Tertiò quartouè post menſe prædictioni reſpondit euentus. Ferocienti tauro roſarium obtendens dixit aliquando: Abi Animalculum: & ille cicur, ac dicto audiens diſceſſit.

P. CAROLVS ROLANDUS.

Belga Bel lioli. 11. Iunij 1613. æt. 36. Soc. 17.

Efficacitate permagnâ quærebat omnia, quæ diuinæ voluntati grata eſſe ſciebat; plurimorum ad Deum adducendorum quàm cupidus, tam ſciens, idque feliciter. Sacrum celebrabat ad noſtrorum Sacerdotum regulas & rubricas Eccleſiæ mirabili attentione, modeſtiâ, lacrymis, exemplo pio, & magno. De Chriſto ad concionem dicens, lacrymis verba frangebat, & audientibus viciſſim lacrymas piè ciebat. Ponebat ſe ad pedes IESV ad virtutes nunc has, nunc illas condiſcendas. Duos tantùm libros habebat in cubiculo; nec ornatum vllum, niſi vnam Crucifixi, & alteram Beatæ Virginis imaginem. Singula, quæ agebat officia ſingulari diligentiâ peragebat, quæcunque illa eſſent. vnde dicebatur in ſuis officijs viuere, & florere. Inter nobiliſſimos diuini amoris actus perſæpè repetitos mortem oppetijt. Atque vt morti ſuæ prouideret, de Superiorum venia votum conceperat, quo promiſit Sanctæ Mariæ Magdalenæ ſe ſingulariter fore addictum, & eius feſti vigiliam ieiunio celebraturum: vt, inquit, eius interceſſione in actu amoris Dei moriar. Et verè in flagrantiſſima diuini amoris ſignificatione inter preces ardenter vibratas extinctus eſt.

Concio. Mors. Mors. S. Mar. Magd.

SIMON DE ESPALZA COADIUT.

Hiſpanus Bilbai. 11. Iunij 1613.

POſteaquam infirmis compluribus, magnâ charitatis, patientiæ, diligentiſque peritiæ commendatione perſeueranter ſeruiſſet, videretque neſcio quem à medicis iam depoſitum, atque ad mortis agonem oleo ſancto vnctum, Deiparæ Virgini (quam vnicè colebat) ſupplex id ſibi à Deo per eam petijt impetrari, vt ipſe potiùs in morientis locum ſubſtitueretur, illo in vita retento: ſe enim Collegio vix aliquid, illum autem longè plus poſſe prodeſſe. Etverò æger ille confeſtim reſpirauit, ac ſenſim conualuit; Simónem verò intra triduum idem morbus qui alterum deſerebat corripuit, & extinxit, ceu ſuccedaneam victimam humilitatis, & charitatis.

Charitas. B.V. Oratio. Humilitas.

P. BERNARDVS REUSS.

AIt hunc Catalogus eorum qui in odium fidei ſunt occiſi, hoc die anno 1629. ſagitis confixum. Nos de illo 17. Iulij, qui dies illi ab alijs aſſignatur. 11. Iunij.

XII. DIE IVNII.

P. IOANNES CASTANEDA.

Hispanus Pinthæ. 11. Iunij 1573. Soc. 25. *Vocatio. Lectio.*

HIc apud Bibliopolam in taberna libraria pium quempiam libellum fortè istic repertum legens, primam Societatis adeundę scintillam concepit; & nobiles, diuque restitantes parentes tandem peruixit. Iam rexerat Collegia Hispalense, & Placentinum per annos plures; cùm quatuor vota professus, Toletum est missus, ibi ad culinæ officia subeunda *Humilitas.* Bustamantij iussu admotus, coquo per plures menses magna submissione, atque constantia seruiuit, elato, (& emicabat interdum) animo subigendo: id quod permagno sanè alijs exemplo fuit. E culina Toletana Vallisoletani Collegij rectioni est datus, quam *Obedientia.* præclaris virtutibus ornauit. In suggestu magnâ dicendi vi pollebat, & post Concionem insigne aliquod sui demittendi documentum præbebat, in triclinio palàm humi abiectus. Moriens Religionem mouit, quòd procurando inconsultis suis Superioribus in sua Patria Collegio enixiùs studuisset. *Humilitas.*

P. RODERICVS GONSALEZ.

Hispanus Madriti. 2. Iunij 1580. Soc. 12.

MAgni omninò contra Dæmones pro animarum lucro zeli vir fuit Rodericus. Saga quapiam in aula damna grandia patrabat: hanc Rodericus ad Confessionem tandem perpulit, & negandæ artis instrumenta per summam contemptionem in fidissimum totius domus locum deiecit, dæmone mirè fremente. Nec parùm eodem loci passus est Rodericus, vt eius Collegij gesta narrant. Vnde & ibidem confractus totus gloriosam postea mortem oppetijt. Mirum fuit id dęmonem potuisse: at adoranda est prouidentia magni Dei, qui tamen hoc priuilegij dedit gloriæ Roderici, vt Madritensi in Collegio dæmon quædam, quæ alio loco potest, haud possit. Nam si fides adhibenda est dæmoni, qui verum aliquando fatetur inuitus licèt, ipse dæmon Patrem quemdam, vt alio in Collegio fecerat vexaturus, expectabat, vt è Collegio Madritensi aliò se conferret. Causam rogatus, dixisse fertur; sibi in eum expeditam facultatem non esse quamdiu Madriti degeret in Collegio, Iam enim quinquaginta, & amplius annos esse (& hæc in Rodericum cadebant) ex quo istic Pater quispiam conditus iacet: illi hoc priuilegium datum esse à Deo, vt dæmones eo loco non æquè, ac alibi, possint suas vires exerere. *Zelus.* *Dæmon vitat.*

P. CHRISTOPHORVS PFLAVMER.

Germaniæ Monachij 1. Iulij 1598. ætat. 59. Soc. 40.

DE hoc sic in annuis Superioris Germanię. Martyrij desiderio flagrabat semper. Aures illi catarrhus obtuderat, sed & surdaster, per 29. annos magno ductu, & plausu auditus est. Sulzbacum Religionem Cath. inducere molientem hæretici tres sex mensium carcere, fameque, ac ærumnis vexauêre sed perstitit; vti etiam in *Fides.*

in calculi, aliisque doloribus, hilari patientiâ fortem animum probauit. Ad extremum, cùm duo sibi superesse minuta diceret, corpus, & animam, ne quicquam sibi super esset; ex asse hæredes *Christum*, & *Mariam* scripsit, ab ijs breui æternam in hæreditatem transcriptus.

Patientia.

XIII. DIE IVNII.

BAPTISTA COADIUT.

ELuxit in hoc diuinæ, per Deiparam, & sanctos, benignitatis insigne documentum quando illum suæ in Nouitiatu constantiæ parùm retinentem, iamque fugæ imminentem, in Societate per Beatissimam Virginem, per sanctos Petrum & Barbaram retinuit. Rem hanc, & alia illius decora Granatenses in hæc verba perscribunt: de felici morte Baptistæ illud primum pignus quodammodo accepimus, quòd Societatem amplexus, & quinquagesimum iam diem primæ probationis agens (nam hæc illis temporibus couſq; protrahi solebat) grauissimo dæmonis impulsu fugam per solitudinem meditatus, adesse sibi videre est visus Beatissimam Virginem MARIAM hinc Apostolo Petro, inde B. Barbarâ (quibus ille iampridem erat addictus) stipatam, benignoque vultu hortantem, vt eâ sorte statuque contentus perseueraret, in quo vitam esset consecuturus æternam. Quo ille solatio confirmatus, cœptis insistere quantâ posset contentione corporis, & animi decreuit. Fruebatur inter ipsa domus opera assiduâ Numinis familiaritate cum tantâ mentis dulcedine, vt non solùm ad sacratissimę Eucharistiæ perceptionem, sed ad quamuis etiam de rebus diuinis factam mentionem lacrymis vbertim perfunderetur. Et fortè accidit, vt agnos à matribus depelleret, nolentesque separaret: quod factum cùm ipsi nouissimam illam iustorum a malis separationem in memoriam reuocasset, tantisper lacrymas cohibere non potuit, donec ab ea cogitatione mentem consultò auertisset. Cùm Granatensi cuidam olim Rectori grauissimum falsò crimen fuisset impositum, atque ob id Hispalim, vt causam apud Prouincialem diceret, fuisset euocatus, Baptista se ante Deum in genua proijcit, supplexque rogat, vt Rectorem defensum, atque incolumem breui ad suos redire permittat. Precanti assentiri visa vox repentè ad aures illapsa; quæ iussit eum securo esse animo, & prædicere: Rectorem breui in Vrbem sine vlla culpæ, aut infamiæ notâ rediturum. Quod & factum est Qui familiaris Baptistæ cum Deo agendi modus cùm dæmoni ægrè faceret, ire contra voluit, sæpiusque illi horribili formâ obiectus, vngues, fauces, ipsumque adeò interitum minatus est: sed implorato IESV Christi auxilio semper repulsus.

Hispanus Granatæ. 13. Iunij 1606.

BV. S Petrus, S. Barbara. Vocatio.

Nouitius.

Tentatio.

Oratio.

Vide pretiosas occupationes morientium c. 32. n. 2.

P. ANTONIVS GALLEGVS.

MAnsuetus, & nullo labore satis vnquam satur senex, potissimùm in pœnitentibus expiandis. Meditandi argumentum optimum esse aiebat; *Fiat voluntas tua.* Soror, & Consanguinei non nisi quatuor milliaribus aberant à loco, vbi habitabat, & tamen per totos 40. annos adduci non potuit,

Hispanus Hispali. 13. Iunij 1620. ætat. 90. Soc. 55.

Mortif. aff. consang.

potuit, vt illos vel semel inuiseret, aut videret.

P. IOANNES HVBATIUS.

Bohemus Pragæ 13. Iunij 1661.

CVm Pragæ in Vrbe quam nouam vocant, Collegio præesset, mortem toties quæsitam persanctè adeptus est. Vir sine fuco, & de omnibus ferè Bohemiæ oppidis religiosè meritus. *Charitas.* Infima pauperum tuguria perreptabat; aulas non nisi stipis pro his corrogandæ causâ ingressus. Cùm pro animabus sarageret, à Saxonibus hæreticis tentus, & in carcere magna perpessus est. Multas ad pudicitiam, plurimos ad fidem Orthodoxam adduxit. Quater in peste publica se dedit victimam charitati, semper superstes, & firmus.

P. CHRISTOPHORVS VIVERIVS.

Peruanus in Coll. Pacis. 31. Iunij 1661 ætat. 47. Soc. 30.

LOcuples illi domus, & exquisita ad omnem virtutem fuit educatio. Sed & ipsa indoles eiusmodi erat, vt in modestissimo eius vultu legerent omnes, ad quod vitæ institutum esset propensior. Vnde passim Pater de Societate IESV appellabatur. Vix quinque annos natus; cùm se rapido fluuio (in quem fortè inciderat) in molendini currentis rotam rapi videret, *Beatissima Virgo Rosarij, adiuua me*; exclamauit: & illæsus eductus est è loco in quo in partes discerpi debuerat. Vnde ille se vitam suam huic Dominæ debere actuosâ pietate, ac singulari eius cultu fatebatur. In Tyrocinio nemo illo Superior in flagranti studio earum artium quæ istic discuntur, & vitæ vniuersæ viatico prouidenter comparando. *Nouitiat.* Ingens animo illius insedit opinio de granditate beneficij vocationis. *Votatio.* Quocirca in perpetuo more habuit, vt cubitum concessurus, positis humi genibus indignum se tantâ Dei beneficentiâ, ac dono adeò mirabili testaretur; & ad id confirmandum pronus terræ aliquot oscula dabat constans deuoti, demissi, & grati animi documentum. *Vesperi.* Vita eius omnis erat speculum legum nostrarum in ijs quæ agebat relucentium. Ad sacras operas animarum promptus illi semper animus, etiam supra vires: paupertas religiosè attenta: virginea puritas, obedientia persancta. *Obed.* Vnde si quid potestatis haberet à Superioribus altioribus, ne illius vsu cum eo qui loco præerat conferebat.

Vnâ quapiam nocte quæ supremum eius morbum præcessit, per quietem vidit P. Gabrielem Vasquez *Mort.* (alium ab illo scriptore Theologo, eodem in Collegio ante annos aliquot vita functum) quem ille, tanquam suum olim in spiritu magistrum, gratâ memoriâ prosequebatur, & Deo se per illius merita quotidie impensè priuatâ pietate, commendabat. Hic suum Christophorũ paterno amplexu stringens, hæc verba dixit: *Vamos, hijo mio. Eamus, fili mi.* Et videri desijt vnà cum altero quopiam; sed quem Christophorus notum sibi esse negabat. Etiam postea æger, cùm à deliquio ad se redijt, dixit, se fuisse cum suo germano, qui sub S. Francisci disciplina è vita abierat. Obijt verò maximo sui desiderio relicto apud omnes, ob incredibilem tum domi modestiam, ac exquisitæ virtutis exemplum; tum foris impigrum studium & laborem ad animas felici æternitati lucrifaciendas.

XIV. DIE IVNII.

ANDREAS GOMESIVS COADIVT.

Lusitanus Olyssiponæ. 14. Iunij 1600. æt. 81.

HVmilitate, religioso ingenio, constantiâ memorabilis fuit Andreas. De illo sic Vlysipponensis domus; Annos triginta ostiatim stipem corrogauit, alendo olim Collegio Portuensi, postea Professæ domui Olyssipponæ, admirabili vitæ innocentiâ & probatâ tolerantiâ. A viro semel bene nobili, & nummato eleemosynam petijt obnixè. Illudit improbus primùm impudenter supplicem, nec iocis risuque contentus roganti acerbè conuitiatur. Conuitiatorem Andreas quasi rosas gemmasque loquentem, vbi patienter audijt, humi defixum obtutum hilariter attollens; Me meâ inquit Domine, gratissimâ iam muneratsi eleemosynâ, suam quæso modò Patribus impertire. Mirum quantum animi submissio tumescentem animum tranquillauerit, mox petulantiæ se damnans, munificâ manu postulantis animo obsecundat.

Humilit.

Resp. hum. contemptio.

que exhibitâ non multo post Collegio eleemosynâ quàm grata sibi accidisset ea verborum castigatio haud dissimularet. Dicere solitus est Clarissimus Lipsius; *idcircò se nullam eius exhortationem quoad posset, prætermisisse quòd* (vt cætera defuissent, quæ sane in ipso erant haud mediocria, *vel solo eius aspectu ad pietatem non parùm commoueretur*, Orationis verò assiduitas in eo tanta erat, vt quidam è Patribus nunquam à se nisi orantem visum affirmaret, ac ne tum quidem cùm extremum spiritum ageret. Vt enim breues illæ quas eiaculatorias vocamus, preces taceantur, certè septem horas solidas quotidie Orationi impendebat. Qualis autem in Domesticorum consortio, cuius aures solis vtilium rerum colloquijs paterent, quæ si quando, vt fit in alia declinarent, gnauissimus erat sermonis ad res sacras quarum ei nullum vnquam erat tædium facili artificio deriuandi. Hic est Pater, qui Antuerpiæ tunc cùm hæreticis tumultibus omnia miscerentur, cum non exiguo vitæ suæ periculo murum se pro domo Dei opposuit; neque id semel sed sæpiùs: cui cùm in Vrbe quadam Prætor multo stipatus famulitio obuiam factus esset perquehumaniter salutasset, adiecto etiam *vobis sum Amicus*, liberè respondit; *at ego minimè tibi; causam scis: emenda te.* Abijt ille, & inopinato verbo vulneratus, nonnihil quidem in præsentia excandescens: sed maiori in honore deinde Patrem habuit, vitamque id temporis dissolutam recollegit. Eadem libertate cùm iter curru ageret, quendam è vectoribus blasphemum vehementer increpuit, increpitumque, & stricto iam mucrone ferocientem, cunctis ne per-

Oratio.

Resp hum. contemptio.

P. FLORENTIVS BOUCHORSTIVS.

Belga Louanij 14. Iunij 1610. æt. 69. Soc. 44.

VAluit exemplo, verbo, authoritate, cùm vbique, tum apud Sodales Theologos, quibus (vt aiunt literę Louanienses his verbis) ipsos duodecim annos ita præfuit vt viri totius Academiæ Louanienſis primi, iam eius voces instar oraculi haberent, & ex ijs non nemo celeberrimi in orbe nominis publicam eius in cœtu sodalium reprehensionem pluris, quàm nonnulli laudes suas æstimaret, adeò-

foderetur timentibus, nec timuit ipse, nec vultum mutauit. Nihil porrò ei de obedientiæ perfectione, nec senilis ætas, nec parta virtute authoritas, vel in speciem detraxit. Fuit cùm pro suo feruore prouinciam sibi quampiam, quam vnicè optabat, deposceret, verùm vbi leuissimo nutu contrariam Præsidis propensionem percepit, mox

Obed. præmonstratam illam mentis suæ sententiam, tam serio, constanti, lętoque animi, & corporis gestu refutauit, vt suauissimi cuiusdam cibi saporem ruminare ore videretur; adeo vt P. Prouincialis tantam admiratus viri virtutem absente eo diceret; *Pater Florentius verè filius est obedientiæ.* Nec minorem animi submissio, amorque paupertatis illi laudem parauêre. E nobili enim cùm esset familia, non minùs pauperum consuetudinem, familiaritatemque ambiebat, quàm nonnulli solent magnatum. Itaque tenuiorum nomina, statum, conditionem callebat, vt neque ad secundò conueniendum opus Nomenclatore haberet, & verè cor eius in paupertate habitare diceres.

P. FRANCISCVS GARASSVS.

Gallus Pictauij. 14. Iunij 1630. ætat. 40. Soc. 31.

ILlustre, ac planè ad vindicias fidei orthodoxæ & pietatis indolem natum ingenium scripsit plura pia volumina; è quibus quædam lucem vidêre. Inimicitias gessit cum hostibus Religionis passus fortiter, nec territus. Dabo præclarum huius herois elogium, quod illi scripsit Alegambe in heroibus charitatis: Vir, inquit, quem diutiùs viuere gentis humanæ interfuisset. Nam opibus ingenij, & doctrinæ, plurimâ eruditione, per infinitam conquisitâ lectionem, dicendi facultate, supra vulgarem, lucubrationibus egregijs, quales in lucem prodiêre non paucæ, quamplurimis institutis; maximo futurus erat reipublicæ, simul vsui, simul ornamento. Ad hæc in tanta laudum materiâ ingens animi submissio, modestia, affabilitas, mansuetudo, cæteræque virtutes impendio magis amabilem reddidere. In præcipuis Galliæ ciuitatibus secundâ famâ concionatus est. Aduersarios nactus est, sed ferè cum Ecclesia communes quamplurimos, quorum improbis conatibus eruditissimas suas lucubrationes obiecit. Vt verò pietatem semper, virtutemque coluisset, tum maximè plusculis ante obitum mensibus id multo visus est ardentissimè facere, seque Deo totum, ac diuinis tractandis rebus impendere, tamquam se ad charitatis certamen præsagus instrueret. Nam cùm Pictauii sæua lues grassaretur, multis precibus à moderatoribus obtinuit, vt suam infectis operam nauare posset. Quo in officio contagione correptus, ipsâ in hospitali domo inter ægros iacere, ibique spiritum edere, verbo, atque exemplo suos illos, egentes auxilij ad officium hortando, quàm domi maluit, sic quæ sanctissimè, ac religiosissimè consumptus est.

Fides.

APOLLINARIS ALMEIDA EPISC. NICÆNVS, ET SOCII.

Lusitanus in Æthiopia Iunio ineunte. 1638. ætat. 50.

SOcietatem puer inierat. In Æthiopiam missus, Episcopus, pro sigillo habuit IESV nomen, & epigraphen: *Dedisti eum escam populis Æthiopum.* Cum illo fuit

P. HIA-

P. HIACYNTHVS FEANCISCI.

Italus ibid. ætat 40. Soc 24.

ANno 1623. in Æthiopiam penetrauit*, labore vtili pro Euangelio egregiè istic satagens. Dicenti vim addebat formæ dignitas, quæ in eo tanta efflorescebat, vt Italici cuiuspiam Regis filius diceretur. Tertius eodem appulit anno 1628

P. FRANCISCVS RODRIGUEZ.

Lusitanus ibid. æt. 35. Soc. 10.

IBidem nauiter Apostolatum exercuit. Hi tres, inter expiandum Catholicos, à schismaticis deprehensi, accusati, canum instar tractati, in exilium destinati, è singulis arboribus singuli suspensi, & semiuiui lapidati sunt. Cadauera belluis obiecta: sed illæ ea innoxia dimisêre.

Fides.

P. CHRISTOPHORVS SPOTECUS.

Polonus in Suecia. 14. Iunij 1601. ætat. 40. Soc. 13.

DErpati à Christophoro Sommerio Duce captus cum socijs. Variè tunc vexati omnes, fame, cachinnis, probris. Vni caput pugnis contusum. Equis impositi coacti sunt cantare Symbolum Apostolorum. *Credo.* Inde in Finlandiam asportati: Stocholmij in vinculis acerbissimè habiti, ærũnis, doloribus, demum peste hoc die P. Christophorus, alij alijs diebus consumpti sunt; posteaquam scommata multa in Pontificem, in fidei nostræ mysteria, in Societatem iacta, verbera, extremam egestatem, & affinia hisce incommoda, perpessi sunt.

Fides.

IOANNES ESTO. COADIUT.

In Suecia. 14 Iunij æt. 45. Soc. 8.

CVm P. Christophoro Spoteco, alijsque paria passus: peste extinctus in carcere.

XV. DIE IVNII.

P. IACOBVS EGVIA.

Hispanus Romæ. 15. Iunij 1556.

COmpluri erga sanctum Patrem Ignatium liberalis adeò, vt aliquando cistam aperuerit, ac rogarit, vt quidquid vellet depromeret. P. Petrus Faber illum sancti Iacobi cognomento appellabat: sanctus verò Pater Ignatius dixit inter Beatos suspiciendum Iacobum in cæli sede celsissima. Aiebat Iacobus, se esse fracti nummi instar, qui nil valet, nisi in cumulo tot bonorum. Solebat dicere eum qui se aliquid esse putat parum esse, qui multùm se esse putat nihil esse. Acriter correptus, & ob quædam laudatè de Ignatio dicta punitus ab ipso sancto Patre Ignatio, tamen Ignatium vnicè amabat, & confitentem audiebat; aiebatque de illo tanta, quæ stupebant alij, dicturum autem talia dicebat, si Ignatio, vel horâ vnicâ esset superstes, quæ homines in stuporem de Ignatij sanctitate adducerent.

Charitas.

Humilitas.

S. P. Ignat.

P. IOANNES RASTELLVS.

Anglus Ingolstadij 15. Iunij 1577.

MOrti vicino P. Paulo Hoffeo Prouinciæ Præposito, peregrinationem obijt, & vt animam sibi eius loco ponere liceret petijt, atque obtinuit. Rem Ingolstadiensis epistola ann. 1609. ita narrat. Ad ædem sancti Saluatoris ad octo millia passuum profectus pro tam charo capite, suum ipse deuouit, sedulò Deum precatus, votum vti hoc suum ratum haberet: & habuit Deus; simul enim domum reuenit, decubuit, & occubuit. Surrexit alter, pro quo hostia piacularis fuit ille, ouis pro Pastore.

Charitas.

Mors.

ALOYSIVS HERNANDEZ COADIVT.

Hispanus in nauigatione ad Philippinas. 25. Iun. 1622.

SOcius Patrum in missionibus Philippinis, labore magno, & fructu foris, domi autem planè insigni silentij, paupertatis, & seruatæ ad vnguem disciplinæ documento. Pingebat tabellas, & illis Indos pelliciebat ad fidem, & frugem. Ipso, quo mortem oppetijt die Româ in Philippinas redux, socio, qui eo die, B. Virginis Coronam pro illius tunc ægri salute recitarat, per quietem visa est illius anima à duobus Angelis rectâ in cælum inferri. Experrectus à somno Aloysium visens, mortuum reperit.

Corona B. V. Mors. Angeli.

ROCHVS MANNARA COADIVT.

Siculus Minej. 15. Iun. 1633. Soc. 43.

TOtum illi negotium erat obnixè laborare, & interea semper ad Deum per preces iaculatorias flagrantiùs vbique aspirare. Verberabat se quotidie diu, & vsque ad sanguinem. In cibo nullam se aiebat vnquam oblectationem expertum. Existimant à Beatissima Virgine inuitatum ad fœlicem æternitatem in morte, quippe qui paulo antequam animam ediderit, in lectulo repentè consederit, & magnâ gestientis animi significatione vocem sæpiùs in hæc ipsa verba extulerit. ⊙ *Mater, ô Mater!* sed & supra migrantis Rochi cubiculum in ipso meridie stellam conspectam è cælo per plures ante, ac post mortem illius dies, illi, qui eam vidêre affirmant; quos inter P. Pompilius Lambertenghus Præpositus Prouincialis: id quod in pretiosis morientium occupationibus narraui.

Labor. Oratio. Mortific.

B.V.

Stella.

P. ROBERTVS NETERVILLVS.

Hibernus Pontani. 15 Iunij 1649.

MEminêre huius viri annuæ anni 1650. & Mortes illustres. Mors illius, alijs vitæ laudibus par fuit. Etenim inter miseranda, & veterum Ecclesiæ calamitatum simillima Hiberniæ verè Catholicæ turbamenta, cùm apud Anglos hæreticos increbuisset quòd Sacerdos esset, ac Iesuita (quæ duo nomina illis immortaliter exosa, & non vno sanguine sunt perfusa) per pedes ab illis correptus, è lectulo extractus, per domum raptatus, quaquauersum allisus, fustibus contusus, effractis ad collum, & humeros ossibus semianimis relictus, cùm grauior etiam ætas hisce ferendis impar esset, quarto post die, id est hoc die, doloribus gloriosis & vita defunctus est.

Fides.

XVI. DIE

XVI. DIE IVNII.

P. IOANNES BAPTIST. CARMINATA.

Siculus Panormi 16. Iunij 1619. ætat. 83. Soc 63.

REctionis dexteritate, ac ad populum persanctè, ardenterque dicendi sanctitate inter prima Societatis nomina fuit Carminata. Adolescens cùm esset, Societatem sæpiùs petitam, & aditam, iterùm ac iterùm in limine ipso deseruit; postea constans, & solidus. Aiunt illum per 60. annos concionatum etiam cùm Prouinciam gubernaret. P. Bernardinus Peralinus ignes nobiles ad Religionis amplexum & illius concione hausit. Quantumuis laboraret, iudicabat se indignum pane quo vescebatur. Ægrum paruulus IESVS dicitur inuisisse benèque illi precatus, illum sanauit. Prælatum, qui plus quàm centum millibus passuum absens expirarat, igne cinctum vidit. Morientis P. Carminatæ anima visa est recipi à sancto P. Ignatio, Xauerio, Aloysio in Societatem ciuium supernorum. Illius vita multa habebit admiratione, ac imitatione dignissima.

Vocatio.

Concioner.

IESVS.

Mors.

Mors felix. S. P. Ignat. S. Xaver. B. Aloys.

SIMON BVCERI COADIUT.

Siculus Panormi, 16. Iunij 1607. ætat. 74. Soc. 12.

SEmel tantùm, idque sub noctem, nec alio cibo, quàm pane, ac oleribus vescebatur. Pectus cilicio tegebat, catenâ quoque ferreâ circùm adiectâ: Flagro ferreis aculeis horrido totum se dilaniabat. Habitabat sub scalis, eoque sanctus Alexius dicebatur, & per annos 34. nonnisi nudis tabulis incubabat; postea, sedens breuem somnũ capiebat. Inter orandum splendore circum fundi est visus, & sensuum vsu destitui. Sæpè illi Christus, sæpè Beata Virgo, sæpè Angeli feruntur familiariter adfuisse & angulus, in quo habitauit odore cælesti flagrans repertus. Denique otij ac sui hostis, & laborandi, orandi, seque asperrimè habendi amicus, multa dedit documenta virtutum, quæ dabit eius vita.

Mortif.

Oratio.

P. *Ioannes Gonzalez.* De hoc egimus 6. Iunij quæ huc sunt referenda.

P. BARTHOLOMÆVS OLEIKIEVVICZ.

Lithuanus Pultoniæ 16. Iunij 1650. ætat. 50. Soc. 30.

PRo pulpito, & cathedris Ecclesiastes, ac humanioris literaturæ, Philosophiæ, Theologiæque Magister fuit insignis. Somni spatia nunquam vltra præstitutum ab obedientia tempus extendit. Cubitum concessurus, *Manè. Vesperi.* præmisso contritionis actu, nouo sacramento se Deo deuouebat. Pro lectulo illi erat saccus & ceruical stramineum. Christi patientis historiam positis humi genibus quotidie perlegebat: & quartam horæ partem quotidie manè concitandis in corde quàm selectissimis erga IESVM virtutum actibus consecrabat. Libro spirituali accuratè lectitando, ac velut imbibendo dabat integram horam quotidie, cùm doceret; aliàs verò longè amplius. SS. Eucharistiæ Sacramentum sæpè adibat. 1. Statim ac è lectulo consurgebat. 2. Meditationis & antemeridiani ac vespertini examinis tempus totum flexis coram illo genibus explebat: inde, ante & post lectiones; ante & post prandium ac cœnam illud adibat. Item si domo exiret: vtque illud purior inuiseret, conscientiam Sacramento quotidie perpurga-

Mortif.

Crucif.

Manè.

Lectio spir.

Euch.

Confess.

bat. Nunquam tamen ad peccata in confessione deponenda abibat, nisi cor dolore ac amore conterere tertiò impensè conaretur. Sacris operaturus, vni diuino sacrificio aderat; operatus, itidem altari, oculis arcanâ modestiâ velut in corde reconditis. Siue præesset alijs, siue subesset, paupertas in illo singularis eluxit. Ne amphoram quidem pro lauando in cubiculo patiebatur, communi lauandi loco contentus. Extra prandij ac cœnæ tempora nunquam quicquam libauit, nisi hospitalis charitas aliter imperasset. Plura de illis in annuis.

Sacrum.

Paupertas.

XVII. DIE IVNII.

THOMAS CANNONIUS COADIVT.

Siculus Panormi. 17 Iunij 1611. ætat. 56. Soc. 27.

HIc cuidam diuinis intento mirâ quadam charitatis coniunctione visus est Deiparæ esse adstrictus obsequio singulari. Cum à laboribus ab obedientia imperatis ad S. Synaxim percipiendam redijsset totus sudore perfusus, conspecti sunt duo Angeli, qui linteum præ ore accumbentis tenere sunt nisi: sudore illi è fronte absterso. Id etiam diuinitus exploratum fuit illum à morte nonnisi modico tempore in Purgatorio labeculas suas expiasse. Visa quoque ad illum est de cælo descendere Angelorum corona frequens vnà cum Regina cæli Virgine Dei matre. Hi circum Thomæ saudapilam fusi, cadauer honoratis fumis honorauêre.

B. V. Euch. Angeli.

Purgat.

B. V. Mort.

P. GVILIELMVS BATHEVS.

Hibernus Madriti. 17 Iunij 1614. ætat. 48. Soc. 15.

NObili apud Hibernos Catholicâ, & lautâ domo natus, ob ingenij ad negotia feliciter tractanda facilitatem, & singularem in musicis instrumentis scitè tractandis peritiam, Elizabethæ Angliæ Reginæ cumprimis charus fuit. At ille suis facultatibus iunsori natu fratri relictis animum ad æterna applicuit. Cùmque deliberabundus hæreret, num Carthusiæ, num Capuccinis, num Societati nomen daret; huc illum animarum ardor, illuc suauissimum orandi otium inuitabat: adeoque timebat, ne animarum cura sæpè se domo egredi cogeret, ac tranquillitatem illam cælestem interuerteret. Sed posteaquam per quietem sibi audire visus est disertè verba illa: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inuenies*; se Societati dedit: in qua etiam quarto Professorum voto adstrictus est. Mirabile erga animarum lucra studium in illo eluxit, & Salmanticæ maximè, in erudiendis secundùm S. P. Ignatij normam in sacro recessu pectoribus singularis planè ac rara felicitas, magno religionum bono ad quas ex eius disciplina nobilissimi quique certatim ibant. Eorum verò qui singularem commendationem merentur ad frugem insignem ac notabilem à vita solutiore Guilielmi operâ reductorum numerus increuit facilè ad trecentos. Etiamnum perstat nobilium cœtus ab illo ad magnum pauperum leuamentum iam olim Salmanticæ institutus. Hibernorum seminarij ibidem columna fuit, & viuum iuuentuti domesticæ documentum pro animarum siti. Obibat exercitia S. P. Ignatij ter quotannis, octo decemue

Vocatio.

Exercitia S. P. Ignat.

Eleemos.

decemuè dierum ſpatio, &, ſi licebat, productiùs. Vnum diem habebat quot menſibus quem ille familiari vocabulo *diem ſuæ reformationis, ſeu inſtaurationis* vocabat: eo die toto nil cibi admittebat vſque ad noctem, totus cordi ad cæleſtia componendo attentus. Angelicæ illius puritatis decus etiam in Angelica totius vultus modeſtia elucebat. Paupertatis eximiè ſtudioſus, pecuniam ne noſſe quidem volebat, niſi quando ſe itineri alicui accingebat: tunc enim quid hi, quid illi nummi valerent debuit edoceri. Si iter non erat nimis prolixum, illud non niſi pedes conficiebat. Domi ſomnus illi breuis, quem ferè veſtitus, & ſuper nudis aſſeribus capiebat. Flagella & cilicia tam crebra vt maiorum coercitione illa in re eguerit. Diuinæ Matris honori dies Sabbati ieiunio, & duarum horarum meditatione de Deiparæ dotibus inſtitutâ celebrabat, pridie feſtorum pane frigidaque contentus. Cùm eius fama eſſet celebris in exercitijs S.P. Ignatij explicandis, Madritum accitus eſt rogatu magnorum quorundam procerum; quibus exercendis cùm ſe accingeret, ita felix vixit, vt Sacerdotem quemdam valdè probatæ virtutis Deus de Guilielmi ſalute certiorem reddiderit.

B.V.

P. HIERONYMVS XAVERIUS.

Hiſpanus, Goæ. 17. Iunij 1617. ætat. Soc. 49.

S. Xauerij conſanguineus, & virtutum æmulus, Goâ ad Mogorenſem aulam cum ſocijs profectus ab Imperatore magno in honore habitus. At ille honores illos in animarum fructum conuertit, multis Chriſto adiunctis, magno triumpho Eccleſiæ Catholicæ. Quatuor Regis nepotes Chriſti legem amplexi. Lahore Vrbe Regiâ lapidibus à populo appetitus eſt quòd negaret licere vt Rex viduus vxoris defunctæ ſororem duceret. Regis Hiſpaniæ rogatu electus eſt in Archiepiſcopum Angamalenſem: ſed Hieronymo præmitris fuêre labores, atque pericula, quibus apud Mogorenſes exantlatis Goam redux diem clauſit felici fine atque quieto, ſcriptis quoque clarus. Habebit anni 1617. hiſtoria non pauca quæ de illius itineribus, induſtriaque memoriæ tradat.

Fides.

P. FELIX MALASPINA.

Italus Parmæ 17. Iunij 16. o. ætat. 42. Soc. 22.

HOc die curſum heroum confecit Parmæ in obſequio peſte tactorũ, & ipſe gemino carbunculo, altero in brachio, altero in capitis vertice ictus, atque conſumptus. Rectione non vnius Collegij perfunctus, hanc impetrauit ſpartam, cùm tranſmarinos Indos deſiderio iampridem complexus obtinere necdum poſſet. Blanda illi erga omnes indoles, amabiliſque prudentia, & virtus non minor ijs, quibus natus erat Marchionum natalibus. Corpus ad aſpera magni animi imperia exercebat domitu perpetuo, & continuatâ propè ſæuitiâ. Nam cœnæ loco inediam ſibi ferè ſemper indixerat; ad ſomnum veſtes non ponebat, cilicio prægrandi, & horrido perſæpè veſtitus.

Mortiſ.

P. FRANCISCVS PICCOLOMINEUS PRÆPOSIT. GENERAL.

Italus Romæ. 27. Iunij 1651.

HVius vita, qua in ſcholis, qua in rectione peracta eſt, & morte magnis innocentiæ, ac patientiæ, diuinique amoris laudibus illuſtri coronata.

P. VA-

P. Valentinus Mangionius Italię postea Assistens, qui illum probè vndequaque pernoui, nihil ab illo vnquam patratæ grauis noxæ reperit; virginitatem illius, ac pretiosam àb omni lethali labe innocentiam chirographo contestatus, vt retuli in annuis anni 1650. Dilingæ impressis. De illo sic scripsi, præter alia, in pretiosis occupationibus morientium in Societate cap. 25. n. 11. Huius dolores cotis instar erant ad illius ingenium, cor, verba mirificè acuenda, & inflammanda, cùm admirabili virtutum solidarum exaggeratione suam patientiam cumularet suspirijs gratiarum, & amoris plenis: *Non meum* aiebat, *Domine, sed tuum est dicere, sufficit, Domine, sis benedictus! hæc mea viscera debent liquefieri, dissolui; sis benedictus!* Commendationem animæ recitari petens, dicebat: *Eia ponite animam meam in manus Angelorum. Veni, Domine, noli tardare.* Conuenit etiam cum vno, & altero, vt ad signa quæ daturus erat absolueretur, cùm loqui non posset, id quod in agone fecit. Petebat postea lætior, dolores sibi alios alijs addi, ad illos exantlandos paratus in milliones annorum. Ioannes Cardinalis de Lugo illi à Pontifice benedictionem attulit. Preces pro se fieri non aliter voluit, nisi vt moreretur, benedicens Deum. Inter dolores qui tota illi viscera exurebant, dicebat lætus cuidam Patri: *Morimur, & ridemus.* Aquam, quæ illi recreando allata fuerat, vt biberet, aliquando totam effundebat, & dicebat; *Libemus Deo? Hoc enim esset quærere delicias in Cruce, in qua me posuit Deus. Serua mihi aliquem angulum in tua Cruce, Crucifixe mi IESV! ecce mè ad patiendum amplius, & amplius, etiam per totam æternitatem, si tibi sic placeat, Deus!* Dixit cuidam hilariore quadam spe vndequaque perfusus, quòd cùm Deus incipit auferre timorem quemdam (vti ipse tunc experiebatur) pari sit res longè dulcissima. Animabus etiam quæ in Purgatorio patiuntur sese crebrò, ardenterque inter dolores ac æternæ felitatis desideria, commendans, dixit se omnia ea sacra, quæ ad intentionem Generalis fiunt quothebdomadis, illis transcripsisse: nempe vt illæ apud Deum optimè omnia expediret negotia, pro quibus illa sacrificia destinari possunt quæ ars felici successu solet à Deo coronari. Cùm actus fidei faceret, rogabat B. Virginem, vt in quo ille deficeret, è suæ fidei plenitudine illa suppleret. Post communionem auditus est dicere aliquando: *Domina, patere quæso, vt merita tua offeram Deo meo. Cùm enim propria non habeam, nisi tua offerrem, vacuus in conspectu Domini apparerem.* Cum id per vires adhuc posset, per quartam horę partem nudis humi genibus perstitit petens, vt B. V. dedicato die Sabathi mori posset, obtinuit. 17. Iunij extinctus 1651. Desiderabat per morbum aliquando videre cælum è feneſtra, & dicebat: *Heu quàm sordet Terra, dum cælum aspicio!* Tum Deum cæli coram tota eius curia adorabat. Sæpè illi in ore illa: *Paradisus? Paradisus! breui, breui spero istic erimus. Magnificat.* Sæpè, ac tenerè secum repetebat; illa potissimum. *Et exultauit spiritus meus &c. Dolores* aiebat *pro Dei amore cum patientia tolerati, sunt mensura itineris sursum. Quare oportet mensuram istam habere bonam, confertam, & coagitatam.* Voluit, Sacrum in S. P. Ignatij cubiculo celebrari, per illud petijt animam suam immergi, in sanguine Saluatoris. Quo plus patiebatur diros illos, & longissimos calculi cruciatus, eò se magis ad reddendas Deo, quasi pro nouis beneficijs gratias effundebat; sed fusiùs de illo plura in vita. Et cap. 32. n. 23. De illius morte

Patientia.

Oratio.

Purgat.

B. V.

morte medicorum non nemo affirmauit; optandum esse, vt omnes ad mortem viri istius conuenirent ad condiscendam ab illo artem benè, sanctéque in summis cruciatibus moriendi. Sæpiùs quotidie peccata confessus est, ad gratiæ diuinæ cumulum exaugendum. Quicquid Theologicæ virtutes, quicquid omnis pretiosè moriendi apparatio suggerit, abundè, meditatè, solidè, ac tenerè per solidos ipsos 14. dies executus est. Vir de quo vt dixi, luculentum viri fide dignissimi testimoniũ extat quòd Deum nunquam vllo lethali peccato offenderit: & tamen dicebat. *Non dubito, quidem de diuina misericordia: Absit! Hoc non! Hoc nunquam in æternum! tamen timeo peccata mea, & Iudicem illum iustissimum.* Viaticum in medio cubiculi genibus nixus accepit; quotidie S. Synaxi postea recreatus. 'Manè post acerbissimos noctis cuiusdam dolores lætâ, & velut in cantum flexâ voce cùm se à nemine audiri putaret diutulè tria hæc repetebat alto sensu *Amor! Amor! Amor! Deus! Deus Deus: Æternitas! Æternitas! Æternitas!* Abrumpo reliqua: & reseruo alij loco & tempori.

Conf. quot.

Timor.

Amor Dei.

XVIII. DIE IVNII.

P. PETRVS GASCON.

Hispanus Valentiæ 18. Iunij 1583. Soc. 24.

ANte initam Societatem pia Mater id illi inculcabat, vt in mille frusta se discerpi potiùs quàm vllo peccato inquinari pateretur. Eius domus adeò erat erga pauperas liberalis vt, *Hospitale gratiæ* diceretur. Cùm adhuc foris esset, cur chirothecas manibus non induceret rogatus, in Christi manibus clauos non chirothecas fuisse dixit. diuersorium deseruit, vt insidiosam suæ pudicitiæ matremfamilias fugeret: quam acerbe obiurgarat, & repulerat flagitium flagitantem. In Societate, impigritate permagnâ fuit præstans, & seriò ad leges attentus ita vt omnem iocum ignorare penitus videretur. Æstate panno crasso vestitus, miserantibus respondebat, se in ea cogitatione occupari, quomodo dæmon flammis vbique sit velut vestitus, nec vestem illam vnquam possit exuere. Inde illi cogitatio in æternitate defixa, & verba nonnisi necessaria, eaque, seria, & perpauca. P. Ramirez, magnus istic Ecclesiastes, aiebat tales Gascones duodecim orbi terrarum conuertendo pares futuros. Etiam ruri degens partitè signo campanæ distinguebat tempora & obseruabat: orandi tamen studio duas mane horas, duas item alias vesperi transcribebat. Quodam dilecto suo & pio viro abeunte, ac documentum pro vitæ vniuersæ regula patente, chartulam arripuit, ac ter silentium illi inscripsit, eique dedit pro vitæ totius ex virtute degendæ compendio.

Castit.

Mortific.

Lingua.

Operarius.

Oratio.

Silentium.

P. FRANCISCVS BORDESIUS.

HVius germanus, vir locuples, tres quos habebat liberos (vt narro in pretiosis occupationibus cap. 24. n. 5.) Societati se dedicantes lætus vidit, demum eidem, & ipse addictus, nuncupatis sub mortem votis & suis omnibus (ciuis erat Petrocoricensis)

Gallus Petrocoricis 18. Iunij 1596 alius ponit. 19 Maij.

Societati transcriptis. Ad huius in æde nostrâ magnâ Vrbis celebritate tumulati sepulchrum post dies aliquot ac-
Desid. mort. cessit P. Franciscus, & supplex à Deo, vt felici morte breui fratri iungeretur in cælo, petijt. Postridie sacrificanti
Sacrum. missa è cælo vox dixisse perhibetur, *Exaudita est oratio tua.* Accinxit se ille quibus poterat artis sanctissimè moriendi industrijs, & breui post dies aliquot morbo fratrem ad immortales secutus est: voto suo sanctè potitus, & fraternæ mortis meditatione ad benè moriendum abundè instructus, priusque testatus nullum se diem vixisse quem non aliquâ cogitatæ mortis commentatione ornasset.

MARCVS ANTONIVS
Rivalta Coad.

Italus Neapoli. 18. Iunij 1611. Soc. 10.

DE hoc legi P. Petri Antonij Spinelli Prouincialis chirographum, in quo ait sibi ab illo narratum, quòd sub finem sui tyrocinij Paduæ, cùm anxius animi affligeretur, manè somnum inter, ac vigiliam viderit Beatissimam Virginem Matrem, quæ dixerit; vt alacri animo esset, futurum enim quidem, vt & alia quædam pateretur, perstiturum tamen in Societate, & octo ferè annis victurum; tum demum saluum fore: duos etiam ex illius consanguineis diem vltimum obijsse. Ita videri Deiparam desijsse;
B. V.
Patientia.
& postea de duobus illis mortuis nuncium appulisse. Retulit id ille suo Magistro Nouitiorum, & postea anno 1610. Patri Spinello, eidemque idem sibi repeti petenti anno 1611. 2. Iunij iam extremùm æger, octo annis postquam hoc à Beatissima Virgine audierat, repetijt.

ANONYMVS IAPON.
Coadiut.

Iapon. in Iaponia. 18. Iunij 1614.

LIteræ P. Petri de Boschere Vlyssiponæ datæ aiunt, hunc variè cruciatum, laniatum, & in aqua gelida per 70. dies ita mersum, vt capite tantùm emineret: demum glorioſum agonem abscisso capite consummasse.

P. CLAVDIVS
Cantheu.

Gallus Nanceij. 18. Iunij 1638. ætat. 55. Soc. 10.

MIro amore obedientiæ, ac sui odio inflammatus ardebat. Mansuetudo in illo suauissima, cùm tamen sibi nihil parceret. Nullum ad Altare Deo sacrificium incruentum offerebat, quin se priùs acerbis flagris cecidisset, atque ita Deo in doloris, & amoris victimam pro apparatione ad sacrificium obtulisset.
Sacrum. Mortif.

XIX. DIE IVNII.

P. EDMONDVS AVGERIVS.

Gallus Comi. 19. Iunij 1591.

NOn desunt qui illum hoc die decessisse affirment, virum magnis virtutis, & eloquentiæ laudibus celebratum, adeò vt à 4. seculis parem illi Francia tota neminem habuisse dicatur; & facilè 40. millia mortalium conuertisse ad fidem. Thesaurus dicendi illi erant ferè Isaias & Paulus. Vocabant eum Patrem Patriæ, conseruatorem fidei, salutis publicæ restitutorem, torrentem eloquentiæ Gallicanę, cuius anima ab Angelis in cælum dededuci conspecta fertur, quemadmodum de illo 19. Ianuarij fusiùs dixi.

P. IOANNES DE CANNAS.

Hispanus Malacæ. Iunio 1596. Soc. 40.

REctionis arte planè religiosâ singularis fuit Ioannes, & magno apud omnes sanctimoniæ nomine celebratus. Morientem inuisens Alphonsus Turrianus Decanus, vir eximiè pius, rogabat, idque seriò, vt breui sequi morientem posset. Recepit Ioannes id se apud Deum negotij acturũ, si quidem ita omninò vellet: velle respondit; & paucis post Ioannis mortem diebus Decanum febris, morte mox consecutâ prostrauit. Inde quoque aucta est de Ioanne opinio sanctitatis. Illud magis nostrum est, & ad mores, quòd à Ioannis morte repertus sit libellus particularis examinis, cum lineis ac punctis per ipsos 30. annos diligenter ab eo adnotatis.

Mors.

Mors.

Examen particulare.

SEBASTIANVS GARZIA COADIVT.

ANte initam Societatem insignis in illo in religiosos ordines reuerentia, & liberalitas enituit. Totus in eo erat, vt vitam anteactam fusis vbertim lachrymis eluëret. Hinc illi sermonem de diuinis ferenti, vel audienti manantes ab oculis lachrymæ; quibus etiam cibum, quo vescebatur, permiscebat, adeò vt signo ad prandium dato signum illi ad lachrymandum datum fuisse videatur. Suauissima illi erga Deiparam propensio voluntatis, cuius Rosarium quotidie recitabat, & lachrymis condiebat. Cum parua quadam B. V. effigie dulcissimè versabatur, hanc alloquebatur, hanc osculis, lachrymis, precibus, honorabat, & gratias agebat quòd ope Deiparæ cum illa imagine à naufragio fuisset ereptus, in quo nauis, quâ ipse vehebatur cum re omni, ac socijs omnibus conflagrarat.

Hispanus Chiele. 19. Iunij 1604. ætat. 70. Soc. 5.

Colloqu. Concio.

Mensa.

B. V.

P. MELCHIOR DE VENEGAS.

HIspano, & illustri genere in Vrbe S. Iacobi natus ipso Deiparæ sine macula conceptæ die anno 1572. Honori Deiparæ Fer. 4. & Sabbato ieiunabat. In Societate hebdomadæ dies in virtutes totidem à Deo petendas, & exercendas partiebatur. Dominico in desiderio videndi Deum se exercebat. Fer. 2. in actibus contritionis. Fer. 3. vt gratias Deo ageret: Fer. 4. vt è puro Dei amore quæreret tantùm Deum. Fer. 5. desiderabat imitari Chri-

Chilensis Indus 19 Iunij 1641. Soc. 40.

B. V.

Hebd. virtutum.

stum. Fer. 6. Sabbato suam voluntatem diuinæ coniungere. Collegio cuidam regendo præfectus, cùm videret se vestem habere nouam è panno bono, eam confestim ei dedit, qui egebat, & aliam paupertati ac bono exemplo in Superiore, (vt ille aiebat, & faciebat) consentaneam induit. Nec pileum, neque calceos nouos admisit, quòd Superiorem à capite ad pedes vsque pauperem esse debere iudicaret, ac diceret. Virginitatis suæ custodem habuit paupertatem, cautam prudentiam, gulæ subactæ victoriam, confessionibus audiendis modestiam, quotidianam sui verberationem manè ante quàm alijs daretur signum à somno surgendi. Apud Tucumanos Apostoli nomen obtinuit. In Prouincia Chonensi primus fuit qui Euangelij lucem inuexit.

Paupertas. *Superior.* *Castitas.* *Mortific.* *Fides.*

XX. DIE IVNII.

B. ALOYSIVS GONZAGA.

Italus Romæ. 20. Iunij 1501.

IN octaua corporis Christi, quæ anno 1591, in 20. Iunij incidebat, Angelica Beati Aloysij anima carne soluta est. Natus est ope Beatissimæ Virginis Lauretanæ. Sed 21. Iunij, de illo cras plura.

P. IOANNES FRIAS.

Hispanus Cordubæ. 20. Iunij 1597.

SOcietatem ingressus est plenus ingentium animorum vt Deo valdè placeret. Quà quà ibat, concionibus versabat omnia miro cordium motu, semper intentus in excidium peccatorum & occasionum. Inde ingens in illum tempestas excitata est, conflatis in eum calumnijs ab ijs quos & quas ab inuicem auulserat, alijs proscriptis, alijs per modos alios separatis. At eam tempestatem tranquillauit Deus. A dæmone verò fuisse coorta ea omnia inde patuit, quòd impurus ille genius haud contentus Patrem inter orandum varijs terriculamentis perturbare velle, perstrepere, se illi formidabili specie non semel obijcere, cuidam etiam è fœminis illis ex impuro prostibulo ereptis luculenter dixerit: sine mihi hunc Frias: habeo contra illum instructam aciem quâ de illo vindictam sumam. Quicquid verborum contra se dici, quicquid contra se scribi, etiam cùm præesset, fieriùe videbat, silentio, patientia pacatè ac citra vllum commotæ vel fortis vel animi signum ferebat, & vincebat. Multi fatsi sunt, se auri plurimùm eius arbitrio permisisse, neque vnquam induci illum potuisse vt pro se vel teruncium vnum admitteret. In eius cubiculo nil nisi scripta, & carnis (quam dirè habebat) afflictandæ instrumenta sunt reperta. In itinere quodam cùm equo elapso, ipse cũ aqua, luto ac manifesto discrimine certaret, *SS. Angeli*, inquit, *iuuate me*! Et mox adfuit quidam hilari specie, qui nullo verbo dicto, equum illi reduxit, illum è luto extractum equo imposuit, & itineri recto restituit, cùm Ioannes interea se intus iucunditate mirâ perfundi sentiret, cùmque illum oculis requireret vt gratias ei referret, iam ille videri desierat, nec conspici poterat, licèt campus esset longè ac latè planus atque apertus. Mortis causa illi fuit dicendi ardor quo

Castitas. *Oratio.* *Superior.* *Mortif.* *Ang cust.*

quo ad concionem cùm diceret, abruptâ venâ breui diem extremum clausit.

FRANCISCVS REVOULZ SCHOLAST. NOVITIVS.

Gallus Tolos. 20. Iunij 1617. ætat. 19. Soc. 2. *Vocatio.*

QVanto maiore operâ Patrem toto quadriennio inuitum tandem peruicerat vt Societatem inire posset, tanto maiore studio in excelsam, quam poterat virtutem incubuit, Aloysio in morum normam speculum, regulamque assumpto Videbatur illius spiritum imbibisse. Quod de moriente Aloysio legerat hoc ipse crebriùs repetebat: *In cælum, in cælum: nihil iam de terra loquendum est. Pro tantulo mi Deus! ô si possem, ô si valerem!* Quarto ante mortem die mortis suæ diem prædixit, & gratias Deo egit. Ipso die verò dixit, se vesperi, si dicere liceat, Deum aditurum. De Purgatorio quidpiam dicente aliquo; sperare se in Patrum ac fratrum ope aiebat ne ignes illos attingeret: item se vocationem suam Deiparæ debere; semper in illius fide se fuisse, fiduciâque tantâ erga illam duci, vt non posset sibi per eam non omnia polliceri. Et verò recitatis ter quotidie litanijs illam tenerè salutabat.

Mors.

B.V.

P. FRANCISCVS PACIECVS, ET OCTO SOCII.

Lusitanus Nangasachi 10 Iunij 1626. ætat. 60. Soc. 41.

IAponiæ domicilia omnia cùm regeret, anno 1628. 18. Dec. captus, vinciri petijt: sed negabant Iaponij fas esse vinciri Sacerdotes necdum ritè damnatos. Decennis puer cùm esset, auditâ de martyrum gloria dissertatione, ita exarsit, vt martyrij quærendi votum conceperit. Ab anno 1592. in India & Iaponia magnis attritus laboribus ac ærumnis, tandem cum quatuor socijs catechistis in fidei odium ad ignem damnatus, conflagrauit. Dixere satellites ethnici, atrâ ac vilem orizam illi socijsque porrectam ad victum, & eam quæ ab eorum mensa supererat, fuisse candidam ac notæ melioris; ipsis ministris id non semel expertis atque mirantibus.

Desid. martyrij.

P. IOANNES BAPTISTA ZOLA.

Italus ibid. Soc. 33.

IBidem fidei retinentissimus, illam obitâ in flammis morte testatus est, postquàm per septem menses vixit in carcere ærumnoso, incredibili (in causa tam nobili) moriendi desiderio flagrans: idcircò & schedas P. Spinolæ, & P. Nauarri secum gestabat semper, in quibus illi pollicebantur id se ei a Deo flagitaturos. Eius Breuiarium quo vsus est, Fauentiæ est in magna veneratione, & ægris etiam, vt aiunt, adiumento. Fuit eius gloriæ socius

VINCENTIVS CAVN.

Fides.

IS disertis verbis ad Christi fidem deserendam inuitatus, cùm id execraretur, nudus in frigore extensus est; constrictæ illi forcipibus nares, & manuum pedumque articuli; supinus aquâ implctus, stomacho crebriùs verberato, & sanguinem reiectante. Cùm iterùm, ac sæpiùs ad perfidiam vrgeretur, eamque detestaretur, per ipsos 14. dies frigore ac inediâ vexatus est. Admirantibus constantiam, & hilaritatem omnibus, aiebat non suis se vi-

ribus pugnare: innumerabiles se Dei misericordias experiri.

P. BALTHASAR TORRES, ET MICHAEL TOSO.

Hispanus. ibid. 20. Iunij 626. ætat. 63. Soc 47. *Fides.*

CVm in arcto apud Omurenses carcere teneretur, custodes illorum tranquillitatem admirati, petierunt legem illam audire quæ tanta in suis possit. Fecere id abundè socij: & custodum vnus baptismo lustratus; reliquis legem tam potentem laudantibus, optantibus, lacrymantibus; sed dicentibus, pro baptismo expectanda esse tempora molliora.

Omnes hi nouem, nempe Paciecus cum 4. socijs catechistis Iaponibus, *Gaspare Sandamatzu, Petro Pinxei, Paulo Xinxuque, Ioanne Guisacu*: & Pater *Zola, Torres, Vincentius, Tozo*, Nangasachum peruecti, terram osculo venerati, & palos mortuales amplexi sunt. Palis alligati, subiecto igne, læti psalmos, ac sanctissima IESV, & MARIÆ nomina cecinere: atque intra semihoram in monte Sanctorum conflagrauere. Aiebant ij qui Pacieco, Torresio, ac socijs in carcere orizam atram ad vescendum suppeditauêre, magnæ id sibi admirationi fuisse, quòd oriza, quæ illis comedentibus supererat, fuerit candida, & notæ longè melioris quàm cùm ad eos fuisset illata. Nam atram, deterioremque illatam, relatam verò candidam & nobiliorem.

Socij 5. nunc casi. *Oratio. Mors.* *Oriza candida.*

XXI. DIE IVNII.

P. BARTHOLOMÆVS BVSTAMANTIUS.

Hispanus Trigueri. 21. Iunij 1570. *Vocatio.*

ANte initam Societatem inter sacrificandum vehementer instabat certior fieri de diuina voluntate; & fusis ibidem largè lachrymis vehementer impelli se sensit, ac moneri, vt Guipuzgoam profectus id ageret quod Franciscum nuper Candiæ Ducem agere videret. necdum planè cognorat de recenti Francisci vita Bartholomeus. Ergo abijt, vidit, secutus est; & in Societatem cooptatus. Per iter, Deiparæ ex rosario salutandæ intentus, præceps cum iumento in altam voraginem lapsus, Deiparæ inuocatæ, ac Borgiæ precibus euasit incolumis. Tyronum Domum persanctè rexit, adeò vt illam Domum Beatus Borgia vocaret *Gemmam Societatis.* Diu optauit, quæsiuitque formulam Deiparæ amorem petendi, & impetrandi. Reperit hanc sancti Bonauenturæ, ac tenerè crebroque vsurpauit: *Dulcissime Domine IESV, dignare me infimum omnium peccatorum sacratissimæ Virgini Matri tuæ reuerentiam debitam exhibere. Et tu, clementissima Domina mea, mihi indignissimo peccatori impetra, vt perfecte tuæ sim deditus seruituti; & tibi omni tempore obsequar purâ mente, ac deuoto corde cõtinuò tuæ benignitati assistam.* Magna eius prudentiæ documenta, & vitam reliquam latè prosequitur Alegambe in annum 1670.

Exemplum. *B. V.* *Nouitiatus.* *B. V.*

B. ALOY-

B. ALOYSIVS GONZAGA.

Italus Romæ. 10 vel 21. Iunij 1591. æt. 24. Soc. anno 6.

MAdriti die Assumptionis B. V. post communionem, Deiparâ consultrice in deliberatione de vitæ statu vsus, vocem audiuit: *Societatem* IESV *ingredere*: & Ferdinando Marchione Patre tandemin sententiâ adducto, cùm esset primogenitus Marchionatũ posuit, Societatem IESV amplexus; in qua nomen Angelici consecutus est, humilitate, virginitate, quam Deiparâ sequestrâ puer Deo Sacramenti religione spoponderat, orandi assiduitate, admirabilique attentione, quâ mentem citra euagationes vllas Deo affixam habebat. Paruulus cùm per gradus domi ascenderet, Sanctæ Catharinæ Senensis imitatione, B. Virginem Angelicâ oratione salutabat. In Societate audito super mensam legi MARIÆ nomine in lachrymas soluebatur, teneritate cordis per oculos erumpente; ac etiam per linguam cùm de illa vel in Parthenio diceret, vel cum socijs loqueretur. Clarus innocentiâ semper illibatâ, clarus apparitione præter alias illâ quâ B. Magdalenæ Florentinæ, ac alijs ostensus est glorioſus; clarus magnâ in ægros beneficentiâ, & miraculis à Paulo V. Pontifice Maximo 1606. *Beatus* est appellatus; & 1618. 31. Martij vt ad aras coleretur concessum est: quam facultatem latius extendit dato 2. Octobris 1621. Gregorius XV. Plura de illo in vita ad annum 1591.

Vocatio. B. V.

B. V.

DARIVS GERLA COADIUT.

Italus Romæ 21 Iunij 1598. ætat. 53. Soc. 12.

DVo in hoc præter laudes alias præcipuè eluxere, alterum quod ad audienda cælestia eximiè fuerit auidus, ac tener, alterum, quod diem Dominicum præcipua semper religione coluerit, non alio quam illo die se de vita migraturum ex vero prędixerit.

Mors.

IOANNES MARINVS SCHOLASTICVS.

Hispanus in Patria ad Bibillim. 21. Iunij 1623.

CIlicio, disciplinis, modestiâ incredibili ac nuncupato singulari de imaculat. B. V. conceptione tuenda, voto, & alio quo se ad quærendos sui vexandi occasiones obstrinxerat, magnoperè admirationi fuit ijs, qui cum eo versati sunt. Positis humi genibus, coram Christo, cui Ctuci affixo studebat, velut sub magistri cathedra, oculisque discipulus, Virginitatem perpetuam, ope immaculatæ Deiparæ, imò integram omni mortali labe conscientiam semper seruauit; votique Sacramento se obligauit ad omne etiam veniale deliberatum peccatum sollicitè vitandũ. Eo semestri quo ęger decubuit, ne manum quidem vnquam citra obedientiæ imperiũ commouere est visus; etiam inter acerrimos capitis, pectoris, vlcerum, & cæteros dolores, animo adeò semper composito, vt Medici æquabilitatem illam admirati, F. Mansuetum illum appellarint. Mortuum Bibbilim transferri non passi ciues apud quos obierat, Sanctum illum certatim dixere, ijs quoque quibus vsus fuerat pro reuerentia direptis.

Mortif. Studia Crucif.

Obed. Morbus.

XXII. DIE

XXII. DIE IVNII.

CLAVDIVS VOLEY COADIVT.

Belga Camberij. 22. Iunij 1610. ætat. 65. Soc. 36.

Morbus.

Spes.

Crucif.

Mors.

DE hoc annuæ, ac pretiosæ meæ occupationes ita habent. Claudio Voley Coadiutori Camberij inclinante iam vitâ adfuit magna dæmonum caterua truci, horrendoque aspectu. vt ad S. quondam Antonium, Leonum, Vrsorum, Taurorum, draconumque portentosis formis, ægrum territura; quibus voces congruæ respondebant ad deturbandum de spei arce Claudium. At ille inter pugnam cælites auxiliares accersere coniunctisque viribus dæmonis conatus retundere. Cùm autem se ab illo metu tantillum reuocasset, spectandum se obtulit athletæ suo cælestis agonotheta veluti clauis cruci affixus; & illum sermone dignatus, pauentem erexit, pollicitusque est ad extremas vitæ metas (ne diffideret) affuturum.

ANDREAS SAA SCHOLASTICUS.

Lusitanus Conimbricæ Iunio. 1611. ætat. 43. Soc. 7.

Mors.

IPse apertè significauit (vt habent annuæ instare sibi exitum vitæ, eaque propter, vt eam etiam ex obedientiæ legibus liceret finire, à suo Rectore postulauit cum Patre Roderico in cælum abeundi commeatum. Patris Roderici vulgatâ morte, adscito valetudinarii præfecto in suum iam moribundi funus solemnia, quæ sunt præparanda denunciauit, arcessendumque Collegij præsidem vti eius bonâ veniâ è viuis migraret, tum nemini dubium fuit quin sui decessus è cælo certos nuncios accepisset. Mox Pater Rector adfuit; à quo suæ missionis impetrato commeatu Andreas sumpto in manus sacro ardente cereo cùm veneratione amorisque plenissima oscula sæpiùs in Crucifixi plagis defixisset, subitò deficiente cum viribus voce, concitatioremque anhelitum, qua per moræ impatientiam vrgente animo, cæli, Deique cupido, vinculis mortalitatis breuissimè placidissimeque absolutus est.

XXIII. DIE IVNII.

IOSEPHVS MARTINIUS SCHOL.

Italus Parmæ. 1578. 23. Iunij ætat. 21. Soc. 4.

Mortif.

ILlustri genere, ingenio, & virtute, in quo ne quidem tyrones ipsi, quantumuis attenti, & sagaces. quicquid quod displiceret repererint. Lingua illi mirum in modum ad omnem trutinam accurata, ne quid effunderet. Futuro suo Rectori scribens, rogauit, ab illo instar deliri tractari, & assiduè affligi, ac exerceri. Adeò, innocens, vt per extremos 13. menses nil vnquam egerit vt fertur, quod vel veniale peccatum iudicaretur. Obedientia illius cæca dicitur etiam nescio quo miraculo honorata. Sub mortem

tem ingenti clamore sublato restitit, & Crucifixum opposuit dæmoni, magnam de illo conceptam sanctitatis opinionem illi oggerenti. *Mort.*

P. THOMAS GARNETUS.

Anglus Londini 23. Iunij 1608.

PEr plures menses ferro vinctus, mox exul, iterumque in Angliam reuersus, post sex annos in laboribus positos, iteratò exul ac redux, tentus, & supinus in crate ad supplicium raptatus, suspendio strangulatus, ac dissectus est; quòd Iesuita esset, quòd Sacerdos Catholicus, quòdque è præscriptâ quæ contra Pontificiam authoritatem erat, iurandi formulâ iurisiurandi sacramentum Regi pronunciare detrectaret. Num vitam iuramento illo vellet redimere interrogatus; ne quidem quinque millium vitarum pretio se id facturum dixit. Benè inimicis nominatim singulis, benè Regi, Reginæque precatus: *Pater noster, Aue MARIA, Credo, Veni creator Spiritus, &c.* dixit, & pependit felix. *Fides.*

P. PAVLVS SCHEFFERUS.

Belga Bruxellæ 23. Iunij 1620. ætat. 43. Soc. 4. *Lux. Mort.*

PErpetua', tranquilla, & modesta illi è vultu hilaritas elucebat. Extrema Sacramenta cùm perciperet magna luce conspectâ perfusus; Quanta lux! exclamauit: & à Rectore rogatus num eâ delectaretur; & verò aiebat vehementer illâ delector. Tum Deiparæ, & S. P. Ignatij nomine inuocato, Patris quoque Costeri illic extincti preces postulans migrauit.

P. IOANNES VASEUS.

Belga in Paraquaria. Iunio 1623. ætat. 59.

IN Paraquariam anno 1616. nauigauit, & in Guayra fructuosum laborem impendit, Euangelio, pueris instruendis, festis apparatu musico (quippe olim Alberti Archiducis Symphoniacus) piè, ac splendidè celebrandis, magnâ Indorum voluptate. Oculos castissimâ custodiâ tenebat vinctos, ne vel pueri quidem vllius, tacco fœminæ, vultum aspicerent. Puritati suæ Beatissimam Virginem & Angelum Custodem præfecerat, quem, vt eâ quoque significatione coleret, sedem illi ad caput lectuli pro nocte collocabat, & cubitum concedens oppido vniuerso benè precabatur. Cruce in quatuor illius partes ductâ, vt à peccatis hoc præsidio muniretur. Particulatim ad singula, facultatem poscebat; vt ex obedientiæ rectione faceret quicquid agendum occurreret. Ad Confessiones audiendas & ferè modo, quo ad sacrum, se oratione præparabat. Vt nauseantem stomachum perueniceret, aquam sanè turbidam bibit, & quadram sordium plenam linguâ detesit. Lingua illi tam attentè caura, vt nunquam per omnem vitam vllius mendacij sibi conscius fuerit: actiones tam circumspectæ, vt singulas similibus Christi olim inter mortales agentis actionibus coniunctas Deo vbique præsenti obtulerit, constantiâ magnâ, licèt nullo teneriore solatio. *Oculi. Vesperi. Mortif. Lingua.*

XXIV. DIE IVNII.

ANTONIVS DE HENRICIS COADIVT.

Italus Tyburc. 1601. ætat 72. Soc. 48.

HVius, & imago, & vestes, & virtutis memoria viget etiamnum in Collegio Tyburtino; quod illum tumbâ condidit, & ei hoc elogium dedit: Ossa fratris nostri Antonij de Henricis à Monte Ferrato Coadiutoris temporalis insigni pierate Viri, qui Collegium hoc Tyburtinum, in quo fuerat tempore B. Patris nostri Ignatij constitutus, perpetuo vsque ad obitum incoluit, eiusque inopiam summis suis laboribus, & corrogatis plurimis eleemosynis sublenauit. Sanctæ paupertatis, & obedientiæ studium; humilitas, patientia, orationis feruor penè assiduus, & caritas in cæteris eius virtutibus eminebant. Demum magnâ domi, forisque opinione sanctitatis relictâ piè obijt in Domino: sepultusque est postridiè miro affluentis populi concursu: cùm etiam plurimi sibi vestes capillosque sacrarum reliquiarum instar auferrent. Plures aiebant, suam sospitatem Antonij precibus se debere. Paruulæ septem annos natæ, à qua in platea salutabatur, felicem breui mortem ex vero prædixit, idque post 4. dies euenit. Anno 1601. 4. Nonas Martij pleuritide prostratus, & iam extremum vnctus à P. Mario Franeo Rectore interrogatus est, quot adhuc annos vitæ sibi polliceretur? Cunctatus respondit tandem, vt pareret: Paulò plus quàm 15. mensibus se victurum. Et prædictioni respondit eius vita, & mors.

Oratio.

Mors.

P. CAROLVS SCRIBANIVS.

MAgnifici, constantis, erecti ad magna, liberalisque, sed religiosi, animi vir, pecuniæ summam magnam vrgenti cùm nihil haberet, quod daret, se in preces dedit; ac petentem idem, vt ageret monuit, & vesperi eadem die tantumdem pecuniæ ab ignara eius necessitatis persona submissum est quantum petebatur; quo viso Carolus; En, inquit precum nostrarum fructum. Aulæ, ac honoribus, vt idoneus, ita eorum fugitans. Deiparæ corollam semper gerebat è collo cum lipsanis. Peccata Sacramento quotidie semel & aliquando iterùm, expiabat, sæpè inter sacrificandum lachrymans, atque singultiens. Cubiculo egressurus, pedes Aspricollensis statuæ B. V. osculabatur; & id ad quod exibat negotium illi commendabat. Cùm Antuerpię præesset, egros in Prouincia ad se mitti petebat, eosq; amantissime liberalissimeq; habebat. Paucis ante mortẽ diebus P. Philippo Bultinck Mechliniam eunti, Eia, inquit, Pater, simul in cælum proficisci debemus. Nunciatâ P. Scribani morte P. Philippus quid ab illo sibi dictum esset narrans, breui concidit; & non nisi extremâ vnctione munitus obijt. Illustri fœminæ prædixit fore, vt breui vterque eriperetur è vitę ærumnis; se ante illam sex hebdomadis præcessurum. Et illa sextâ omninò hebdomadâ exeunte obijt post Caroli nostri mortem.

Belga Antuerpiæ. 14. Iunij 6. 9. ætat. 69.

Oratio.

Conf. quot.

B. V.

Charitas. Suj erior.

Mors.

XXV. DIE

XXV. DIE IVNII.

P. ALVARVS LEDESMA.

Hispanus Madridi. 25. Iunij 1597.

PEr ipsos 40. annos assiduitate magnâ operam dedit Confessionibus audiendis. Descripserat in Scheda alias, & alias attriti senio corporis afflictationes, quarum potestatem semestri ante obitum à P. Visitatore sibi fieri flagitabat. Cùm in omnibus ea planè innocentiâ, quâ tyronum quispiam versaretur, & impensè infima quæque, ac abiectissima expeteret atque impetrata alacriter, nec sine lachrymis præ tenero pietatis sensu fusis, obiret, causam rogatus respondebat; *se suam ad Deum perfectionem adornare.* Vno ante mortem mense disertè cuidam dixit; breui se in puluerem soluendum.

Mortific.

Mort.

P. IOANNES BREDANVS.

Belga Ratisbonæ 25. Iunij 1609. Soc. 44.

HVnc per semestre ægrum, & nec manum ori admouere, nec vllo officio fungi valentem, illustre, & viuendi & moriendi exemplum vocant literæ Ratisbonenses. Frisburgensis Senatus tres honoratissimos viros ad Prouincialem ablegauit, vt P. Ioannem Friburgum remitteret. Inter præclaras, quà ad populum dicendi, quà conscientias expiandi dotes, hæc in illo eminuit quòd morientibus perscitè, ac perlibenter ad extremum vsq; adesset, magno illorum solatio. Nongenti sunt numerati: quorum extremo in agone oculos clausit fidelis hic amicus vsque ad mortem.

Charitas.

P. IOANNES FRANCISCVS IOANNELLUS.

Italus in mari ad Philippinas 25. Iunij 1612.

MExici per exercitia Sancti P. Ignatij repentè manu dexteræ excelsi in alium planè virum mutatus est ardore tanto, vt Socij ex Italia cum illo appulsi venerabundi obstupescerent, negarentque hunc esse illum quem nouerant. Detractas somno horas plures orationi dabat coram sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento. Tantâ flagrantiâ precabatur, vt illum alij, ea de causa taciti obseruarent, quò se accenderent. Cruentâ quotidie flagellatione corpus cruciabat; largiùs verò in B. V. peruigilijs. Repertum est post obitum eius chirographum, quo per B. Stanislaum Beatissimæ Virgini porrecto, se Deiparæ transcribebat, eâ verborum vi, quæ pietatem, admirationemque moueret. Pro rerum omnium compendio suadebat omnibus, vt voluntatem suam diuinæ vndequaque accommodarent: semperque, descripta secum circumferebat, crebrò vsurpans verba illa. *Inueni virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* In huius nutum adeò se in morte quoque proiecerat, vt cùm per mare Pacificum in Philippinas nauigans eo quo ipse id ante prædixerat tempore moreretur, religiosi viri qui aderant, se virum qui verè Sanctum virtutis exemplum sit, morientem videre non semel affirmarent. Moriens dicebat; duos fratres sibi adesse; ac statim euolare, si quispiam aduenisset. B. B. Aloysium & Stanislaum fuisse opinio fuit, quibus vnicè erat addictus.

Exercitia.

Oratio.

Mortif.

B. V.

Conform. cum volunt. Dei.

Mors.

B. P. Aloys. & Stanisl.

XXVI. DIE IVNII.

IOANNES FERNANDEZ COADIUT.

Hispanus Firandi. 26. Iunij 1587.

SAncti Francisci Xauerij in Iaponia Socius fuit; magni ab illo habitus, & multis ad fidem adductis illustris. Amanguccij vir grauis iili concionanti aderat, vt exploderet, quæ dicebat; Verùm cùm istic procax quispiam in Ioannis os phlegma fœdè expuisset, ac Ioannes modesto silentio rem dissimulans, os strophiolo abstersisset, ac dicere ad Populum perrexisset, illâ facti excelsitate adeò permotus est vir ille grauis, vt ad Ioannis pedes abiectus primus baptismum petierit. Inde plures, pluresque conuersi. Firandi B. V. sine macula conceptæ templum extruxit. Sacerdotes in summa habebat reuerentia; coram illis nunquam, nisi iussu illorum locutus.

Patientia.

Fides.

B. V.

P. IOANNES GEORGIVS VOGLERIUS.

Germanus Herbipoli 26 Iunij 1625 ætat. 40. Soc. 23.

SAugustinus illi familiaris erat, alendæ priuatæ pietati; pro concione, Chrysostomus. Humilitate, ac dicendi vi excellens; ac hæreticis vt formidini, sic & odio fuit; Hageneæ potissimùm, vbi nata hæreticorum de illo fabula illum illustriorem fecit, & Hagenoam reuerti coëgit. cùm alio abijsset confinxerant de illo aliò auocato hæretici, vt solent esse ad mentiendum valdè prompti, & gliscebat fama in vulgus ab illis latè sparsa, Voglerium ab infernate genio esse obsessum, catenis domi alligatum fuisse, tandem denique abreptum euanuisse. At vbi Voglerius comparuit, puduit illos mendacij tam luculenti, atque calumniæ. Rebus afflictis leuamentum à Beatissimæ Virginis, & sancti Iosephi, quà patrocinio, quà exemplo petebat. Vnde, & librum scripsit; inscripsitque *fontem consolationis; qui est MARIA, & IOSEPH pro omnibus afflictis.*

B. V.

XXVII. DIE

XXVII. DIE IVNII.

P. RAPHAEL FERRER.

Hispanus. in America. 27. Iun. 1610

IN Peruuiam tabijt, & postea in America inter Cophanes odio fidei occisus est semper auidus fuit difficillimarum expeditionum. In sacrificio Missæ, in recitandis Litanijs in legendo spirituali libro vbertim lachrymabatur. Intra breue tempus è syluis plures mansuefecit, & 400. baptismo lustrauit. Cali in Popayana Prouincia cùm scenicam actionem, quam dari nolebat non posset dissoluere, ex improuiso antequam illa inchoaretur se in theatrum dedit, & ita dixit, vt omnes ad lachrymas permouerit, & omnia disturbarit; exosus erat indigenis rituum suorum retinentibus, eoque ne ritus illos prædicando conuelleret in profluentem abiectus, & mersus est.

Oratio.

Fides.

IOANNES MARQUESIVS COADIUT.

Gallus in Gallia 27. Iunij 1621. ex ij. Soc. 22.

TRanquillitate animi, vultus vbique constantiâ, memorabili obedientiæ exemplo: ac Instituti obseruantiâ præcelluit. Patrum cuidam qui longè aberat moriens apparuit vt fama est, eumque non semel posteà certiorem fecit, se iam Beatorum felicitate potiri.

Mors.

DIDACVS, SEV IACOBVS SARABIAS. COADIUT.

ANte initam Societatem cùm esset textor, modico ipse contentus, reliqua omnia dabat pauperibus. In Societate cùm ei secularis quidam in publico alapam inflixisset, ad eius pedes abiectus veniam petijt quasi feciisset, non accepisset iniuriam. Mauris prædas agentibus alicubi obuius, sanctum, vt ille vocabat, Rosarium protulit, & se nihil eos metuere dixit. Putatur à Deipara eorum oculis subductus, cùm gens illa essere, & omnis prædæ auida transiret Iacobo nil tacto, & fortè nec viso. Moriens dulcissimo gaudio exultabat, quòd in Societate Iesv, & quidem præstito peste contactis charitatis officio, moreretur.

Hispanus Valentiæ. 1578. mense Iunio

Patientia.

B.V.

Mors.

XXVIII. DIE IVNII.

P. FRANCISCVS GOVEANUS.

Lusitanus In Angola. 28. Iunij 1575

MVltahic & fecit, & passus est in Angola, quippe ipsis 14. annis in custodia detentus. Cùm æger decumberet, Angolæ Rex, vt ait Sacchinus, circuire assiduè domum noctes, & dies iussit cantores suos, qui voce, & pulsatis organis pro vana opinione gentis mortem deterrerent, ne accederet, tamen 4. Kal. Sextiles mors adfuit, magno ipsius Regis dolore, & Lusitanorum. In sacello ab ipso extructo datus est sepulturæ, ad quam honorandam Rex boues permultos Lusitanis donauit.

Mors.

LEONARDVS DV BOIS NOVITIVS.

Gallus Burdigalæ 18. Iunij 1610. *B.V.*

PEr iter comites itineris hæreticos, ignarus, qui essent, in B. Virginem licenter blaterantes vbi audiuit, non solùm illos magno sensu coarguit, verùm nec eidem mensæ cum illis deinceps accumbere, nec in eodem diuersorio morari, nec iter vnà prosequi voluit. Æger cùm diuino viatico refici non posset, oleo extremo vnctus, eius Sacramenti beneficio, stomachum ita compositum inuenit, vt etiam cœleste illud immortalitatis pharmacum sumpserit. Moriens velut cum infernate genio depugnans; falsum est, aiebat, non sum Theologus, non percipio quid dicas. Deiparam implorandam suggerentibus Socijs, implorata est, inquit; & vultu tranquillato hilaris, manu quoque, ac voce lætâ signum dedit victoriæ.

Euch.

P. VINCENTIVS CAMPANILIS.

Italus Neapoli. 8. Iunij 1650. ætat. 78. Soc. 57.

COnscientiæ quæstiones per annos 15. explicuit; Nouitios exemplo magno per 14. annos rexit Magister omnibus persanctæ institutionis artibus absolutus. Collegium Neapolitanum orandi potissimùm studio gubernauit tempore illo quo seditione publicâ Vrbs tota flagrabat; visus tunc etiam à nostro quopiam (vti aliàs ab alijs) cælesti quodam splendore, ac radijs collucere, si famæ credendum est. Neapoli, anno 1646. 7. Ianuarij, peracto diuino sacrificio, *Iam*, inquit, *habemus Vincentium Carafam Præpositum Generalem.* Et verò eo ipso die Romæ Carafa electus est. De quibusdam in Societate iuuenibus (quorum prima ætas velut in herba prosperè crescebat in spes excelsas) parùm prosspera quædam, & vera, ipsoque posteà euentu firmata, prædixit. At super omnia fuit amantissimus domesticæ disciplinæ; seueri in seipsum exempli, cibis quoque cinere ac amaro quopiam succo perunctis; effusæ in alios atque amabilis charitatis; vultus animique semper æqui atque tranquilli; quippe dulcis cuiusdam fiduciæ pleni, atque ab illa planè pendentis.

Oratio.

Mortif.

Sacrum.

Mortif.

P. IOSE-

P. IOSEPHVS GVSTAPANE.

Italus Neapoli. 28. Junij 1656. ætat. 68. Soc. 50.

ELucebant in huius viri oculis, verbis, moribus, leges nostræ modestiæ, ac diligens ad normam ab Ignatio præscriptam attentio, nullo se excusandi obtentu. In orando assiduus, & genibus humi nixus. vt promptus ad ægros pauperes visendos à Superiore inueniretur, se pallio iam instructum offerebat. Extremam, etiam Præpositus, in templo sedem occupauit; vt pauperes plures expiandos haberet. Per iter aliquando Deum impensè precabatur, vt ad se aliquem destinaret, cuius animæ ipse vsui esse posset. Sic oranti ecce tibi adfuit adolescens ineundæ Societatis cupidus; & Iosepho adnitente, eidem deinde adscriptus est. Cilicio perquam rigido, flagris autem ferè etiam supramodum se atterebat, & cruentabat. Vnde non sine metu periculi decumbere coactus est aliquando præ diro illo laniatu, toto dorso exulceratus, & rigens. Nulli loco præfuit, quò illum redire non optarint, apud quos fuerat. Sanctissimum Sacramentum ab ægro Nouitio stomachi indignatione redditum, ore hilari hausit, & stomachum virtute peruicit. Plura de illo dedi in heroibus; & victimis charitatis: nam illâ morte absoluit vitam, luculenta & ipse victima charitati.

Zelus anim.

Mortif.

Euch. Actus heroicus.

MATTHIAS VITRIARIVS COADIVT. ET SOC.

CVm P. Christophoro Spoteco (de quo 14. Iunij egi) multa perpessus demum in carcere hæretico peste decessit: & post illum *Nicolaus Mercator*. Coad.

Lithuani Stocholmi. 28. Iunij. 1601. æt. 26. Soc. 3.

P. THOMAS METHAMVS.

VIr doctrinæ ac sanctimoniæ nomine celebratus; at ob fidem orthodoxam assertam, Elizabethæ Reginæ inuisus, eoque carceri mancipatus, Londinensem turrim per quatuor annos incoluit. Inde in alios ex alijs carceres deportatus, demum inter paludes in Visbicensi ergastulo per annos plures ea passus est quæ procaces hæreticorum linguæ, ac immortale in orthodoxum nomen odium suggerebat. Ita vitam per annos 17. in carceribus ærumnosam longâ morte clausit, cruentam semper desiderans, & expectans.

Anglus Visbici. Iunio 1592. æt. 60. Soc 9.

Fides.

XXIX. DIE

XXIX. DIE IVNII.

P. ILDEFONSVS A POSO.

Hispanus Cuiqui in Peru. 29. Iunij 1606. ætat. 47. Soc. 7.

MAgnâ virtute se adeò perdomuit, vt cùm ad iram esset naturæ propensione incitatior, in Societate iratum illum nemo vnquam viderit. Modestia oculorum constans vsque ad admirabilitatem; maximè in fœminis nunquam conspiciendis, cùm aliàs tum in sacro tribunali cùm confessiones acciperet. Vnde fœminæ Indæ illi confessæ dicebant, se cæco illi Patri sua peccata confessas. Quotidianis verberibus, adeo vsque se laniabat, vt moneri debuerit, ne quid nimis.

Sui victoria Cast. Mo lest. oculorum.

Mortif.

P. IOANNES PAVLUS FONS.

Hispanus Barcinonæ. 29. Iunij 1622. æt 49. Soc. 28.

STrenuus planè sub Christi vexillo miles, ac dicendo vi magnâ præditus, execratusque illam dicendi luxuriam, quâ inanis imprudentium blandiloquentia delectare quærens potiùs, quàm prodesse adulterat verbum Dei. Barcinonæ impensè contra illum questi sunt Oenopolæ, ac fœminæ impudentes, ob mortales à vino, fœminisque abstractos: contra, religiosi multos ad se conuolare gaudebant. Incredibili, & voti etiam religions firmato studio connitebatur Deiparæ, amorem, & honorem pro viribus promouere. Atque illinc illi prærogatiua illa tam pretiosa, quòd per omnem suam vitam nullius vnquam letalis noxæ conscientiam habuerit. Morbus, & dolore, & odore teterrimo longè molestissimus, patientiam eius inuictam vbi diu exercuit, illum extinxit.

Concionat.

B. V.

P. HIGERVS ARCKENIVS PIRCKEN.

Germanus Nouesij. 9. Iunij 1655. ætat. 63. Soc. 41.

DE hoc sic habent annuæ Rheni inferioris. Erudiendæ ad litteras, & pietatem iuuentuti, & nauandæ confitentibus operæ assiduè intentus. Nec lites, nec querelas ferebat quieta illius modestia. A Societate se nunquam, nunquam velle descisceere, chirographo suo sanguine exarato, & è collo ad pectus gestato luculenter testatus est. Eluxit eximia viri, & simplex, nec imitanda pietas in ijs; quæ in eius pectore post mortem scalpello, igne, puluereque factis eleganter circulis, & inclusis in illo characteribus, exarata reperta sunt. In primo circulo habebat effigiem Sanctissimæ Trinitatis; sub hac duo circuli, IESVM, & MARIAM; singuli alij circuli singula hæc nomina referebant: sancti Michaelis Angeli custodis, sancti Iosephi, S. Patris Ignatij, Sancti Francisci Xauerij Sanctæ Catharinæ Senensis, S. Catharinæ, V. Martyris. Hæc illi stigmata pro clypeo erant aduerso pectore. Mortem obijt perquam apparatè, ac libellum seu manuale, vt vocant, omnis ad mortem apparationis, atque industriæ, plenum post se reliquit.

Vocatio.

SSS. Trin.

B. ALPHON-

ALPHONSVS MENDEZ PATRIACHA ÆTHIOPIÆ.

Lusitanus Goæ 19 Iunij 1656. ætat. 77. Soc. 63.

POst egregiè traditas in Scholis humanas diuinasque disciplinas, anno 1623. 12. Martij consecratus Æthiopiæ Patriarcha, anno 1624. Goam, inde in Æthiopiam contendit. In rubri maris ingressu, cùm nautæ ventum deficere quererentur, Alphonsus Litanias Beatissimæ Virginis cum instrumentis musicis cani iussit. Vix illas finierant, cùm ventus longè prosperrimus optatò vela impleuit.

Appulsum in Æthiopiam Alphonsum Seltan Seguedus Imperator amplexu strinxit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine. Mox Alexandrina superstitio cum Romanæ fidei veritate passim commutata, non sine solenni militaris lætitiæ apparatu: Patribus vndeviginti, ac duobus Coadiutoribus in 13. domicilia distributis; & per annum 1628. facile centum millibus ex illa gente Christo adiunctis.

Sed cùm Faciladas Imperatoris filius imperium adijsset, felicia rerum initia interuertit, multis ad extremas ærumnas adactis, nonnullis etiam interfectis, Alphonso in exilium ire iusso.

Per iter à Turcis interceptus, & in carcerem detrusus Alphonsus ad collum, ad lumbos, & ad pedes ferro vinctus, per annum integrum istic magnam patientiæ messem collegit. Educebatur tamen nonnunquam vnà cum duobus socijs Patribus de Societate ad elecmosynam corrogandam. Vna catena omnes tres circumdabat. Nec semel pronunciata est in eum decretoria mortis sententia. Sed Christianorum liberalitate in libertatem assertus Goam reuersus est. Ibi in Collegio magno omnibus de se dedit exempla præclaræ virtutis. Semper interea de Æthiopibus suis solicitus, instanter in eorum vtilitates plura componens, atque in omnem (si quà via daretur) reditionis adornandæ occasionem intentus. Socius Alphonsi in carcere fuit P. Didacus de Mattos Goæ postea vitâ functus 3. Iunij anno 1639. è cuius toto corpore cutis tota defluxit ob ærumnas istic toleratas. Alter fuit P. Franciscus Marches, cuius operâ facile quadraginta millia ad Romanam fidem adducta sunt. Decessit Goæ 30. Aug. anno 1639. morbo contracto ab obsequijs charitatis.

Fides.

XXX. DIE IVNII.

P. LEONARDVS NUNNEZ.

Lusitanus in Oceano 30 Iunij 1554. B. V.

ANno 1549. inter primos de Societate in Brasiliam missus; vbi vnà cum illis, suis manibus, ac labore, in MARIÆ Virginis Adiutricis nomine templum erexit. Tum ad vltimos Brasiliæ fines adijt, Europæos S. Vincentij incolis erudiendis. Ibi templum populo, domicilium Socijs extruxit. Ad mediterraneos Ethnicos longo dierum plurium itinere penetrauit, vt Europęum hominem fidei desertorem Christo lucrifaceret. Ibi vanitatem ostendit scyphorum quos humani oris instar formatos, plumisque versicoloribus ornatos habebant in thesauris, fausta sibi cum illis cuncta polliciti. Rediit ad sancti Vicentij optatâ cum prædâ. In ipso templi vestibulo in periculo capitis cùm esset, promptus in genua procubuit, futurus victima. Aliàs in mari, & sæpè denique viuebat in vmbra mortis, quam naufragia, fames, vel homines minaciter intentabant. Huius consuetudine Petrus Correa, qui antea Brasilos dirè vexarat, Societati se adiunxit, & pro illorum salute mira patrauit, in Christi odium postea etiam internectus. Primus item fuit Leonardus, qui Romam missus est Procurator, vt S. P. Ignatio rerum Brasilicarum statum exponeret.

Fides.

Zelus anim

Scyphi felices.

Pluma.

Fides.

IACOBVS, SEV DIDACVS LOPEZ DE SALAZAR.

Chilensis Valparaiso, 30. Iunij anno incerto, ætat. 31. Soc. 11.

ILlustri stirpe natus in Regno Chilensi, cùm 30. annum ageret, auditâ cuiusdam de Societate apud PP. Ord. Prædicatorum exequiali concione, quæ de nobili, ac nuper nupta & à nuptiis breuì ad tumulum appulsâ adolescentula habebatur, ad Patris conclaue abijt, & humi prostratus lachrymarum plenus, æternitatis consilijs animum addixit. Abiectâ vestium vanitate, magno Vrbis attonitæ documento, se catenis ferreis, ac cilicijs onerauit. Societatem & in ea perfectionis adipiscendæ studium tanto ardore complexus, vt Magister Nouitiorum diceret, illum intra 20. mensium spatium ingens perfectionis curriculum confeciſſe. Breuì æger, in festo SS. Patri & Pauli se Deo per votorum Sacramentum adstrinxit, & postridie mysterijs vltimis iam munitus, Crucifixo Christo, *Benè*, aiebat, *nosti, Domine mi, quàm seriò connisus fuerim hoc biennio vt te quærerem. Ne me nunc desere, Domine, in hac hora quæso te per hæc vulnera quæ pro me suscepisti*, & dato singulis Christi vulneribus oculo, in vulnere lateris; tacuit sui impos. Sibi post horam ferè mediam restitutus, *Benedictus sis*, aiebat, *mi IESV, Amen!* Aderat confessarius (idem ipse cuius concione permotus Societatem inierat) & num è cælo quidpiam boni haberet interrogatum, ac deliberabundum, nec respondentem, vrsit, vt obedienter ediceret si quid esset. Ad sacrum obedientiæ nomen Iacobus, Adsuit mihi

Vocatio.

Nouitiat.

Mors Christiana.

mihi, inquit, Christus Dominus meus, & mihi dixisse visus est: me esse prædestinatum, seque expectare vt cum illo discedam. Hisce dictis, velut religione tactus, confiteri perijt, vt si quid in arcano illo prodendo errasset, expiaret. Atque illicò dulci quiete consopitus ad Christum abijt, vt sperare nos iubent præclara eius virtutis exempla. Episcopus pro concione illius mortem narrauit: vnde Vrbs tota confluxit ad eius exequias celebrandas.

ANNVS

DIERVM MEMORABILIVM

SOCIETATIS IESV.

PARS SECVNDA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNVS

DIERVM MEMORABILIVM SOCIETATIS IESV.

MENSIS IVLIVS.

PRIMO DIE.

P. IACOBVS ALVARVS.

1. Iulij Lusitanus, obiit 1. Iulij 1596. Soc. 41.

VLyponenses diserte affirmant, hunc virum *perfectis virtutibus celo* fuisse *maturum*: famam esse, ipsum non semel diuinâ planè virtute ægrotis penè deploratis ex insperato salutem attulisse, quos inter fuit adolescens è prima nobilitate, cui Iacobus manum imposuerat, S. Ioannis Euangelio recitato: quo etiam remedio conualuit alter, cui ex carbunculo fauces intumuerant, medicis nil contra morbum niti potentibus aut scientibus, remittente mox tumore ad crucem à Iacobo parti affectæ impressam.

Oratio.

P. IOANNES HIERONYMVS.

Hispanus, obiit Hispali 1. Iulij 1605 ætat. 60. Soc. 43.

TOlerantiâ, & Ecclesiastæ munere præstans inter primos Hispaniæ, eoque celebratissimus habebatur, post iuuenturem laudatè, innocenterque sine vlla grauiore noxà exactam. Granatense Collegium regebat, cùm à procacissima fœmina obscœni flagitij est accusatus. Hispali Prouincialis eam rem Patrum cuidam viro prudenti, ac non incurioso vesperi in cubiculo ad candelæ lumen clam exposuit, vehementi dolore plenus. Is verò qui hæc audiebat, posteaquàm nihil veri mendacio illi tam enormi subesse constanter dixisset, adiecit: Ego, ô Pater, pietatem, castitatemque P. Ioannis ita perspectam habeo, adeoque eum ab hoc flagitio immunem scio, vt ad innocentiam viri testificandam, atque ab omni suspicione vindicandam ausim nudam manum ardenti foco inserere: interque verba manum protinùs extendit, & in mediam lychni ardentis flammam ingessit, ac tam diu immotam sine vllo doloris sensu eam Scæuola hic Christianus istic tenuit, donec omnia quæ dicenda fuêre narrasset, ac Prouincialis rei nouitate attonitus, non sine admiratione tam præclari experimenti

Castitas.

ab omni disquisitione tunc facienda cessauit: & innocentia euocati eò P. Ioannis patuit, Ioanne Baptista coadiutore Granatæ pro Rectore suo cùm oraret diuinitus id, vt aiunt, rescisceute, fore vt Rector cum innocentiæ gloriâ Hispali Granatam reuerteret. Doloribus correpta proterua accusatrix, se ipsam percutiebat, cruciatus illos turpis mendacij supplicium esse fassa, & coram Prouinciali, testibus, ac Notario veniam petens calumniæ scelcratæ. Romæ quoque apud Gregorium XIII. innoxius est compertus ab omni suspicione hæresis, quam ei nescio quis imposuerat. De omnibus his innocens eius patientia triumphauit.

Patientia.

longâ patientiæ arte fuit spectabilis: quippe qui per ipsos 20. annos omni oculorum luce orbatus, tranquillâ voluntatis cum diuino nutu consensione, se in Deo amando, & in perforandis rosariorum ad pauperum vsum texendorum granis occupabat, honoris Deiparæ prouehendi etiam tunc pro viribus studiosus. Ter tantùm in hebdomada comedebat: & neque tunc plus capiebat quàm quamo cibo alij vesci solent quotidie. Horridâ è ferro catenâ frequenter accinctus, flagris adeò inclementer se accipiebat, vt audientibus horrorem incuteret. Nullum admittebat cubiculi administrum: sexto ante mortem die disertè ac ex vero prædixit, quo die effet è vita migraturus.

Cæcus.

B. V.

Mortif. Ieiun.

Mors.

P. PAVLVS ÆMILIANVS.

Italus Limæ 2. Iulij 1653. ætat. 66.

STudio animarum, Indicarum linguarum peritiâ, sed potissimùm

II. DIE IVLII.

P. PAVLVS BVZELINVS, ET SOCII DVO.

2. Iulij. Belga ad Neoportũ. anno 1600. ætat. 37. Soc. 15.

IN castris Regis præclarè laborauit pro salute animarum. Captus à victoribus Batauis est, cùm Catholicos milites saucios confitentes audiret, ac omni ope iuuaret. Præerat sociis Petrus: & de se, ac suis clarè testabatur; se non Archiducis, sed Dei stipendiis militare, nec sequi castra vt militem, sed ad animas militum procurandas. At hæc ipsa exacerbauêre iras victoris hæretici: quare semel iterumque sclopi glande traiectus occubuit. Et post illum

P. Laurentius Euerardi, ac *P. Otho Campensis.*

Belgæ ibid. ætat. 33. Soc. 15. alter æt. 43. Soc. 16.

Vterque magno animarum lucrifaciendarum studio nobilis, multis ab hæresi reuocatis ad fidem, agonem suum vnà cum Petro fortunatè compleuit.

P. BERNARDINVS REALINVS.

Italus obiit Lupiis. 2. Iulij 1616. ætat. 86. Soc. 52.

ANte initam Societatem, tum adhuc adolescens, piè secesserat vt coronam Beatissimæ Virginis, è Parthenij Rosarij globulis attentiùs reciteret; cùm Beatissimam Dei Matrem, vnà

Vocatio. Rosarium.

vnà cum diuino paruulo intra maternas vlnas videre sibi vsus, ab eadem, vt se in Societatem Iesu daret, impensiùs est inuitatus. In Societate rosarium item recitanti adfuisse fertur eadem Dei Mater, quæ omnia impurarum imaginum turbamenta è mente illius abstersit in omnem vitam. Coarguit illum Christus acriter aliquando, quod obedienter quidem, sed adeò præproperè fuerit negotij quiddam aggressus, vt opem diuinam implorare in mentem illi, præ properatione non venerit. Tum ipse vrebatur, tum alios immundis cogitationibus vexatos, felici omnium qui consilio paruêre successu, docebat, vt cùm alias, tùm cubitum concessuri, pectus cruce signarent, ac dicerent: *Per sanctam virginitatem tuam, & per immaculatam conceptionem tuam, purissima virgo, munda cor meum, & carnem meam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Anno 1598. Beatissima Virgo illi iterùm conspecta dicitur *Iesum* paruulum in lectulum porrexisse, ac adeò tenerè cum illo egisse, vt in lachrymas gaudij solueretur. Tum quoque illam aliquando vidisse fertur, cùm coram eius imagine litanias vnà cum aliis è Collegio sociis recitaret; sæpè aliàs etiam, & propè semper cùm de illa cogitaret, illam intuitus. Cuidam toto corpore perillustri scintillas iacere, aliis (idque persæpè) vultu toto collucere inter orandum conspectum aiunt luculenti testes. Maximilianus Dux Bauariæ ab illo per literas petiit vt sibi filium à Deo impetraret. Respondit; habiturum, id quod factum longè post mortem P. Realini. Reliqua seruo in eius vitam.

Castitas. Oratio. Negotia. Castis. Iucunditas. Vesperi. B.V. Lectus. Litania. Oratio.

P. IOANNES RIVVLINVS.

Vngarus Tyrnauiæ. 2. Iulij 1628.

IN hoc bono sene illud præter alia potissimum commemorabile est, quod impensiùs mentem in eam industriam intenderit, vt suauissimum Deiparæ amorem latè (in iuuentute maximè) propagaret, idque libellis donodatis, quò ad plures, & facilius, ac vnà in illis, velut in vehiculo, amor, & honor Deiparæ Virginis, perueniret. Eapropter *fasciculum laudum Beatæ Virginis*, teneris erga Deiparam pietatis officiis eumulatè instructum libellum, luci dedit, & large distribuit. Inde illi hoc Deiparæ die obita felix mors; & illa Dei matris erga eum amoris significatio, quâ creditur eius aspectu fuisse recreatus.

Mors.

P. IOANNES GONDINVS.

Hispanus Toleti 2. Iul. Ej. 1613. ætat. 60. Soc. 41.

PRæclaris animarum expeditionibus editis inclytus, non sine emolumento magno Auditoris ab eius ore obscura quæque dilucidè explicante pendentis, nec vnquam fessi. Magna egit contra impudicitiæ ingenium in spectaculis, vestibus, colloquiis multifariam gliscens, ac noxium. Putant illum ætate suâ inter omnes fuisse præcipuum in zelo animarum: nec potuisse parem esse laboribus nisi sustentaretur diuinitùs. Quotidiana illi, & castigata confessio. Ne quid ipse obstaculi poneret fructui animarum. Quotidie se disciplinâ, quotidie setoso cilio castigabat. Asser illi lectulus, imago Crucifixi tota cubiculi supellex erat. Addebat dicenti authoritatem vita sic acta, & cælestis ille lucis radius, qui de Ioannis ad concionem di-

Castitas. Zelus. Labores. Confess. quotid. Mortific. Concio.

centis ore profectus resplendere non semel conspectus fertur.

P. MATTHIAS KLINKA.

Morauus Cremsij 2. Iunij 1633. ætat 65. Soc. 42.

SEu Adolescentum conuictus, seu Collegia sociorum gubernaret, masculâ virtute id præstitit, animo mensuram pusilli corporis supergresso. Valebat suaui de diuinis rebus familiariter colloquendi dote vnde non pauci eo adnitente ad varia religiosorum instituta transcripti sunt. Ad concionem per annos plusquam 30. diebus Dominicis, ac festis dixit fructu in mores publicos redundante, & apparatu semper nouo, cùm conscriptas anno vno conciones aliis donaret, ipse verò quotannis alias conderet, studiosè strenuus, & præclaro naturæ genio ad omnẽ obedientiæ nutum, ad plures occupationes pluribus occupandis pares futuras, vt idoneus ita promptus. Labaci Author fuit, effecitque vt tenuioris fortunæ nobilium filiis honoratè alendis domus excitaretur. Quodam loco nocte in sextam decimam Augusti eunte, Anima illi quædam è Purgatorio adesse visa est, sacrum petens. Eo tempore calidus quidam halitus illum à somno experge fecit: & mirantem atque quis esset quærentem vox nota Amici è prima nobilitate viri (cui ipse à confessionibus erat) perculit, quâ ille dicebat, se de vita migrasse, ac diuinum ab eo sacrificium postulare. Heri sanus, & Sacramentis in B.V. Assumptæ festo expiatus, adeoque ceu sodalis indulgentiis potitus, quomodo in purgatorio attineretur interrogauit P. Matthias: & ille, expiatum heri & sanum se cubitum concessisse, at inopinâ morte migrasse affirmans, Purgatorij causam sui eam esse dixit, quòd heri à prandio, præter sitim, modicum vini vitrum amici inuitatu bibisset: id se nunc luere. Quare sacrificio se pro illo, quam primùm id per sacras Missæ leges liceret, litaturum promisit Matthias, & addidit; si non redeat, signum fore, illum subsidio ampliùs non egere. Præstitit quod promiserat *Matthias, & anima illa non rediit.*

Concionet.

Purgatorium 16. Aug.

Modicum.

Temperantia.

III. DIE IVLII.

P. PAVLVS MANTVANVS.

3. Iulij Italus Panormit. 1575.

HVnc S. P. Ignatius in coadiutorum temporalium numerum receperat; sed quia humilitate profundâ, patientiâ, zelo, & maguis habilitatibus ad maiora idoneum vidit; voluit, vt sacris ordinibus initiaretur. Incitatus illi erat animus ad ardua toleranda. Vnde pro redimendo Patre quopiâ tunc fortè à Mauris intercepto vltrò ipse obtulit vt seruituti Mauorum addiceretur: id quod & charitatis impulsu fecit, vt illum in libertatem assereret; & humilitatis, quâ illum præ se Societati vtiliorem fore censebat, liberaretur; & fortis Animi, quo tolerare dura omnia expetebat. Id quia impetrare non potuit; oblatam aliam arduam virtutis Prouinciam obtinuit, vt peste lãguidis quàm posset strenuè seruiret: id quod præstitit vsque ad mortem hodiè oppetitam.

Humilitas.

Charit.

P. HER-

P. HERNANDVS SEV FERNANDVS MARQVEZ.

Hispanus Occaniæ. 3. Iulij 1584.

CVm Occaniæ se sanctimoniæ nomine suspici videret, adeò id ægrè tulit vt aliò migrare petiuerit; vir aliàs admirabili erga omnes mansuetudine tranquillus, atque supra modum amabilis. Fama erat, illum inter orandum colloqui cum Angelis; idque de ipso testatus est eius Rector ea de re interrogatus. Certè vitabat publicas vrbis plateas cùm foras prodiret, vt honores populique affluentis eumque suspicientis frequentiam vitaret. Cùm sæpè à dæmone ac variè affligeretur, & ne noctu quidem per eum illi quiescere liceret, ne tum quidem mãsuetudinis suæ oblitus, quiete dicebat dæmoni: Abi hinc, sine me dormire: ita enim iubet me facere obedientia; nec nunc tempus est vt mihi sis molestus. Illustri fœminæ illum pro confessario desideranti, mirari se dixit cur ipsa id vellet: in se enim nec nobilitatem, nec scientiam, nec virtutem relucere, eò quòd esset filius hominis manu & sudore suo victum quæritantis: ad hæc se nec doctum esse, nec se virtutis quicquam in seipso, sed noxas plurimas reperire. Inde sapienti illi fœminæ maior erga virum tam humilem æstimatio, amor, desideriumque increuit. Mortis suæ conscium fuisse inde compertum est, quòd Patri, quocum loquebatur ecquis prior è vita discederet, luculenter dixerit: R. Vestra breui mihi Sacramenta morientium ministrabit. Id quod ita euenit. Supra conclaue morientis clarum quoddam lumen splendere est visum. Omnes Parochi ære campano eius mortem celebrauêre. Ad cadauer magna fuit vis populi rosaria ei admonentis, & è veste quod poterat rapientis. Lene illi per omnem vitam, ac perpetuâ quadam, nec vllo turbamento percelli se passâ mansuetissimæ suauitatis laude mite fuit ingenium. Vnde amabilis reliquarum virtutum chorus illo velut è sipario emicabat, eumque oculis omnium venerandum faciebat, citra vllam seuerioris virtutis notam. Ex illius tumulo post annos aliquot patefacto, magnâ cum omnium admiratione suauissimum odorem afflatum celebris fama percrebuit.

Oratio. Vesperi. Obedientia. Humilitas Mors. Mansuet. Mors. Odores.

P. IOANNES CORNELIVS.

MAtrem viduam in Anglia ad fidem orthodoxam, & intra triẽnium facilè 30. familias, conuertit. Dicendi dote tam erat amabilis & robustus, vt vel semel auditus, eos à quibus audiebatur redderet sibi obnoxios. Animas purgatorij iuuabat, pronunciato, quoties manus lauabat, psalmo, *De profundis, &c.* item pecuniâ quam in missionibus nanciscì poterat erogatâ; sacrificiis, ciliciis, flagris, ieiuniis. Magistrum suum mortuum vidit sacrificia postulantem. Inter sacrificandum pro Barone quodam, illius animam conspexit in silua inflammata, *Miseremini mei, &c* clamantem; & se accusantem, quòd fidem orthodoxam ob humanos respectus non satis fortiter fuisset palàm professus; quòd in aula tempus vanè triuisset; quòd innocentis Reginæ Scotiæ capitis damnatæ ipse quoque cum aliis aliqua pars fuisset. Hæc omnia se quidem confessione in vita expiasse; at pœnas commeritas adhuc luere. Nec nisi capite videbatur è vasto illo incendio eminere. Vidit hæc eadem is etiam qui sacrificanti Ioanni aderat sacri minister: & Ioannes ista narrans, octoginta illos qui sacro illi aderant, atque

Hibernus Dorcestr. 3. Iulij 1594. Purgator. Sacrum.

atque obscuram quandam flammam istic aduerterant, flentes flens & ipse, dimisit. Dæmones fassi sunt; pelli se è corporibus incensâ P. Ioânis charitate quâ ipse flagrabat. Adegit dæmonẽ, vt cùm diuinam hostiam post sacrum ipse Pater in pyxide, seu custodia, deponeret, disertè dixerit: Agnosco in hoc Sacramento potentiam tuam, ô Deus! Aliàs vidit dæmonem in linea fœminæ fasciâ, velut auiculam; aliàs autem, vt cattum. Plura flagra lacerabat crebro vsu quotannis, & sæpè & dirè se cædens: cilicino adhæc sago nodis aspero vestitus vsque ad genua. Captus, & in odium fidei cædendus, morti nobili se parabat per cilicia, flagra, ieiunia. Vota Societatis in carcere nuncupauit coram aliis, plenus lachrymarum, & voluptatis. Mors illius fuit plenissima tenerrimæ pietatis: quam subiit suspendio, & consuetâ carnificatione. Caput eius patibulo affixum fulgere radiis est conspectum.

Charitas. *Sacrum. Euch.* *Mortif.* *Mors.* *Mors illustris.*

P. ALPHONSVS MIRANDA.

Hispanus Guamangæ 3. Iulij, aliis 3 Iunij 1609 ætat. 60. Soc. 40.

SIngulari Deiparæ fauore Societatem ingressus. In Europa, & in Peruana miris modis quidam per illum conuersi. Castitas illius à calumniatoribus accusata nihil habere maculæ deprehensa est, idque cum laude. Hãc ille seuerâ in corpus asperitate custodiebat. per ipsos 40. annos lecto non vsus continuis ieiuniis, ciliciis, flagellis in se ipsum sæuiens, & oculos modestiâ mirâ coërcens. Vnde Indam quandam, quæ in templo nostro sæpè illi loquebatur, nunquam in facie vidit. Sub noctis mediæ tempus, matutinum è diuino officio persoluebat, adiecto B.V. officio, & 7. psalmis pœnitentialibus: reliquum omne spatium diuinæ contemplationi dabat. Dæmon illum horrido aspectu sæpè terrere conatus, nil effecit. Aliqui, & percussum ab eo affirmant, vt capitalem inferni hostem. Duobus ad frugem redire nolentibus pœnam mox ad futuram prædixit; quam illis breui taurus intulit cornibus illos pegens, & alterum è vita exturbauit, alterum è mente; eapropter exauthoratum postea, quia muneri suo iam imparem. Suam, & aliorum quorumdã de societate mortẽ ex vero prædixit. Cuidam visus est 20. horis culpas in Purgatorio expiasse, ac tum ad superos euolasse cùm tumulo conderetur quo tempore eidem eius facies repentè læto quodam sed modesto risu hilarata est visa. Aiunt etiam eius corpus per 4. menses, & dies quinque repertum incorruptum, vestibus, ac loculo putrefactis.

Mortif. Modestia. *Noctu preces.* *BV.* *Zelus.* *Purgatorij.* *Fides.* *Mors.*

P. STEPHANVS ARATOR sive SZANTO.

Hungarus Olomucij 3. Iulij ætat. 70. Soc. 50.

HVnc de integra hæreticorum synodo, seu de trecentis, doctè triumphasse disputando, affirmat nostra Bibliotheca scriptorum. Sed lubet ad verbum ea hîc dare, quę de illo Austriæ annales typis dedêre. Tribus, inquiunt, in corpus nostrum allectis non potuit Olomucienſe collegium sarcire iacturam *P. Stephani Aratoris* septuagenarij inter mortales, in societate quinquagenarij, vigesimo ab hinc anno professi. Omnibus disciplinis apprimè instructus fuerat, & virtutum multarum vsu insignis, quibus vtrisque præsidiis & Societatis decus, & fidem Catholicam vbicumque versatus est magnopere dicendo scribendoque promouit. Catechismum instar Romani multis controuersiarũ fidei capitibus locupletatum Hũgarico sermone concinnauit; ac deinde Testamentum

ſtamentum vetus ex collatione Hebraici Græci, Latiniq̃ue Contextus vernaculè interpretatus eſt cum facultate ſuperiorum maiorum, ad Hæreticorum reuincendas fraudes, ſingulari Catholicorum commodo: quibus nouum Teſtamentum adornabat eodem genere interpretationis, cùm eum ſtrenuè laborantẽ mors occupauit. Congreſſus frequentiſſimè cum hæreticorum Principibus, ac maximè cum quadraginta, eoque ampliùs adulterati verbi præconibus, vi diſputationis omnes fregit, ac falſitatis coarguit. Longum ſit inire numerum eorum quos vel concionum, vel priuati ſermonis, vel ſcriptionum ſuarum validiſſimis momentis adductos in Catholicorum cœtum ab inueterata hæreſi pertraxit. Libertate dicendi aduerſum hæreticos publicaque vitia tametſi plurimorum odia in ſe concitauit, hominis tamen innocentia & eruditio (quam ipſi etiam hoſtes ſuſpicerent, ac venerarentur) eum facilè tuebatur. Omnium ordinum proceribus Vngaris carus fuit in primis; quorum tamen gratiæ ſi quid publicè peccarent non ita condonauit, vt non vel coram, vel per litteras pro noxæ ratione caſtigaret. Stephano Battorio Polonorum Rege, vſus ſemper eſt beneuolentiſſimo; cuius famam aduerſus æmulos, & maledicos apud ſummum Pontificem, & Cardinales egregiâ oratione defenderat, euiceratque Catholicum ſemper vixiſſe, quod obtrectatores pernegabant. Is igitur ad Polonicum ſceptrum proiectus confeſtim Patrem ſui ſtudioſum ad ſe euocauit in Tranſyluaniam, eumque in Varadinenſis Collegij poſſeſſionem authoritate ſuâ miſit. Sanguinis pro Religione Catholica profundendi cupidiſſimus cùm ſemper fuiſſet, nec tamẽ ex voto res cederet hac ſe cogitatione ſolabatur cùm efflaturus eſſet Animam, quòd moreretur pro eadem fide exul.

Zelus.

Fides.

P. PETRVS DE ESPINOSA.

HIc tum adhuc puer in Hiſpania voto ſe obligârat defendendæ Immaculatæ Conceptioni Matris Dei. Educatus eſt perſanctè; quippe qui iucundè narrârit aliquando Matrem ſuam cum lachrymis ante ſuum lectulum in genua prouolutam dixiſſe magno verborum pondere, vt mortem potiùs quàm vllum lethale peccatum admitteret; atque vt vel vmbram obſcœni alicuius dehoneſtamenti maximoperè caueret: ſeque id obſecranti piæ Matri ſpopondiſſe, ac perdiligenter ſeruaſſe. Virginitatem ſuam cuſtodiuit modeſtiâ, humilitate, ieiuniis, ciliciis, duro humi lectulo, flagellis armatam; quin etiam ab aliis aliquando petiit flagellari. In Paraquaria cùm Paulipolitanorum ſæuitiam fugerent Chriſtiani, ſtupenda tulit, factus bubulcus, lanio, didaſcalus, omnibus omnia ad animorum corporumque obſequia. Noctu cùm in eum irruerent barbari, & ille Deũ, Ieſum, Mariam inuocaret impenſiùs, execrati ea nomina barbari reſpondêre; vana eſſe illa nomina, nec adeſſe illos quos vocaret. Ita illum contra blaſphemas voces piè porrò loquentem, varieque vexatum, fiſſo capite obtruncauêre. Cadauer à tygridibus propè deuoratum; manus tamen reperta integra, digitis in Crucem commiſſis. Eodem tempore Iuliano cuidam de Societate, ducentarum leucarum interiectu diſſito, glorioſus apparuit, ac dixit: Benè tibi ſit, Frater mi Iuliane: ego lætus ad Superos abeo, Iulianus poſtridie narrauit ea quæ viderat, & audierat per quietem: & poſtea

Hiſpanus in Paraquaria. 3. Iulij 1637. Soc. 24.

Educatio bona.

Caſtitas. Mortific.

Fides.

Mors.

ſtea cum cædis nuncio collata tempora oſtendêre tunc id factum cùm Petrus cæderetur. Quartus ipſe fuit Petrus, poſt tres quos in Societate habuit fratres, omnes viros Apoſtolicos; quorum vnus prædixit, fore vt ipſe in fidei Chriſtianæ odium cæderetur. ipſe quoque Petrus ante quàm initiaretur, aliquando in templo Deum precatus, viſus ſibi eſt à barbaris trahi, vexari, occidi. *Mort prænisa.*

nẽ Aſimodeum, Ioach dictum, immiſerat, ab infelici illâ Dæmonis importunitate liberauit: vnde dicebat moniali Dæmon; ſe quadratum illum nebulonem aquis merſurum. Alium Rabion dictum, anno 1630. Nouædomi abegit. Ieiunia Mariana, & cilicia tam conſtanter ſeruabat, vt ne in extrema quidem ætate, ac nec in podagra, cilicium, & reliqua omiſerit; ac etiam ſupremo vitæ ſuæ ſabbato ieiunârit. *Sed & ſabbato migrauit è vita.* *Caſtitas.* *B V.* *Mortific.*

P. DANIEL STIGELIVS.

Germanus Glacij. 3. Iulij 1649.

SAcram Virginem, cui ſceleſtus quidam ab ea ſemper repulſus dæmo-

IV. DIE IVLII.

P. ISIDORVS BELLINVS.

4. Iulij Italus in mari 1551.

MEmorabilis fuit P. Iſidori & in vocatione conſtantia, & in moriendo fortitudo. Vtraque ſic exequitur orlandinus: Iſidorus, qui idem Sbrandus appellabatur è primis fuit, qui Societati ſe Romæ adiunxêre. Poſt operam per benè poſitam in humanis diuiniſque literis, & Conimbricæ; Philoſophiam Meſſanæ docebat: miroque Dei beneficio, dum ſolicitatus ſæpè, ac grauiter à monacho ſuo fratre, vt eius in ordinem tranſiret, eum demum ſequeretur, apertis in itinere mentis oculis diabolum eſſe exclamans, qui ab vocatione ſe prima ſua deduceret, ad ſocios (qui interim pro eo preces ad Deum nunquam intermiſerant) reuertit. Et quia emanârat inter diſcipulos fuga; congregatis omnibus non dubitauit egregiâ cum Societatis prædicatione ſuæ veniam inconſtantiæ deprecari, & palàm religioſa vota in eorum inſtaurare conſpectu. Inde nouo impetu perfectæ curſu ſapientiæ repetito, ipsâ in vrbe Meſſana dum claſſis adornatur, priuatis congreſſibus, publicaque verbi diuini prædicatione vtilitatis Melitæ ſingulares attulerat. Poſt generali confeſſione Iobeleoque cum domeſticis aliis expiatus, multa præclara moliens à Natali comes abducitur. Ecce autem quarto nonas Iulias, cùm ad Lopaduſam inſulam veniſſet claſſis (ea inter Melitano & Aprhodiſium iacet) fæda adeò tempeſtas duas antè lucem horas teterrimâ cum caligine extitit, vt è quindecim triremibus octo demergerentur, in hiſque Prætoria. Quibus robur, ars, animus ſuppetebat, in ſaxum ad quod fluctibus triremes allidebantur, euadebant: quo, & Natalis quamuis natandi imperitus, & vſque ad vltimum in media morte pro *Vocatio.* *Vocatio.* *Humilitas.*

pro animarum charitate moratus, non sine peculiari Dei tutela, nescio quo arrepto fune saluus euasit. At Isidoro idem tentanti brachium allisa ad saxum triremis interceptum abscidit, sic vt modicâ è cute penderet: qui diu inter fluctus luctatus in triremem tandem rursus receptus nihil prætermisit, quod non solùm optimum religiosum, sed fortissimum etiam virum deceret: non modò vincens dolorem sed & constantissimè, quæ eo articulo opus erant periclitantibus inclamans, quo ad ipsâ solutâ triremi, & haustâ fluctibus ipse cum quàm plurimis periit.

Patientia.

P. ÆGIDIVS ANGLVS.

Anglus Pragæ 4. Iulij 1571.

HVius Patris vitæ index est insignis mors quam Pragæ obiit posteaquam illam præsentione quadam prædixisset. Præparabatur vt præesset Magister Tyronibus; interea socij munere insigni virtutum documento fungebatur. Eminebat in illo acrior quædam in pluribus vnà muniis nauiter obeundis excellentis animi contentio, studiumque omnes, ac semper expedito proruptæ charitatis amplexu, solatio, ac omni ope adiuuandi, seu animi ægritudine seu corporis ægrimoniâ teneretur.

Charitas.

Biduo ferè à morte aberat Ægidius cùm inter rei domesticæ curatores, is qui culinam curabat vir egregiæ virtutis, ipso Visitationis *Mariana* die, positis humi genibus eius diei gloriâ attentâ mente versabat: & apertis oculis vidit locum in quo erat lucentissimo sole perfusum. Atque in hisce splendoribus visus illi Christus dextrâ Ægidium sustinens. Hæc ille Ioanni Paulo Campanæ Rectori retulit. At Ægidius munitus cælestibus Sacramentis mortem opperiebatur lætus. *Venite*, aiebat, *exultemus Domino. Exultate iusti in Domino! Exultabunt Sancti in gloria.* Et plura sic in Domino exultantem interpellare visus dæmon, breui euanuit, cùm nihil in illo cruenta bestia reperisset. Tertiâ ante mortem horâ à Campano numquid dicendum haberet rogatus; equidem se habere quiddam respondit: verùm excludi se temporis, quod breue admodùm supereresset, angustiis; atque illam vitæ particulam curis aliis transcribendam. Ita pestifera febris hominem pretiosum acerbâ morte prostrauit, seu potiùs Christo in amplexus asseruit.

B.V.

Fiducia erga Christum.

Mors.

P. LVDOVICVS RVIZ. COAD.

Hispanus Compluti 4. Iulij 1599.

HVnc inter suos Heroës, & victimas censuit charitas peste contactis gloriosè immortuum. Nunc lauta, nunc tenuis, iterùm opulentior illi domi res fuit; & lene lepidumque ingenium. Inter alia impudicæ cuiusdam lectum igne arte immisso ita inuoluit, vt pudore perculsa impudens illa fœmina compluto profugerit, vir verò se in S. Francisci disciplinam dederit. Post alias ex aliis vicissitudines (quas exequitur in Heroibus Alegambe) in societatem ægrè tandem receptus, mendicato pedes Murciam ire iussus est, ita vt erat cultu eleganti & splendido: ibi 44. diebus in obscuro arctoque conclaui exercitiis S. P Ignatij excultus est. Ad acrimoniam ingenij coërcendam domi, foriſque variè tentatus, perstitit indolè generosâ. Rem domesticam scitè procurauit idoneo pro Tribunalibus ingenio, ac lingua promptus. Variis obedientiæ documentis postea quoque probatus, fœminæ, quæ Patrem illius veneno

Castitas.

Vocatio.

inter emerat magnâ facilitate ignouit. Valuit præclarâ industriâ, ingenio, pietate, ac ex his authoritate. Vnde à flagitiis eluit plures SS. Eucharistiæ Sacramento, ac templis iuri nitorem reuerentiamque restituit. Malè de pudicitia non semel accusatus, ac disquisitione facta innocens deprehensus, laudibus celebratus est: is verò qui eam accusârat Coadjutor, tristi, ac fœdâ morte extra Societatem periit; vt ei prædixerat Ludouicus. Plura de illo Alegambe.

Accusator.

P. THEODORVS RISWIG.

Belga Neomagi. 4. Iulij 1624. ætat. 60. Soc. 44.

AB hæreticis hoc ipsum ad id sufficere quòd Iesuita esset dicentibus, in carcerem catenamque compactus, ibi sexto ferè mense felicium ærumnarum decessit. Moriturus, num alieno esset animo ab eo quem suæ captiuitatis, adeoque mortis acceleratæ, authorem esse nosset, rogatus; respondit: se alienum ab illo animum minimè habere. Prædixit tamen Dei tribunali sistendum breui & illum & se; atque ibi causam vtriusque discutiendam. Vates fuit. etenim ille de quo loquebatur, & quem priore ante se loco expresserat cùm de morte loqueretur, aliquot horis ante P. Theodori mortem è vita ereptus est. Alius item eius mortis reus, linguâ tetrum in modum intumescente ac exertâ miser interiit.

Charitas.

Prædictio.

Iudicium Dei.

P. ANTONIVS DANIEL.

Gallus in noua Francia 4. Iulij 1649. ætat. 49. Soc. 28.

E primis hic vnus fuit qui ad arduas illas Huronum Neo-Indias profecti sunt: ibique per ipsos annos 15. strenuè sudauit. Illius, ac sociorum operæ pretium sunt illi mille septingenti, qui intra paucos annos Christo istic adiuncti sunt. Antonius hoc die manè diuino sacrificio operatus, cùm Hiroquæos ad cædem aduentantes audiret, quosdam antea iam dispositos quos potuit illicò baptizauit; vt æternæ illorum vitæ in periculo illo prospiceret. In templo vnà omnes Christiani in preces effusi, ab illo certatim pœnitentiâ expiati, & persanctè incitati ad mortem piè oppetēdam, cùm diceret: Hodiè erimus in Paradiso, fratres! Hiroquæis ethnicis barbaris in templum se infundentibus prodiit obuius; & sagittis confossus est, Iesum clamans. Singuli barbari vulnus aliquod, etiam mortuo, inflixêre; ac templum, igne iniecto, vnà cum cadauere combussêre. A morte cuidam de Societate, viro excelsâ demissione, ac sanctimoniæ famâ memorabili semel iterumque conspectus, impensè suasit vt infidelium animæ omni omninò adhibitâ operâ & diligentiâ iuuarentur: sibi autem datas à Deo plures animas, vnà secum æternis gaudiis potituras.

Fides.

Fides.

Mors.

Disce à mortuo:

Animorū.

Zelus.

Calum.

V. DIE

V. DIE IVLII.

P. PETRVS CARLERIVS.

Belga 5. Iulij 3. nonas Iulij moribus 1606. Soc. 15.

ACer in laboribus vir, & gratus omnibus natiuâ suauitate, ac humilitate, etiam cùm per plures annos præesset. Nouitio Coadiutori æger ad vnguem dicto audiens fuit. Legum nostrarum obseruantia in illo tenera & attenta, vt nequid maculæ in vllam admitteret. Vnde in ægritudine postrema petiit, impetrauitque legum nostrarum breuiarium seu Epitomen sibi dari; vt ad illud speculum suos mores componeret, seque illo oblectaret, labeculas, si quæ adhæsissent abstergeret, atque acriorem obseruantiam erga illas, & reuerentiam animo destinaret.

Regula.

cietate. E magistro & Philosopho coadiutor vt fieret, impetrauit. De Christi doloribus, & de diuina eius Matre loquentes, libentissimè (nec ferè vnquam sine lachrymis) audiebat. Pro præparatione ad mortem cingebat se ferreo cilicio; quotidianâ, eâque geminâ, verberatione; vnâ, eâque præparcâ potiùs quàm frugali, comestione contentus. Oratione præmissâ dicitur futura prædixisse, secuto euentu. Moriturus, vltimis connisus viribus è lecto se collegit humi in genua: erexit brachia orantis gestu, ac instar S. Pauli primi Eremitæ morientis expandit; orauit; & felix anima mentem in Deum eleuatam etiam ipsa felici migratione secuta, cadauer in illo situ flectentis, & elatis apertisque (quasi ad æternitatis amplexum) brachiis orantis reliquit.

Humil. Mors.

Mortif.

Oratio.

Mors.

Orans. Moritur.

PETRVS CARILLVS COAD.

Hispanus Oropesæ. 5. Iulij 1615. ætat. 70. Soc. 37.

DE hoc ita scripsi in pretiosis occupationibus morientium in So-

VI. DIE IVLII.

ANTONIVS ZANNETTI COAD.

6. Iulij Italus Romæ 1583.

HVmili loco natus. cùm improbos æqualium mores domi ferre non posset, aiebat se locum quæsiturum in quo nullæ in Deum blasphemiæ iactarentur: quod nobilis quidam vir ex illo cum audisset, illum direxit ad collegium Florentinum; vbi Rectori narrauit id quod erat, & receptus est. Vixit in Societate innocentiâ suâ, & laboribus omnibus charus; ac lentâ febri contabuit.

Vocatio.

Zelus.

P. ACHILLES CAGLIARDI.

Italus Mutinę 6. Iulij 1607. ætat. 70. Soc. 48.

PEr ipsos 18. menses morbo conflictatus est magno virtutum exemplo, eius vocatio iucunda, & diuinæ prouidentiæ plena ab Orlandino describitur. Brixiæ per 6. annos, quibus collegio præerat cum scholasticis nostris in conclaue accitis de spiritu, & rebus ad profectum spectantibus conferebat diebus festis; testatis illis, non minorem se inde fructum ac è Tyrociniis biennio retulisse. Sæpè ipse fuit officiorum nobile supplementum cùm præesset. Vnde fiebat, vt eodem die manè concionem, postmeridiana horâ priore lectionem in templo, postea allocutionem ad nobiles in oratorio sodales haberet, exquisito spiritu, atque ingenio; quod vtrumque in eius commentationibus elucet. Memoriæ, oculorum ac omni se mouendi facultate postea destitutus, gratiarum Deo assidue agendarum oblitus non est; diuinæ voluntati offerens obliuionem, cæcitatem ac omnem illam ægritudinem suam magno verborum pondere sensuumque. Extremo quadrimestri apoplectiuus, totâ dextrâ parte ita erat emortuus, vt iam putresceret. A mente quoque alienus, nil nisi de Deo deque sanctorum Patrum sententiis loquebatur, ad hoc tantùm illi sufficiente memoriâ.

Pia colloquia.

Morbus.

Patientia.

P. ALPHONSVS HERNANDEZ.

Hispanus Barcinonæ 6. Iulij 1611. ætat. 46. Soc. 17.

COrpus cilicio, pedes iniectis in calceos scrupulis vexabat; seque dirè cædebat quotidie. Oculos omni custodiâ seruabat mundos ab aspectu libero, potissimum fœminarum. Vnde Marchionem quandam longo licèt tempore confitentem audire consueuerit, nunquam tamen aspexit; nec sciebat, vetulane esset an iuuenis. Diuinum officium non nisi de genibus recitabat; & B.V. officium addebat quotidie. Incredibiliter amabat, & quærebat, ea quæ nihil prorsus elegantis habebant: cauenda esse aiebat paruula hæc semireligiosorum incautorum idola, etiam cum valetudinis detrimento. Malle se dicebat in cubiculo perpetuò latere, quàm prodeundo legis alicuius violandæ periculum subire. Moriturus dixit se tantâ salutis suæ fiduciâ esse plenum, atque si à Christo eam sibi promissam audisset. Obiit nullius vnquam grauioris *peccati reus ab ipso fonte lustrali, vt fama refert.*

Mortific. Oculi. Oratio.

Paupertas. B.V.

Regula.

Mori.

VII. DIE IVLII.

P. IOANNES BAPTISTA PISCATOR.

7. Iunij Italus Neapoli 1591. ætat. 48 Soc. 25.

SAncti Caroli Borromæi ephebus, eidemque percarus fuit Ioannes; atque demum è Romano seminario (eodem permultum annuente) societati adscriptus est. Romæ postea in Tyrocinio, Beati Aloysij Magister, & in itinere Neapolim comes fuit, pretiosâ planè temporum distributione. Collegio Neapolitano præfectus Rector, oblatam sibi à Claudio Præposito Generali 4. votorum professionem non admisit, Coadiutoris formati gradu,

Iter sanctũ.

Humilitas.

gradu, in quo iam erat, modestè contentus. Visitator, Prouincialis, aliique fatebantur, illius viri præsentiâ, & quadam reuerentiâ ductos se componi ad maiorem modestiæ seueritatem. Putatur Angelus adolescentis specie illi ad portam accersito auri tantum dedisse quantum sufficiebat ad instantem penuriam subleuandam; & ex oculis euanuise. Plura id genus diuinæ prouidentiæ in œconomicis angustiis experimenta, eam quâ corda sæpè introspiciebat, & futura prænunciabat lucem, & alia, seruo in eius vitam. Iam æger cuidam prædixit grauem illi tempestatem imminere; sed Deum, Deiparam, & se quoque de cælo illi adfuturum. Et verò adfuit illi breui periclitato de religiosa vocatione. Etenim cùm ille anxius animi P. Ioannẽ inuocaret, bis illi vigili perillustris vt fama perhibet, apparuit: tertiò adfuit dormienti; & præteruolans dixit fore vt omne id quo affligebatur turbamentum illicò euanesceret, non secus, ac ille repentè transibat. Per sex annos dicitur cilicium non exuisse; multùm se cędendo sibi sanguinis elicuisse quotidie; virgineam pudicitiam seruasse intactam; ipsâ eius admirabili modestiâ in eo viuum quoddam virtutis simulacrum præsepor tãte; diuinâ vi sublatũ in aëre inter orandum pependisse; nec semel splendore cælesti fulgere conspectum.

Modestia.

Angelus.

Vocatio.

Apparet post mortem.

Mortific.

Oratio.

P. SEBASTIANVS
MORALES EPISC.

Lusitanus incerto die anno 1588.

VRgentibus legatis Iaponicis Romæ apud Pontificem, & in Hispania apud Philippum Regem vt Ecclesiæ Iaponicæ Episcopus daretur, quippe quæ supra ducenta capitum millia, & in iis Reges quoq; nonnullos censeret; Sebastianus tunc Lusitaniæ Prouincialis, authoritate maiorum ad id munus delectus, & 27. Martij consecratus Vlyssipponæ, cum septem sociis soluit in Indiam. Sed cùm nauigantes lethargus exitialis infestaret, ac Sebastianus assiduâ sedulitate ad omnia charitatis officia ægris adesset; vitæ finem in opere illo inuenit, vir aliàs maximis quibusque rebus laudate patrandis non impar, si viuere licuisset.

Charitas.

P. PETRVS
CASSVI.

Iapon. Iendi Iulio 1639 ætat. 51. Soc. 9.

ANno 1614. Daifusamæ furore in exilium relegatus, Hierosolymas, postea Romam, inuisit peregrinabundus. Romæ Societatem amplexus, in Iaponiam vt securus rediret, remigis personâ tectus, per biennium nudo capite ac pedibus occasionem penetrandi quæsiuit. Cùm necdum reperiret, Manilam ceu mancipium, abiit. Sic excubias elusit; & Nangasachi multos aquarum tormentis conterritos, ac eapropter in fide nutantes, magnâ industriâ confirmauit: alios iam lapsos reduxit; Iendi postea comprehensus, ac variis tormentis, & morte affectus.

Zelus.

VIII. DIE IVLII.

P. ARNOLDVS VICINVS.

8. Iulij Gallus Aniicj 1596. ætat. 56. Soc. 34.

NIhil vnquam se à Præpositis postulare aiebat, nisi vt nunquam regeret, ac nunquam in patriam mitteretur. Iussus tamen, rexit collegia, & Prouinciam singulari laude modestiæ, assiduitatis, pietatis, ac lenitatis. Cùm alia multa, inquiunt de illo Anicienses, tum illud præcipuè illi debet Aniciana ciuitas; vsum ab ipso inductum semel ad minus, vitæ totius peccata confitendi: quam in rem scribitur ita incubuisse concionibus, priuatis hortationibus, & operâ iis præstandâ, vt ad duo earum millia, & amplius, vnus ipse exceperit. Ad vitia exuenda, maximè conducere aiebat; omnes conscientiæ suæ latebras in confessione aperire; vlcera omnia (& ea maximè in quibus plus est verecundiæ) ac leuissima etiam quæque, detegere, idque seuerè.

Confessio generalis.

Humilit.

P. NICOLAVS. SVSIVS.

Belga Cortraci 8. Iulij 1619.

PErmagna erat in hoc viro eruditio seculorum, & felicitas in theatris pio ingenio perscitè adornandis; magna erga maiores obseruantia: sed omnia hæc supergressum est studium colendæ ornandæque Deiparæ; de cuius pulchritudine dissertationem lucubrârat; eamque adeò animo imbiberat, vt quidquid ageret, ad pulchram exempli Mariani amussim, accuratâ, & ex amante verè animo profectâ imitatione exigeret. Illi vitam, calamum, ingenium, suos mores emendatè accuratos, omnia sua & singula ex asse addixerat, MARIA scribendâ, dicendâ, precibus, visitatione, imitatione colendâ alios imitari, seipsum verò etiam superare cõnisus.

B. V.

Imitatio.

P. IOANNES DEL CAMPO.

ROmæ cùm alia omnia quæreret, diuinæ vocis intus ad cor sibi loquentis neque vllam sibi quietem permittẽtis vim sustinere se posse negans, Societatem amplexus est. Villagartiense tyrocinium liberalitate suâ ornauit; at virtute nobilius, magno Ludouico de Põte magistro vsus; qui ait illum orandi dono, & mortis pro fide subeundæ insigni desiderio, denique visis quoque cælestibus, fuisse inclytum. Salmanticæ studiis eius nihil ademit oratio, & ex hac nihil studia decerpsêre, hisce duabus veluti alis se inuicem in illo iuuantibus. Ibidem P. Ludouicum de Ponte monuit vt ægro P. Montoyæ V. Prouinciali attenderet ne quid illius animæ ad migrationem felicem deesset: moriturum enim. Roganti Ludouico vnde id adeò affirmatè diceret; respondit Ioannes sibi ad P. Mantoya inuisendum ingresso obiectam speciem hominis mortui in illo conclaui depositi, & dictum, eum esse Patrem Montoya. Nec secus euenit quàm dixerat. Monitus à P. de Ponte, ne mirabilibus hisce visis se multum addiceret; amplius cogitabat, an fortè quędam eorum quæ videret essent vmbræ phantasmatis inquieti, an omnia è cælo

Hispanus in Indiis incerto die.

Vocatio.

Ægri visendi.

Mort.

è cælo venirent. Hæc cogitanti atque oranti dictum à Deo: Si tibi esurienti ramus fructibus onustus offeratur, quid agis? Respondit Ioannes: fructus lego, & comedo; ramum abiicio. Atque hoc ipsum, inquit Dominus, tibi cum his agendum est. E visis hisce fructus lege; disce humilitatem, patientiam, aliasque virtutes; & reliquis de visione cogitationibus supersede. Hæc de illo de Ponte. Abulæ vix vnquam dormiebat in lecto, agebatque vitam omnium horarum ad sacras expeditiones, ac nutum obedientiæ expeditam. Diebus festis, duabus ante alios horis surgebat; vt extra vrbem ad sacras operas concurraret, cùm interea mediam Grammaticæ classem doceret diebus aliis. In brachiis gestabat duas laminas crebris foraminibus asperas illarum instar quæ defricando caseo adhibentur: corpus totum sacco cilicino inuoluebat. Tandem Philippinas vt adiret obtinuit. Seruatur Abulę illius flagrum quo in se sæuiebat, quatuor clauiculis cruentis horrendum. Incompertum habeo an hic idem sit cum Ioanne illo à campo de quo dicam 11. Augusti. & per me licet opinari eundem esse. Ego quæ de vtroque affero, è diuersis planè fontibus accepi quà scriptis, quà impressis.

Fructus è visionibus.

Mortif.

Mortif.

P. LVDOVICVS FROES.

PEr annos 49. in Indiis, per 34. in Iaponia multa præclarè scriptis, gessit ac perpessus est, exul non semel & ad mortem destinatus à Bonziis, præmio quoq; illi proposito qui eum interimeret. Linguæ Iaponicæ mirabili gnaritate ac felicitate valebat coram Imperatore, ac populo. Orandi etiam, ac à Deo petita impetrandi admirabilitate floruisse aiunt non pauci ab illo corporis quoque incolumitate adiuti. Augustinus Sancri Iapon Donatus, vir spectatæ virtutis, aiebat visum sibi post mortem P. Ludouicum Froës, qui defixis in cælum permagnâ intimæ pietatis significatione oculis, dicebat Augustino: *Fac id quod ego facio; & lauda Deum.*

Lusitanus Nangasachi Iulio 1597. Soc. 50.

Oratio.

Disce à mortuo.

Oratio.

IX. DIE IVLII.

P. BARTHOLOMÆVS DIDACVS DE SAVRA.

CElebrem quemdam Crucifixum per 6. menses visens, benedictionem ab ipso flagitabat: & verò quiescens aliquando benedici sibi ab illo visus est inexplicabili animi voluptate: quod sibi contra peccati præcipitium præsidio fuisse censebat semper. Angelum quoque custodem in veste candida lucentem aspexit vt credit. Ab alio Sancto quopiam librum ei oblatum fama est, cum hisce verbis: *Bartholomæe, lege.* Atque tunc aiebat se primùm adeundæ Societatis desiderium concepisse. Ostensus illi aliquādo diuinitus est vermiculus sese humi voluens; quo symbolo didicit se non posse è terra nisi ope diuinâ emergere. Aiunt aliàs eum à Iesv paruulo in sinu B. Virginis sedente vocem audiuisse: *Bartholomæe, amice mi.* In Societatem dare nomen meditanti S. Franciscum apparuisse, dicentem: *Esto constans;* qui videri desierit. Cùm iterùm deliberaret, ac dubitaret; ad

9. Iulij Hispanus Manilæ 1631 ætat. 53. Soc. 16.

Crucifixus Angelus custos. Lectio.

Vocatio.

Humilitas.

Iesus.

Vocatio.

B. V.

recordationem nominis MARIÆ constabilitus, & inflammatus, in hæc erupit: Ergò ad honorem MARIÆ ingrediar Societatem; ad honorem inquam Dominæ meæ Virginis MARIÆ. Et fecit; Deiparæ Angelisque vnicè in Societate addictus, ac vota in horas instaurans. Die immaculatæ Conceptionis B.V. magnis obsequiosi filij officiis Deiparam colere ac illam pro matre habere, optabat, & hoc donum sibi dari à Deo per illam petebat. Mox exardescens vouit se id facturum in omnibus, *quod magis Deo placere videbitur.* In Mexico multa passus est ab importuno Dæmone, à quo malè tractabatur, sed quem ille ridebat. Christus aliquando illum redarguit, quòd in passionis mysteriis expendendis, haud satis diligenter versaretur. Anno 1622. 18. Dec. de B. V. Matris expectatione recitans officium canonicum, visus est sibi à iacente in MARIÆ vtero IESV infantulo hæc audire: *Mi sacerdos.* Proximo ante mortem die rogatus, quid eo tempore illi afferret plurimum leuamenti, conticuit & mox mediatè sic respondit: *Præsidium Beatissimæ Virginis.* Cuius opem aiebat se in minimis etiam quibusque rebus expertum. Eodem die ac anno extinctum scribunt aliqui *P. Laurentium Massorium.*

Singulis horis. B V.

Deo placere

Christi Passio.

B V. Iesus.

B.V.

P. CAROLVS CLVSELLVS.

DEmissione suâ, & pleno sinceræ charitatis candore, atque modestia, in ipso vultu quandam Sanctimoniæ syngraphan præseferebat, omnia interpretatus è genio charitatis. A Sanctis Angelis monitum affirmant, vt sacra pro ægro quodam suæ Congregationis *Marianæ* sodali sexies procuraret, fecit & sodalis conualuit. Apud ægrum alium recitatis Deiparæ litaniis repentè à sensuum vsu alienus factus videbatur, iis, qui aderant admiratis; & mox ægrum efficacitate magnâ hortatus est, vt accersenti se Deo lubens pareret, mortem illi prædicens, licèt tunc nihil dum fuerit obnunciatum à Medicis. Mercatori prædixit, ægrum filium illi à Deo concessum ad vitam: hortatus item est vt cogitationi de sacris ordinibus suscipiendis conceptæ morem gereret. Pro Rancæo Senatoris filio per artes diabolicas muto, sacris operatus est, & illi vi diuini sacrificij aiunt redditam loquendi facultatem. Tremebat iudicia Dei, licèt Virgo, & innocens. Hodie pro diuino sacrificio se parantem apoplexia, & mors consecuta oppressit: ac exequiæ magnâ Sanctum illum appellantis populi frequentiâ peractę.

Gallus Burdigalæ 9. Iulij 1630.

Charit.

Sodalu B.V. Angeli Sacra.

Sacrum.

X. DIE IVLII.

P. PETRVS SILVIVS.

Belga 10. Iulij Mogūtiæ 1571.

HIc Romæ Adolescens à domestico quopiam illius simplicitatem abuso contra S.P. Ignatium tentatus, cùm ab errore propè abesset acerbissimo mentis ac sensuum stupore correptus, stipitis, aut saxi instar hærebat. Illo torpore leuatus agnouit culpam, lachrymis diluit, & malum omne euanuit. Vnde illum vigilantis pro superioribus diuinitatis instinctum

Obedientiæ.

tum fuisse credidit, vt obedienter se subderet, nec se à serpente vllo in Paradiso seduci sineret. Postea mirabile, atque amabile demissionis, obedientiæque documentum per Italiam, Bohemiam, Germaniam, Belgium factus Laynij, & Polanci amanuensis, inferiorum, ac deinde superiorum disciplinarum magister, ad græcam, ac latinam eruditionem, ad confessiones domi, foriſque, ad studiorum præfecturam, ad quidquid vbicumque adhiberetur æquè promptus ac idoneus errorem illum persanè luculentis magnæ virtutis exẽplis affatim expiauit.

Mors. Calumn.

Domus aurea.

Disce à mortuo.

Confessio.

P. GVNDISALVVS DE TAPIA.

Hispanus Deborop. 10. Iulij 1594 ætat. 34. Soc. 18.

INtra 17. dies barbarum Cicimecarum idioma perdidicit, charitate memoriam sustentante. Primus nec sine fructu lætabili peruolauit ad cultionem Topianæ gentis, quæ homines vorat, ceruos, cuniculos, aquilam, nouaculam è silice formatam, variis temporibus adorat. Cinaloënses, deinde instruxit; vbi & ingenia mitiora, & terra bis quotannis frugifera; vbi fur, aut mendicus nullus. Ad vicinos efferos homines missus, cum P. Martino Paëz breui duo millia capitum baptizauit; & viginti, aut plura, templa condidit. Nacabeda senex quispiam libidinibus fœdatus, eoque monitoris, impatiens, Gundisaluum, cùm Deiparam è rosarij serie ac formulâ salutaret, callidè aggressus, adduxit eò sicarios; quorum vnus clauam in Gundisalui caput impressit, ac Iesum clamanti brachium alij, & caput amputarunt. Coorto terræ motu, Ethnici ad eius tumulum cum donis supplices adiêre. Sicarij fassi sunt; eum idcircò, cæsum; quòd è suo illo Euangelio castitatem prædicaret, atque vtgeret. Post mortem spectatus est fœminæ, quam conuerterat, in aurea domo, cuius vestibulum duo adolescentes lucidi occupabant. Illuc visus est permultos introducere Gundisaluus. Petebat & illa eò ab illo, ceu noto suo ac spirituali olim Patre, admitti, atque induci: at Gundisaluus; Nec dum, inquit, est tempus: neglexisti plura quæ à me didicisti: & particulatim in confessione hoc atque illud (& quædam illi peccata singillatim suggerebat) omisisti. Euigilauit illa: & accersito quodam è Societatis Patribus, tam ea quæ viderat, quàm deinde omnia totius vitæ peccata, nullo voluntariè prætermisso, syncerè aperuit.

Fides.

B. V.

Mors.

Castitas.

P. ALPHONSVS DE ARAGONA.

NEapoli natus, & in Societatem cooptatus, B. Aloysij planè viua effigies ab iis qui vtrumque nouerant habebatur. In Paraquaria scholas; & sodalitia mirificè administrauit. Apud Vruagenses templum S. Nicolai eidem Sancto impensè commendauit; & mirum fuit, illud ignem ab hoste irruente sæpiùs diligenterque iniectum non concepisse, licèt ardente sole ac siccâ idoneâque igni materiâ. Labores, pericula, cæli iniurias non narro, quia passim nota. Puerum horridis vlceribus coopertum ipse abluit sine stomacho, purgauit, procurauit. Liberalis erat erga pauperes etiam in illa tenuitate, ac penuria: & circumferebat secum descriptum in schedula illud Prouerb. 28. 27. *qui dat pauperi non indigebit: qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.* Portabat secum & formulam votorum: cui hæc latinè ad calcem adiecit arcanis notis: *spiritu corde, practicè nostrum institutum prose-*

Hispanus in Paraquaria 1619. ætat. 44. Soc. 27.

S. Nicolaus.

Charitas.

Vocatio. *quendum ; & ad id affici debes tanquam ad Dei donum & inuentum.* P. Nicolaus Duran Prouincialis audito illo, in ratione conſcientiæ dixit ad ſocios : Arcanum, & ignotum theſaurum in Alphonſo latere. Cædendo ſe inclementer, vulnera ſibi alta inflixerat, è quibus vermes etiam erumpere deprehenſi. Ita patiendi Domi & foris auiditate inclytus, orandi potiſſimùm efficacitate ad miraculum prorſus excelluit : quippe qui dicatur etiam à B. Virginis æde incendium orando auertiſſe. Cùm enim congeſtæ, pro extruenda B.V. ſine macula conceptæ fabrica, materiæ ignem iam imminere videret, procumbens ingenua; Ne patere, ait, ô Domina, ô mater, ne patere vt comburatur hæc materia tuo templo deſtinata. Stupuêre omnes, qui aderant, flammam ſtatim retrò ceſſiſſe quæ proxima imminebat. Fertur & abſentia ex vero dixiſſe. Coram B.V. imagine ſe abiiciebat in genua, & è forma, quâ ſe illi anno 1602. mãcipârat aliiſque tenerioribus illius opem implorandi modis in charta meditatè deſcriptis, totum illi *Cor* ſuum explicabat.

Mortifie.

Oratio.

B.V.

P. DIONYSIVS DE SANNOIS.

Belga Audomari. 10. Iul. 1622. ætat. 52. Soc. 32.

DE illo ſic litteræ : Pater è noſtris cui dum viueret, fuerat perfamiliaris, è flammis luſtralibus illi ſe videndum præbuit. Eius congreſſus, & colloquium auxit, & cumulauit deſiderium iuuandi animas purgantes ; item illum ſtrenuè incitauit ad virtutes amplectendas ; vbi ab illo amico didicit, viros religioſos tormentis atrocibus ideò torqueri, quia diuino obſequio, & proximorum ſaluti procurandæ parùm fuêre addicti. Alia epiſtola de illo ſic habet: Eluxit in eo orationis amor, & virtutum humilitatis, patientiæ, in ſuperiores obſeruantiæ ac animarum iuuandarum ſingulare deſiderium, maximè ex quo vnius è noſtris in Purgatoriis ignibus detenti ſibi olim familiariſſimi fruitus eſt colloquio & conſpectu. Ab eo nimirùm didicit quàm multi religioſi in alia vita torqueantur, qui ſegnius Dei, & proximorum ſpirituali obſequio ſeſe dedidêre.

A P. Philippo du Buiſſon.

Zelus.

Purgator.

P. Philippi du Buiſſon.

Zelus. Animar.

Potiſſimũ verò quod inde percepit tum ille tum alij qui rem (etiam ad nos Romam tunc anno 1642. à P. Florentio Montmorencio perſcriptam) intellexêre, fuit flagrans ac exquiſitum ſtudium ægros in agone vltimo accuratè ac ſcitè iuuandi : quos anima illa dicebat enixè adiuuari ab animabus illis à Deo conſpectu adhuc exulibus; ſicut Angeli ſuis in morte clientibus fideles aſſiſtunt. Idem agere animas vnà cum Angelis. Addebat verò, hoc animarum ad æternam ſalutem iuuandarum munus eſſe *excelſum, & admirabile coram Deo. Eſtq;* inquiebat, *magnus ille in Societatem Ieſu Dei affectus, quòd illis vtatur tanquam adiutoribus & miniſtris ad ſalutem animarum.*

Charitas.

Morientium cura.

XI. DIE

XI. DIE IVLII.

P. PETRVS PEQVET.

Gallus 11. Iulij in agro Carpẽtoractensi 1591.

ORandi arte, ac singulari gratia eos adiuuandi quorum confessiones audiebat præstans fuit; eorumque aliquos ad insignem virtutis eminentiam eduxit. Mors illum reperit in officio hæroum inter obsequia charitatis apud peste contactos: quam posteaquàm oppetiit, scholastici aliquot illum in sacrificali veste velut sacris operantem luce circumfusum pulcherrimâ, semel ac iterùm aspexêre.

Confessarius.

Sacrum.

P. BERNARDVS AVBASIVS NOVITIVS.

Gallus Aginnæ 11. Iulij 1617.

SVauis in illo morũ indoles, ac ad se sibi in subigendum adeò generosa emicuit, vt se planè peruicerit, suique imperium obtinuerit. In morbo quicquid illi præbebatur, amplas gratias reddebat. Per sex menses adeò se assuefecerat sensim ad Dei vbique præsentis recordationem, vt citra vim suaui facilitate, animo esset in Deum ferè semper intento. In morbo amara sensim sorbebat, vt solent gulosi dulcia, & potionem à Pharmacopœo porrectam per ipsos 14. dies alacri vultu hauriebat, vsque dum Medicus gustatâ illâ se nil æquè amarum gustasse vnquam professus, damnauit Pharmacopœi seu ignorantiam, seu indiligentiam; atque id à Bernardo tam diu tam hilariter hauriri potuisse, neque vnquam errorem illum ab eo manifestatum fuisse, cum summa admiratione laudauit.

Præs. Dei.

Patientia.

Mortific.

XII. DIE IVLII.

P. PETRVS VITALIS.

11. Iulij Gallus Tolosæ 1607, ætat. 40, Soc. 20.

HÆreticorum ducentis plures paucos intra annos Ecclesiæ reddidit suâ illâ peritiâ, suauitate, oratione æger ad confessionem generalem elegit quem putabat peritissimum, ac maximè idoneum. Cùm inuiseretur, in lachrymas soluebatur, id vnum dolens acerbè, quòd tempus, quod optimè poterat collocari, perdixè consumpsisset: cùm tamen nota fuerit omnibus assiduitas viri, ac diligentia perattenta. Eminebat in ægro patientiâ, mirabili silentio dissimulanter inuoluens dolores. Vnde curatorem in admirationem rapuit pacata illa eius quies, cùm non sine magno commiserationis sensu plagam in eo fœdam, & luculentam eamque totam exustam reperisset. A mente alienatus ad conscientiam expurgandam sibi quotidie reddebatur tanto tempore quantum sufficiebat; item ad viaticum, & extremam vnctionem sui statim factus est compos: vti & si quid-

Patientia.

Confes. quotid.

Conf. gen.

Obed. quam iuberetur. Sed, & ad mortis obnunciatum periculum gratias Deo egit; illud incipiens *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.* A multis pro eo in vita retinendo ad sacra lipsana est supplicatum. Conflixit sub extremum *Tentatio.* cum hoste tartareo: mox *victoriam, & Deus in adiutorium meum intende*; cecinit; ac igneas plures aspirationes lachrymasque adiecit; eos qui aderant vt Deum strenuè colerent ardore tanto cohortatus atque si diceret pro *Mors.* suggestu.

P. IOACHIMVS ARENTS.

Belga Bruxellis 12. Iulij 1614. æt. 64. Soc. 24.

IVris prudentiæ laureâ, innocentiâ, sacerdotio, fidei zelo foris celebratus & pro religione non pauca sub hæreticis turbamentis perpessus; in Societate postea totus in eo erat, vt animas perstudiosè quæreret; ac animum flagranter orando, corpus verò cilicio *Mortif.* assiduo flagelliscque sanctè excoleret. Quantumlibet fractâ valetudine vteretur, somnum tamen nullo necessitatis obtentu producebat, nisi priùs è lectulo ad P. Ministrum proreperet, *Obedientia.* ac nocturnæ suæ insomniæ quietem petet. Petebat, flagitabat, si quid humile, si quid difficile agendum occurreret: vnde in collegio tametsi ætate iam graui, diu super mensam a- *Humil.* nagnosten egit. Habuit in Societate fratres quatuor: ipse quintus, & natu maior obiit suo illo (quod ante initam Societatem vrbe carere iussus erat) exilio piâque pro religione industriâ foris, inter nos autem accuratè attenti ad minima queque religiosè obseruandâ exempli documento memoriam imitationemque commeritus.

P. FRANCISCVS DE LA PARRA.

CVm nec in splendore opibusque domesticis, nec in honorato sanctioris officij munere, neque in amicis, aut quacunque necessitudine tranquillitatem maiora & solida expetentis animi reperiret; Societatem expetiit magno iam natu; & multa quæ obstabant peruicit. In Societate spectabilis fuit seuera illa Francisci pau- *Paupertas.* pertas, facilis ac felix animi ad cæcam obedientiæ accuratioris obseruantiam accommodatio, erga maiores fiducia, charitas impigra erga omnes. Vt verò Vtreræ patriæ suæ quam *Fundator.* optimè faceret, Vtrerense Societatis Iesu collegium excitauit: adeoque viuit istic memoria & beneficæ illius liberalitatis, fundatoris quoque nomine honoratæ; & præclaræ ad omnem disciplinæ laudem virtutis.

Hispanus Vtreræ 12. Iulij 1631. ætat. 50. Soc. 61

Vocatio.

P. GEORGIVS GIEDROYC.

DE hoc in meis heroibus charitatis plura dedi è quibus excerpo pauca. Eius origines à magnis lithuaniæ Ducibus repetitæ, ab eius virtute nobilitatæ sunt. Nunquam à prima tyrocinij scintilla elanguit. Magnum illi ad virtutem excelsam vectigal *Silentium.* fuit verborum, & ciborum parsimonia, oris custos assidua, ne quid nimis, *Temperant.* vel cibi, aut potionis, vel verborum admitteret. Christi vulnera illud ei silentium consecrabant, illa ei sitim a- *Crucifixus.* nimarum accendebant, respectuum humanorum non curantiam persuadebant, verbis efficacitatem addebant quibus etiam schismaticos quosdam ad Catholica, mox ad religiosa *Fides.* instituta

Lithuanus Vilnæ 12. Iulij 1651. ætat. 43. Soc. 20.

Iter. Fides. instituta pertraxit. Per iter cùm aliquando ad domum viri hæretici diuertisset, noctu peruigil, familiam, illo inconscio, exomologesi sacrâ expiauit; idque non semel. Integritas atque teneritas conscientiæ tam vigil in illo eluxit, vt vir non imperitus de illo diserrè pronunciârit, eum in Societate nullam, etiam venialem culpam, plenâ deliberatione commisisse. Corpus multifariam afflictabat, & illud peracri verberatu lacerabat, dimidiâ etiam horâ huic sæuitiæ non infrequenter impensâ. Mortif.

XIII. DIE IVLII.

P. SEBASTIANVS CABARASIVS.

13. Iulij Siculus Syracusis 1605. B.V. Latrones conuersi. Zelus.

HVius industria est illa quæ trium B. V. Sodalitatum ab eo deinde institutarum rudimẽtum fuit, quâ ille certos quosdam colligebat, ad quos de B.V. concionem haberet, eiusque erga nos benignitate explicatâ, omnes ad eius amorem alliceret, fructu etiam in religiosos ordines luculento Nec desunt, qui congregationum Partheniarum institutionem ad hunc referant. Certè amplificator fuerit è primis vnus. Latrones à quibus egregiè vapulârat per illum ad frugem conuersos generalem vitæ exomologesim peregisse, illis apud viros Principes veniam ab eo impetratam ac eorum aliquot syluas cum Religiosis cœnobiis commutasse prolixè narrat in anni 1605. litteris Syracusanum collegium. Ita illorum saluti ac viatorum securitati consultum est paucis lachrymis, quibus eorum periculum deplorârat, verbis quoque pondere magno adiunctis.

P. GASPAR AICHA.

Bohemus Brunæ 13. Iulij 1659. ætat. 33. Soc. 14. Fides.

HIc ante Societatem impetratam, ex amicis vitâ functis quempiam flammis vndique horridum; in Societate verò, B. Aloysium videre sibi est visus coram, ingentia cælestiaque pollicitum. Cùm Magistri Nouitiorum socius esset, aiebant tyrones in eo se viuas modestiæ regulas lectitare. Pios libellos legendi studio fuit apprimè addictus; dicebat se primas religiosæ vitæ desiderandæ scintillas è lectione pia concepisse. Omnibus humanis respectibus imperabat, oculo in Deum vbique præsentem assiduè defixo. Quare nihil sine superiorum facultate agebat. Foris bibere cùm nollet, amico ne minanter quidem importuno cessit, adeoque maluit cyathum vino plenum sibi in faciem effũdi quàm libare. Toto ante diem supremũ triennio quotidie se morti Parabat iis precibus quibus Ecclesia migrantiũ animas Deo, sanctisq; commẽdat verbis accõmodatissimè, pro illo articulo compositis. Militem febri malignâ æstuantem inuiserat, & hausto inde morbo ac morte factus est victima charitatis. Moriens pro extrema felicis mortis tesserâ in manu habere inuentus est piam formulam testamenti quam anno 1656. 30. Dec. conceptam, in pectore gestârat cum imagine S. Xauerij. In illo gratias agit linguis omnium creaturarum quæcũque sunt in mente Dei, pro omnibus beneficiis quæ ipsi & creaturis omnibus concessit aut concessurus est bonus

B. Aloysius Modestiæ. Lectio. Regulæ. Mors. Charitas. Mors.

nus Deus : & particulatim pro donis quibus Societatem ornauit, ac eos qui in ea fuerunt, & futuri sunt. Offert suum corpus corpori Christi, animam animæ, cor cordi, ad amandum Deum vnà cum corde Christi. Instaurat actus fidei, spei, charitatis, contritionis : dat se in fidem Deiparæ, Angeli sui custodis, Sanctorum suorum : atque ita munitus vult paratus quotidie inueniri ad mortem.

XIV. DIE IVLII.

P. IOANNES REBELLVS.

14 Iulij Lusitanus Ebor. 1602. æt. 61. Soc. 45.

QVàm diu nobiscum vixit, nullum diem omisit, quo se non cæderet, nec rarò vsque ad sanguinem; quippe hamis aspero flagello vsus vnde illi vlcera, & dolores. Quicquid temporis conscientiæ disquisitio, quicquid oratio mente concepta, vel voce deprompta occupat, id omne ille flexis genibus traducebat, ad reuerentiam Deo habendam in negotio Dei; quicquid obnunciarent ætas, morbique. Crus illi ferro, & flammis carnificatum : at ille crucifixi simulachro postulato, defixis in hunc oculis fortiter omnia toleranit, quasi in carne non sua fieret laniena. Animas Purgatorij perquàm assiduis industriis adiutum ibat, concionibus ad id alios cohortatus, sodalitatibus quoque illarum in subsidium constitutis. Deiparæ autem enixiùs colendæ studium admirandum in modum cordi habebat : aiuntque illud eius operâ per Lusitaniam luculenter propagatum : de illius rosario, & de illa, dialogos scripsit, ac multa excogitauit ad illam cultu semper ampliore colendam; adeò, vt abundè satis fecerit illi pactioni, quâ fertur aliis Patribus in familiari de rebus diuinis congressu alias virtutes contentione singulari quærendas eligentibus particulatim hunc erga Dei matrem amorem cultumque in se, ac aliis fouendum & amplificandum elegisse.

Mortific.

Oratio. Crucifixus.

Patientia. Purgator.

B V.

Pia colloquia.

P. THOMAS DE MONTOYA.

Indus è noua Hispania Manilæ 14. Iulij 1617. ætat. 59.

QVà tyrones, quà Indos in scholis, quà populum palàm docendo magnos labores exantlauit per annos plus quàm 30. istic exactos. Apud Basaias propinatum illi venenum ferunt; quo labefactatus, longâ in morte vixit, labore tamen improbo. Aiebant Indi sibi purum castimoniæ amorem eius aspectu afflari. Mira fuit eius in silentio arctè seruando religio, & verborum parsimonia cùm esset loquendum. Prandebat parcè; nec cœnabat. Per plures hebdomadas coactus est sedere, nullâ ferè interspiratione quietis ab asthmate, quod è veneno sibi propinato acceperat. Interea tamen fuit Thomas semper & zeli, & magnæ patiétiæ suæ compos, eo solatio, quòd, in fidei odium, fuisset odio apud illam gentem cui Christum prædicârat.

Fides. Castitas.

Lingua.

Fides.

PHILIPPVS NOTTIN COAD.

Belga Trajecti 14. Iulij 1638.

AB hæreticis in fidei Catholicæ odium Cruci ferreæ insidere iussus,

sus, manibus pedibusque per extremos digitos ad tergum reuinctis, & manicarum ac pedicarum aculeatarum tormento dirè insertis. Collo innexum erat collare ferreum, trifariam aculeis consertum, quorum alij recti eminebant, alij sursum, deorsum alij vergebant; igne quoque quo ipse lentè torreretur, admoto. Vbi vsta pellis ibat in bullas & pustulas, illis ferro apertis acetum cum sale ac pyrio puluere infudêre. Sic per decem ipsas horas cruciatus Philippus, capite deinde plexus est, obtentu proditionis, re ipsâ odio fidei orthodoxæ; vt patet è narratione à Bullonio Duce conscriptâ; & è calumnia ab hæreticis conflata per Lansmannum, cui ob vitæ spem mentito, vitæ promissæ loco mors illata est. Philippus in loco supplicij obiecta omnia falsa esse affirmauit, ac dixit se mori innoxium, & pro Catholica, Apostolicâ, Romana Ecclesia.

Fidei.

GERARDVS DOMINIQVE COAD.

Gallus Mussiponti 14. Iulij 1654.

HVnc pietate, mirâ simplicitate, in officiis assiduitate fuisse peringsignem aiunt qui cum illo vixêre. Deiparæ Virginis fuit studiosus constanter. De illa libenter & audiebat & loquebatur. In extremâ senectâ eius coronam semper sibi voluit præ oculis esse de sella pendentem, vt esset ad manus: fuit in ea versanda & recitanda multus ac frequens. Illi penso attexebat oratiuncularum quiddam quas piè magis quàm concinnè rhythmis Gallicis olim Christo in cruce patienti, collachrymantique Deiparæ cecinerat. De rebus cælestibus & frequens & lubens colloquebatur Quocirca libentiùs cum iis versabatur quos videbat id genus colloquiis impensius delectari. Quos inter fuit is qui tunc Mussiponti Theologiam scholasticam explicabat. Huic postea (mortuo ferè ante triduum Gerardo) die S. Alexij, aliquando post mediam noctem ad oratorium in genua procumbenti orantique (vt annuus ei mos est, idcircò quòd præfati S. Alexij vita olim apud Ribadeneiram lecta religiosi eius propositi dux fuerit, & magistra) sese in cubiculo spectandum offerre est visum tum ingens & repentinum lumen, tum Charissimus Gerardus Coadiutor, & quidem cum veste Societatis. Interrogatus à Patre, *an Deo frueretur*! capite, quod splendor ambiebat, modestè annuit; & ore, cui stellula micans inerat tanquam præmium colloquij frequentis de Deo & rebus spiritualibus, quibus dum viueret mirificè vnà cum Patre illo afficiebatur, commendauit dicto Patri sermonem huiusmodi, *vt quid inferis amarum, superis verò gratissimum.* Deinde mox ex oculis se subduxit, hærente Patris cordi consolationis sensu liquidissimo. Hæc omnia illicò ad P. Thomam le Blanc eius Collegij tunc Rectorem, postea Prouinciæ Præpositum, retulit is Pater, ea chirographo quoque suo testatus, Rectore etiam subscribente. Vtriusque chirographum penes me est dum hæc scribo; & simul eiusdem Patris literæ Ensichemio 30 Ian anno 1661. ad me datæ eorum quæ de Gerardo narraui testes. Certè ea res postea nostris tacito Patris nomine, narrata, propensos aliàs ad pia colloquia animos ad continuandum pij sermonis vsum haud mediocriter incitauit.

Vocatio.

Stella et Pia colloquia.

Amarum inferis.

XV. DIE IULII.

P. IGNATIVS AZEVEDIVS CVM SOCIIS 39.

Lusitanus in mari ad Palmam insulam Fortunatam. 15 Iulij 1570.

ILlustri genere natus, in Societate ad virtutis exercitium toto die aliquando nihil omninò locutus est. In dulci suo silentio absorptus pallebat ab assidua corporis afflictatione, fluebatque in lachrymas pietatis. Imitandæ Virginis Matris puritatis ergò, vestem cilicinam candidam gestabat. idque ex voto Dei Matris reuerentiâ nuncupato. Eboræ collo energumeni rosarium Deiparæ iniecit; & pertinacem dæmonem, qui multos fatigârat, eiecit. In puppi nauis quâ in Brasiliam vehebatur cum sociis, altare erexit, illique Româ secum aduectam S. MARIÆ Maioris imaginem imposuit. Ad Palmam (quæ vna est Canariarum seu Fortunatarum insularum) Piratæ hæretici in eum & socios irruêre, Ignatius, arreptâ Dei Matris effigie, socios cohortabatur ad vitam optimo Deo consecrandam. Conclamauit Soria hæreticus piratarum antesignanus, ad suos piratas; vt Iesuitas occidant: *hos enim ad proseminanda praua dogmata in Brasiliam proficiscì.* Ignatius in B. Virginis imaginis complexu conculcatus, capite saucius, lanceis confossus, Romanæ fidei veritatem contestatus, atque vt pro hac socij fortes occumberent omnes vnicè hortatus, vnà cum illa Deiparæ imagine cecidit. Hanc illi è complexu cùm auellere haud satis facilè possent furenter properantes hæretici, eum seminecem in mare abiecêre; vbi etiam corpus ab aquis se efferens, Deiparæ imaginem, mortuis quoque brachiis adstringebat.

Mortif. Rosarium.

Imago.

Fides.

B. V.

Benedictus Castrius.

Ibidem in Crucifixiamplexu se Catholicum clamans, tribus glandibus ictus à sclopo, cæsus, confossus, in aquas iniectus est.

ætat. 28. Soc. 9. *Crucifixus.*

Emmanuel Aluarus.

In facie sauciatus, tabulæ affixus, confractis cruribus, & ossibus, adhuc socios hortatus ad mortem in causa tam nobili magno animo obeundam, in mare proiectus est. Soc. 15.

Blasius Ribera.

Coram Beatissimæ Virginis imagine prouolutus, confracto gladiorum capulis capite, obtruncatus est. B. V.

Petrus Fonseca.

Coram eadem B. V. imagine, in maxilla pugione confossus occubuit. B. V.

P. Didacus Andrada.

Inter audiendum confessiones sicis confossus, cùm in mare deturbaretur clamabat: *Pugnemus fortiter, socij; demus pro eo sanguinem cuius sanguine redempti sumus.* ætat. 40. Soc. 13.

Simon Acosta Nouitius.

Cùm liberali aspectu nobilitatem generis testaretur, eoque viam sibi ad fugam patere videret; non tantùm fugam non iniit, verùm etiam coram Soria hæretico Principe piratarum fidem orthodoxam contestatus, tenerum iugulum dedit; & in fluctus præceps datus est. ætat. 18. *Fides.*

Aliis pluribus veste nudatis ferrum hæretici altè in viscera adegêre: ac ne natatu euaderent, præcisa quibusdam brachia priùs quàm coniicerentur in mare. Ludibrio habitę sacræ vestes, atque reliquiæ: S. Theresia hoc ipso 15. Iulij & sabbati die, hoc anno 1570. P. Balthasari Aluarez disertè dixit, quot, & quomodo sint occisi: eosque affirmauit à se visos in cælo martyrij coronâ illustres. P. Ignatius Hieronymo fratri suo absenti radiis coruscus apparuit. Anno 1616. 19. Nouembris multi de Societate qui in Paraquariam nauigabant, cùm eo ipso in loco, vbi cum sociis Ignatius cæsus fuerat, in malacia cõstitissent, gaudiis mille *Fides.* *Fides.* *S. Theresia.* *Mors. Calum. 19. Nou.*

mille perfusi, visas à se aquas sanguine tinctas, & manu haustas stillantibus sanguinis guttis purpureas apparuisse, & gustatu quoque suaues fuisse sanctè testati sunt. Visos tunc etiam socios vulneratos, alios pectore, alios aliâ corporis parte, non secus quàm si cædes illa tunc patraretur. Adolescens nobilis indole ac virtute, Sanctus Ioannes dictus vulgo, tironum ac sociorum modestiam adeò adamauit, vt ab Ignatio Societatem impensè flagitârit, cum iis assiduè in omni exercitatione versatus; & licèt necdum tiro, tamen candidatus, cùm socios occidi videret, se illis immiscuit, potitus morte quam exoptârat, Adauctus dictus. Nomina omnium sunt:

Alexius Delgadus Lusit. ætat. 15. Nouitius.
Alphonsus Vaena Hisp. ætat. 30. Soc. 3. aurifaber.
Aluarus Mendez. Lusit.
Andreas Gonzalez. Lusit.
Antonius Correa Lusit.
Antonius Fernandez. Lusit.
Antonius Suarez. Lusit. Minister.
Benedictus Castrius. Lusit.
Blasius Riberius. Lusit. ætat. 27. Nouitius.
Dominicus Fernandez. Lusit. Coadiutor.
Emmanuel Aluarus. Lusit.
Emmanuel Fernandez. Lusit.
Emmanuel Paceccus. Lusit.
Emmanuel Rodriguez. Lusit.
Ferdinandus Sanchez. Hisp.
Franciscus Aluarus. Lusit.
Franciscus Magallianez. Lusit.
Franciscus Perez Godoius. Hisp.
Gaspar Aluarez. Lusit. Coad.
Gonzalus Henriquez. Lusit. Diaconus.
Gregorius Scriuanus. Lusit.
P. Iacobus Andrada. Lusit.
Iacobus Perez. Lusit.
P. Ignatius Azebedius. Lusit.
Ioannes Baëza. Hispanus.
Ioannes Fernandez. Lusit. Coad.
Ioannes alter Fernandez. Lusit.
Ioannes de Mayorga. Hisp.
Ioannes à S. Martino. Hisp.
Ioannes Zaurus Hispanus.
Ludouicus Correa Lusit.
Marcus Caldeira. Lusit.
Nicolaus Dinis. Lusit.
Petrus Fonseca. Lusit.
Petrus Nunnez. Hisp.
Petrus Fontorus. Lusit. Coad.
Simon à Costa. Lusit.
Simon Lopez. Lusit.
Stephanus Zurara. Hispanus.

His 39. addunt aliqui adolescentem illum *Ioannem Adauctum* Societatis candidatum. *Stephanus Zurara* Te Deum laudamus cecinit cùm eiiceretur in mare.

Non tacendus inter hos omnes *Franciscus Perez Godoius* è P. Balthasaris Aluarez disciplina ad hanc mortem profectus. Hic rogatus in tirocinio; quid ita nitidè culinæ supellectilem breui iterùm inficiendam expoliret; respondit; se, vesperi quotidie, vnà cum singulis diei totius occupationibus peractis, Deiparæ sistere. Nolle autem se coram illa erubescere cum vasis parùm exquisitè perpurgatis. In ipso cædis, mortiumque calore, illud quod sæpè à P. Balthasare Aluarez audierat, & pro sacro axiomate vsurpabat acroama sociis idẽtidem repetiuit exclamans: *Eia, fratres, non degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum Dei.*

B. V.
Vesperi.
Accuratio in minimis
Filij Dei

NICOLAVS.

LVILLERIVS. NOVITIVS.

DE hoc ita scripsi in pretiosis occupationibus morientium in Societate. Coloniæ Nicolaus Luillerius Soc. Iesu Nouitius demittendi sui ac

Germanus Coloniæ 15. Iulij 1578.

ad nutum obedienter omnia faciendi virtute præcellens, æger tandem ad mortem cùm doloribus eximiè exerceretur, à Deo ad illos ferendos etiam robur accepit, notabili planè ad crucem ferendam inuitamento. Visus est, inquit Sacchinus, sibi videre Christum Dominum, prægrandi Cruce oneratum, cuius ille vestigia minori cum cruce maiori tamen molestiâ sectaretur. Verùm cùm aliquando vidisset Dominum graui sub pondere labantem & commiseratus vellet in oneris eius partem succedere; seuero ad eum vultu conuersus IESVS. Quî, inquit, magna, & aliena feras, qui tua, eaque leuiora, non potes? Hac voce miro amore succensus, quamplurima tolerandi, relicto sociis illustri excelsi pectoris exemplo, ad idus Iulias breuem cruciatum cum æterna iucunditate mutauit.

Patientia etiam in minimis pretiosa.

P. SIMON RODERICIVS.

Lusitanus Vlyssiponæ 15. Iulij 1579.

HIc è multis turbati animi salebris variè tandem eluctatus, magno documento fuit, magnos etiam prolapsioni magnæ esse vicinos, ni obedienter subsint, caueantque insidiosas fallacias Dæmonis depeculatoris diuitum etiam animarum. Fuit Simon è decemprimis Ignatij, Patris nostri sociis vnus, multitafariam quidem non semel querelas miscens, quereliſque aliorum vicissim obnoxius, verùm culpâ demum agnitâ, quâ suauissimum Ignatij parentis animum temerè non sine scandalo irritârat, ab illo indulgenter acceptus, è reo se innocentem fecit. Certè illum laudat Ignatius in iis literis, in quibus illum Lusitaniæ Prouincialem creat. Et fuit ille eius Prouintiæ fundator è primis vnus. In carnem asper, suauis in alios. Conimbricensem Episcopatum sibi à Ioanne III. Rege oblatum, cum lachrymis recusauit, obnixè contra obtestatus. In *aula* sapienter, ac religiosè versatus est; eamque, *carcerem*, & *Purgatorium* appellabat; nec erubescebat ollâ pultibus plenâ onustus ire ad visendos carceres aulâ spectante; nec ad suæ stirpis, & familiæ commoda vnquam vsus est eâ Principum gratiâ, quâ pollebat. Virginitatis florem humilitate, in se ipsum aspero dominatu, & bis fugâ (dum à procacibus tentaretur) seruauit illæsum. Quæ vidit, quæ prædixit habet eius vita, vbi etiam inter diuinum officium recitandum à terra dicitur subleuatus, B. Virginis pulchritudinem suspiciens ad illa verba. *Adstitit Regina à dextris tuis*. De illo moriente in pretiosis occupationibus morientium in Societate sic scripsi: P. Simon Rodericius è primis Ignatij decemuiris vir à suis animi perturbationibus, tentationibus, doloribusque corporis multifariam exercitus; talentis, dexteritate, zelo insignis; æger non parcebat lachrymis, gemitibusque, quibus lacessebat beatam æternitatem, diuinique conspectus desideria irritabat. Sæpè Ignatium, optatissimum vitæ socium, ac Parentem, amicis vocibus compellabat, eiusque & vnà cum eo communis videndi fruendique Domini studio æstuabat. Veni, Domine, veni Deus animæ meæ; adesdum, Bone Iesu; ne cunctare diutiùs sed me quàm citissimè hinc ad te ipsum abripias. Aiunt ipso, quo Simon migrauit momento, virum grauem, & pium à somno excitatum, fenestrâ apertâ vigilantibus oculis conspexisse manifestissimam lucem domui Professorum Societatis rectà imminentem, è qua illi in animũ plurimùm liquidissimæ voluptatis influeret. Manè comperit lumen illud Roderici conclaui

Humilit. *Castitas.* *Orans B.V.* *Mors.*

Humil. *Mortific.*

claui incubasse. Anno 1616. senem Vlyssiponæ (quem olim confitentem audierat) per quietem inuisit, se illi spectandum obtulit, grauiterque monuit vt peccata pœnitentiæ sacramẽto elueret; id quod ab annis iam triginta omiserat.

Confessio. Disce à mortuo.

P. RVDOLPHVS AQVAVIVA ET SOCII.

Italus Coeluti 15. Iulij 1583. ætat. 33. Soc. 15.

CLaros natales, iam inde à puero, nobili virtute ornauit, quando augustissimæ Dei Matris officio quotidie recitato, sabbato singulis hebdomadis perseueranter ieiunabat, & per quatuor ferè horas orandi spacia producebat. Adolescens postea, vti Thomas, fœminam impudicam titione fugauit; ab eo tempore nihil in carne vnquam rebellionis expertus. In Societate quotidie per horæ dimidium se acriter verberabat, vt Indiam impetraret. Ad Mogores ire iussus, præter eos quos exantlabat labores, corpus mirè varieque vexabat pro eo popũlo ad Deum adducendo. Inde Goam, hinc ad Salsettas insula, Superiorum missu, profectus est: vbi à barbaris gladio sub genibus vulneratus cecidit in genua, & collum ad vulnus mortemque accipiendam explicuit ac exporrexit: quo tempore collum illi gladio transfixum est; alio illi humerum vulnerante, alio sagittam ex arcu expediente in pectus. Moriens: *Ignosce*, aiebat, *illis, Deus meus! S. Xaueri, ora pro me!* Tum ter adiecit: Iesv, *suscipe hanc animam meam* Bernardinus Nursinus, postea inclyti illius Fundatoris, Camilli de Lellis, socius, Rudolpho tum adhuc in Italia agenti dixerat: se à Beatissima Virgine accepisse illum fore martyrem ibi quò ire optabat. P. Ioannes Fernandus noster, hoc eodem 1583. anno, & 15. Iulij die vidit totam seriem eius cædis quæ tunc in Rudolpho, & sociis patrabatur; Angelo ei dicente: id ad gloriam Dei esse. Conspectus etiam est Rudolphus in coronâ gemmis conspicuâ. Anno 1613. Neapoli quidam dicebat; Rudolphum non esse venerandum, etiam priuatâ reuerentiâ, quippe qui apud barbaros vitâ nonnisi per infortunium sit priuatus. Is ipse postea Vicario Archiepiscopi disertè dixit; sibi adfuisse Rudolphum luce multâ illustrem, & interrogasse, num se nosset? Neganti verò sibi, dixisse; Cur ergò ignotum lacesseret? se esse Rudolphum quem ipse linguâ perstrinxisset; & euanuisse. Vnà cum Rudolpho tunc trucidati sunt hi socij:

Mortific. Castitas. *Oratio. Zelus animarum.* *Charitas.* *Mors.* *B V.* *B V.* *Angelus.* *Calum.* *Lingua.*

P. *Alphonsus Paciecus.*

Huic lancea in pectus adacta. Dum extremum collo vulnus expectaret: *Christe*, inquit, *lanceâ pro me confixe; per illam tuam lanceam te rogo, parce his; & nouos fidei magistros eis mitte.* Sic obiit. Aiunt, in ore occisi repertum cereum agnum Dei, impresso SS. Iesv nomine insignem, quem paulò ante ori, velut pro tessera sui agonis, immiserat.

Hispanus ibid. ætat. 34 Soc. 16. *Charitas. Mors.* *Os. Iesus.*

P. *Petrus Berna.*

Idola euertit; formicarum gregem (quem barbari colebant) egestâ terrâ dissipauit, & sale conspersit; illis id perquàm indignè furenterque ferentibus. Inde coortum in illum ex illo fidei zelo plurium odium; & pulchra mors. Vertex illi amputatus; oculus alter telo traiectus.

Italus ibid. ætat 30. Soc. 6. *Fides.*

P. *Antonius Franciscus.*

Solebat hic inter eleuandum in sacrificio sacram hostiam martyrium à Deo flagitare; vt per illud hostia fieret Deo viuo. Ipso quo cæsus est die, sacer sanguis in calice sacrificantis ad calicis vsque labrum exundans ebulliit, diuinâ significatione mirabilis, & cor accendens.

Lusitanus ibid. *Sacrum.*

Franciscus Ananea. Coad.

Lusitanus ibid.

Lautâ domi re natus. Coculiniis dicebat; se apud illos templum Christo excitandum moliri; quemadmodum alibi quoque iam fecerat. Illi rabie inde incensi, ferro in gutture, ferro in costis vulneratum atque prostratum, seminecem circa idolum raptauêre. Cùm iuberetur pede altero stans idolum supplex adorare, ac id execratus, negaret se lapidibus daturum quod Dei esset, arbori alligatum, pro scopo collocauêre, sagittis petiuêre; omnibus in eum, & socios inter iaculandum conclamantibus: *Hîc templum erigetis: hîc Crucem figetis.* Paruuli, paruulæque iras maiorum pro modulo imitati, corpus illius vellebant, fodiebantque mucronibus, telis, arundinibus, manibus, &c. Instrumenta sanguine illius & sociorum vncta, idolis consecrata. Supremum vulnus Francisco in vertice impositum: & ille fidem professus illicò emortuus est. Ferunt, olim arcæ cuidam incubantem Franciscum vaticinatione verâ prædixisse, fore vt olim in odium fidei cæsus in illa conderetur. Euentus veritatem dicti affirmauit.

Fides.

Mors prædicta.

P. GEORGIVS RIGIVS.

Lusitanus Conimbricæ 15 Iulij 1614 ætat. 87. Soc. 67. *Oratio.*

PEr annos 40. Conimbricæ Ministri officio mirabili virtutis laude, ac ministrorum exemplo functus est. Mirabatur fieri posse vt mens orantis aliò vagetur. Ex ægri vlcere manantem saniem semel iterumque exsuxit oblatam sibi 4. votorum professionem non admisit, tribus contentus vulgo voce omnium domi, & foris sanctus dicebatur. Fœminæ vocabulum egrè vsurpabat, adeò verecunda illi fuit lingua. Oculi pudici modestique. Vnde illos nunquam efferebat. Rarissimè prodibat in publicum intra biennium certè vix semel domo pedem extulisse est deprehensus. Integra illi semper fuit Virginitatis gloria, imò, & conscientiæ ab omni per omnem vitam letali labe illesæ; nullo & iam veniali peccato in Societate plenâ voluntatis deliberatione admisso.

Mortific. Humilitas.

Modestia.

Mortific. Castitas.

Innocentia.

P. IOSEPHVS DE CALATAYVD.

Hispanus Gandiæ 15. Iulij 1616. ætat. 71. *Confessarius. Oratio.*

GAndiæ per annos 40 summâ naui operarij laude eximiaque virtute perstitit. Quidam de illo dixit, cùm ad illum peccata expiaturus accessisset, illum à se visum toto vultu radiis collucente; seque ab illo grauium scelerum admotum, quæ hactenus abditè occultasset. Nihil vnquam colloquiorum in sacro illo tribunali admisit, magnâ Sacramenti, & loci veneratione. A loco quopiam in quo missionem meditabatur, à viro quodam potente abesse iussus, exiuit; ad Christum illum prouocauit puluere quoque de pedibus diligenter excusso: & miser ille mox repentinò corruit, vitâ functus. Pater verò à ciuibus reductus est. Quosdam sanos cõmonuit, vt se vicinæ morti pararent. Fecêre, ac breui mortem obiêre. Aliis contra ægris, ac depositis, morbo illi fore superstites ex vero prædixit. Diuinum officium recitantem illustris è purgatorio cælum petens anima salutauit vt fama est. Ante sacrificium quotidianâ se confessione parabat, & in illo celebrando totus lachrymis inundabat; nunquam infra mediæ horæ spatium operatus, ne Deo, vt aiebat, & sancto fundatori faceret iniuriam in hominum gratiam. Quotidie semel ac iterum in se acriter sæuiebat, dimidio corpore cilicio tectus propè assiduè. Castitas illi semper integerrima

Confessarius.

Missionat.

Oratio.

Purgator.

Confes. quotid. Sacrum.

Resp. humani.

Mortific.

tegerrima flore virgineo, præceptrix magnæ illius modestiæ, quâ enitescebat, oculis potissimum; quorum modestiæ aiebat singularem in cælis gloriam seruari; sicut oculis S. Ioannis Euangelistæ. Silentium nunquam omninò violauit.

Cast. Oculi. Modestia. Silentium.

P. ANTONIVS MAZERVS.

Hispanus Esteræ in Paraqu. 15. Iulij 1653. ætat. 73. Soc. 51.

HVnc præclari vtilesque labores, & non vnum in aduersis fortiter ferendis experimentum plus quàm ordinariâ virtute inclytum reddidêre. Cùm obtentu nescio quo, à superiore durioris ingenij fuisset à Societate dimissus, sibi benè conscius cessit præcipiti tempestati; & Episcopo interea diligentem operam dedit, Societatis veste nunquam dimissâ, neque vllâ mercede admissâ; ne quid peccaret contra nostri ordinis institutum. Perscriptâ totâ eâ re ad Claudium Aquauiuam tunc Præpositum Generalem, ac Romæ expensâ, iis quæ contra illum afferebantur auditis, inconsideratè cum eo actum pronunciauit Claudius adeoque Antonius in Societate retentus est: in qua supra quinquaginta annos vixit, obedientiæ potissimum laude insignis. Rogatus à Rectore aliquando an, si iuberetur paratus esset per Vrbem incedere sine veste; illicò vestem exuit, & promptum se ad eundum quocumque iuberetur stitit. Si vel domi quopiam verbo lacesseretur, vel foris in cultione barbarorum telis impeteretur, fustibus verberaretur, serenâ fronte perstitit, semper roboris sui compos. Tot licèt annos, & cum laude insigni nobiscum esset, neque tamen in vllum gradum cooptaretur, altâ obliuione omissus, tamen obliuionem illam pari silentio sepeliuit, neque contra vnquam quicquam vel dixit, vel scripsit.

Vocatio. Obed. Humil.

P. IOANNES SIGERSREITTER.

Germanus Ingolstadij, 13. Iulij 1655 ætat. 72. Soc. 51.

CVm (quemadmodum scripsi in annuis) olim iuuenis Dilingæ in theatro peccatoris ad Deum seriò conuersi ac vitæ anteactæ dedecora deflentis personam ageret, diuino instinctu, se sensit veris lachrymis superfusum. Ergò ream, & veteris licentiæ non immemorem conscientiam coram Deo, Deique Matre affluenter deplorauit post scenam absconditus. Inde illi gliscentes bonæ scintillæ in pectore iam Purgato, eò increuêre, vt animum ad obeunda S. P. Ignatij exercitia prudenter adiecerit, ac Societatem petierit, & impetrârit. In qua humaniora, & Philosophiam docuit; rexit collegia Ratisbonæ, Dilingæ, Monachij: tùm sex annis Nouiuitiis præfuit; mox tertianis per annos quatuor Cùm Dilingæ Collegio, & Academiæ Rector præesset, atque cum Henrico Episcopo drama quoddam spectaret, è summo Theatro, structoris incuriâ hominis demortui Caluaria ad P. Ioannis pedes vsque deuoluta, vsque adeò viuam mortis illi seu imaginem, seu quoddam omen impressit, vt per septem ac viginti reliquos vitæ annos illam velut quotidianam expectârit. Vnde cubitum cōcessurus psalmum 50. recitabat, vt indulgentiis plen. auctus eâ nocte decederet, si Deus illam ei supremam destinasset. Moriens; Veni, aiebat, ô mors optata, non me terrebis. Paratus sum, quantum id religiosus potest: plus tamen me parabo, si plus mihi temporis Deus indulserit. Cælestem sphæram ad spectandum sibi oblatam sexto ante mortem mense intuitus: sperare se aiebat, non pictos

Vocatio. Mors. Vesperi. Mors.

verùm

verùm veros cælos intra semestre spectaturum. Ad Prouincialem Congregationem euntibus valedixit, tanquã interea moriturus. Et obiit antequam illi reuerterent; vir egregiè humilis, pius, & candidè sua dubia proponens etiam iunioribus proponentibusque
Oratio. non priùs respondens quam petito è cælis lumine: ac nonnunquam dicens, se nescire quid sit respondendum. Sacrificium missæ, Christi patientis historiam, & ordinarias suas exomologeses lachrymis aliquando asperſit; sed, illam potissimum, quam pro vltimo Iubileo instituit. Tenerrimus in eo amor paupertatis, & regularum: quippe quas ne quidem in atomo lædi vellet.

XVI. DIE IVLII.

P. PETRVS SANCIVS.

Hispanus Mexici 16. Iulij 1609. ætat. 31. Soc. 51.

MExicana epistola disertè affirmat, illum Cõpluti sensisse se verbis quasi à cælesti voce articulatè expressis ad Societatem IESV impelli. Huic obsecutus, auditis poſtea Indicis literis, suam desidiam obiurgans excitabat sese, ac voto firmauit, se Societati, quantum in se esset, in infimis coci aliisue officis famulaturum. Mexicanæ deinde Prouinciæ fundamenta iecit, nauigatione cymbalis horas earumque exercitationes designantibus distinctâ, planeque sanctâ illuc profectus. Ibi tria erecta ab illo seminaria iuuentuti; & Collegiorum initia constituta. Per ipsos 25. annos postmeridianam lectionem habuit ad concionem; vbi etiam librum de Regno Dei lucubrauit, postea luce donatum. Statas habuit suas flagellationes matutinas, crebram inediam;
Manè. Mortific. Sancti. perpetuam à vino abstinentiam. Cum sanctis familiaritas illi tantâ fuisse perhibetur vt obuios cælites, vel ex ipsa oris specie se agnoscere posse affirmaret. Mortis accepto nuncio vnicam è papyro icunculam retinuit; reliqua superioribus dedit, vt pauperrimus
Paupertas. moreretur. Ipse certè pro vno altero-ue sociorum à medicis depositorum preces vbi fudit, disertè pronunciauit, & ex vero, in vita mansuros.

P. FRANCISCVS BASILIVS.

Italus Mss. fanæ 16. Iul. 1620. *Educatio.*

ANno 1559. triennis relictus orphanus, à Beatris Patris Sorore cœnobij Polizziensium sanctimonialium Antistita in ipso cœnobio educatus est ad annum ætatis vsque octauum; id quod eâ tempestate in vsu fuit. Societatem anno 1572. amplexus, Romæ in Theologia Franciſci Suarez discipulus, postea Philosophiam, Theologiam conciones pro dignitate tractauit; adeò, vt religiosas virorum & virginum domos egregiè locupletârit. Illum dicentem Messanæ cùm audiret fœmina sterile hactenus matrimonium suum dolens; ô, aiebat; si vel vnum filium à Deo impetrarem *Concio.* quem dedicare possem Sancto isti ordini in quo tàm raræ virtutis viri sunt. Et anno euoluto filium peperit qui tametsi vnicus, Societati se addixit. *B.V.* officium quotidie recitauit, ieiuniis quoque ad illius festa adiectis. In S. Ioſephi honorem etiam horarias preces composuit. Noctu quoties expergefiebat, dicebat: Benedicta sit S. Tri- *SSS. Trin.* nitas,

nitas, atque indiuisa vnitas confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Nostra.*

P. FERDINANDVS DE MENDOZA.

Hispanus Hispali. 16. Iulij 1648. ætat. 73. Soc. 51.

IAm inde ab ætate tenerrimâ quotidie rosarium Deiparæ piè recitabat. Fuit cùm pensi illius necdum persoluti oblitus cubitum concessit: sed vbi experrecto in mentem venit rosarium obliuione omissum, se se illicò peruicit vt surgeret. Tum rosarium recitanti adfuisse dicitur splendore cælesti mirabilis virgo Mater, quæ vt in benè inchoatis pergeret illum cohortata, suam ei opem in difficillimis quibusque promisit. Et præstit. Societatem ingressus & ingenij ac doctrinæ specimen illustre dedit in cathedris, & in gubernando prudentiæ. Nullum diem omisit quin se flagris inclementer exciperet; orandi quoque studio apprimè addictus. Quare vt plus orare posset, minùs dormiebat. *B.V.* *Mortif.*

IOANNES ACKERMAN COAD.

Germanus Herbipoli 16. Iulij 1654.

HVmilitate, laborandi assiduitate, ac piâ hilaritate fuit amabilis. Fuit socius dolorum (licèt non mortis) P. Iodoci Mayering, & Andreæ Martini quos in mortibus illustribus ad annum 1634. narrat Alegambe, aitque tunc nostrum hunc Ioannem inter cadauera iacuisse, multa passum, tamen superstitem.

XVII. DIE IVLII.

P. PETRVS ANTONIVS MARSINEZ.

17. Iulij Hispanus Luconij 1564.

SIngulari erga pœnitentes charitate, patientiâ, dexteritate præditus erat, non sine admirandis euentibus. Suâ suauitate, ac ad audiendum promptitudine quendam tranquillitati restituit, qui ab octo iam annis per artes Dæmonis vt Crucifixum, & rosarium abiiceret suadentis, & miracula se cum illo facturũ falsò promittentis, Sacramenta vsurpare non poterat; cùm & Confessarij illum horrerent, nec Eucharistiam posset accipere. Alius in fine vitæ ab illo deprehensus, conspecto ad latus P. Petri viro luce circumfuso eodemque hortatore omnia, quæ à 40. annis tacuerat flagitia sublatâ voce lachrymisque vbertim fusis confessus est, Dæmonibus nequicquam minaciter absterrentibus, ne id faceret. Aliàs in loco deuio errans, reperit fœminas duas, quarum altera iam animum obstinârat, peccata sua nunquam suo Parocho confiteri, cùm tamen istic alius confessarius nullus esset, altera, sanguinis fluxu debilis, per 8. dies Deo supplex petierat vt diuina prouidentia confessarium sibi submitteret. De Rosario cùm diceret ad concionem ingens cereus supra B.V. imaginem ardere conspectus est, Populo P. Petrum *ardentem B. V. cereum* appellante. Aiunt illum cum æger à medicis depositus olim decumberet, statim atque Deo promisit se Societati daturum nomen, à morbo conualuisse: cùm verò à destinatione illa relangueſceret, periculum rediisse. Inter obsequia charitatis apud peste cõ- *Angelus.* *Confessio.* *B.V.* *Cereus B. V.* *Vocatio.*

tactos lue ictus Abeciæ amico sacerdoti, à quo extremum vngebatur ploranti, si scires, inquit, charitatem, quâ propediem iungendi sumus in cælo, haud fleres. Triduo post Abecia ille morientem P. Petrum secutus, vaticinationem illius impleuit. *Mors.*

P. ANDREAS BOTTELBERCH.

Belga Mechliniæ 17. Iulii 1613. ætat 56. Soc. 38.

PEr ipsos 27. annos magno fructu, & religioso exemplo concionatus est; & quidem de B. Virgine tam feliciter doctè, flagranter vt *B. Virginis Ecclesiastes* diceretur: Hansuuickanam B. Virginem cum sabbato quouis inuiseret, illam eminus conspectam verbis Angeli salutabat, eodemque die domi aliquod humilitatis officium obibat. Beneficia illius perscitè laudabat; seque aiebat non semel ab illa sospitati à graui ægritudine restitutum. Cum Archiepiscopo quoque Mechlinienſi transegit, vt palàm Deiparæ imagines colendæ proponerentur in locis magis conspicuis, atque illustribus. Felix fuit in amoliendis imaginibus impudicis: & in persuadendo, vt magistratus vetaret, ne vllus palàm natare auderet. Animum confessione quotidie perpurgabat. Angeli ci illi oculi fuêre potissimũ cùm fœminas visitaret, & fuêre illi veri indices perpetuæ illius pudicitiæ virginitate illæsâ florentis. Duobus ante mortem mensibus videbatur mortẽ opperiri; adeò se omnibus exuebat, adeò ardebat dicendo, adeò accuratè ad singula erat attentus. Æger quid vellet rogatus; *cælum*, respondit; & simul animam exhalauit.

Humil. *Imag. B.V.* *Castitas.* *Conf. quot.* *Charitas.* *Mors.*

P. BERNARDVS REVSS.

HVnc tum adhuc puerum P. Ioannes Vasquez Peruuij Procurator in comitem adsciuerat. Vbi etiam ad Societatem postea est admissus. Quotannis anniuersariâ eius diei luce quâ illi primò adhæserat, positis coram P. Ioanne genibus gratias ei agebat, si adesset; per literas, si abesset. Primus castimoniæ nitor in illo emicuit, Deiparæ singulari auxilio conseruatus. Ad immanem in America meridionali Ciunciorum gentem dum tenderet, eo ipso tempore quo religioso Sacerdoti eius itineris comiti; pro mortis, quam imminentem expectabant, apparatione, vltimùm confitebatur, in valle Apollo, sagittis vnà cum illo, aliisque confixus est. Tribus iam sagittis saucius, Crucifixum arripuit, & sublatis in cælum oculis expirauit. Corda, illius, & aliorum, extracta, & vnà cum sagittis combusta sunt. Aiunt illum iam antea prædixisse, futurum vt in fidei odium à Ciunciis cæderetur. Et verò idcircò Societati nomen dederat, vt Christum gentibus annuncians mortem cruentam gloriosus oppeteret.

Hispanus apud Ciuscios 19 Iulij 1615. ætat. 28. Soc. 12. *Vocatio.* *B.V.* *Confessio.* *Crucifixus.* *Cor.* *Vocatio.*

P. ALPHONSVS ESQVERRA.

HIc sui Patris misertus, eum licentiùs viuentem, fusis pro illo ad Deum precibus conuertit; eique persuasit, vt Beatissimæ Virginis officium (velut pro amuleto bene viuẽdi) quotidie recitaret. Vnde ille moriens aiebat; se per filium suum saluari. De Patris morte (per quietem an aliter, incertum) absens certior factus, mox è lectu-

Hispanus Complut. 17. Iulij 1637. ætat. 87. Soc. 51. *B.V.*

Purgator. lectulo surrexit, & pro illo defunctorum officium recitauit. Postquam Archidiaconi, visitatoris, aliisque functus fuisset officiis, tum Societati sese transcripsit. Bis quotidie se inclementer cædebat; quotidiano præterea vsus cilicio, eoque ferreo & acuto adeò vt illud ægrè posset à carne auellere. Cùm diceretur: eccur in his adeò modum excederet, respondit: *Quia victimus tendo ad mortem.* Toto Aduentu, ac sextâ quauis feriâ, & Sabbato seuerè ieiunabat. statim atque Societati se addixit, constituit *amore Dei Matris* omnia ea deserere, nec vnquam admittere quæ aliquid saperent deliciarum. Cibos nec sale, nec aliter condiebat. Herbis ipsis vescebatur sine sale, aceto, oleo; nisi à vicino moneretur, vt adhiberet. Vinum non nisi extremis aliquot vitæ mensibus bibit; idque iussus. Ad cubiculum nihil vnquam esculenti, poculentiúe admisit, vllo ætatis vel valetudinis obtentu, totis viribus id deprecatus, licèt à superiore aliquid mitteretur. Cùm de Christo à discipulis in Emaus manere *coacto*, seu inuitato, meditatus ponderaret quomodo ipse quoque iam sanctè *cogere* Deum posset, vt cum illo maneret Deus, responsum internum audiit manifestè: *Fac tibi vim; & facies illam mihi.* Vnde illi nouum, ac potens ad se assiduè peruincendum calcar accessit. Aliàs, cùm se Deo totum offerret, audiuit claram, sed internam, vocem, quæ aiebat, illum esse sicut eum qui dicebat amico: Accipe hos 500. ducatos: & nunquam eos illi dabat, neque de arca eximebat. Extremâ ætate surdus cùm esset, inde quoque sui contemnendi occasionem captabat: gestabatque suspensam è collo tabulam cum literis alphabeti; quas Alphunso ostendebat qui ei loqui optabat, monstrato eo literarum ordine quem verba dicenda poscebant. Cùm aliis præesset, induci non poterat vt noui quicquam indueret. Rosarium *Paupertas.* serico filo insertum non prius accepit, quàm ei loco serici chorda è fidibus inderetur. Biscoctum, vt vocant, panem, qualis ægris porrigitur, ne in morbo quidem admisit, cùm diceret; bolum illum pro religioso esse nimiũ pretiosum. Nunquam, nisi acceptâ à Maioribus facultate vel vnicam chartæ particulam, aut aliud quicquam, accepit aut dedit. Tota eius supellex erant duæ è charta imagines; altera Christi cruci affixi, altera Dei Matris; cuius cultu perficiebatur in arte salutis. Etenim cùm aliquando quiddam *B.V.* à superiore sibi impositum, excusatione interpositâ fuisset à se amolitus; *Obed.* & postridie, more solito, se Dei Matri in seruum & mancipiolum (vt ille loquitur) commendaret; responderi sibi in corde audiuit: Ad quid volo te ego; nisi vt seruias, labores, obedias? Quæ vox illum, sui memorem, in verecundiam, & in lachrymas vbertim dedit. Quocirca illicò à superiore id quod heri detrectârat petiit, atque obtinuit: & didicit eo experimento, in Dei Matris reuerentiam deinceps magis religiosè parere. Anno 1621. 6. Octobris, quo die officium recitabatur *Ang. Cust. 6. Oct.* de Angelo tutelari, fama est, post o- *Manè.* rationem matutinam visum ab illo Angelum custodem ad latus specie adolescentis armati, formâ præstantis pileo tecti, & manu lanceam tenentis. Alphonsus cum illo per conclaue inambulans, veniam ab eo flagitauit, quòd parùm reuerenter cum illo antehac egisset per omnem vitam; quòd erga illum adeò inurbanus fuisset, ac ingratus adeò erga Deum. Hæc dicenti vberes lachrymæ prorupêre. Tum se abiecit in genua; & minores, *Oratio* quas vocamus, horas recitauit Angelo semper stante ad latus: qui Alphonsum postea ad Missæ sacrificium eun-

Mortific. *Mort. B.V.* *Mortif.* *Vince teipsum.* *Proposita.* *Surdus.* *Humil.*

Sacrum. tem scribitur ad aram vsque comitatus; adstitisse celebranti; caput aperuisse; denique Christum in Eucharistia de genibus adorasse. Sumpto sanctissimo Sacramento videbatur sibi Alphonsus maiore cum reuerentia aspici, haberique ab Angelo quàm ante sacrum. Videbatur item sibi videre illum præsentem toto biduo: cumque inter recitandum B. Virginis coronam MARIÆ nomen pronunciaret, Angelum propiùs recitanti sese adiunxisse. Inde Alphonso dolor acrior de peccatis, euagationum mentis depulsio facilior, suauior in orando ardor & quies, cibi autem sumendi diminutio magis attenta, & seuera.

Angelus.

Euch.

B. V.

Oratio.

Exercitia. Aliàs tertio exercitiorum spiritualium die post sacrum, perhibent Christum longè pulcherrimum ac splendore illustrem ab Alphonso conspectum; qui intra Alphonsum considere visus, ac eius animam instar formosæ paruulæ adstantem manu prehensam allocutus, dixerit: *Mane mecum pauxillum.* Atque tunc intellexit Alphonsus, Deum velle, vt post sacrum gratias Deo prolixiùs redderet, ac tempus illud meditando potiùs quàm in precibus voce fundendis transigeret. Tum se oculis animæ in Christum defixis, illum aliquantisper cum summo suo solatio aspexisse, Christo manus animæ tenere viso, animâ verò hiantibus in Christum oculis quiescente. Idque sibi sæpiùs euenisse. Vnde hanc deinceps tenebat rationem gratias agendi post missam, vt primò totis oculis in Christo quem receperat aspiciendo habitaret, postea verò preces, etiam voce, depromeret.

Sacrum.

Oratio. Ad orandum se diligentissimè comparabat; & postea horam ferè dimidiam dabat discutiendo, ecquid, quomodo, ue egisset. Extremis annis in ore illi semper habitabat *Aue Maria. Gloria Patri* &c. adeò vt etiam æger & in somno illa repeteret. Cùm sanus esset, officium diuinum, & Beatissimæ Virginis semper de genibus recitabat. Librum illum, cui titulus, *Passus Sanctissimæ Virginis*, totum scripsit flexis humi genibus, quatuordecim annorum lucubratione adhibitâ. In vigiliis festorum Deiparæ, ac diebus Sabbati in triclinio se flagellabat. Cùm à nemine se videri putaret, vbicunque Dei Matris imaginem videbat, figebat humi venerabundus genua, & aliquantulum in ea salutanda morabatur. Hæc magistra consultrix illum expoliebat; & si quid erraret, commonebat: hæc ad Filium introducebat. Cùm aliquando versum illum *laua quod est sordidum* mente tractaret, videre sibi visus est animam suam instar paruulæ immundæ, ac è pluribus pannis consuto variè centone vestitæ: cumque sordes illas ac pannosam & variam vestem intelligeret esse symbolum affectuum terrenorum quibus erga suos consanguineos ferebatur, profundo cordis dolore tactus ingemuit; & videre sibi visus est illicò Dei Matrem panno quodam sordes suæ animæ abstergentem, atque maculas auferentem. Sed & post hæc videbatur illi conspici vlcus in anima, è quo pus & sanguis scaturiebant. Quod vlcus licèt Virgo Mater assiduè abstergeret, illud tamen manabat porrò assiduè. Atque hæc geri ei visa toto eo tempore quo durabat oratio, & ea quam adhibere solebat orationis disquisitio, item horæ minores canonicæ, & Beatissimæ V. Matris officium. Tum rosario inchoato videre sibi rursus visus est, quòd Virgo Mater curando illi vlceri adhuc intenta, illud manu presserit, perpurgârit, clauserit, planeque absterserit, cicatrice relictâ. In hoc vlcere didicit Alphonsus macularum suarum, & sordium fontem esse affectum erga suos sanguine sibi coniunctos, quorum commo-

Sabb.

Spiritus Sanctus.

Consanguinei.

B. V.

Examen particulare.

commoditatibus (perituris licèt, ac breuibus) aduertit angi se studereque impensiùs. Atque hunc esse (vt ille loquitur) suarum prolapsionum Regem. Illa verò verba *veni, lumen cordium* expendentis Alphonsi cor Spiritus sanctus (vt Alphonsus videre sibi videbatur) instar columbæ se super illius cor pouentis insedit, rostro illud hinc atque inde verberans, vellicansque. Pro quodam impensiùs oranti Christus; *An te*, aiebat, *plus miseret hominum quàm me illorum misereat?*

Spiritus sanctus. Cor.

Contritio. B.V.

Aliàs cùm contritionis actum singulari studio elicere fuisset connisus, intellectuali, vt aiunt, visione spectauit; à Dei Matre sibi cor Iesu ad vescendum offerri, ac in os porrigi dulcissimâ sui cordis hilaritate. Atque id sibi ait à Deipara quotidie repetitum vnius anni spatio, & ampliùs, vsque ad diem corporis Christi: quo die cùm pro more *Aue Maria* recitaret, meditationem inchoaturus, adfuisse illi fertur Dei Mater, quæ magnam hostiam manu gerens, fractam eo modo quo eam sumpturi sacerdotes solent, ei in os ipsa imposuit, posteaquàm *Domine, non sum dignus* maximâ cum reuerentia pronunciasset Alphonsus. Simul verò ait se extremos Deiparæ digitos exosculatum, atque inde sibi cor magno se profundissimè demittendi studio fuisse accensum, lachrymis vbertim manantibus. Anno 1623. post vltimum sacrum in exercitiis octidui celebratum, videbatur videre sibi animam suam à Beatissima Virgine in huius Christi latus inferri, Christo ipso etiam adnitente. Aliàs de Christi doloribus cogitans videbatur sibi à Christo amplexu stringi; ita vt Christus totum Alphonsum velut imbibere, seu intra se condere videretur. Pro felici morte oranti manè vox dicitur ad aures è cælo perlata: *Intellectum tibi dabo: & instruam te in via hac quâ gradieris: firmabo super te oculos meos.* Plura de illo in vita ad annum 1637.

Cor Iesu.

anno 1631.

Manè.

Euch.

Humil.

Crucifixus. B.V.

Mors. Manè.

P. IOANNES PAVLVS CARLETTVS.

Italus Placentiæ. 17. Iulij 1647. ætat. 49. Soc. 25.

MAgnus orandi artifex fuit, & magister, quâ experimento, quâ rectione aliorum, quâ lecto, ac penitus medullis condito P. Iacobi Aluarez de oratione tractatu. Magna illi inerat spirituum discernendorum perspicientia: vnde doli ab eo sunt in eo argumento nõ semel deprehensi. Quapropter ab astutâ fœmina sic detectâ, eoque iratâ, periculum subiit ne ad inquisitionem traheretur, de obscœnis facinoribus per summum mendacium accusatus. Varia illi erat mentis cum Deo præsente perpetuò occupandæ industria, & iaculatoriæ aspirationes cùm aliæ, tum hæc latina: *Deus meus, & omnia; volo tibi tua, volo tibi tua.* Qui cum illo conscientiæ suæ negocia tractabant in moribus, & in modestia vestium noscebantur. Fœminas cultu nobiliore vestitas impensè horrebat, nec oculis dignabatur. Oculorum ac linguæ dominatu insignitè excelluit, nunquam nisi benè de vllo auditus loqui. Ægro illo, expositum in templis pluribus SS. Euch. Sacramentum, & preces institutæ: at ille se obituum disertè prænunciabat: id sibi aliquot ante morbum diebus promissum à Deo, cùm quereretur se hîc tam diu hærere, nec Deum vnquam vidisse, à quo tot beneficiis fuisset ornatus. Incidit aliquando in Ioannem Baptistam Mochum Ianitorem (de quo alibi) eo ipso tempore, quo ille Angelum custodem ad cubiculum, vt prior præcederet inuitabat; & videre sibi visus Angelicum illum spiritum; ei reuerentiam humi prostratus exhibuit, admirabili lætitiæ suauitate per dies

Oratio.

Iaculat.

Lingua.

Amor Dei.

Ang. Custos.

Pia colloquia. plures inde redundante perfusus. Ex ore P. Ioannis diuina cum quibusdam tractantis visæ sunt flammæ quædam igneo volatu erumpere, quæ ad eiusdem cor appulsæ videre desiêre. Alteri cuidam ostensum est diuinitus, P. Ioannem præ concionatore quodam (probæ licèt notæ viro) Deo esse magis acceptum. Tempus illi summo erat in pretio, ne quid ex eo deperderet. Et si quid se temporis perdidisse opinabatur lachrymis expiabat. Tertiò post mortem die duobus ante Solis occasum horis cuidam è suis, cuius conscientiam gubernârat, magno splendore paludamentisque amictus apparere visus dixit se ferè tridui spatio in flammis Purgatoriis expiasse noxas, quas in Congregationibus, vt vocant commiserat. Explicuit simul cæruleo paludamento quo splendebat assiduum orandi studium indicari; candido, puritatem, rubeo, charitatẽ, ac tolerantiam aduersorum. Eidem, si quid aggredi vellet, consultus P. Ioannes consilium dabat, & futurum successum sæpiùs indicabat.

Cor.

Tempus.

19. Iulij.

Purgator.

Oratio.

Calum.

XVIII. DIE IVLII.

PETRVS DOLIGIER COAD.

18 Iulij Gallus Auenione 1604. ætat 56.

A B ingraueſcente iſchiade mira patientiâ & laborum perpeſſione perſtabat, alacritate permagna mirabilis. Veſperi ad ſynaxim diei ſequentis vt ſe pararet, confeſſionem obierat, & eâ nocte placidè in idipſum dormiit, ac requieriit in pace, mortuus manè repertus. Eâ nocte de nõſtris non nemo brachio tacto excitari, ſe ac moneri ſenſit, hac etiam voce auditâ: *Vigila Deoque vnum commenda è fratribus, qui iam nunc agit animam.*

Patientia.

Mors.

Morientes. Nocte.

Vocatio.

Charitas. Morbus.

NOE LEO COAD.

Germanus monachij. 18. Iulij 1613. ætat. 70. Soc. 48.

CVm literarum esset omninò rudis ac Societatem se facilius impetraturum à quopiã iam audisset, si literas condiscerat, adultam iam ætatem ad infimos paruulos ad elementa literarum discenda lubens demisit. Idoneus erat ad omnia, & promptus ad obsequia eius quam vnicè amabat, commendabat, luculentaque facundiâ extollebat inter socios beneuolentissimæ charitatis. Planè ex illius virtutis indole, genio, disciplinaque proficiscebatur quicquid ageret, diceretur. Hilaris ægrorum minister ac totus charitas Hydropem ita ipse tulit, vt dissimulanter planè illum habuerit, cuiuis bene valenti par animi tranquillitate, licèt iam ne decumbere quidem posset in lecto, sed mortem sedens opperiretur in sella.

DOMINICVS FABER COAD.

Florentiæ incerto die Vide hist. Soc 1581. n. 60.

REligiosi laboris assiduitate magno exemplo præluxit coadiutoribus vt orandi ac laborandi impigritate se Societati probarent. Florentiæ cùm templum ædificaretur egregiè suam operam nauauit Deo, cùm esset faber murarius. Respondit pio labori liberalissimus Deus. Etenim ait de illo Societatis historia, cùm ex longo morbo propè extremum vitæ curriculum accessisset

Angelus.

Morbus.

cessisset, eleganti facie adstitisse iuuenem, qui se venisse dicebat, vt illi supremo tempore adesset. Nempe hisce solatiis dignatur cælum eos qui sancto laboris Dei causâ perseueranter impensi sudore madidi, requiescunt à laboribus suis.

EMMANVEL
A COSTA COAD.

Lusitanus in Brasilia incerto die anno 1637. ætat 33. Soc. 13.

SEdulus in labore, diligens in valetudinarij munere, sibi verò magnoperè semper infensus, afflictandi se vsu perpetuo clarus eminebat. Vnde magna id genus supellex postea reperta penes eum est quâ ille se cruciabat. *Mortif.* Farnambucum an abire vellet rogatus, respondit se nauim illicò conscensurum, si iuberetur, licèt cum discrimine capitis manifesto. Maiorum enim, aiebat, est præcipere, & meum obedire. *Obed.* Nocte qua Emmanuel migrauit è vita, vir simplex ac rectus, & cuius probitas fidem facilè commeretur, dixit visam sibi è collegio nostro progredi illustrem pompam, quæ de Societate mortuum quempiã, triumphali potiùs quàm exequiali apparatu efferebat, non in feretro, sed in tapete sericeo decumbentem. *Mors.* Secutam glorioſum funus frequentem candidatorum coronam, quæ multa vndique luce illustris, flores candidos spargebat, signa lætitiæ. Hærebat hæc videns ecquid vellent; sed manè nunciata sonante campano ære Emmanuelis mors dubitationem illi omnem exemit.

XIX. DIE IVLII.

P. LAVRENTIVS
MASSONIVS.

19. Iulij Italus Manilæ 1631. ætat. 75. Soc. 49.

BAloysij in Theologia Romæ Condiscipulus, postea in Orientis India magnos labores exantlauit itinerum, probrorum, verborum, carcerum, nauigationis, frigorum, famis per annos 30. vnde illi perfecti viri nomen ab Hispanis, indigenisque adhæsit. Copiis Catholicis Sacramenta ministrauit, victoriamque pollicitus cum Crucifixo præiuit, & victoriâ potiti nostri Ternatem insulam recepêre; vbi soricum ingentem vim sacris exorcismis ritè execratus abegit. Aliàs cùm Batauus Victor victos omnes persequeretur, Patrem, Laurentium istic immotum ignarus omisit; id quod Beatissimæ Virginis ope factum, quæ noctu illi conspecta est & visa hostem morari ne noceret Laurentio. Enimuerò ita ei videbatur, cum hostem ipse præiret, ac hostis præeuntem sequeretur, sed non assequeretur, iniiciente illi moras eâ quam videbat Virgine Dei Matre. Triduo impastus latuit in vepreto tandem cùm sitiret, repentè, vt aiunt, aqua è terra prosiliit ad sitim Laurentij restinguendam, & eâ extinctâ euanuit aqua in terram redux. *Sitis.* Frequentes illi manabant ab oculis lachrymæ, quòd se nescire diceret satisne illis peccata sua eluissent. *Oratio.* Quotidie se (vt ieiunia, & cilicia crebra taceam) verberabat; à dæmonibus quoque aliquando ita malè tractatus, vt lectulo debuerit hærere affixus. *Mortif.* Nullam vnquam legem Societatis visus est neglexisse, vel præteriisse. In morbo bis quotidie sacram exomologesim obibat, vt se vndequaque perpurgaret. *Confess. quotid.*

P. IOAN-

Zelus. *Crucifixus.* *B.V.*

P. IOANNES RIBERA.

Hispanus Cali. 19. Iulij 1649.

APud Popaï anenses, ac latè in Quitensi vice. Prouincia, quà ibat potens opere ac sermone ita animos permiscebat, vt Niniue vndique seriâ pœnitentiæ significatione appareret. Tribus, qui mineris præerant, Sacramenta procrastinantibus minaciter prædixit fore vt sine Sacramentis morerentur, nec Deum inuenirent, cui nunc vocanti parere contemnerent. Ita euenit. Etenim eorum vnus repentino morbo, alter inter cænandum à Mauro seruo in iugulo saucius, Tertius ab eo qui eum cum sua vxore impudicè versatum fuisse suspicabatur confossus, citra SS. Pœnitentiæ, ac viatici Sacramenta interiêre. In Toro vrbe cùm abiturus quendam necdum peccata confessum sciret, palàm pro concione monuit; vt qui confessus non fuisset, id nunc faceret Patre præsente, ac inuitante. Nam si nunc prætermitteret, futurum, vt Patrem necdum in proximam Ansermæ vrbem appulsum desideraret, nec habere posset. Perstitit alter peruicax: & Patre digresso, venam secari sibi curauit: quâ imperitè apertâ læsâque arteriâ, miser ille Patrem ad confessionem accipiendam acciri ne quicquam clamans extinctus est. Rem vbi audiit P. Ioannes, aiebat se penitùs non meminisse tale quidpiam à se dictum. Dæmonẽ, qui palàm concionabundus dicebat se Adamum esse, qui terræ cultionem, & Petrum, qui salutis viam Populos doceret, ac arte illâ eos ad idola trahebat, ad silentium coëgit: seductos ab illo omnes expiauit, diuinâque synaxi refecit. Ægro illo dicebant Calenses, paratos se vitã illius vel dato in pretium cordis sanguine toto redimere.

Confessio. *Prædictio.* *Concio.* *Dæmon.*

P. FERDINANDVS VASQVES.

Angelopoli in Mexico 1593. incerto die.

HVnc annuæ laudant à Mexicanæ linguæ scientia, & incredibili studio indigenas adiuuandi. Vnde Parochi & lachrymis, & exequiis quàm splendidissimis sunt eum persecuti. Aiunt eædem, mulierem istic fuisse libidine, aliisque vitiis infamem hæc sibi visa est per quietem videre Vasquium, atque audire magnoperè monentem, vt cuidam de Societate de suis flagitiis confessa, honestam vitam institueret. Cui illa ita morem gessit, vt à mortuo benè viuere, didicerit, fidemque fecerit eorum quæ narrabat.

Disce à morte. *Confessio.*

P. STEPHANVS BAROELIVS.

Italus Genuæ 1587. die incerto.

HIc Patauio Bassanum missus, omnes locupletandi se occasiones summâ abstinentiâ repudiabat, nullis interea seruandorum hominum viis, nullis artibus prætermissis, vt anno 1547. de eo loquitur Orlandinus: qui etiam ait, nihil illi ab vllo missum fuisse, quin gratè comiterque remiserit: eoque *sensisse, in ore pauperis esse longè fœcundissimum Dei verbum.* S. P. N. Ignatio fuit impensè addictus; & de eo loquens, liberatum se olim Romæ grauissimo morbo S. P. Ignatij precibus fusis ad S. Petri in Monte aureo, memori mente prædicabat.

Zelus. *Paupertas.* *S. P. Ignatij.*

XX. DIE

XX. DIE IVLII.

P. MICHAEL DE REYNO.

20. Iulij Hispanus Matritij 1604. ætat. 47.

DVo in hoc viro laudate præ aliis memorantur. Alterum, quòd magnâ patientiâ, constantiâ, & assiduitate, ipsos 20. annos Grammaticæ institutioni inter scholasticum puluerem impenderit rarâ laude; alterum, quòd incredibili orandi studio singularis, nobile eius occupationis argumentum stimulumque habuerit beneficiorum Dei memoriam, gratumque animum. Quapropter diuina beneficia particulatim descripta in scheda è collo suspensa gestabat ad cor, ceu tesseram officij memoriæque perpetuæ ac sanctimoniæ amuletum. Prædixit, Madritanum Collegium non priùs fundatorem habiturum, quàm fundato, quem ille impensè vrgebat, Catechismo. Vtrumque factum anno 1600. aiunt annua Coll. Manticani seu Madritensis anni 1604. Mariâ annâ Austriacâ collegij fundatrice.

Humilit. Oratio.

Gratus animus.

Catechismus

P. AMBROSIVS GERARDINVS.

Italus Nolæ 20 Iulij 1605. æt. 41. Soc. 42.

MAgnæ humilitatis ac pietatis, at patientiæ admirandæ, fuit P. Ambrosius. Cùm enim, vt perscriptum de illo est in annuis, totus ferè vlcus euasisset, quippe ex quo indesinenter vermes scaturiebant maximâ copiâ, qui carnes exedebant non sine dolore, ac fætore teterrimo; nunquam tamen, vel minimum edidit impatientiæ, aut mæstitiæ signum; sed animo pariter ac vultu tranquillo eos consolabatur, qui ad ipsum consolandum tantis oppressum doloribus non sine commiseratione lachrymisque accedebant. Addunt tametsi in summis Iulij mensis caloribus sit extinctus, quo teter odor halare de cadaueribus confestim solet, in P. Ambrosij cadauere sine fætore vllo, odorem quendam, & suaueolentiam deprehensam; cùm tamen viuum eius corpus, & putredo, ac vermes, graueolentiâ suâ naribus accedentium fuerint permolesti.

Patientia.

Mors.

IOANNES LASCOVVSCHI SCHOL

SVmma in hoc eluxit cum ingenio insigni humilitas, quam, dum in scholis doceret, cùm obsonatorem palàm sequeretur, verbis, vestibus, omni exercitatione testabatur. Quotidie se acriter verberabat. Licèt nullius vnquam peccati mortalis reus crederetur, tamen à confessariis martyr internus vocabatur, ob anxiam animi conscientiam, quæ illum toto decennio solicitum miserrimè laniabat. Eos quos magistratus morte plectebat, precibus, & flagellatione sui prosequebatur. Nostros mortuos non coronæ tantùm recitatione, sed & adiectis flagris iuuabat.

Polonus Cracouiæ 20. Iulij. 1624. ætat. 25. Soc 10.

Mortif.

Purgatorium. Mortific.

P. GERARDVS PAESMAN.

IIsdem crucis ferreæ atque acutæ, collaris, manicarum, pedicarum aculeis dirè horrentium, ignis lenti, salis & aceti tormentis, quibus Phi-

Belga Traiecti 20. Iulij 1638.

lippus Nottin 14. Iulij narratus, hoc die per horas decem, obtentu proditionis, re autem verâ odio Catholicæ fidei, ab hæreticis cruciatus mortem oppetiit glorioſam, vti poſt eum & Rector Collegij.

P. IOANNES BAPTISTA BODDENS.

Belga ibid.

CEruiſiæ coctor quidam hoſtiliter quidpiam machinatus, ac tentus, in tormentis ſuggeſtos ſibi à tortoribus (leuamenti & veniæ ſpe) Patrem Boddens Collegij Rectorem, & ſocios nominatim, dixit conſpirationis eſſe participes; cùm tamen ille nec Rectorem, nec ſocios vnquam nouerit, in magno manifeſtoque mendacio deprehenſus. Fecit id ille ſpe vitæ retinendæ, certâ eius veniâ illi promiſsâ ab iis qui calumniæ conflatæ autores erant hæreticis, ſed turpiter deceptus, ex inopinatò cæſus eſt: id quod è Bullonij Ducis narratione liquet. P. Ioannes Bapt. Boddens per 22. horas primùm, deinde per quatuor alias duriſſimè cruciatus, inteſtino quoque ignis vi erumpente, ea paſſus eſt quæ fusè narrare otium non patitur, & calamus erubeſcit, ſed non erubuit impudens & inhumana hæretici furoris ſæuitia. Diffiſſa illi genua, læua manus emortua, caput ſecuri abſciſſum. Hæc omnia in fidei Catholicæ odium patrata eſſe, fama publica inter Catholicos, priuata inſtrumentorum ſupplicij veneratio, corpora honoratè ſepulta, Ducis Bullonij epiſtola, & denique ipſe Apoſtolicus Nuncius grauiſſimè conteſtatus eſt, literis ad Præpoſitum Generalem 6. Aprilis anni 1642. exaratis. Hæreticus Miniſtellus multis egit, vt illos ad perfidiam adduceret, ſed contemptus eſt, & reiectus.

P. FRANCISCVS CORCIONVS.

Italus Neapoli 20. Iulij 1650. ætat. 79. Soc. 61.

DE hoc viro qui ſe in magna illa Neapolitanæ luis calamitate dedit victimam charitati, in heroibus meis ita ſcripſi. In domo profeſſa rei domeſticæ procurationem adminiſtrauit ſcitè, religioſè, vtiliter. Amauit hunc virum, & eo ad pœnitentia Sacramentum vſa libenter eſt permulta nobilitas. Inde illi adminiſtratio data eſt ſodalitij SS. Euchariſtiæ, cuius ſodales *Zitti*, ſeu *ſilentiarij*, à tacendo, dicuntur; quòd in ſacro quodam ſilentio ſua peragant. Hunc cœtũ aiunt Sodalitatum in Societate vetuſtiſſimum atque ipſo S.P.N. Ignatio ſuperſtite inſtitutum, poſtea à Greg. XIII. approbatum. Hoc velut Inſtrumento vſam Societatem ad Neapolitanos diuinis myſteriis frequentandis aſſuefaciendos. Valuit etiam authoritate atque induſtriâ per illud Sodalitium ad molitiones ætatem laturas, & opera pia vt vocant condenda. Eiuſmodi ſunt duo illa domicilia, quæ *conſeruatoria* nuncupauêre: alterum malè nuptarum, alterum Virginum quæ pietatem, ac artes, quibus vitam ſuſtentent edocentur. Prouidentem etiam diligentiam nauauit per illum cœtum, vt commoditas non deeſſet pro extrariis exercitia petituris; noſtris autem viaticum ad miſſiones profectis. Denique Sodalitatis illius molem permagnam latè porrectam, eoque laboris plenam, non ſolum in flore conſeruauit, verùm etiam prouexit, auxitque magnis (etiam purpuratis) proceribus, ac ipſo Prorege in illam adlecto, & Ferdinando Imperatore illi præfecto. Iam eius virtus plus quàm ordinariis incrementis ſeſe attollens, eius in vulgus & vtilitates

Silentium.

Euchar. Sodales ſilentiarij.

Zelus.

Exercitia

&

& opinionem augebat. Intra se ipsum sese abdens, totus demissio, totus fuit modestia, & quoddam imitamentum Angelicæ imaginis. Erga alios, totus calor, totus charitas, totus cor videbatur; cùm obsequio anteuerteret afflictos, & inopes consilio dirigeret, ac promptè opitularetur. Illud vaticinationis illius veritati datum, quòd Patrum cuipiam, quem metus pestis propè mortuali quodam mœrore perculerat, Angelico quodam vultu serenus, citrà dubitationem asseueranter dixerit, atque ardenter: Caue timeas; fili, hoc malum te de vita non auferet. Dixit is Pater; se iis auditis mirum in modum tranquillatum. Et diu postea post tot vndiquaque tamque crebra pericula, eius prædictionis veritatem viuus, ac sanus testis affirmauit, superstes tot aliis, vnà cum ipso Corciono, eà lue absorptis.

Modestia.

Testis.

XXI. DIE IVLII.

P. GONSALVVS ALVAREZ.

CElebrabatur ab orandi, & stata æris campani seu obedientiæ tempora obseruandi studio Gõsaluus; cuius documentum fuit, quòd ad Conimbricam eo loco, quò socij ad recreandas vires ruri conueniunt cùm primo æris campani signo ad prandium dato, se in odeum conscientiam introspectum recepisset, ac signo alio seu aliter, seu obliuione, neglecto, socij alij ad prandium conuocati venissent illo inconscio, ille obliuione omissus in odeo peripsas octo horas genibus nixus perstiterit, vsque dum sub imminentis cœnę tempus istic repertus est. Adeò illi obtemperandi orandique voluptas præ prandendi necessitate fuit. Hic postea missus in Iaponiam Visitator multa tulit fecitque, donec in mari, hoc die, naufragio haustus, in littore mortuus est repertus orantis instar genibus humi positis, manibus verò sublatis in cælum, quò animã præmiserat corpori secuturo. Eius vitam latiùs do ad annum 1573. inter vitas illustres.

21. Iulij Lusitanus in mari Iaponico 1573.

Examen.

Oratio.

Fides.

Oratio. Mors.

P. IACOBVS A COSTA.

IN pulpito, in cathedra, in rectione Prouinciæ vniuersæ fuit P. Iacobus vir tantus, vt inter suæ ætatis primos haberetur. Oratione, ac summi capacitate ingenij par fuit summis quibusque muneribus pro dignitate gerendis. Quatuor fratres habuit in Societate, quibus ipse accessit quintus; & Romæ fuit Magister Claudij Aquauiuæ, postea Præpositi Generalis. Antonius de Pazos Castellæ Præses, deinde Episcopus Cordubensis, tanti eum, ob dicendi felicitatem, ac docendi soliditatem faciebat, vt illum vnà cum Proceribus inuisurus, dixerit, Eamus, visamus vnum ex antiquis Ecclesiæ sanctæ Doctoribus.

Elapsis à P. Iacobi morte annis triginta, corpus eius repertum est incorruptum, & ad S. MARIÆ *de Prato* translatum; cùm à Societate illud petente ciuitatis Regalis Magistratus ad illum thesaurum à se dimittendum adduci non posset.

Hispanus in Ciuitate Regali. 21. Iulij 1585.

Mors.

P. CHRISTOPHORVS CORQVERA.

Italus Baroli 21. Iulij 1639.

IN Barolitano collegio per ipsos 46. annos magno virtutis præstantissimæ nomine vixit. Adolescens, aliquando inediam, etiam triduo, cum vno, alteroúe panis frustulo toleravit. Gaudebat si quid alij haberent quo vires reficerent: ipse nihil præter quotidiana attingebat. Tres, ac triginta cælites delegerat præcipuâ religione colendos eo ferè modo, vt appetente cuiuspiam ex illis festo per 8. dies à carnium esu abstinens, quotidie se verberaret, & lintea è lecto abiiceret. Quicquid arduum habẽt exercitia charitatis, ipse primò sibi deberi aiebat siue noctu siue interdiu. Nobili viro segetes à caloribus aridas exuri questo, eoque mœstiori; Bono animo esto, inquit, hac nocte affluenter Deus segetes opportunâ pluuiâ recreabit: atque vt maiore gaudio te cumulem, spero aioque te à Deo masculâ prole beandum. Vtrumque affirmauit euentus. Fœminæ vterum gerenti neque conscię masculumne ferret, an fœminam dixit, velle se proli nomen dare Ignatij: & verò illa masculum enixa est. Eidem postea iterùm grauidæ hunc, inquit, Franciscum vocabimus. Respondet prædictioni & hic partus masculus: Tertiò grauida Patrem de nomine consuluit: at ille rem silentio dissimulanter inuoluit. & illa fœminam peperit. Mortui P. Christophori corpus septimo ab obitu mense viuidum, ac recens repertum est arcâ licèt ita putridâ, vt in alia noua condi debuerit.

Ieiunia. Charit. Sancti. Mortific. Charitas. Prædictio. Mors.

XXII. DIE IVLII.

P. BARTHOLOMÆVS COCHIVS.

22. Iulij Hispanus Maioricæ. 1587. Soc. 30.

EXempli sanctimoniâ, & dicendi felicitate magnam frugem fecit. Vnâ illius cõcione octo obscœnæ mulierculæ aliquando conuersæ. Ad de mitigandos discordiosæ simultatis furores videbatur aptus natus, & ad lites authoritate suâ terminandas, ita vt Prouerbio iactaretur; *Ipse dixit*; & communis Patriæ Pater diceretur. Incredibili siti laborabat à diro hydrope accensâ; nunquam tamen, vel sæpius, vel plus guttulâ vllâ admisit (etiam cùm præesset, aut ad populum diceret) quàm quantum Medicus, & Valetudinarij minister iubebant. Aderat Morienti Alphonsus Rodriques, & cælos apertos videre sibi visus est vt à cælitibus exciperetur anima P. Bartholomæi morientis.

Concio. Mortific. Situs. Mors.

FRANCISCVS DE MONTALBO. SCHOL.

HVnc Villagartiensis Domus annuæ aiunt nullâ letalis noxæ labe vnquam contaminatum; eundemque visum subire cælestem gloriam triumpho insigni, palmâ quoque pulcherrimâ spectabilem.

Hispanus Villa-Garcia 22. Iulij 1627. Mors.

M. FRAN-

Prædictio.

M. FRANCISCVS VANDEN BRANDEN.

Belga Bergis S. VVinoci 22. Iulij 1613. Soc. 8.

CVm Deiparam enixè amaret, atque in scholis nostris ante initam Societatem de illius cultu permulta sæpè audiret, multa in eius honorem præstabat quotidie. Inter alia illud de illo fertur, quòd per annum Beatissimæ Virginis honori & amori inediam sibi indixerit à pomis, nucibus, aliisque fructuum cupediis, quibus ætas illa vel maximè oblectatur; vt pio isto obsequio quale quale sui palati, seu fructuum illorum sacrificium Deo, per Dei Matrem, offerret. Ancillam, quam domi procacè aduerterat, timebat impensè, eoque parentes tandem perpulit vt illam sua sibi habere iuberent. Nunquam domo abiit nisi veniâ à parentibus impetratâ. In Societate nihil arduum esse credebat, quod ope Deiparæ peruincere se posse non speraret: eiusque armatus auspiciis, atque ductu nihil diffidenter aggrediebatur, nil non feliciter ad finem deducebat. Ipris cùm doceret, B.V. statuam per sodales Angelicos erigi curauit in scholarum area, publico MARIÆ pietatis inuitamento: & coram illa diebus Sabbati cereum accendit. SS. Sacramenti sæpè visendi tenereque colendi, paupertatis, temporis, librorum, suauissimæ comitatis amantissimus; si excandescere se sentiebat, silentio se domabat. Æger; *ô me felicem*, inquit, *morior religiosus.*

Mortific.

Mori.

Castitas.

B.V.

Mori.

Sabbatum.

Mori.

P. FRANCISCVS TAMBVRINVS.

Hispanus Villa-Garcia 22. Iulij 1617.

Mori.

Italus Bibonæ. 12. Iulij 1619. ætat. 38. Soc. 5.

CAltanisettense in patria sua collegium aliquot millibus aureorum iuuit; pietati, & sacro cuidam silentio (etiam cùm Rector Collegio præesset) attemperatè addictus. S. Xauerium vnicè colebat iam inde à puero: nempe posteaquam in profundum arctumque puteum prolapsus ac in cœno istic, & aquâ volutatus, vidit hominem eo cultu, quo pingitur S. Xauerius lineâ veste, quam superpelliceum vocamus; stolâque amictus; qui manu Francisco porrectâ, illum aquis iammersum eduxit, vt super aquam emergeret mox inde so spes extractus.

S. Xauerius.

THOMAS NICOFORI.

Iapon. Nagasachi. 22. Iulij 1633.

SVb disciplina Seminarij educatus, multùm ante, ac post initam Societatem operæ industriæque attulit ad commoda rei Christianæ apud Iaponios. Idcircò exilium, & ærumnas à suis ciuibus odio fidei illatas sustinuit. Postliminiò redux ab exilio, Nangasachi flammis addictus, & viuus illustri morte in igne consumptus est.

Fides.

P. RAYMVNDVS GVIRBAL.

Gallus: Billomi. 22. Iulij 1656. ætat. 64. Soc. 46.

IN erudienda iuuentute, ac effusâ erga pauperes charitate laudatè versatus est, simplicitate animi, tranquillâ suauitate, humilitate ac industriâ insignitè conspicuus. Eximiæ illius charitatis fœtus Billomi fuit (vt aiunt literæ Billomenses) pius ille matronarum cœtus (*misericordiæ vocant*) iis legibus institutus, vt per illas pauperum saluti ac necessitati abundè, ac prouidenter occurratur.

Zelus.

Charitas.

P. EMMANVEL MARTIVS.

Lusitanus in Malabar. Trichelopali 22. Iulij 1656. ætat. 63.

ABanno 1624. in India, & ab anno 1625. in Malabarica Prouincia laborauit, alterum eius fulcrum post P. Robertum Nobilium. Multa pro fide istic scripsit: multa pro eadem perpessus est. Quater ea propter detrusus in carcerem, quòd eam doceret; bis adeò sæuum in modum vapulauit, vt sanguis illi per varias corporis partes erumperet; cicatricibus diu durantibus, & facie totâ liuidâ. Quater ductus in exilium publico populi subsannantis ludibrio expositus est, fune atque lapidibus è collo pendentibus; ipse interea plenus liquidissimæ voluptatis. Orabat assiduè. Nec deest qui iuratus affirmet; illum à se visum raptum, sublimemque in aëre cùm oraret. Nunquam vultū, aut vocem perturbatione vllâ mutauit, semper sibi simillimus. Totis triginta, & amplius annis quibus istic laborauit, nunquam vestes ad nocturnam quietem exuit; nunquam lectulum habuit, pallio terraque contentus, etiam cùm febribus æstuaret. Totis iisdem 30. & amplius annis nunquam carnibus, aut piscibus vesci voluit. Et dici potest perpetuò ferè ieiunasse; cùm ad refectiunculam nonnisi paruulum è milio panem admitteret, per dies plures nullo alio cibo refectus. Itinera pedibus exantlabat, nullâ die prætermissâ quin virgineo suo corpori flagris inflictis veluti pensum quotidianum persolueret. Nunquam vlli vlla in re molestus fuit: nulli aliquid petenti vnquam quicquam negauit, si præstare id posset. Quicquid ad suos vsus habebat, dispersit dedit pauperibus, paucissimis ipse contentus. Quinque templa erexit. Totis diebus erudiendo suo gregi intentus, cum illo preces ac examen conscientiæ instituebat, adeò perfectè his functus, vt Christiani ex eius disciplina profecti ipsis etiam Societatis tyronibus propè pares essent, & exemplo ad fidem non paucos ipsi quoque pertraherent. A loquiis sacrificulis, illum plenum idolorum à conuersis acceptorum saccum domi habere quæstis, ad necem quæsitus, non à Christianis modò sed & à multis Ethnicis defensus est, qui nempe virtutem in illo suspiciebant, & amabant. Lignea sella quâ vtebatur, etiamnum in veneratione est apud Christianos qui se ab illo lustratos in gloriæ suæ parte ponunt: qui etiam templum super illius tumulum erexêre, non quidem illius nomine, sed vt se ac suos ad fidem, ac virtutem, illius etiam viri memoriâ excitarent.

Fides. *Oratio.* *Mortific.* *Charitas.*

XXIII. DIE IVLII.

P. ANTONIVS LOPEZ.

Hispanus in Peruana. 23. Iulij 1596. ætat. 51. Soc. 32.

DOctrinâ, sui demissione, zeli magnitudine, latè percrebrescente sanctimoniæ famâ conspicuum Antonium, arduis peregrinationibus magnas Indis vtilitates attulisse dicunt cùm aliæ, tum anni 1596. literæ; vbi etiam clerici, qui frequentes ad eius exequias confluxerant, aiunt eius cadauer admirabilem odorum fragrantiam emisisse. Epistola verò anni 1609. hominis meminit, qui se Lopecij peregrinabundi comitem sæpe numerò

Cadauer fragrans. *Odor.*

merò fuisse aiebat. Is ex ore plurium id credentium atque affirmantium asseuerabat, veneno necatum ab iis barbaris, quorum intemperantiam & ebrietatem, aliaque scelera, è Christianæ legis dogmatibus, monitor, nunc blandus, nunc acrior coarguerat; ab iisque pro martyre nunc haberi.

Fides.

P. NICOLAVS PERRIVS.

Lotharingus Rhedonis 23. Iulij 1610. Soc. 6.

VIdebatur extremo vitæ suæ anno mortem præsagire tum quia sæpiùs dictitabat; certum esse, futurum, vt eo anno istic sociorum vnus è vita migraret: tum quia se morti accinxit maturè, confessione iam inde ab incunabilis repetitâ: fama etiam fuit conspicuum illi S. P. Ignatium in Tyrocinio adfuisse.

S. P. Ignat.

MICHAEL SARTRE COAD.

Gallus Auenione 1598. incerto die.

CVm ruri ferè solus degeret Oeconomiæ administrandæ causâ, & à procacibus fœminis non semel ad turpia variè vrgeretur, sese humi proiiciebat in genua, & conceptam votorum religiosorum formulam recitabat ardenter: aiebatque id sibi semper præsentissimo remedio fuisse ad omnes turpes imagines è mente penitus abstergendas. Eam sibi legem fixerat, & persanctè seruabat, vt si inopinatus quispiam euentus illi tempus examinis, vel orationis matutinæ interuertisset, nihil omninò cibi admitteret, nisi priùs orandi, & conscientiam discutiendi tempora religiosè explesset.

Castitas. *Oratio.*

Cùm ad collegium pro sacra synaxi sumenda pedes per 20. milliaria aliquando contenderet, inediâ & labore elanguit ferè ad deliquium. Tum de genibus fudit preces; & (vt aiunt Auenionenses literæ) *candidissimum panem in via conspexit*; quo refectus, inusitatum vigorem sensit ad reliquum iter nullo negotio deuorandum.

Euchar. Communio. *Oratio.*

XXIV. DIE IVLII.

P. PETRVS DE SAAVEDRA.

24. Iulij Hispanus Cõpluti 1572.

CVm piissimæ suæ coniugi superstes, & de Societate Iesu amplectenda deliberabundus ad S. Didaci sepulchrum supplex consilium à Sancto illo flagitaret, strepitum Sancti corporis, & vocem (nesciebat intusne tantùm an foris quoque) sonantem audiuit, quâ nunciabatur, è maiore Dei gloriâ fore si Societati nomen daret. Filiæ suæ natu maximæ, de qua medici desperârant, sanitatem, vt piè creditur, obtinuit; aliàs quoque in orando potens ad impetrandum. De mortuæ vxoris salute solicito, adfuit illa (per quietem an vigili est incertum) seque lumine illustrem illi spectandam præbens gratias ei egit impensè quòd Societatem fuisset amplexus, & promissi memor primum sacrificium pro defunctæ vxoris anima obtu-

Vocatio. *S. Didacus.* *Purgat.*

obtulisset. Plura dedi de illo in vita.

P. COSMVS ALAMANNVS.

Italus Mediolani 24. Iulij 1634.

BEnedictus Cosmi Pater primus fuit qui Societatem Mediolanum appulsam hospitali sinu excepit, eo sanctæ opere pretio, vt quinque eiusdem Benedicti filij in Societatem immigrârint. Quo in numero fuit Cosmus, inter deliberandum repentè voce illâ ad cor auditâ monitus: Societatem, Cosme, amplectere; ita pestilentiam euadens, in susceptо verò proposito te perseueranter permansurum ne dubita; ita promissam perseuerantibus salutem assequêre. Paruit monito 16. annos natus anno 1575. & ad tyrocinium profectus, audiuit Mediolani pestilentis morbi cladem latè, ac fœdè grassari, & tunc intellexit internæ illius vocis arcanum, quo dicebatur sic pestilentiam euasurus.

Vocatio.

Oratio.

Obediendi, & Orandi artibus à Deo impetrare putabatur quidquid ab eo flagitaret. Etenim quàm ille promptus erat ad Deum in superioribus audiendum, tam promptè audiebatur à Deo cùm oraret. Pauperum Confessiones tam lubens accipiebat vt eo humanis erepto ad pœnitentiæ ab illo administratæ sedem plures accederent, eamque osculis honorarent. B. Aloysius Gonzaga nescio quid mœroris in Cosmo aduerterat: & explicato è Psalmis versu quopiam, omnem illi doloris aculeum sapienter exemit.

B. Th. Aqui.

Hebescentem oculorum aciem aiunt illi non sine miraculo à Sancto Thomæ Aquinate, cuius doctrinæ totus erat addictus, integram conseruatam. Vt apud vniuersam cæli Rempublicam se prouidenter redderet gratiosum, ac suaui precum impendio sibi opem illorum pro more, quasi emeret, collecto ex omni vetustatis, Bibliothecarumque memoriam Sanctorum omnium, quot essent Catalogo, innumerabilem illum numerum, quò potuit, numero secutus certè, non assecutus, effecit, vt neminem quoad sciret, ex vniuersa cælitum panegyri præterierit, cuius honori non vnam, vt minimùm Dominicam, & Angelicam orationem dixisset; vt supremæ necessitati fidam auxiliarem manū ab omnia curia cælesti contra inferos pararet. Morbus illi omni virtute variè cumulatus, vt potè quem ille à Deo multis precibus poposcerit. Ad eminentissimos virtutis actus animum surrigens, continenter illud veluti dolorum laxamentum ore hilari versabat: *Benedictus Deus! Laudetur Deus!* idque vsque ad mortem.

Omnia SS. cnium.

GERARDVS ANGELINVS COAD.

Italus Nouellarię. 24. Iulij 1656. ætat. 80.

MAgno ad omnem virtutem exemplo fuit Nouitiis, magistri socius. Inter orandum, cælestes delicias non semel deguſtauit; ad quas se paupertate seuerâ, & corpore asperè habito præparabat. Dum inter orandum aliquando toto animo æstuaret, has voces diuinitus missas audire sibi est visus: Bono esset animo; illum electis esse adscriptum; neque hæsitaret id agere quod illi spiritualis pater præscriberet. Inde illi tenerrima, & ad eximiæ virtutis decus experrecta lætitia. Paucis ante mortem diebus ab Angelo custode eadem prorsus audire sibi est visus nempe, vt animo esset erecto; breui vnà futuros in Patria Beatorum; & iam illum ab Angelis auidè expectari.

Oratio.

Obedient.

Mort. Angelus.

XXV. DIE

XXV. DIE IVLII.

P. BALTHASAR ALVAREZ.

15. Iulij Hispanus Belmonti 1580. ætat. 47. Soc. 25.

MAgnâ fuit huius viri tam cum Deo quàm cum hominibus loquentis efficacitas ad impetrandum, accendendum, persuadendum. Inter sacrificandum S. Theresia vidit illum splendore coronatum. Eadem illum in eminentissimo quodam virtutis eminentissimæ fastigio esse intellexit inter eos, qui tunc viuebant. In domo lauretana Beatissima Virgo illi singularem erga S. Iosephum cultum, pietatem, vt fama est, eximiè commendauit. Ad S. Mariæ maioris imaginem, quam secum Roma allatam in tyronum sacrario collocârat, noctes totas aliquando peruigilatione sanctâ duxit. Dæmon illum iam inde ab ineunte tyrocinio turbans, quietem illi promisit, si in B. Virginis cultu relangueſceret. *Remitte*, inquit, *tu; & ego remittam: præcipuè erga istam fœminam, quam dicunt Mariam.* Sed Balthasar eò in illa percolenda exarsit flagrantiùs. In B. V. imagine (quam secum gestabat semper) aspicienda, ne fœminas in quodam spectaculo aspicere cogeretur, plures horas consumpsit. Sui odium, & diuinus amor, quantus in eo fuerit, illius epistolæ, discipuli, quibus dux fuit ad sanctimoniam, luculenta sunt documenta. Morienti S. P. Ignatius, & Angeli adfuêre vt fama est, lectulo circumfusi. Plura de illo in vita ad annum 1580.

Sacrum.

S. Ioseph.

B. V.

Constantia in bene cœpis.

Imago. B. V. Modestia.

Oratio.

Obedient.

Mori. Angeli.

S. P. Ignat. Mori.

MATTHIAS MARIVS SCHOL.

Germanus Lanspergæ 25. Iulij 1581. Soc. 4. *B. V.*

INgolstadij Philosophiæ operam nauanti Matthiæ, in horto stellæ quædam visæ; ac penes illarum vnam Virgo Deipara radiis & ipsa vndequaque collucens materno vultu in Matthiam iucundè amanterque conuerso. Post paulò æger Landspergam missus, ibi eò, vt spes est, abiit quò illum stellæ, quoque Virgo Regina stellarum, & cæli, vultu illo amabili præmonens, inuitârat.

P. MARTINVS BENEDICTVS.

Moranus Pragæ 25. Iulij 1649. ætat. 53. Soc. 30. *Obed. Humil.*

QVicquid illi dabatur in mandatis acuratè id ab eo perficiêdum securus erat superior, nullâ eius curæ parte sibi retentâ. De se abiectè sentiebat: idque non obscuris argumentis ita testabatur, vt verè illius linguam & vultum ab humili eius corde non dissentire indubitatum esset. Ad

Sing. horæ. Oratio

singulas horas ignea quædam suspiria vibrabat in cælum, & habebat id pro egregia internæ flammæ alendæ industria, neruoque rerum religiosè, ac benè agendarum. Heroicæ peste laborantium adiuuandorum palestræ semel superstes, in eadem iterum aditâ cecidit felix victima charitatis. Plura de illo dixi in albo Heroum.

Charitas.

P. GVILIELMVS ROSE.

Gallus Cestochouiæ. 25. Iulij 1657. ætat. Soc.

ERga Caluomontanum in patria sua Collegium, adeò fuit beneficus, vt confundatoris quod aiunt, nomen tulerit. Cùm Collegio Mussipontano præesset difficillimis temporibus, in publica inopia quatuor circiter francorum millia ad opem egenis ferendam corrasit; paratus etiam sacram supellectilem argenteam erogare, si liceret. Veste vsus est adeò attritâ, vt vix adhiberi potuerit ad eum in illa tumulandum. Habeo id ex eo qui eum vidit Parisiis cælo valdè frigido vnicâ, eâque perenni ac æstiuâ veste vti, non admissâ vllâ è panno subuculâ. Lectulus illi erant nudi asseres; vnus alterúe liber, ceruical; pallium reliquam lecti supellectilem supplebat. Aliquando humile scamnum illi & pro lectulo & pro mensula fuit. Somnus quoque ac cibus perparcus. Toto anno, Dominicis ferè tantùm exceptis, ieiunabat. Toto licèt die aliquando in animarum adiuuandarum laboribus versaretur, tamen ne tum quidem totam noctem somno indulgebat, nocte dimidiâ ad orandum, legendum, scribendumque impensa. In Poloniam cum Regina profectus aulæ toti religioso exemplo fuit. In Silesia hospitium ei destinatum, alij quidam è ministris Regiis per iniuriam occupârant. Siluit Guilielmus, & cælo asperrimo, sub dio pernoctauit; vtque malum in bono vinceret, eorum cuidam ægro, ipse quoque infirmus, dedit suum lectulum meliorem, ipse longè deteriore contentus. Cùm catenam quâ vtebatur, supremum æger in lateribus gestare iam non posset, morbo, & maiorum imperio prohibitus; illam gestabat è collo: quod signum esse aiebat, se Deiparæ esse captiuũ. Cestochouiæ, in honorem Deiparæ istic celeberrimæ, nouendiales preces piè instituit; vt veram, quemadmodum aiebat ipse, & solidam humanarum rerum despicientiam ab ea impetraret. Iam æger, quærebat è socio quem in diem incideret S. Iacobi festum. Eo autem festo illucescente, piè exclamans, Breui tandem, aiebat, Deo benè faciente, fiet ærumnis meis modus! Cùm quota esset hora rogasset, ac secundam post meridiem esse audisset; Benedictus Deus, inquit, vna mihi superest laborum hora. Et ita vti dixerat euenit. Corpus à religiosis S. Pauli primi Eremitæ Patribus & exequiis honoratũ, & sub ara sacelli Marianis miraculis clari ad dextrum latus conditum est. Aiunt eum visis etiam cælestibus, & quibusdam admiratione dignis claruisse. Ex quorum numero non postremum censent illud, quòd in morbo ante supremum proximo S. Nicolaus, vt aiunt, ei se spectabilem præbens, illum de ope suâ implorandâ dicatur monuisse; & (an tunc an aliàs, incertum esse ait epistola) exhibuerit oculis ægrotantis varia chartacea emblemata, singula vocibus hisce inscripta: Polonia vastabitur: at orandum. in quorum vltimo hæc legit: Polonia restituetur in integrum: at orandum. Fide dignissimi testes vulgarunt, se ab illo tacere iussos dum viueret, quòd febres solâ manuum impositione non semel dispulerit. Frusta ex eius baculo ligneo simplici dicuntur vestes quas contingunt odore miro imbuere. Proximâ post mortem Cestochouiæ obitam nocte, quidam de Societate sanctè testatus est, videri sibi visum, auditumque P. Guilielmum quasi per ambulacrum ad aram primariam iret, cantaretque *Gloria Patri* &c. Nobilis fœmina, quæ auersum à se Reginæ animum dolebat, opem

Charitas. *Paupertas.* *Mortific.* *Charitas.* *Mortif.* *B.V.* *Mort.* *S. Nicolaus.* *Oratio.* *SSS. Trin.*

opem P. Guilielmi implorauit, & sensit. Etenim eum sibi præsentem videre post mortem visa, se ad eius pedes abiecit, illo ex oculis abeunte. Persuasit deinde marito, vt voto concepto sacrificia aliquot curarentur in honorem SSS. Trinitatis, cuius cultui P. Guilielmum impensè addictum fuisse constabat. Curata sunt sacrificia, & Regina hactenus inexorabilis, mirâ facilitate ac liberalitate illam, cui antea infensior videbatur, hilarauit.

XXVI. DIE IVLII.

P. MARTINVS SMIGLETIVS,

15 Iulij Polonus Calissij. 1618. ætat 50. Soc. 18.

Pij sermonis in familiari congressu miscendi egregius fuit artifex non sine ingenio inserendi, & elisum restituendi: id quod erat insigne diuini amoris indicium, quem aliquando ferè extra se positus vultu quoque ipso sanctè prodebat. Cùm 15. ferè esset annorum, puer illi æqualis post mortem ei apparuisse fertur, & rogasse vt libros quosdam (quos ipse à condiscipulis olim viuus ad vsum acceperat) reddi curaret iis ad quos spectabant nominatim expressis, id quod Martinus accuratè est executus. Contra hæreticos quà calamo, quâ disputatrice linguâ, cum victoria celebri non semel decertauit. Familiare id est hæreticis, vt insigni quopiam contra eum à quo victi sunt mendacio fucum faciant populo. Idipsum cum Smiglecio eorum cuipiam infeliciter vsu venit, Deo rem non dissimulante. Disputârat vilnæ contra Caluinum palàm & præclarè victor Martinus. Digressis omnibus, Gabriel è Regis aula iuuenis hæreticus victum ex arena cessisse Martinum affirmans, mendacio fidem vt adstrueret malè se execrari cœpit ni verum diceret. Audiuit imprecantis diras, ac mendacium Deus; & periurus ille ita vt sibi malè fuerat imprecatus constringi sibi gutturem sentiens, angi suffocarique se vidit in arctum redactus. Verùm vbi se ab iis qui aderant adiutum aduertit, pœnâ mendacij minimè agnitâ, iterùm malè sibi precari ac iurare perrexit, affirmareque verum fuisse, quod dixerat de victo Martino. Tũ verò quem Deus indulgenter hactenus tantùm terruerat tunc plectere voluit, vt vocant, in flagranti. Namque qui eum & peierantem audiebant. & ne offocaretur adiuuerant, aduertêre stupentes repentinò illum iterùm ad extrema redactum hærere, stupere, angi, constringi gutture periuram animam agere, suffocari, denique strangulatu miserabili collapsum planè intermori, magnum periurij, ac defensæ à Deo Martini seu Famæ seu Fidei documentum.

Pia colloquia.

Iustitia.

Fides.

P. NICOLAVS HENINGIVS.

EX hæresi puer ad orthodoxam fidem, deinde ad Societatem conuolauit, & Posnaniæ ac Torunij in Polonia Germanicè ad concionem dicem magnas rei Catholicæ accessiones fecit. Paupertatem amore singulari complexus exquisitè illam colebat, vbique Breuiarij vetustate iam laceri pagellas calamo supplebat; vestibus quoque laceris delectatus. Deiparæ cultum alebat quotidiano eius

Germanus Torunij. 16. Iulij.

Fides.

Paupertas.

officio, & rosario recitato. Mortui cilicium illustri matronæ aliquid è Sancti, vt aiebat, viri rebus poscenti, datum.

Mortif.

XXVII. DIE IVLII.

P. LVCAS XAMPELLVS NOVITIVS

27 Iulij Sardus Cadari. 1566. ætat. 31. Soc 2. *Lenitatem.*

HIc ante initam Societatem poësi (non turpi quidem illâ sed ludicrâ, & Sacerdotis nomini parùm consentaneâ) felici ad pangendos versus vernaculos ingenio delectabatur, & canebat iuuentus passim, quæ Lucas lucubrabat, non sine stomacho virorum grauiorũ. Nosocomium fortè ingressus, cùm intentè contemplaretur P. Petrum Spiga (virum primæ planè virtutis) infirmis sese multifariam impendentem, exemplo illo vehementer permotus est; maximè cùm Spiga verba quoque pro inuitamento quædam illi subderet acria & velut sagittas è Dei arcu missas. Dedit operi manus Lucas, & postea Societati nomen; in qua 20. mensibus annos virtutum vixit. Dabo eius laudum compendium è Soc. historia & ore multorum; Nunquam vox eius ore insonuit, nisi de Deo. Neque id vnquam nisi cum audientium summâ iucunditate: nec deerat quod sanctè grateque diceret. Adeò vena cordis abundabat. nihil magnum, aut paruum in eo animaduersum, quod leuissimæ culpæ affine, vel à perfectione alienum videri posset. Admirationi erat indefatigabile illius corpus pariter, & animus laboribus charitatis. Petrus ille Spiga verò vir sanctè perspicax ait, os illud sanctissimum etiam inter dolores, ab laudibus Dei nunquam cessasse. Nunquam visus est tristis; nunquam quicquam desiderans, aut anxius, aut parturbatus; sed ore semper angelico eodem vultu ad omnia quæ agenda erant accedebat. Plura de illo in historia Sacchinus.

Exemplum. *Vocatio.* *Exempli vis.* *Lingua.* *Morbus.*

P. IACOBVS WIECVS.

ROmæ in Societatem cooptatus, postea linguarum, & omnis literaturæ scientiâ clarus Sigismundi Batori Transyluaniæ Principis fuit magister. Facilis erat ad lachrymas teneræ pietatis. In morbo supremo S. Augustini exemplo 7. Psalmos pœnitentiales audiens meditabatur, lachrymis affluenter manantibus. Magna de viuo, & mortuo, cùm doceret, cùm regeret, in aula, & domi, fuit de illo opinio. Dextera illius manus, quâ pro fide orthodoxa plura præclarè scripserat, aliquot à morte annis consumpto reliquo corpore inuenta est incorrupta. Ossa anno 1610. nouo loculo inclusa, & loco nobiliore sunt posita.

Polonus Cracouiæ 27. Iulij 1597. ætat. 57. Soc. 31. *Mors.*

P. GVILIELMVS LEONIVS.

HOllandicæ expeditioni 22. annos impendit strenuè; quicquid æmuli contra, quicquid alij fremerent, & obtrectarent. Vltraiecti, rebus maximè turbidis, in turbido quoque scitè feliciterque piscatus est; non minus orandi studio quàm animarum quærendarum assiduitate laudatus; idque adeò, vt eum inter orandum domestici

Belga Vltraiecti. 27. Iulij 1612. *Oratio.*

stici clarâ luce aliquando circumfusum reperierint. Illud vehementer in eo admirati sunt alij, quòd absentum cogitata ita quandoque enucleatè aperuerit quasi eorum corde, ac mentibus introspectis.

XXVIII. DIE IVLII.

P. QVINTINVS CHARLARTVS.

28 Iulij Belga Tornaci. 1556.

QVintinum ante Societatem quoque initam fama summæ virtutis celebrauit quæ aliquibus ad fidem orthodoxam inuitamentum fuit. A Sancto Patre Ignatio Collegij Romani Rector renunciatus, ad omnia vbique idoneus magno animarum studio flagrauit. Pro quodam, qui SS. Eucharistiam pedibus impiè subiecerat, voluntariam sibi vnius anni à carnibus abstinentiam indixit, siue vt iniuriam diuino illi Angelorum pani factam quoquomodo sarciret; siue, vt impium illum conuerteret. Ab hæreticis nonnullis ad necem fraude petitus est; odio inde nato, quòd illum tam studiosè rem Catholicam agere indignarentur. Prædixit se propediem moriturum. Idem alteri cuidam ex verò est vaticinatus. Et verò mortem ipse breui obiit eam, quam heroës obeunt in opere charitatis apud lue contactos. Supra illius, & sociorum duorum sepulchrum ciuium quidam lumina & splendores sibi videre sunt visi. Ludouicus Blosius Abbas aiebat eius exemplum rei Catholicæ amplificandæ plus profuisse quàm Ecclesiastæ pro pulpitis, militesque in campo profuerint. Hæretici aiebant, in Patre illo nihil esse quod displicere possit, nisi quòd esset Papista, siue Catholicus. Tornaci cùm esset Canonicus, domum aliquando sine pallio, sine tunicâ aliàs, nonnunquam sine calceis redibat, cùm ea obuio petenti, ac seminudo pauperi cuipiam dedisset. Noctu domos pauperum verecundorum visebat, S. Nicolai exemplo in eos liberalis: & cùm sua iam dedisset, alios ad id genus eleëmosynam liberaliter faciendam inuitabat, vrgebat, peruincebat.

Polonus Cracouiæ 27. Iulij 1597. ætat. 57. Soc. 31.

Euch. Zelus. Mortif.

Mors.

Fides.

Mors.

Belga Vltraiecti. 27. Iulij 1612.

Oratio.

Eleem.

P. FRANCISCVS CORDVBENSIS.

FIlius Ducis Cardonæ, & Segoruæ marchionis Comarensis, dignus P. Balthasare Aluarez magistro tyro. Triclinium, præ teneritate intimæ demissionis, positis humi genibus verebat, pauimentum osculis, & lachrymis veneratus. Ingenti animi grandi-tate contemnebat quicquid honorum æstimat Mundus insipiens, publicos de vanitate triumphos agens contemptione sui palàm nobili, etiam Salmanticæ in oculis vniuersitatis, cuius Rector olim fuerat. Si à quopiam minoris se fieri aduerteret, cum illo agebat longè frequentiùs, atque libentiùs. In tertiæ probationis anno cùm è pago porcellos Villagartiam ageret ac eorum vnum fessum videret, eum in nobiles illos humeros sublatum portauit; vt olim in monte Cassino Carlomannus: domi quoque haram illi, alnsque ipse crudis lateribus extruxit aluitque: idque sole ardente. Inde illi febris, & mors.

Hispanus Villa-Gartiæ 28. Iulij 1580. Soc. 2.

Humil.

IOANNES
ORTVNIVS SCHOL.

Hiſpanus Salmaticæ, ætat. 23. Soc. 9.

DE hoc aiebat eius in tyrocinio magiſter magnus ille Balthaſar Aluarez; nunquam ſe in anachoretarum veterum vitis grandiora iis legiſſe quæ in Ioanne iſto vidiſſet. Obedientiæ cæcæ inſignia in illo exempla fuêre; vt cùm expectare iuſſus, ſub dio perſtitit cælo aſperrimo, niue cadente; perſtiturus totâ nocte, niſi repertus tandem, & auocatus fuiſſet. Iuſſus certæ hortuli parti tres ſitulas quotidie aſpergere, id præſtitit etiam iis diebus quibus copioſus imber cadebat. Examinis particularis tanta illi cura, vt eum libellum etiam æger in lectulo ſecum habuerit, nec examen omiſerit vſque ad penultimum vitæ diē. Cùm à chirurgo lanienâ miſerabili cruciaretur, & chirurgus & medicus heroicam in illo patientiam ſtupuêre. Aiebat ſe non metuere mortem de Dei manibus venientem, nec dolore terreri. Opinio eſt, per omnem vitam ab illo nihil commiſſum quod exiſtimari poſſet eſſe mortale peccatum. Diem eius mortis necdum comperi.

Obed. *Examen partic.* *Mors.*

XXIX. DIE IVLII.

P. IOANNES
MANVEL.

29. Iulij Hiſpanus Toleti. 1586. ætat. 56. Soc. 34.

PRæter ſcientiam, & mores Angelicos charitas in illo præſtans eluxit. Toleti Domui profeſſæ cùm præeſſet, neque niſi tres domi panes eſſe audiret, iuſſit tamen pauperi honorato panem flagitanti vnum ex illis dari. Vnà ferè antè quàm ad triclinium eundi tempus eſſet horâ, venit ad portam cum panibus adoleſcens, & *Accipe*, inquit noſtro cuipiam, *panem hunc; nec enim habent quo veſcantur.* Rogatus adoleſcens, à quo eſſet miſſus; negauit id ſciri debere; & abiit. Cuidam è ſociis hæc in mandatis dedit, cùm præeſſet: *Quoties mihi obuius fies, totiès me admone vt Dei meminerim: & veſperi quotidie mihi refer quid eo die in me quod emendari debeat notaueris; & me coargue vt magiſter diſcipulum.* Id quod quò accuratiùs præſtabat is quē id agere iuſſerat, eò Ioannes vberiores illi gratias referebat. Caninâ, quam vocant, fame aliquando cruciatus, illam non niſi fruſto panis cibarij, & aquâ mitigabat; neque medicinas maioris pretij admittebat vnquam, cùm diceret; *debere nos, debere hoc legibus noſtris, vt verè pauperes & ſimus, & etiam videamur.* Orādi aſſiduitas omne tempus quod neceſſariis occupationibus non dabatur, obtinebat. Vnde ad laxanda orandi otia, vnâ horâ poſt alios cubitum concedebat, & ante alios vnâ horâ ſurgebat. Magnæ ſibi vtilitati eſſe experiebatur quoddam exercitium quo vti ſolebat quadrifariâ 1. Omnia ſe in præſentis Dei oculis agere cogitabat. 2. quicquid videbat, vel audiebat, ad eum referebat. 3. E ſingulis introſpectis inueniebat materiam de Deo cogitandi, & ſemper ac vbique gratias ei agendi. 4. Deo præſenti omnia quæ aggrediebatur offerebat; & opere peracto eadem examinabat. Ex hoc hauſiſſe creditur etiam lumen ad futura quædam prædicenda. Ferdinandi de Auila tunc infantis auiæ dixit ſe ad concionem dicturum

Charitas. *Præſentia Dei.* *Humil.* *Mortific.* *Pauperta.* *Oratio.* *Mortif.* *Præſ. Dei.*

cturum quando Ferdinandus Neomysta primum ingressurus esset ad altare Dei, pro primo sacrificio celebrando: id quod euenit. Moriturus, totus in eliciendos diuini amoris, & contritionis actus incubuit. aiebat opportunum salutis quærendæ tempus esse sanitatem; in morbo animum aliis distineri, aliud esse loqui de morte absente, aliud illam iam imminentem opperiri, atque sentire. Mortui gloriam cuidam diuinitus manifestatam ferunt. Quæ res magnam quâ Toleti celebrabatur opinionem confirmauit. Historia Societatis ait eum ægrè compulsum esse vt studia literarum prosequeretur, adeoque cupiuisse in humilibus Marthæ ministeriis vitam exigere: præclarè diuina pro suggestu tractasse: cum laude tyronibus præfuisse: iracundam naturam studio & compressione sui assiduâ ad immutabilem propè lenitatem perduxisse: honoratiorum congressum demisse vitasse: cupiuisse ad suum collegium mitti valetudinarios infirmosque; cùm diceret, per hoc opus charitatis, & orationes eorum, benedictionem cælestem descensuram in domum totam.

Mort. Humilit. Charit.

P. BALTHASSAR PINNA.

Hispanus Limæ 29. Iulij 1611. ætat. 84. Soc. 62.

NVllius per omnem vitam lætalis noxæ cõscientiâ reus fuisse creditur. Orandi vsu, ad concionem dicendi, regendique arte singulari præstabat. id, quod videns quidam, pro Balthassare desperanter ægro in vita retinendo se obtulit Deo, impetrauitque, vt morbus à Balthassare ad illum transierit. In Peruanam Prouinciam appulit 50. annos natus, & ibi S. Vincentij Ferrerij, S. Bernardini, S. Pauli nomine ob concionum admirabilitatem honoratus est. Cùm & vitæ integritate, & linguæ gratiâ excelleret. Fama fuit aues quoque sui securas ad eum aduolitasse atque manu ab eo missas abiisse. Cùm Collegia & Prouinciam gubernaret, nihil verebatur disciplinam sartam tectamque valdè velle in quolibet ac enixè curare, quippe integerrimi atque accuratissimi ad singulas leges exempli vir, eoque impauidus, ac animum procul à laxamentis, à commodis, ab elegantiis, ab humanis respectibus habens. Si quid in aliis dissimulanter neglexisset, in se ipso seuerè, ac publicè castigabat. Ægra quædam insigni virtutis nomine celebris dixit sibi voce quadam internâ dictum: *Felix P. Pinna, quia vbprimùm ex hac vita migrauerit, recto cursu ibit in cælum.*

Concio. Aues. Superior.

P. CLAVDIVS VIOLA.

Gallus Baroduci 29. Iulij 1632. Humil. Charitas.

CErtâ Parisiensis Episcopatus adipiscendi spe posthabitâ, elegit abiectus esse in Domo Dei, sub odio perpetuo, & victoriâ persecutus, incredibilique martyrij, desiderio flagrans. Audomari seruierat peste infectis: eoque munere iam per plures menses perfunctus, aderat ægro cuipiam, qui stomacho indignante statim à percepto viatico, quod accepit vomuerat peruicit se Claudius, & hausit quod ille reddiderat. Cùm Indiam impetrare non posset, martyrij desiderium in diram sui carnificinam conuertit. Conclaui suo se abdens arundinem sumebat in manus, Christi patientis imitatione, coronâ quoque spineâ capiti impositâ: tum se fiduculis, mox virgis, deinde aculeis ferreis cruentabat, ita vt parietes quoque, ac pauimentum sanguine latè respergeret. Ex arcano eius libello putant aliqui

Victoria sui. Euch. Mortific. Pass. Christi.

qui eum cæleſtibus etiam viſis recreatum, Chriſti potiſſimum quem *ſanguinum ſponſum* vocat, & ſæpè in libello ponit hæc tria *Ieſus Maria ſanguis.* 87.

XXX. DIE IVLII.

P. AVGVSTINVS DE VILLAZA.

Hiſpanus 1634. die incerto, in vrbe S Iacobi Prou. Chilenſi.

MAgnâ animarum Deo quærendarum cupiditate peritiâ, magnâ virtutis exiſtimatione celebratus P. Auguſtinus præclaram de ſe, etiam poſt mortem, apud omnes opinionem rem reliquit. Quâ incitatus Hiſpanus miles, cùm ſe à barbaris ſaucium, & humi iacentem ſine vlla ſpe leuamenti videret, mortemque opperiretur (quippe breui conculcandus ab exercitu barbaro illac vbi ille iacebat tranſituro) P. Auguſtini licèt vitâ tunc iam functi, opem apud Deũ implorauit, & P. Auguſtinum illicò ſibi adeſſe, ac ſe ab illo pallio contra barbaros tegi ſibi videre viſus eſt, donec dilapſis barbaris, ipſe quoque videri deſiit à milite vulnerato, & illius ope contra hoſtes, mortemque protecto. Quin & victoriam de barbaris tunc relatam illi piâ quadam de illo exiſtimatione, adſcripsêre Chriſtiani victores. Hic eſt ille Auguſtinus quẽ in Cuncorum Prouincia ad aras diuinis operantem aggreſſi barbari, effuſo Chriſti ſanguine, calicem ad combibendum adhibuêre. Compactus in vinculà P. Auguſtinus, diſertè prædixit; illos tanti ſacrilegij pœnas daturos propediem, id quod euenit. Nam breui adfuit Ignatius della Carrera Chilenſium Inſularum Dux, & peremptis barbaris qui ſacrilegio illi interfuerant ferè trecentis, tum calicem, tum P. Auguſtinum illis eripuit.

A morte.

Sacrum.

P. PETRVS HALLOIX.

30. Iulij Belga Leodij. 1656. ætat. 70.

HVnc virum eximiè commendat inſignis eruditio, nec minor in orando ac ſe ipſo ſeueriùs afflictando aſſiduitas. De illo ſic in annuis Gallo belgicæ: Natiua in illo elucebat imago priſcæ ſimplicitatis. Totis primis decem in Societate annis aſperum à carne cilicium vix amouit, donec illud ſuperioris iuſſu cum cinctu cilicino commutauit, quod tantâ deinceps conſtantiâ per annos aliquot geſtauit vt ſub inde per annum totum illud nunquam deponeret. Iuſſu P. Oliuerij Manaræi coactus & illud deponere, ob valetudinem, eius loco ſub mediam noctem, ad orandum & ſe flagellis diuerberandum ſurgebat ſemper vſque ad 70. annum ætatis nam tunc attritæ vires illum ad alias mitiores ſe afflictandi exercitationes inuitauêre. Humi ferè tantùm, nec niſi 5. vel 4. horas dabat ſomno 11. ad pretium temporis redimendum 2. ad excutiendum corporem, acuendumque vigilanter ingenium ſomno hebes 3. quia vigilare quædam cæleſtium ſpirituum in carne, imò ipſius Dei imitatio eſt. Nihil inchoabat inconſulto Deo: nec ſtudere priùs incipiebat quàm *veni creator ſpiritus &c.* pronunciaſſet id quod aliis etiam ſuadebat: aliàs ſtudia bonum aiebat exitum non ſortiri, niſi à Deo inchoata ad Deum referantur.

Mortifc.

Noctu.

Studia.

MAR-

MARCVS LAINEZ.

Hispanus Romæ 30. Iulio 1541.

FOrmâ corporis, ac indole animi dignus Iacobo Laynez fratre germanus. Audierat ille Iacobum nouum Clericorũ ordinem iniuisse; ac animi anxius, ne quam in hæresim se implicaret, per tres ipsos annos symbolum Apostolorum pro illo in sacro quotidie recitabat. Romæ per *Exercitia* Societati se addixit, cumque in Nosocomio seruiret ardentiùs, febre correreptus Iulio mense mortem oppetiit. A funere, inquit Ribadeneira, statim P. Laynio simulacrum illius oblatum, iubet parentes de salute suâ securos consoletur; secum enim agi præclarè. *Fides.* *Charitas.* *Mors.*

XXXI. DIE IVLII.

S. P. IGNATIVS DE LOYLA SOCIET. IESV FVNDATOR.

Hispanus obiit Romæ 31. Iulij 1556. ætat. 65. Societatis confirmatæ 16.

DE hoc, tanquam Societatis prouectore, bonâ Lectoris veniâ, plura dicam quàm pro more meo. Illustris Loyolarum Domus apud Cantabros in Hispania Oñaziana stirpi à suis originibus illigata, loco vetustioris resseræ nobilitatis (quã olim claritudinis & opulentiæ suæ testem habuerat) ob victoriam Betibensem anno 1221. reportatam, pro insignibus *baltheum in aureo campo* à Rege accepit. Hac Domo, anno 1491. natus è Beltramo de Oñaz & Loyola, ac Marina Saëz de Lizana inter octo filios postremus *Ignatius*, fratrem habuit Martinum aliis superstitem, cuius postea neptis Laurentia, Ioanni, Beati Francisci Borgiæ filio, nupsit. *Insignia.*

Ignatius Adolescens in aula Ferdinandi Regis Catholici inter primores educatus, deinde anno 1521. 20. Maij cùm Pampelonam defenderet, in crure, murali pilâ, seu globo, vulneratus, & 28. Iunij à vulnere ad extrema deductus; eadem nocte à S. Petro Apostolo (quem aliquando ingeniosè hispano carmine celebrârat) visitatus ac periculo mortis exemptus; cùm decumberet, lectis, ac eleganter in commentariolum relatis Christi, Deiparæ atque Sanctorum vitis, conuersus est. Inde Christo se per diuinam eius matrem dedicauit, contremiscente conclaui: quòd aliàs quoque contremuit non semel postea, quando quidam in illo hospites nescio quid designabant sacro illo loco indignum. Ibidem noctu peruigil, atque orans, non sine longiore atque amabili morâ vidit aspectabilem sibi cum infante in sinu puero IESV Dei matrem, quæ illi omnes puritati aduersas imagines è mente planè absterfit; impertito simul dono mirabili castitatis in se aliisque tuendæ, vt in loco dicam. Peregrinabundus deinde Ignatius, per iter se flagris cædebat quotidie; quoad vsque in Aranzuzano Deiparæ Sanctuario peruigilatione noctis vnius peractâ, ad Parthenium Serrati montem concessit, vbi arma sua (totâ Dei Matris ab Angelo salutatæ nocte peruigil) pro eiusdem tholo appendit, anathema & symbolum dedicationis cordis illi iam ex asse transcripti, animo per vitæ totius exomologesim accuratissimam perpurgato. Aiunt, terræ Ignatij genibus tunc istic pressæ

20. Maij

28. Iunij. S. Petrus.

B.V. *Castitas.* *Peregrinatio.* *Mortific.* *B.V.* *Dedicatio sui.*

pulueres ad morbos pellendos pluribus profuisse. Sacco demum quasi cilicino (post vestes pauperi donatas) amictus, Crucifixi Iesu, ac Deiparæ imaginibus in pectore semper gestatis munitus ad cor, à pueris irrisus, & homo à sacco appellatus, Manresam profectus est: vbi saxum pro ceruicali, terram pro lectulo habuit; carne, ac vino Dominicis tantùm diebus admisso, & reliquâ hebdomadâ perpetuo inediæ tenore ductâ, duris cibarij, & mendicato corrogati panis frustulis, aut herbis, illi epulum breue parcumque præbentibus; quas ipsas delicias terrâ & cinere permiscebat. Sæpè triduo toto (semel per octo dies) nihil cibi, nihil potionis admisit. Quicquid à breuissima noctis quiete illi supererat, id omne obtinebat oratio, & repetitus corporis laniatus; cùm semel post noctem mediam, deinde sub auroram, tum interdiu in se tertiò, ac sæpè quinquies desæuiret catenis ferreis, quas cùm cruentas viderent qui eum obseruabant, & fusos humi sanguinis riuos, manantesque ab oculis lachrymas suspiriis IESVM & misericordiam implorantibus permistas, hærebant muto dolore attoniti, collachrymantes vbertim. Ibidem septenas omninò horas orando ducebat quotidie, genibus humi defixis. Deiparæ Villadordensis templum interuisebat identidem, nouo genere cilicij ex asperrima quadam planta contexti armatus, & lumbos catenâ ferreâ oneratus. Dæmoni aliquando, speciosò, & insidioso obtentu mitiora suadenti, ac liberalis formæ adolescentis vultum induto nihil responsi dare dignatus, ad idem Dei matris sanctuarium contendit, victoriamque obtinuit ope Deiparæ istic imploratâ in preces lachrymasque effusus, & ieiunio addens inediam longiorem. Dæmonem stellis asperso serpentis instar dolosè blandum, aliàs horrendis monstrorum formis, & vlulatu, strepitu catenarum sibi oranti molestum despexit; & neque se loco mouere dignatus, ita vt genibus nixus orabat perstitit, etiam quando Dæmon variè vafer fœtam illigatis inuicem serpentibus nubem super orantis caput appendit. Paratum se aiebat Ignatius ferre quidquid Deus vellet, aut dæmon posset permissu diuino: & sperare se victoriam Christi amore ac ope obtinendam. Ita & tunc & aliàs immundum illum spiritum per contemptionem pede vel baculo, vt canem, abigebat. De SSS. Trinitatis mysterio mira vidit, mira scripsit & tunc, & Romæ postea; etiam de creatione mundi atque aliis fidei mysteriis luce admirandâ perfusus. Ex orantis & à terra cubitis aliquot eleuati, ac splendoribus Sanctorum vndequaque collucentis Ignatij ore auditæ sunt hæ voces cum singultu fusæ identidem: *O Deus! ô Domine, si te homines nossent! Deus, amor cordis mei!* conclaui quoque in quo orabat luce ab Ignatij facie vibratâ perfuso. In illa sua veluti Thebaide, diuinum illum, tantisque plurimorum vtilitatibus celebratum exercitiorum librum, inter admiranda mysteriorum cælestium meditamenta performabat; & genibus nixus, de Christo, ac rebus æternis tanto sensu animi loquebatur, vt iam tunc nobiles quædam quæ illum audiebant, octauo quoque die diuina Sacramenta frequentarent, vnde & *Ignatiæ* dicebantur. Ægris tenerâ commiseratione seruiebat, nec sine fusis lachrymis aliquando: sæpè illos amplexus fouere, ac vlcera non semel exosculari conspectus, imò & saniem inde scaturientem, ingenti S. Catharinæ Senensis exemplo non rarò exugere. Admirabilis fuit Ignatiana illa hebdomada, quando in cælesti abreptæ in Deum mentis

Martific. *Mensa.* *Oratio.* *Mortif.* *Oratio. Deipara.* *Mortific.* *Tentat. B V.* *Oratio.* *Tentat.* *Oratio.* *Charitas.* *Oratio.*

Sabbatum. mentis excessu, cùm oraret, à Sabbato ad alterum Sabbatum vsque iacuit sensuum planè impos; & illâ expletâ ad se reuertit, *Ah* IESV! *Ah* IESV! ingeminans. Vnde Sacellum in eo loco erectum *Sacellum raptus* est appellatum. Ibidem Manresiæ denique, rotis extremis octo mensibus, nunc in antro, nunc ad proximam illi crucem, Christum & Christi matrem vidit plusquàm tricies, & crebro singultu illud inculcare auditus est: *In solo Christo, & in Christi cruce reperitur vera latitia.* Vnde Ignatio, vt dixi sēper in sinu habitabat ad cor gestata ab eo Christi cruci affixi effigies, & imago Deiparæ sub cruce gementis; de qua plura attuli in annalibus Marianis Soc. Iesu: vbi de Ignatio dedi non pauca quæ hic nō repeto. Cælestem illum exercitiorum libellum ope Deiparæ conscripsit, quem & Paulus III. Pont. Max. Borgia Duce Gandiæ adnitente, approbauit anno 1548. 31. Iunij, ac S. Carolus Cardinalis Borromæus instar bibliothecæ ac encyclopdiæ habuit, & sapientissimi quique plenum thesauris cælestibus reperêre, ac laudauêre. Barcinonæ concionem attentè audientis Ignatij caput & vultus conspectus est radiis cælestibus, velut diademate, coronatus. Romam peregrè profectus est, tenerâ erga Deum fiduciâ contentus pro viatico luculento. Româ Venetias eunti Christus luce suâ splendidus apparuit, eumque intuitu amabili est solatus. Venetiis sub S. Marci porticu iacentem Senator venetus domum suam abduxit, cùm noctu vocem è cælo accepisset velut exprobrantis, quòd ipse in lectulo mollem noctem duceret, seruus Dei verò foris duram sub dio. Hierosolymam peregrinus appulsus, cùm istic singula religiosè inuestigaret, ab Armeno minaciter raptatus, Christū in cælo spectabilem itineris ærumnosi comitem vnà euntem vidit incredibili voluptate. Hierosolymus redux, Barcinone se studiis infimis tertio ac trigesimo ætatis anno addixit; quæ tandem Parisiis ad Philosophiam vsque Theologiamque deduxit; Xauerio istic, Fabro, Lainio, aliisque sociis adlectis in Societatem IESV tunc nascentem, & in Mariano Martyrum monte voti religione firmatam, postea verò anno 1540. Romæ confirmatam à Paulo III. Farnesio immortalis memoriæ Pontifice visâ instituti formulâ dicente: *Digitus Dei est hic*; atque à Concilio quoque Tridentino laudatam; posteaquam per iter propè vrbem Romam ab æterno Patre se Christo crucis baiulo enixè commendari vidit, & Christi vocem audiuit disertè in hæc verba loquentis: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Id quod Ignatius Fabro ac Lainio eius itineris comitibus perdiligenter narrauit, silentio imperato; & quod (variè licèt agitata) semper verum esse experta est, Dei & piorum alis contra multiformes insidiatores perbenè tecta Societas. Aliàs quoque Ignatius Christum tres ferè ac triginta annos nati viri specie conspexit vultu splendido, cum maiestate arridentem; ac per horas plures docentem audiuit. Vicentiæ 40. dies in sancto secessu, in ieiunio, & asperrimo vitę genere duxerat antequam Romam veniret ad Societatem Pontificis oraculo constabiliendam, ac latiùs propagandam. Antonius eremita celebris magnâ virtutis famâ, cum in Ignatio nihil esse magnoperè inspiciendum secum reputaret, diuinitus edoctus est quantus sanctus esset, atque quanto spiritu plenus Ignatius. B. Ioannes Texeda, notum orbis Hispani lumen, Ignatium vocabat *templum pacis, & sanctitatis.* Sanctimoniæ compendium illi erat perpetuum diuini amoris & gloriæ studium, suique vi-

Latitia Crux.

B.V.

Concio.

Iter.

Studia.

Crux. Fiducia.

Oratio.

Mortificat.

Testimonia de S Ignatio.

ctoria. Hinc Sanctum Franciscum Xauerium in Indiam Orientis misit *fortem ad fortia* istic postea patrata decennio: vbi cùm Xauerius insigne quodpiam virtutis eximiæ documentum rogatus, diceret: *vince teipsum*: ac rogaretur cur illud tam crebrò commendaret; respondit: *Quia hoc didici ex optimo parente nostro Ignatio.* Xauerium & alios ad sacras expeditiones mittentis acroama erat: *Itote! omnia incendite ac inflammate!* illo nempe igne amoris cuius æstu plenus, crebro ad superos misso suspirio, defixis in cælum oculis, lachrymans, Romæ ad S. Balbinæ vineam, aliasque dicebat identidem: *Heu quàm sordet terra dum cælum aspicio!* Et aliàs: *Domine, ecquid volo ego, aut quid velle possum extra te.* Hinc toto animo contendebat non solùm id facere quod Deo gratum esset, verùm id quod præ aliis gratum & ad *maiorem* gloriam Dei esset. Vnde perfrequens illi fuit illud in epistolis, vt lumen gratiæ à Deo petamus ad faciendum *aquello que le ha de sermas agradable*, vt ille scribebat; siue, *vt faciamus id quod illi magis gratum futurum est.* E cælo se didicisse aiebat- idque magni faciendum esse ducebat, vt attendamus, *quantâ cum reuerentia sit versandum in oculis Dei.* Quocirca inter familiaria eius ad Deum suspiria erat istud: *Dad me humilidad, y reuerencia amorosa! Da mihi humilitatem, & amoris tui plenam reuerentiam!* Hinc accuratè fieri volebat omnia; eò quòd fierent Dei amore. Vnde Coadiutori nescio quid indiligenter agenti, & rogato quem in finem id referret, ac respondenti, se id *amore Dei* agere, seuero vultu dixit: Tolerabile futurum fuisse si hominum causâ sic ageret; nunc verò commeruisse pœnam, quòd ea, quæ diuinæ gloriæ atque amoris causâ faceret, omnibus diligentiæ numeris non vndequaque absolueret.

Amor Dei.

Intentio.

Præs. Dei.

Humilit.

Amor Dei.

Hoc diuini amoris igne singula quæ agebat perpurgabat, & diligentissimè excoquebat. Vnde Sancti Petrus, & Paulus Apostoli cuidam religioso ac sapienti viro in sommis an aliter incertum, conspecti dixêre; vt P. Ignatio diceret, illum Christo *valdè placere*; probari ea quæ ageret, eumque à Christo electum ad commune bonum Ecclesiæ quibus dictis videri Apostoli desiêre. Cùm Romæ doctrinâ christianâ paruulos erudiret, solebat illi finem imponere hisce verbis: *Amate Deum ex toto corde, ex tota animâ, & ex tota voluntate.* De diuinis rebus libenter & illuminatè, ac solidè loquebatur cum quolibet; scripto quoque postea testatus, se cum nullo mortalium, quantumlibet peccatis inuoluto, de rebus Dei sermonem habuisse, quin plurimum inde lucri retulerit. Ad hoc diuinæ flammæ lumen introspiciebat sese adeò vt in summario processuum de eo affirmetur, *Ignatium ita fuisse compositum, vt nec manum, nec oculum, membrumúe aliud sine causa & ratione moueret*; id quod crebro & longo *particularis*, vt nos illud vocamus, *examinis* vsu est assecutus; cuius artem illùm Beatissima Virgo Manresæ docuit. Vnde libellum illum Societati (vt ait magnus ille asceta Iacobus Aluarez) *testamento reliquit moriens, Ignatius: ad cuius caput ab iis est, qui decumbenti assistebant inuentus.* Huius amoris igne voluit illiquefactam nobis inesse ceream quandam voluntatum facilitatem ad morem gerendum Deo in Superioribus nos regenti. Vnde iussit aliquando è sociis quempiam scribere monita de obedientia, quæ aiebat se Societati velle sui velut monumentum ac pignus relinquere. Inter alia erat: *debere me esse non meum, sed illius à quo creatus sum, & qui sui loco hunc mihi præfecit: adeoq; debere me esse in eius manibus instar ceræ mollis, & veluti paruulam*

SS Petrus & Paulus.

P. Andreæ Ouiedo.

Amor Dei.

Fol. 206.

Exam. part.

Andr. Lucas vitæ l. 5. c. 18.

De Perfectione to. 1. col 815.

Obedientia.

ueulam Christi crucifixi effigiem quæ sesinut tenentis manui atque arbitrio.

Sacrum. Hinc manabat summa illa inter sacrificandum reuerentia, & apparatio. Primum Sacrificium Romæ obtulit ad S. Mariæ Maioris, seu ad Præsepe, die Natiuitatis Christi, anno 1538. (vt ipse anno 1539. 2. Februarij adnotauit) eiusque apparationi plusquàm anni vnius interuallum religiosè impendit. Scribit se diuinitùs didicisse; *debere se pro celebrando diuino Missæ Sacrificio Angeli instar esse.* Christum in diuina hostia non semel aspectabili specie vidit: & supra caput diuina mysteria celebrantis Ignatij, à pluribus globus igneus illi diu imminens conspectus est. Feria quadam sextâ Romæ in Quadragesima cùm gratias Deo redderet post sacrificium celebratum, cælestem Beatorum gloriam, & Regem Sanctorum omnium Deum trinum ac vnum vidit, lumine admirando perfusus quomodo Pater esset in Filio, ac Spiritu sancto; & Filius in Patre ac Spiritu sancto, hic verò vicissim in vtroque. Alias quoque ad sacri cui piè, intererat ingressum ad illa verba: *Et omnibus sanctis*, vidit Sanctorum choros, & socij nuper defuncti animam inter cælites agnouit, alio quoque de sociis alias in patria cælesti conspecto. Francisco Villanouæ scripsit, se à summo Pontifice priuilegium impetrasse quod suis dare possit, Sacro quolibet vnam è purgatorio animam eximendi. In quodam Sacrificio quod de Beatissima Virgine celebrabat, æternus Pater vultu amabili eum dignatus, illi ostendit, *placere sibi si per Beatam Virginem rogaretur.* Aliquando splendorem cælestem vidit templi tabernaculo imminere. Fidei, ac moribus è fidei norma fingendis ancillari voluit Societatis doctrinam, & scholas, vt *in doctrinis* glorificaret Dominum pia ac docta Societas. Vt fidem in Germania, & Septentrione feliciùs propagaret, anno 1553. die 25. Iulij datis ad Societatem litteris, vnum Sacrum per Societatem, etiam inter Indos laborantem, in menses singulos pro Germania & Septentrione indixit. Puritatis incredibilem etiam à longinquo custodiam vndique septam sancto sensuum circumscriptorum officio voluit: adeoque in illa excelluit, beneficio Dei matris, vt plures iurati affirmârint, se à tentationibus nõ semel vnico aspectu Ignatij liberatos. A S. Philippo Nerio cælestis quædam lux eius vultum implens conspecta est; qui etiam sublimem ac sanctam orandi artem in Ignatio admiratus, illum pro magno orandi Magistro habebat; auditus aliquando dicere, illos qui in Societate finirent vitam, morte sanctâ defungi. Vidi S. Francisci Xauerij chirographum Ignatio sic scribentis: *A my in Christo Santo Padre Ignatio. Meo in Christo Sancto Patri Ignatio.* In comperto etiam est Ignatio litteras de genibus scripsisse Xauerium. In obligando Barbarorum apud Indos exercitu aiunt Ignatium, tunc adhuc superstitem, suo Xauerio in India spectabilem adfuisse; vti & P. Leonardo Kesselio Coloniæ. Ferdinandus Vghelius, de Bartholomæo Gardinale Guidiccionio (anno 1549. mortuo) loquens, ait illum alienum fuisse à nouis religiosis ordinibus consilio suo approbandis, tamen *à S. Ignatio*, inquit, *in somnis admonitus ita studium vertit vt Iesu Societatem & iuuerit, & diplomatibus Pontificiis confirmandam curauerit.* Hæc ille ad verbum. Romæ Collegium Germanicum instituit, & domicilium S. Marthæ, S. Catharinæ adfunarios, puellarum SS. Quatuor coronatorum, puerorum orborum, catechumenorum &c. Voto peculiari Societatem Sedi Apostolicæ obligari, & honores ab illa prouiden-

Fer. 6. Post. Sacrum. Purgator. B.V. Fidei. Castitas. Italiæ sacræ tom. 1. col. 890. Charitas. Humil.

ter omni studio arceri voluit, atque constituit.

Modestia. Modestiæ canones condens, eos oratione plurimâ lachrymisque rigauit. Reliquas Societatis leges scribenti adfuit Magister IESVS, & IESV mater in eo cubiculo quod etiamnum religiosè colimus in quo tabellæ auro elegantes visuntur in hæc verba inscriptæ.

Regula, B.V. *Hic S.P. Ignatius Societatis Constitutiones conscribens, vidit Deiparam eas cælitus approbantem.*

Sacrum. *Hic S P. Ignatius rem diuinam faciebat Sanctissimæ Trinitatis personis et sæpenumero apparentibus.*

Sancti. *Hic diuina meditanti S. Ignatio, Sanctorum in cælis chori sese conspiciendos præbent.*

Spirit. Sanct. *Hic S.P. Ignatio oranti, Spiritus Sanctus specie ignis, vt olim Apostolis, apparuit.*

Oratio. *Hic S.P. Ignatius precationibus intentus sæpissimè beatâ quadam luce circumfusus conspectus est.*

Regula. *Hic S. P. Ignatium Constitutiones Societatis scribentem, sæpè diuina persona multis luminibus illustrarunt.*

1556. 31. Iulij. Obiit feriâ sextâ in Domo Professorum Romæ in eodem cubiculo, cum ardente in manu cereo, quem nunc Bruxellis seruari affirmant.

Mortui. Viuus mortuum vnum suscitasse fertur in Processibus: mortuus verò plures.

Vide And. Lucam in eius vita l. 7. c. 10. & Bidermannum. In Mexico Inda fœmina paruulum quem ante aliquot menses, B. Ignatij precibus à Deo impetrârat, & peperat, acerbâ morte amissum, altari B. Ignatij imposuit post multas preces, eoque ibi relicto domum reuersa est: & post plures horas redux, illum viuum reperit; vixitque is postea multos annos.

In Hispania loco Pardos dicto puella 12. annos nata postquam per 4. horas mortua iacuisset, orante ad B. Ignatium matre, vitæ reddita, *Domina Mater*, inquit, *iam benè habeo, Sanctus Ignatius me vitæ restituit, imperauitq; vt Munebregense eius Sacellum inuiserem.*

Munebregæ mortuum Medici filium oleo Ignatianæ lampadis vnxit mater B. Ignatio supplex, & ille vitæ ac sanitati est restitutus.

Alia pia Mater mortui sui infantis cadauerî imaginem B. Ignatij imposuit, assiduis precibus lachrymisque intenta, & pronunciatâ quinquies precatione dominicâ cum salutatione Angelicâ infans ad vitam rediit Gandiæ 1602.

Anno 1609. Neapoli quidam, qui pro paruulo suo (qui mortuus vel erat vel putabatur) Beatum Ignatium impensè orabat, videre sibi visus est *B. Ignatium coram Deo supplicem*, vtà paruulo illo æternæ vitæ iacturam auerteret. Interea paruulus edito vagitu viuere se testatus & expiatus, vno tantùm die superstes, decessit felix.

Anno 1611. Nobilis Matrona mortuum paruulum peperit qui per tres horas iacebat frigidum iam nigrumque cadauer. Orauit enixius Beatum suum Ignatium Mater pro paruulo, & ille mox edidit vitæ signa, & Baptismo ablutus aliquandiu adhuc vixit.

Anno 1616. Granatæ infans per plures horas mortuus iacuerat: & ad vitam tantisper rediit dum posset sacro fonte expiari; id quod à Deo per S.P. Ignatium flagitabatur. Vbi spirantem vidêre paruulum, *miraculum, miraculum, resurrectio, resurrectio!* ab omnibus cum gaudio clamabatur; & paruulus cælesti fonte lotus migrauit è vita.

Charitat. Infirmi. Qui verò ægros incredibili propensione voluntatis complectebatur, & sæpè visebat cùm inter mortales versaretur Ignatius, videtur eius moris memor ac retinens etiam cælo iam receptus. Vnde sæpe illum ægri è cælo

lo venientem vidêre, vel sibi videre sunt visi, quos accommodatè solatus, eorum non paucos etiam pristinæ incolûmitati restituit. Do paucos è multis.

Apparuit, seu videri est visus ægris S. Ignatius.

ANno 1586. Comi piissimæ *cuidam Virgini apparuit*: eamque ad insigne obedientiæ studium excitauit.

Item alij, eumque solatus est, omni terrore absterso, quem è dæmone conspecto conceperat.

Anno 1593. *Nouitio* Sacerdoti cum P. Iacobo Laynez, & aliis aliquot è Societate, coruos & canes ab ægri lectulo visus baculo & signo crucis aspellere, vbi æger conualuit, in cubiculo P. Generalis conspectâ Patris Laynez Imagine illum cum B. Ignatio fuisse agnouit.

Anno 1594. *Patientiæ de Simone*; & dixit *Filia fide Deo, conualuisti*: euigilauit sana, & conspectâ Ignatij imagine, illum sibi per quietem visum agnouit.

P. Maximiliano Cappelli. Anno 1598. Duaci, *Refredæ*, cum eius Confessario vitâ iam functo; & sanitatem flagitanti, blandè annuit. Experrecta, se sanam gauisa est 1599. Maceratæ, *Isabellæ* Maroniæ; eique sanitatem ex vero prædixit. Idem *eidem* dixerant Sanctæ Virgines MM. Catharina, & Vrsula, conteslatæ illi sanitatem à Deo impetratam precibus B. Ignatij Soc. Fundatoris; & conualuit.

B.V. Anno 1600. Auenione cum Christo & Beatissima Virgine ægro Vicario: eumque persanauit, vt latè dixi in *Apparuit.* Annalibus Marianis num. 998.

Charitat. Infirm. Anno 1601. Gandiæ, *Annæ Barcelonæ*; eamque contactu sanitati restituit. Ibidem *Iacobo Ortizio*; eumque surgere iussum, à morbo caduco liberauit.

Anno 1602. Ibidem cum socio cuidam ægræ visus dixit: omitte timorem, filia, haudquaquam enim isto morbo cruciaberis. Abiit Ignatius ex oculis: & illa eodem die à cardiaco, ac aliis morbis libera Ignatij vultum ex imagine agnouit.

Anno 1603. *Præfectæ* cœnobij apud Balearicos: quam etiam reddidit valetudini pristinæ: & illa eius conspectâ effigie, hunc esse dixit à quo visitata fuerit, & sanata.

Anno 1604. Gandiæ à febri & dissenteria sospitem reddidit quendam, cui sopito apparuit eâdem oris specie & habitu quo visitur in templi sacello, luce tantâ circumfusus, vt etiam cubiculum illustraret.

Anno 1605. Carauacæ infirmæ à medicis depositæ adstitit, & suaui voce iussit se curam esse ab eo morbo de vita. Medicus valentem inuenit.

Eodem anno in Peruana S. Iacobi vrbe Sacerdos acerrimo lateris dolore prostratus, medicis obnuntiantibus, B. Ignatij opem implorauit, eum splendidâ facie præsentem vidit, & valuit.

Anno 1606. Landspergæ fœmina partui vicina depositа iam erat iudicio medicorum, sed imploratum B. Ignatium noctu per quietem vidit, audiuitque pollicentem & partum & sanitatem, euentu secuto.

Anno 1607. Pragæ P. V. Prouincialis Transyluaniæ peste correptus, & à vena imperitè incisa vitæ incertus, voto ad B.V. Lauretanam & B. Ignatium concepto & illam & illum eadem nocte ab emisso voto ad lectulum assistentes videre sibi est visus & ad vitæ spem haud dubiam excitari. conualuit.

Anno 1608. Aquipani in Peruana *B.V.* Prouincia nobilis matrona à quarto iam anno tumida morti se parabat: & B. Ignatij reliquias venerata, secundùm

dùm quietem, auguſtiorem humanâ ſpecie fœminam (Dei Matrem) conſpicata eſt in hæc verba loquentem. En adeſt filius meus, qui recuperandæ tuæ ſanitati valida præbebit remedia. Tum de Societate præſentem quempiam vidit, qui ſuam ei operam pollicitus, monſtrumque quoddam oſtendens, dicebat fore vt illud euomeret. Experrecta ægra dixit, ſe bufonem vomitu eiecturam. id quod euenit. Cùm verò eadem ſpecies illi ter apparuiſſet, ſerpentem eiecit vomitu alio, & breui conualuit.

Anno 1610. Viennæ Auſtriæ ægro ciui hæretico apparuit B. Ignatius, eiuſque contumaciam & ſo cordiam accuſauit; hæreſeos fallacias oſtendit; mortem ni reſipiſceret, minatus eſt; & ille reſipuit.

Anno 1611. Viennæ in Gallia nobili fœminæ in morbo extremo cum quinque aliis ſociis manifeſta in luce conſpectus aſt B. P. Ignatius pro ægra orans coram Iudice Deo.

Eodem anno Mexici piam puellam graui morbo correptam, & B. Virginis ac B. Ignatij auxilium implorantem B. Ignatius cum B. V. inuiſit, ad virtutem hortatus eſt, & ſanauit.

Anno 1612. Tarraconæ puella à morbo graui conualuit, B. Ignatio per quietem viſo: & imagine illius in templo conſpectâ, illum à ſe viſum ſoſpitatorem dixit.

Eodem anno Limæ è Sodalitate Sacerdotum quidam in lethali morbo B. Ignatium (cuius opem implorârat) multo fulgore ſplendentem vidit; & ab illo valetudinis Dei munere ſibi redditæ nuncium accepit, ac valuit.

Eodem anno Flexiæ B. Ignatius à Religioſo è S. Dominici familia in ancipite vitæ periculo imploratus, per quietem auguſto verendus aſpectu ſe videndum præbuit, nunciauitque valetudine mproſperam ei breui redituram. Æger verò ſomno ſimul & morbo ſolutus eſt.

Anno 1613. Cadurci adoleſcentem ægrum viſens B. Ignatius propè acceſſit, & ex eo morbo non moriturum dixit. Conualuit contra omnem ſpem medicorum.

Anno 1622. deceſſit P. Guilielmus Leueſquius Neapoli, cuius ſuaſu fœmina de partu ſolicita votum Deo nuncupauit in honorem B. Ignatij, felici euentu; nam illi partui iam vicinæ apparuit cum libro Ignatius, & dixit: confide, filia, Societas à Ieſu electa, & præelecta orat pro te. Feliciter peperit; contra quàm opinabantur medici, cùm à 22. annis nullam prolem ſuſceperit. Paruulo *Ignatij* nomen datum.

Anno 1650 Ægræ & vigili fœminæ apparuit S. Ignatius Sandomiriæ, iuſſitque in templo Ignatianum ſacellum ab ea viſitari; & illa ſe viribus reſtitutam ſenſit, ac paruit.

Apparuit, ſeu videri viſus eſt & aliis eoſq; ad virtutem variè incitauit, vel aliàs profuit in vita, vel in agone extremo.

CVidam *cor* ſuum oſtendit, & in eo SS. Ieſu nomen aureo charactere inſcriptum exhibuit. *Cori*

Barcinona charo ſuo amico Ioanni Paſquali in templo noctu oranti inter Angelos canentes conſpectus eſt ſacro paludamento inſignis, ac thus adolens è thuribulo coram SS. Sacramento, & Ioanni accito benè precatus, illum ſuauiſſimâ æternæ ſalutis adipiſcendæ fiduciâ recreauit. In Vaſconia quendam qui de Societate ac ipſo Ignatio ſiniſtrè loquebatur, per quietem in Angelorum corona inuiſit, blandoque vultu eum intuitus, conuertit. *Ieſus.* *Oratio.* *Amici Euch.* *Inimici.*

Corcagiæ

Corcagiæ in Hibernia Prætori per quietem visus S. Ignatius, gratias egit prolixè pro Societate strenuè defensa, vt dixi in annuis Hiberniæ anno 1650. id quod habeo ab eo cui rem Prætor ipse narrauit.

P. Ioannes Iongh.

Condomij in Aquitania homini in Societatem dicaci, noctu B. Ignatius in multa luce inter Angelorum choros apparuit, eumque per quartam ferè horæ partem blando vultu intuitus solatij plenum reliquit. Et ille postea pietate, ac opibus auctus, Ignatio addictissimus fuit semper.

Alij conspectus est in sacro paludamento pleno IESV nominibus auro & acu phrygiâ pictis, manu tenens hostiam in qua relucebat viuus infans IESVS veluti velo tectus.

Iesus.

Eucharist.

Anno 1556. ipso die quo Romæ obiit, Bononiæ, Margaritæ Liliæ apparuit velut gloriæ sole amictus; & dixit: Margarita, ecce ita vt vides ego vado, *commendo tibi filios Societatis nostræ.*

Anno 1566. in Collegio Romano apparuit noctu Iacobo Tirio scholastico nostro, eumque seuerè monuit, ne pro studiis auderet quicquam decerpere ex officiis pietatis, aut de temporibus pietati ab obedientia assignatis. Eodem tempore Iacobus à scrupulis conquieuit quibus antea torquebatur.

Studia.

Anno 1569. dum B. Ignatij corpus transferretur, vt Farnesianæ Basilicæ fundamenta iacerentur, collucentes in Ignatij loculo stellæ cõspectæ sunt, concentu quoque cælesti per biduum diu noctuque audito; vt fama est constans.

Cor.

Iesus.

Oratio.

Stella in loculo.

Amici Euch.

Inimici.

Anno 1574. Panormi Saga à dæmonis castris ad frugem conuersa, fassa est se cum aliis impudicis sagis à dæmone in Collegium Societatis IESV noctu vectam per aëra; vt Patres ac magistros ad aliquid turpe alliceret; sed prohibitos aiebat vectores dæmones, & sagas vectas; Ignatio illis obuio, & radiis cælestibus glorioso, eorum vim retundente ne pergerent.

Castitas.

Anno 1579. visus est (per quietem an aliter, non habeo exploratũ) Ignatius plurimo splendore conspicuus cum aliis Generalibus Laynio & B. Borgia velut consultare de Societatis incolumitate.

Anno 1580. conspectus est B. Ignatius cum aliis quatuor cælitibus inter Angelos de cælo descendere ad migrantis Patris cuiusdam animam in cælum abducendam.

Anno 1581. Apparuit B. Ignatius cũ S. Bernardo ad latus Beatissimæ Virginis Claudium Aquauiuam Deo cõmendantis. Eodem anno Syluester Blancodius (postea Episcopus) videre sibi visus est B. Ignatium, qui Claudium amplexu stringebat dicebatque Generalem fore; sed vulgari vetabat.

S. Bern.

Anno 1583. B. Ignatius P. Iulio Mancinello videri visus est in gloria cum pluribus de Societate IESV; eumque ad Constantinopolitanam (in qua tunc versabatur) missionem mirificè inflammauit.

Anno 1587. Nouemb. 18. cùm ossa B. Ignatij aliò transferenda essent, duo Patres lucida sidera in Ignatij loculo conspexêre, vt fama est.

18. Nou.

Anno 1590. Quidam de Societate Vratislauiæ moriens, iucundo viso Patris nostri Ignatij est mirificè recreatus.

Anno 1590. B. Ignatius cum Christo in magno cælitum comitatu in Hispania Sanctimoniali cuidam oranti, & de perfectione consequenda multùm solicitæ apparuit, & eidem à Christo datus est in vitæ spiritualis magistrum ac ducem. Et verò sub hoc magistro illa cùm in aliis virtutibus excelluit, tum verò in obedientia & humilitate quàm maximè.

Obed. Humil.

Anno 1593. P. Iulius Manunellus Romæ de Societatis rebus solicitus, videre sibi visus est B.P.Ignatiũ & socios laboranti Societati succurrentes.

Eodem anno B. Ignatius cum B. Xauerio alij de Societate infirmo se spectandum obtulit, eumque bono animo esse iussum, dixit breui ad socios in cælum abiturum. *Charitas.* *Obedientia.*

18.Decemb. Anno 1594. B. Magdalena de Pazzis Florentiæ Sanctimonialis, 18. Decembris vidit B. Ignatium qui ad illam fuerat missus à B. Virgine: & eiusdem exhortationem de humilitate audiuit, de qua dixi in Annalibus marianis. Postea inambulans per cœnobium cum Deipara B. Ignatius ei dixit: *Hoc cœnobium, ô Maria, est hortus tuus longè pulcherrimus.*

B.V. *Hortus.*

Eodem anno P. Iulius Mancinellus cum sociis in tempestate Algerienſi cùm se B.Ignatij ac Sociorum cælitum precibus commendaret, visus est videre cælo aperto B. Ignatium & cum eo de Societate complures, qui læto aspectu ei prospera omnia nunciabant.

P. Staniſlao Oborski. Anno 1597. B. P. Ignatius cum B. Aloysio & Staniſlao apparuit cuidam de Societate morti iam vicino, & dixit: *Gaude, breui venies ad Societatem nostram.* Et ille breui migrauit.

Vallisoleti Christus in gloria maiestatis suæ conspectus, chartæ candidæ hæc verba inscripsit. *Iesus Christus Deus & homo verus* chartaque illâ piæ cuidam animæ porrectâ eam iussit petere quidquid vellet. Petiuit illa gratiam vt semper id faceret *quod placet Deo,* & vt Ecclesia B Ignatio cælitum honores decerneret: Annuit Christus; & id amplissimis verbis illi folio inscripsit, pollicitus id omne quod illa petierat chirographum verò Angelo illius custodi dedit.

17.Iunij. *Amor Dei, B V. Zelus.* Anno 1598. Iunij 17. apparuit cum Beatissima Virgine B. Ignatius facie rutilante, veste lapidibus pretiosis perinsigni, qui Christo intra tabernaculum in sede aurea sedenti, ac pulcherrimo quinque vulnerum splendore collucenti, Societatem flexis genibus offerebat, petens à Christo pro Societate flagrantissimum amorem Dei, ac studium animarum; illis verò qui in ea præsunt charitatem. Ad quæ benignè amabilis Christus, dixit se Societatem in corde gerere: velle se in ea vigere cæcam obedientiam, & eos, qui se disciplinæ non satis accommodant ab ea expediri.

7 Nouemb. Anno 1599. Nouembris 7. P. Iulius Mancinellus videre sibi visus est corpus B. Ignatij velut in ara sublimi collocatum; ad quod appensa lampas, ignis loco fundebat flumen aquæ lucidæ in altum salientis, & postea per templum pleno alueo aut canali effusæ.

Segui Christum. Anno 1600. in Prouincia Tolosana, quidam noctu visus est sibi videre B. P. Ignatium; qui hortabatur vt Christum intrepidè sequeretur: & manum ad eum tendens eam illi velut auxiliatricem porrigebat. Et paruit.

26 Febr. Anno 1601. Florentiæ B. P. Ignatius & Xauerius Donato patrifamilias ardentem suam domum illi commendanti 26. Februarij adstitêre formâ conspicuâ. & Ignatius dixit illum adiutum iri. Cessauit ventus, & flamma. Eodem anno Baëzæ Coadiutori, seu laico, de Societate deserenda cogitanti, posteaquàm ægrè adductus fuisset vt B. Ignatij auxilio implorando semel orationem Dominicam, & semel salutationem Angelicam coram eius imagine recitaret, in horto Ignatius apparuit variè fluctuanti. Cùm verò ille Ignatium in cælesti luce sibi vicinum videret, ac stupens diceret: ô Sancte Pater! pro tam breui oratione quam tibi recitaui tanto me fauore dignaris? Respondit Ignatius: Fili mi, ego modico sum contentus. & amanter illum intuitus, eius animum tranquil-

Tentatio. Vocatio. *Medicum.*

quillauit; ac videri desiit.

Aiunt annuæ, Philippinæ; anno 1637. Indum quemdam, per biduum in Ogtoniano freto naufragum, immissis in os reliquiis S. P. Ignatij, eius auxilium implorantem, eiusdem aspectu ac præsentiâ recreatum, & periculo ereptum. Aiebat postea ritè interrogatus Indus, adfuisse tunc sibi spectabilem S.P.Ignatium, qui apprehenso quod Indus è collo gestabat Dei Matris Rosario, eum repentè saluum atque incolumem ad terram deduxerit.

Naufragus. Seruatus.

Hac occasione plurima afferri possent de tentationibus quà obscœnis; quà aliis, Ignatij ope discussis, & de dæmonibus profligatis, excerpo pauca de multis.

Dæmones profligati.

In Æthiopia Gorgoræ dæmon fœminam variè vexabat, nunc illam obsidens, nũc eius gutturi se volens illigare in specie serpentum, sed imploratus ab illa Ignatius, adesse illi est visus, ac dicere: *Nil metue.* dixit; & dæmonem flagro flammeo, quod manu vibrabat, in fugam egit.

Ignem flagrum.

Anno 1558. in Regno Neapolitano varij à tentationibus variis liberati sunt per particulas vestium Ignatij piis precibus implorati.

Tentationes.

Anno 1571. Sanctimonialis quæpiam insertâ Breuiario suo B. Ignatij imagine, fusis ad illum precibus, à tentationibus vexari desiit, quibus assiduè ante torquebatur.

Ira.

Franciſca Bernui Sanctimonialis Burgensis cùm aliquos irâ præcipites videret, illos Ignatij precibus commendabat, & illi pacem inibant, positâ simultate.

Anno 1578. Maria de Alana coram P. Ignatij imagine orans, molestam tentationem abegit: audiuitque cælitus *Ignatij* nomen esse illi quem illa errore fœmineo *Athanasiũ* appellaret.

Vocatio.

Anno 1594. Panormi nouitius cùm retrò ad seculum animo perturbato respectaret, iussu P. Rectoris B Ignatij imaginem piè osculatus, dixit se illicò toto animo tranquillatum. Eadem industriâ plures alij liberati à dæmonis turbamentis.

Imago.

P. Petrus Antonius Spinellus scribit anno 1595. Archiepiscopum quendam claræ in Italia familiæ, cùm fœdis cogitationibus, nec sine prolapsionis periculo, vrgeretur, positis humi genibus, nomen Ignatij imploraſſe, ac molestas illas mentis imagines abegisse. At cùm illæ iterùm post anni interuallum redirent, lectulo suo B. Ignatij imaginem appendisse, atque ita turpes illas mentis illecebras penitus euanuisse.

Castitas.

Anno 1595. Honorata, Gelassij Senensis filia, cùm à molestis, & adspectabilibus inferni geniis diu ad scelera inuitaretur, & nec minis, nec plagis ad ea induci posset, ad obeunda Beati Ignatij exercitia adiecit animũ: quæ dum exequeretur, coram B. Ignatij imagine se in fidem illi vnicè commendans, ex eo tempore se ab immundis illis vexatoribus immunem factam esse gauisa est. Alia, vt primùm imaginem B. Ignatij suo pectori imposuit, iuuari ab eo perens ab obscœnis, quibus inuita vexabatur cogitationum spectris, conquieuit.

Castitas.

Anno 1600. Melitæ adolescens ad sordes carnis mollior, post alia complura nequicquam tentata remedia, imaginem B. Ignatij, lectulo appendit, & eius honori ter dominicam precationem, ter item salutationem angelicam victoriæ obtinendæ causâ recitauit; & impetrauit. Etenim liber ab omni sensu libidinis, postea fassus est, se per integros quatuor menses ne minimâ quidem oppugnatione tentatũ.

Imago. Lectus.

Messanæ 1601. quidam à variis dæmonis impugnationibus & spectris liberatus est per imaginem B. Ignatij,

& peccata expiata pœnitentiæ Sacramento.

Ferrariæ adolescens nescio quâ petulantis genij intemperie procax matrem verberare ac domo pellere meditabatur. Mater ad B. Ignatium supplex, remedium reperit. Etenim postridie prodigus ille filius ex alio iam alius ad pedes piæ matris abiectus, & lachrymans impiæ libertatis veniam ab ea flagitauit.

Eodem anno 1601. Calari in Sardinia puella pudicissima voto promisit se singulis hebdomadis semel ieiunaturam ac 35. Pater & Aue recitaturam honori B. Ignatij tot annis à conuersione superstitis. Et ab eo tempore quieta vixit in casta hilaritate, animi
Castitas. antehac à dæmone immundo perbiennium afflicti; cùm ei variâ canis, porci, adolescentis, virorumque obscœna loquentium formâ se ostendens, illam ad sordes illecebris variis allicere tentaret, ingentem puellarum post longa id genus prælia tandem lapsarum turbam ostenderet, ac vim etiam minaretur. Sed victus abscessit.

Anno 1602. Gandiæ fœmina turpissimis amoribus illigata, cùm imaginem B. Ignatij suo lectulo affixisset, eumque flagranter vt miseræ opitularetur rogasset, repentè sensit amoris intemperiem, quâ perditum quendam deperibat, versam in sanctum odium, adeò vt illum ne quidem oculis dignaretur.

And. Lucas lib. 7. c. 15. Incertum quo anno, quidam B. Ignatij nomen implorans aquam sacris eius lipsanis contactam & expiatam bibit; & per omnam vitam ab omni carnis rebellione se liberum esse lætatus est, ac testatus.

Item alius aquâ simili extinxit fœdum incendium quo ardebat, & iam erat vicinus vt rueret.

Tentabatur alius, & iam consenserat, vt se de medio tolleret anno 1605.
Desperatio. Pragæ. sed resipuit; dixitque postea, visum sibi Iesuitam (cuius imaginem in templo vidisset) alterâ manu IESV nomen tenentem, alterâ ipsum contra sicam globosque defendentem, ne sibi sicâ, ferreâque fistulâ, præcipitioue mortem (id quod non semel tentârat) afferret.

Anno 1652. Parmæ adolescenti nobili de tentatione quapiam victori adfuit S. Ignatius cum Beatissima Virgine & S. Ioseph, eumque tanquam suum, amplexus est. Eidem postea apparuit, monuitque ne se decipi sineret à dæmone religiosam nescio cuius ordinis vestem mentito; Adiecit Sanctus, se ad illum à Beatissima Dei matre missum esse, suasitque vt pectoris arcana omnia confessario aperiret.
Tentatio. *B. V. S. Ioseph.* *B. V. Confessio.*

S. Ignatium sæpius aliàs cum Beatissima Virgine conspectum narraui, & hîc, & in meis Annalibus Marianis. Triburgi 1610. B. Ignatius cum Beatissima Dei Matre ac alio de Societate cuidam ægro apparuit, visus illi religiosam suam vestem porrigere: & ille conualuit, ac postea Societatem amplexus est.

Anno 1650. Messanæ Matronæ nobili per quietem oblata est luculenta
Imago B. V. in manu S. P. Ignatij. species S. Ignatij cælesti splendore perfusi, & pulcherrimam augustissimæ Dei Matris effigiem manu gestantis, ac se opem illi Deiparæ patrocinio allaturum pollicentis, vt latiùs dixi in n. 19. annuis Siciliæ.

Ad conscientiam accuratè perpurgandam, ad orationem, & ad varia virtutum decora magno suis adiumento fuit Ignatius.

Hispali fœmina cùm se à detestanda quam per septem annos cum dæmone habuerat familiaritate vellet auellere confessarij consilio coram B. Ignatij imagine orabat ardentius, & rogabat vt iuuaretur ad peccata per pœnitentiæ Sacramentum accuratè ac dolenter
Castitas. *Confessio.*

dolenter explicanda & expianda. Et verò adiuta est. Etenim perfecit fortiter id quod moliebatur, quicquid molliora suaderet dæmon, nunc eremitæ instar se Româ indulgentias amplissimas illi afferre mentitus; nunc in vetulæ specie dicens ab eius confessario se venire, ac eius nomine nunciare, Deum ita constituisse vt illa damnaretur. quare ageret pro libidine quicquid vellet. Alias imaginem B. Ignatij ei de manibus rapuit, & in ignem abiecit; quæ tamen illæsa in fœminæ sinum & manus vltrò resiliit. Expiatæ iam, & Eucharistia refectæ adfuit instar adolescentis consuetâ olim formâ, sed iratus ac tristis, dixitque confessarium, & illam imaginem plus potuisse, quàm ipse potuerit. Et fragore edito videri demum desiit. illa verò quieta vixit.

Dæmon.

Tentatio.

B. V. S. Ioseph.

B. V. Confessio.

Aliàs quoque dæmon religiosâ veste personatus illustrissimæ Marchioni Riani (quæ cum Ioanna vrsina se B. Ignatij commentationibus exercebat) apparuit, suasitque vt illas tricas relinqueret. Sed cum illa diceret exercitiorum illorum authorem esse Ignatium sanctimoniæ passim celebratæ virum, dæmon ad illud nomen vnà cum Socio euanuit. Ita ipsa hæc narrauit P. Laurentio Magio confessario suo, & Siluestro Brancodio postea montis Marani Episcopo; adiecitque dæmonem illum sibi spectatum in specie sui cuiusdam confessarij, quem olim habuerat.

Exercitia.

Imago B. V. in manu S. P. Ignatij.

n. 19.

Anno 1611. Tolosæ duæ de cælo Virgines (S. Vrsulæ socias fuisse est opinio) sublatam à dæmone Beati Ignatij imaginem ad fœminam Coadiutoris cuiusdam nostri matrem, à dæmone vexatam, retulêre. Ecce tibi, aiebant, sublatam iconem; sed *caue in posterum, ne quando otio torpentem te aut non occupatam hominum hostis inueniat.*

Castitas.

Imago.

Confessio.

Otium.

Gandiæ cuidam non ritè confesso apparuit B. Ignatius; & quinque peccata mortalia illi reuocauit in mentem, quæ in confessione seu volens, seu negligens, certè reus, omiserat.

Confessio.

Anno 1650. Monachij cum S. Xauerio cuidam licenter viuente apparuit S. P. Ignatius, eumque iussit conscientiam pœnitentiâ expiare.

In magno quodam Italiæ Collegio, si quispiam Sociorum exitiali rerum spiritualium nauseâ langueret, admotis cordi reliquiis S. P. Ignatij, incendebatur ardore quodam ad cælestium rerum famem ac sitim.

Amor Dei.

Baëzæ in Bætica 1603. fœminæ piæ quidem, sed quæ nonnihil relanguerat, B. Ignatius in somnis conspiciendum se præbuit, ac tepidæ illius vitæ illam suauissimis verbis admonuit, quibus illa & somnum & torporem serio animo experrecta excussit.

Torpor.

Eodem anno quidam dixit se Deo nouem dierum ieiunium in honorem B. Ignatij obtulisse ac ope illius Sancti pudorem exitialem quo ab expiandâ ritè conscientiâ per annos quatuor fuerat præpeditus, feliciter superasse.

Ieiunium.

Confessio.

Anno 1604. Oropesæ fœmina B. Ignatio magnopere addicta, in morbo extremo dixit conspectum à se virum de Societate, monentem vt accersito è Collegio Patri conscientiam aperiret; ac de æterna sua salute præclaram fiduciam corde læto conciperet.

Eodem anno apud Almagrenses nobilis quidam vir ludendi ac peierandi consuetudine deprauatus, vidit per somnium, se ad Dei tribunal rapi, ac ibi vehementer premi obiectorũ criminum grauitate; sed ex illis angustiis ereptum auxilio & intercessione cuiuspiam de Societate qui imagini B. Ignatii erat simillimus. somno solutus, vitam omnem confessione accuratâ expiauit: vno ferè post mense in morbum incidit, ac ipso B. Ignatii die

Iudicium.

nomen illius implorans piè de vita migrauit.

Confessio. Anno 1606. Genuæ Sodalis cùm se ad confessionem parans discuteret, neque vllâ diligentiâ adhibitâ illi peccata venirent in mentem enixè B. Ignatii auxilium expetiit, vt laboranti adesset, nec mora, eodem temporis puncto ita sese vniuersæ vitæ crimina ei ob mentis oculos velut in catalogo obiecêre, vt non secus atque in tabella ea sibi legere videretur.

Scrupuli. Anno 1608. Granatæ nobili fœminæ infirmæ manifesta B. Ignatii species obiecta est, qui eam solatus dixit, sine confessione non morituram; imò brevi ita animo tranquillandam, vt omnes qui animum angerent scrupulos distinctè posset explicare. Id quod illa cùm euentu firmatum videret, pro festo B. Ignatii celebrando insignem templi ornatum suis expensis curauit.

Crucifixus. Anno 1609. Malacæ ægro cuidam B. Ignatius sub imagine crucifixi ad lectum appensi apparuit, eo situ ac gestu, quasi paratus confitentem audire, ac eum velut inuitans. Quo spectaculo vir ille aliàs à peccatis expiandis alienus, quendam de Societate acciuit, & id quod viderat (ac postea peccata) non sine lachrymis enarrauit.

Confessio.

Oratio *In orationis studio iuuit Ignatius* anno 1607. Monialem sibi addictam in Caccabensi Siciliæ cœnobio: quæ cùm inter orandum corde arido gemeret, ac opem Ignatij expeteret, illi coram spectabilis adfuit, prædixitque fore vt eò de Societate Patres quidam brevi venirent: ab illis intellecturam quid esset agendum, id quod euenit. Eidem à tibiæ vulnere ægræ B. Ignatius adfuit, eamque recreauit, & persanauit.

Congregatio. Etiam Limæ 1608. Sacerdoti ægro per quietem adfuit B. Ignatius, eique peruasit vt se Congregationi Sacerdotum addiceret, paruit ille consilio; & breui conualuit.

Anno 1645. mensæ Iulio P. Alphonso Medrano ægro S. P. Ignatius cum Christo ac pluribus de Societate comitibus videri est visus. & Alphonsus de quorundam salute certior redditus, liber à morbo relictus est, Angelis ac Sanctis inter abeundum canentibus: *In memoria æterna erit iustus ab auditione mala non timebit.*

Sed hæc atque his plura de Ignatio admiranda, erit fortasse qui inseriem annorum digeret ac dabit luci. Vrbes, & sodalitia quæ illum Patronum elegêre ac Templa ad maiorem Dei gloriam in honorem S. Ignatij erecta ibidem dari poterunt. Nunc mihi, Sacellis omissis, hæc ferè templa eius nomine insignita occurrunt.

Templa S. P. Ignatij.

Abulense in Hispania.
Anduxarense in Hispania.
Angrense in Lusitania.
Antuerpiense in Belgio.
Augense in Gallia.
Aurelianense in Gallia.
Baëzanum in Hispania.
Bononiense in Italia.
Breznicense in Bohemia.
Cantauense in Chinis.
Cæsaraugustanum in Hispania.
Caluomontanum in Gallia.
Carmonense in Hispania.
Carolopolitanum in Gallia.
Castrinoui in Italia.
Collelæ in Æthiopia.
Firmanum in Italia.
Fridecense in Bohemia.
In Freyenstein in Styria.
Girznense in Bohemia.
In pago ad Heiligenstadium in Germ.
Hispalense in Hispania.
Iaurinense in Hungaria.
Illerdense in Hispania.
Landishutanum in Germania.
Madritanum in Hispania.
Manresanum in Hispania.
Mexicanum in India Occidentali.

Monaste-

Monasterienſe Eiſliæ in Germania.
Montis ad Triburgum in Heluetia.
In Monte ad Herbipolim in Germania.
Montis Sancti in Italia.
Namurcenſe in Belgio.
Neapolitanum in Italia.
Oſſunenſe in Hiſpania.
Piſtorienſe in Italia.
Premiſlienſe in Polonia.
Puntanum in Valle Tellina.
Racholenſe in Salſetis in India Orientali.
Rhedonenſe in Gallia.
Ad Rhegium in Calabria: à *Fiumara, di maro*, vulgo.
Rhemenſe in Gallia.
Romanum in Collegio Romano.
Toloſanum in Gallia.
Vallis auguſtæ prope Taurinum in Italia.
Valliſoletanum in Hiſpania.
Vergarenſe in Hiſpania.
Viennenſe in Germania.
Vilnenſe in Lithuania.
Vlyſſiponenſe in Luſitania.

P. FERDINANDVS CAPECIVS.

Italus Claudiopoli 31. Iulij 1586. ætat 40.

HIc vir fuit ſecundùm cor Claudij Aquauiuæ Generalis. Magno animarum ſtudio flagrabat, eoque Angliam expetebat. Eius loco Tranſyluania illi conceſſa. Ibi Principi apprimè gratus atque Catholicis, cùm lue poſtea graſſante, cuidam è ſociis illa correpto ſeruiret, infectus tantâ cum eximiæ ſupra ordinariam virtutis famâ occubuit, vt nobilium Tranſyluanorum plures teſtarentur, ſe vidiſſe illius animam inter Angelorum choros ad cælum aſcendentem. Vnde frequenter auditi ſunt dicere ipſi quoque hæretici: Vtinam anima mea eſſet cũ anima P. Ferdinandi, plura de illo in Heroibus Alegambe. Certè Stephanus Batorius Poloniæ Rex immortali memoriâ dignus, dicitur Ferdinandi morti ſæpiùs illachrymatus, quem inſtitutorẽ Sigiſmundo Batorio Tranſyluaniæ Principi deſtinabat.

Charitas.

Mors.

P. IOANNES CARRVCHIVS.

Sardus Calari. 31. Iulij 1618 ætat. 83. Soc. 63.

TYrones Calari magnâ peritiâ, & exemplo non delicato, viua norma omnium, per annos plures (poſtea etiam Prouinciam) feliciter gubernauit. Labori, ſuique diuexandi contentioni erat impensè addictus; quatuor horis quotidie pro ſancto orandi otio præſtitutis. Opinio ſanctimoniæ apud omnes de illo magna: vnde neque veſtibus neque cadaueri pepercit pietas importuna affluentium ad exequias. Illud præ aliis eſt, quòd in orando inſigni aſſiduitate, attentione, gratiâ excelluerit vnde alicui viſa eſt aliquando tota eius ab oratione redeuntis facies inſtar ſolis micantes radios vibrare, & ſplendidiſſimum iubar emittere, vt de illo Calari perſcriptum eſt.

Oratio.

Oratio.

P. PETRVS IVSTINELLVS.

Italus Caſtellione 31. Iulij 1630.

PVeritiâ laudatè traductâ, in ſodalitate ad Patris Præſidis euocati pedes abiectus, Beatiſſimæ Virgini coram illo factus eſt ſupplex, quò per ipſam acceſſum haberet ad Societatem filij IESV; Patrem quoque obteſtatus vt ſuſceptum conſilium adiuuaret. Et peruicit obices non paucos: atque tandem admiſſus, perſeuerè ſe habuit. In vigilia Chriſti nati cùm ſe pro animabus purgatorij flagellaret viſa ei eſt flamma lucidiſſima è terra in cælum

B.V.

14 Decem. *Mortif. Purgator.*

Vig. Nat. Christi. lum ferri quâille apprimè est inflammatus. Puer, se in Carmelitarum, & in Rosarij sodalitatem dederat, adeoque postea adolescens ipse adolescentum cœtum collegerat, quos ad amorẽ cultũq; De iparæ erudiebat quotidiano *Mariani* officij penso, Sabbatino *B.V.* ieiunio, Dominici diei synaxi, sui denique dedicatione. Ipse quotidie coram B.V. ara 12. *Aue Maria* recitans 12. illius prærogatiuas expendebat: 12. sociis pedes sabbato exosculabatur; iisdem priuilegiis honorandis, litanias illius quotidie executus, ac de illa peritè ardenterque loquens & scribens. Incolumitatem quibusdam illum vel prædixisse, vel reddidisse memorat, in *Mort.* heroibus Alegambe; virtutes quoque illius prosecutus. Nec vano sermone iactatum est visam Petri sepulchro aliquando lucem quandam instar flammulæ imminere.

NICOLAVS KEYAN

FVCVNANGA. SCHOL.

Iapon. Nãgasachi. 31. Iulij 1633. ætat. 63. Soc. 45. IN Seminario per triennium latinâ literaturâ imbutus, illam plenâ cælestis zeli facundiâ nobilitauit. Eapropter à suis ciuibus in scrobem, deorsum verso, & asserculis duobus incluso capite, manibus reuinctis, è pedibus pendens demissus est primus. At *B.V.* Beatissima Dei Mater, cuius dulcissimo nomini apprimè erat deuotus, illum istic non semel inuisit; ad sedendum & quiescendum, è suspendiario illo supplicio tantisper deposuit; potu frigidæ indulgenter recreauit; cuius etiam cyathus cum aquâ, ipso à vinculis absoluto inuento, repertus. Interrogatus ecquid ægrè sentiret? Respondit; quòd Imperatorem, & omnem longè, lateque Iaponiam non posset (ita vt vehementer optabat, & laborabat) ad Christi sui cultum ad- *Zelus. Fides.* ducere: hoc enimuerò impensè sibi esse vniceque molestum, & luculen- *B.V. Potus.* tissimâ diuinæ Matris potum seruo suo præbentis beneficẽtiâ enarratâ, quarto posteaquam suspensus fuerat die, in scrobe decessit, eâ ipsâ luce quâ S.P. Ignatij dies augustè percolitur.

P. IOANNES

RORWOLFF.

Germanus Ilbenstadij in Castris Cæsareis. 31. Iulij 1646. A Concionibus, à sancta quadam pro animabus sedulitate morumque perpetuâ suauitate laudabatur; & iam ad Commotouiense Collegium regendum destinabatur, cùm illum euocauit è statione Imperator cælestis, de illo hunc in modum scripsi in pretiosis occupationibus morientium in Societate cap. 18. In Cæsareis castris P. Ioannes Rorvvolff ob morum suauitatem passim Angelus vocabatur. Atque hic Angelus ipso S.P.N. Ignatij natali die ad cæleste Angelorum Collegium accersitus, æternæ pacis patriam est ingressus. Duodeuigesimo ante obitum die, cum iam æger decumberet, duos, eosque olim, cum *Mort.* inter viuos agerent, sibi familiares Patres vidit, agnouit, & ecquid vitâ iam pridem functi aduenissent percontactus, responsum audiit, diserte dicentium; adesse se vt amicum suum ad cæ- *Inuitamur ad cælum.* lestem Societatem inuitarent. Et verò adeò valuit inuitatio, vt cælestium plenus deliciarum Ioannes, totus per reliquos vitæ dies hiaret in cælum; neque alium nisi de felici excessu sermonem admitteret. Ita nos præcessit eò quò fuit inuitatus.

MENSIS AVGVSTVS.

PRIMO DIE.

P. PETRVS FABER.

1. August. Allobrox Romæ 1546 ætat. 40.

HIc pueritiam ruri cum ageret in pastoritiâ, studiis demum Parisiis & S.P. Ignatio se transcripsit. Exercitiorum tempore plures horas duxit sub dio in alta niue; noctu somnum cœpit super nigros carbones, in continua sex dierum inedia perstitit sine cibo & potu, donec tandem id vetuit Ignatius. Quâ ille tam heroicâ sui victoriâ sensit sibi diuinitus absterſam omnem gulæ appetitionem & scrupulos, quibus circa illam appetebatur. A puero vouerat castitatem, & bis quot hebdomadis ieiunabat. Magna in Germania, Italia, Lusitania, Hispania patrauit; præclarâ in diuinis perspicientiâ, sedulitate, ac teneritate semper Deo præsenti præsens. Si quis peregrè incolumis redibat, rogabat Beatissimam Virginem, vt SSS. Trinitati gratias ageret pro illo, & oraret pro illis qui benè illi vel malè fecissent per iter. Hunc Beatissima Virgo ad Ioannem Nunnium duxit, & vt ille huius consiliis obsequeretur, suasit. Conimbricam sociis inter alia scribēs; *Quæramus*, inquit, *per mutuam contemplationem nos ipsos in sacratissima Virgine.* Gandia coram imagine B.V. orantem allocuta dicitur imago; eumque intuita, oculos in pictura reliquit apertos & eleuatos, quos antea habebat depressos. Rogabat Beatissimam Virginem, vt per illam obtineret à SSS Trinitate, quò esset bonus filius Patris, bonus seruus Filij, bonus Spiritus sancti discipulus. Per eandem Patri suas vires, opera, memoriam; Filio, verba & intelligentiam; Spiritui sancto cognitiones ac voluntatem dedicabat. A Beatissima Virgine petebat ornatum quo se illa Christo venturo ornabat; sedulitatem, commiseratione, quâ illa seruiebat viuo, compatiebatur morienti; desiderium, quo prosequebatur ascendentem. Per B. Virginis famulatum se disponebat ad famulatum Dei, vt in aulis, Regi seruituri, alicui è familiaribus Regis seruiunt primùm. In Sanctorum festis, Beatissimæ Virgini agebat gratias pro iis beneficiis, quibus eos vnquam adiuuit. Rogabat illam vt illa SSS. Trinitatem ipsius nomine adoraret: SSS. Trinitatem verò orabat vt Beatissimæ Virgini benediceret. Spiræ Festi B. V. Assumptæ apparatione in templo spectatâ. Orabat particulatim pro singulis, qui aliquid opellæ ad festi illius celebritatem attulissent. Cùm se aridum corde sentiret, solabatur se cogitatâ Beatissimâ Virgine, quæ tametsi nunquam peccarit, & cælesti gloria tamen tam diu abfuit adhuc exul, & in terris frequenter caruit Christi præsentia. Si quem adiutum vellet, ad B.V. tanquam eius matrem, preces & studium conuertebat, vt illa eum ad Deum, ceu filium mater ad Patrem, adduceret. In festo Præsentationis B.V. vt munusculi aliquid ei offerret, oculos obtulit, cum decreto,

Exercitia. *Mortific.* *Gula victa, Castit.* *B.V.* *B.V. Charitas.* *Imago B. V.* *Sancti.* *Assumptio B.V.* *Præsent. B.V. Oculi.*

ne paruulos quidem fixis oculis deinceps intuendi. Humilitate insigni planè præstabat. Vnde quicquid aliis esse videretur, aiebat, *se totum quicquid esset, esse opus Ignatij*. De hoc Beatus Franciscus de Sales Episcopus Geneuensis ait illum primum Sacerdotem, primum Concionatorem, primum Theologiæ Magistrum fuisse in Sancta Societate IESV, & primum Socium B. Ignatij eius fundatoris; in Germania magna patrasse pro Dei gloria: sensisse illum manifestè opem Angelorum, cùm Angelos patriæ salutaret: se magno suo solatio consecrasse altare vnum in loco quo Beatus iste (sic ille scribit) vir natus est in villareto pago. Romam accitus, vt pareret, in ipso calorum æstu venit; & breui obiit. Vnde P. Andreas Ouiedus datis ad S.P. Ignatium literis Gandiâ scripsit; Fabrum personæ cuidam à Sanctæ vitæ laude celebri videri visum post mortem gloriâ circumfusum, dixisse; mortem se obedientiæ nomine oppetiuisse; ac, ore læto, multa narrasse de gaudio, quo propter id genus mortis in beatis illis sedibus fruereturr. Sanctus Xauerius in periculis illum tanquam Sanctum priuatâ pietate inuocabat. Nec desunt qui piâ quadam affectione dixerint se à Deo plura per illum beneficia accepisse.

Philotheæ seu introductionis p. 2. c. 18.

Obedientia.

Mors.

AMBROSIVS
BELGA COAD.

Belga Gandiæ 1. Augusti. 1547.

OPtabat P. Fabrum charum Magistrum in cælum sequi: & octauo ante mortem die prædixit se 1. Augusti, anniuersario post Fabri migrationem die moriturum, euentu secuto. Post decennium cadauer illius incorruptum, & odore miro fragrans repertum est.

Mors.

P. ALPHONSVS
CYPRIANVS.

Meliaporæ 1 Aug. 1559. ætat. 76.

ERomana Professorum domo Baneo regium, & anno 1541. ætatis 58. in Lusitaniam, Goam, deinde in oram piscariam, lateque in orientis Indias missus, acerrimum zelum perstudioso obsequio præclarisque virtutibus cumulauit, sui demissione quàm maximus: id quod cùm in factis, tum in datis ad S. P. Ignatium literis elucet, cuius ille animum *sacrum, diuitem,* ac *præpotentem* vocat; eoque se ait sustentari: petit commendari Laynio & sociis, quos plusquam glorioſos Principes stirpis appellat. Ioanni Lopio prædixit se die vinculorum Sancti Petri migraturum è vita; sed & de balbo gubernatore Nauis quæ luscum raptorem, & raptam ab illo neophyti cuiusdam vxorem vehebat verus vates fuit, fore vt nauigium infame pereat, & alter è lusco cœcus fiat, alter è balbo mutus. Ita factum. Nam Gubernator tempestate coortâ, naufragio amissis omnibus & in littus ejectus, in luscum raptorem, tanquam in eius mali causam, irruens effosso illi altero, quem solum habebat oculo, illum cæcum fecit, & ipse naturâ balbus hactenus, illo clamore, mœrore, iactatione factus est omninò mutus. Ita triplex Cypriani vaticinatio completa est.

Mors.

Cæcitas.

P. EVERARDVS MERCVRIANVS
PRÆPOSITVS GENERALIS IV.

Belga Romæ 1. Aug. 1580. ætat. 66. Soc. 34.

IPso nascentis B. V. die anno 1548. Parisiis Societatem amplexus, Romanæ domui à S.P. Ignatio Vicepræpositus

situs datus, postea primus Perusij Rector, & in Belgio commissarius, ac deinde Prouincialis & B. Francisci Borgiæ Assistens, moxque successor electus, prudentiæ integritatis, peritiæ instituti laudem insignem tulit. Ipso morientis S. P. Ignatij anniuersario die, crastinâ inquit, die videbitis in me imaginem mortis. Sapiens illius modestia faciles reddebat omnes ad eius imperium, maximè cùm exemplo excelleret. Laborum, & paupertatis ita amans, vt pedes obiret Prouinciam, & lauta diuersoria declinaret. Aliquando etiam illachrymari visus, quòd nouam vestem induere cogeretur. A germano suo rogatus, vt suorum tenuitatem adiutum iret, in eo in quo erat Societatis magistratu, respondit; se nullo Societatis Coadiutore plus habere opum aut facultatum. Orientis Indiam, Angliam, Poloniam, Maronitas adiuuit, locupletauit, missis illuc viris Apostolicæ expectationis. Valebat maturitate dicendi, atque scribendi, ac ingenio ad Superiores, Concionatores aliosque Societati peridoneos viros performãdos prorsus idoneo, adeò vt Ignatij, diuini illius viri, genius atque ingenium renatum in Mercuriani genio ac ingenio diceretur. Gubernauit Societatem vniuersam à Maio anni 1573. vsque ad hunc diem anni 1580.

Mors. *Paupertas.* *Mortific. Affin. consang.*

P. IACOBVS HABBÆVS.

Belga Ipris 1. Aug. 1621. ætat. 44. Soc. 29.

RECtor, & Concionator præstans fuit Iacobus; & in eximio erga iuuandos pauperes, ac in cultu Deiparæ studio singularis; adeò vt verè illorum parens haberetur; huius verò filius: quippe qui gratè aliquando narrabat; se cùm ab obedientia in Italiam mitteretur inter Alpes præsentissimo vitæ periculo non sinè miraculo ereptũ, quando subsidente mulo votum concepit Deiparæ Lauretanæ. Illius ille cultui linguam, seque totum dederat; illius imaginem sinu gestabat, eiusque pio aspectu oculos & cor sæpè sæpiùs recreabat: nec se suo benè functum officio arbitrabatur, nisi de illa in singulis concionibus aliquid pro eius gloria in medium attulisset.

B. V. *Concio.*

P. MARCVS GVZZONVS.

VEnetiis claro genere illustris in Societate per B. Aloysij reliquias sanatus est, anno 1603. cùm malignæ febris & pestiferæ eruptionis vi tumefactâ linguâ, dentibus inter putridas densasque sordes obsessis, mente sæpiùs vacillante, ad extrema iam deuenisset. Argentæ in missione ad proximam B. Virginis imaginem in propatulo pendentem, inuitatâ collectâque mortalium plurium coronâ flagranter dicebat, & vnà cum omnibus Litanias B. V. recitabat, commotione animorum permagnâ, & labore sæpe ad tertiam vsque noctis horam producto. Foris versatus à socio signum sibi edi tintinabulo voluit, quo singularum domesticarum functionum admoneretur. Valoscuranæ pesti sedulus ad fuit; eique superstes, Figarolensibus peste ictis dum seruiret, mortem heroum charitatis oppetiit.

Italus Figaroli, 1. Aug. 1631. Soc. 31. *B. Aloysius.* *B. V.* *Accuratio disciplinæ*

P. IOANNES COLLIGNON.

IMpensè studebat latere; vnde nunquam se supra Grammaticæ institutionem erigi passus est, licèt maiora posset. Sub mortem se increpitans latronem se diuinæ gloriæ vocitabat; quereba-

Gallus Mussiponti. 1. Aug. 1635.

querebaturque quòd in lectulo domi, non foris inter pestiferorum turbam defungeretur charitate simul & vitâ; quod illi decus adeò in desiderio fuit, vt eâ tabe laborantibus vndecimum ipse caput addixerit, seruieritque assiduitate planè heroicæ charitatis, & inde illi extremi dolores velut analecta illorum laborum fuêre, quos consecuta mors rapuit è medio virum geminis humilitatis & charitatis velut alis ad æterna subuectum.

Humil.

Charitas.

P. GEORGIVS SCHONBERGER.

Germanus Hradistis. 1. Aug. 1645.

POst traditas varias disciplinas scholasticas, Olomucense Collegium in œconomica prouidenter, in disciplina religiosa paternè, in charitate propè maternè gubernauit. A Suecico Transyluanicoque turbine variè iactatus, variè latuit; atque deprehensus, cruciabili sæuitiâ vexatus est. Manibus baculo subter pedes illigatis in globum conuolutus, cælum pedibus, terram capite respectabat, plantis nudis per tres continenter horas immani fustium pregrandium verberatione contusis, intercalariis IESV & MARIÆ nominibus in leuamentum identidem repetitis. Mirum illud ope diuinâ sibi accidisse ipse moriens testatus est; se post lanienam illam citra vllum tumoris vestigium vel sensum doloris cursu celeri aliquot milliaria confeciſle. Verùm & ibi clauâ in dorsum impactâ, rustico tectus pelliceo, velut Adam, proteruis cachinnis expositus ipsâ miserabilis aspectus modestiâ, squallore ac sanguine misericordiam impetrauit, mensæ quoque ducum admotus. Sed & ibi procaci ioco ludificatus, ita pudicitiâ sapientis modestiæ placuit, dum tacuit, vt rubore suo ruborem ac religiosæ integritatis venerationem in aliis cieret; Angelorum pane deinceps vesci permissus quotidie, tametsi captiuus Barbaro hæretico datus per sicarios hæreticos iam destinabatur ad necem. Verùm arce tantùm iectus, ad nostros tandem appulsus est: & ærumnis illis nouâ dolorum accessione cumulatis, post multa prædarè acta & ad nostrorum coronam dicta religiosam animam egit.

Fides.

P. IOANNES RENAVDIANVS.

CVm Prouinciam gubernaret pedes illam & sæpè cilicio cinctus, corollâ Deiparæ de collo appensâ obibat: & in diuersorio, licèt fessus, ac sæpè madidus, in genua se abiiciebat ad recitandas horas Canonicas. Abrupto somno surgebat ad diuinum officium, & ad sui longissimam quotidie verberationem flagris è ferro aut ære confectis; nihil alios moratus, audirent plagarum strepitum, aut non audirent. Somnus illi breuis & in palea, vel nudo asserе carptus. Longa inediæ patientia: vnde diuinum sacrificium, etiam fere è octogenarius: vltimus faciebat. Oculis legem indixerat vt non nisi terram pedesuè aspicerent. Preces illi fusæ semper de genibus, & mirus amor solitudinis atque cubiculi. Postremum iudicij diem in Scenam dedit permagno sanè animorum motu; & solebat nonnisi pia in theatrum producere, cùm ista tractaret. Deiparam, bonam Matrem, bonam Dominam appellabat: Eius amori dabat, ne cum fœminis ageret, ac iis quoque quibus præerat id vehementer imprimebat, vt in hoc aut nulli essent aut breuissimi, rem Dei matri facturi longè chariſſimam. Pali Rector cùm esset, instituit vt mendici pro stipe ter ad Collegium

Gallus Burdigalæ. 1. Aug. 1645. ætat. 78.

Mortific.

Oculi.

Oratio.

B.V.

legium quot hebdomadis ventitarent; quos ille inconsuetis Catechismi precibus eruditos incitabat, vt Regi Collegij fundatori vitam repetitis clamoribus precarentur: id quod & ipse faciebat, & in morem vsu receptum iam transiit. In Rege Ludouico id impensè amabat & laudabat quòd regnum Dei Matri solemni voto quotannis repeti solito dedicasset. Incredibili erga Deum fiducia Collegia plura ære iuuit; & Petrochorense, Pictauiense, Palense à fundamentis excitauit. Coadiutoris ægri frontem cruce signans post breues preces, macte animo illum esse iussit, & conualiturum ita prædixit, vt breui dicto fides non defuerit. Ingentem verrucam, quæ Coadiutorem alium sutoris officio fungi prohibebat, signo Crucis signauit, & postridie nec dolor, nec verruca vlla in manu apparuit. Per iter in Bearnia piscatores nihil à se piscium capi questos iussisse aiunt expresso Crucis signo, in certo loco rete in aquam demittere. Aiebant illi se inde rete non semel vacuum extruxisse: tamen paruêre hortanti, & tantam vim piscium extulêre, vt rete rumperetur. Ita de illo P. Ioannes Regius eius tunc socius qui hæc vidit. Feroci vaccæ in se furenter irruenti signum Crucis obiecit manu ductum in aëre; & illa mitis ad gregem reuertit. Prædixit Ludouicum XIII. Regem prolem masculã susceperum, idque sæpiùs affirmauit: Pictauij multis ante annis quàm id eueniret, dixit: Denuncio vobis futurum esse Rupellæ, atque adeo in Bearnica, Societatis nostræ Collegium. Expectate, & breui videbitis gloriam Dei. Imò viuentibus ac videntibus nobis, qui hic præsentes adsumus, illud eueniet, quod enuncio. Et euenit. de quodam tunc sano & robusto ad munus quodpiam destinato disertè dixit, munus non aduturum, sed priùs moriturum. Et vaticinatio euentum sortita est, testibus plurimis.

Gratiæ animarum.

B.V.

Crucis signum

II. DIE AVGVSTI.

P. FRANCISCVS DE LA CROIX.

1. Augusti. Belga Tornaci 1644. ætat 62. Soc. 44.

NOuitios, patresque Tertianos, Collegia, Piouinciam religiosè admodum gubernauit. Quanti vocationem suam faceret, manantibus inter loquendum de illa vbertim lachrymis testatus est: quibus perfusus persæpè in cubiculo quoque pro illa Dei beneficentia gratias Deo agens, ipsos cubiculi muros exosculabatur, terram etiam crebris osculis lachrymisque honorans. De B. Virgine & sentiebat & loquebatur & scribebat suauissimè; illamque suo spiritui Præfectam, ac ignis in corde absconditi velut vestalem custodem elegit. *Hortulo* suo *Mariano* tot linguis typisque nobilitate mirabiles in Deiparæ cultus amores in plurium cordibus excitauit. Immaculatæ Conceptionis cultor eximius, illam suæ conscientiæ nullâ vnquam, vt opinio est, lethali maculâ fœdatæ, sequestram optauit. Prouinciæ præpositus, illam suis præposuit, vt ipsa esset prouinciæ illius Prouincialis omnesque ipsa vt suos gubernaret, illa omnibus prouideret. ita armatis multâ sui afflictione precibus illos sub illius præsidio collocauit. Ad horarias quotidie Immaculatæ Conceptioni fusas preces adiecit, alias

Vocatio.

B.V.

S Ioseph. Oratio. Noctu. ad S. Ioſephum; vtraſque puræ & cum Deo coniunctæ mentis impetrandæ ergo. Noctu à primo ſomno ſurgebat; & *Mariam* S. Caſimiri carmine ſalutabat. Angeli cognomentum tulit à Mutio Vitelleſco Generali, & aliis, arcano illo pudicæ modeſtiæ magnete in eius facie relucente, adeò vt alij per plateas quoque illum ſequerentur. Alij verò Franciſci verbo ſcriptoue antiquas & atras neſcio quas ſuas tenebras diſcuſſas faterentur. In ſacrificio Miſſæ frequentes illi lachrymæ: frequens aliàs quoq; memoria Crucifixi cuius honori primus ille, vt aiunt, in Prouinciam vſum quadrageſimalium meditationum induxit. Duaci ipſe biennio id flagranter exercuit & modum commonſtrauit. Fatebatur ſe à Deo donatum eximiâ quadam & ſublimi opinione de Sancti Ignatij magnalibus, & excelſitate ſanctitatis. Per totos 20. annos in chartas retulit pia ſenſa quæ inter orandum è Dei pectore hauriebat.

Modeſtia.

Paſſio Chriſti.

S. Ignatius.

Oratio.

P. LVDOVICVS VANACKERE.

Belga Mõtibus 2 Auguſt. 1653.

VIr timens Deum, & vel ad vmbram peccati ſapienter pauidus. Frequens illi cum patre ſpirituali de domo interiore colloquium; & conſcientiæ quotidiana expiatio per pœnitentiæ ſacramentum. Animus autem plenè ſubactus ac domitus, vt nec ad iram occaſione vlla, nec ad doloris impatientiam diris calculi cruciatibus vnquam erumperet. Ab apoplexia ferè claudus, & à valetudine parùm firmus, inferiores tamen claſſes per duos & viginti annos, conſtanter ſeruatâ ſemper temporis diſtributione, ac animi perpetuò tranquilli æquitate docuit, raro & religioſo in paucis exemplo.

Confeſſio. quotid.

Patientia.

Humil.

P. ERNESTVS MAIRHOFER.

Germanus Halæ, 1. Auguſt. ætat. 98. Soc. 81.

ANte 80. & amplius annos ad Societatem, ante 68. annos ad altare Dei in primo ſacrificio ingreſſus, excepto biennio ſæculum vnum vixit, ſacerdotum omnium, in vniuerſa Societate; quà ſcire licuit, antiquiſſimus; & tamen ætatis priuilegio ad arctandam, non verò ad laxandam diſciplinam vtebatur. Simplicitati, diligentiæ, ac perpetuæ ſui afflictationi, etiam in decrepitis annis, apprimè addictus fuit, cùm ſe ter quot hebdomadis vſque ad ætatem vltimam verberaret, ac feria 4. cum Sabbato ieiunaret: præter longum ante paſcha ieiunium, quod ne nonagenarius quidem omiſit, aut laxauit.

Mortific.

P. FRANCISCVS CARRION.

Hiſpanus Ikizuki 12. Aug. 1591. ætat. 38. Soc. 19. *Fidei.*

IN Indiam cum Alexandro Valignano Viſitatore, ac poſtea in Iaponiam penetrauit; eiuſdem iuſſu primus annuarum Iaponicarum autor, anno 1579. In Scimo inſula, & Meaci ſtrenuè induſtriæ ſuæ vires exercuit; & in plurimâ patientiæ ſegete lætam ſementis Euangelicæ à ſe iactæ meſſem vidit. Expectatam in Regno Bungenſi mortem, Firandi tandem reperit; vbi poſt egregias de impietate reportatas victorias, permultis Chriſto luſtratis, odia barbarorum in ſe conciuit, & veneno ſibi clam ab iis propinato per triduum cruciatus, multo reiecto ſanguine, Ikizuki in vico eius inſulæ, vitam immoralem, vt bona ſpes eſt, nobiliſſimâ obitâ morte inuenit.

III. DIE

III. DIE AVGVSTI.

P. PETRVS DE MOLINA.

3. Augusti. Hispanus Granatæ. 1600. Soc. 19.

A Magnis animis, quos gerebat, *militis* cognomentum adeptus, etiam in Societate postea nihil à pristino animi vigore elanguit. In classica missione, item in Africa, miro ardore versatus, non paucos ad Christi fidem adduxit Mauros, atque Iudæos, ac alios. Granatam redux ad Xenodochium illicò euolauit, vt sauciis ope omni adesset: in qua charitatis exercitatione mors illum glorioſa oppressit.

Charitas.

Mors.

A morte, quidam in arcto positus, & animo prostratus, dixit sibi illum adesse visum, seque ab illo ad id quod patiebatur fortiter ferendum animatum, eo ferè modo quo Petrus cùm inter viuos ageret facere id solebat, solatij ac leuamenti plurimùm accepisse. Hoc extincto, secuti eum sunt 16. Augusti P. *Marcus Antonius*; & 18. Aug. P. *Franciscus de Cuellar*; vterque lue ab iis quos iuuabant hausta contactus: & vterque vnà cum P. Petro post mortem visus dicitur magno splendore circumdatus.

Charitas.

MARTINVS BECCHAERT SCHOL.

Belga Louanij. 1621. 3. Aug. ætat. 21. Soc. 3.

SIlentij per omne tempus quo nobiscum fuit, adeò amans fuit, vt illud nullo vnquam verbo violare sit auditus. Regularum attentus custos, ita vt non solum ipse nunquam in illarum vllam delinquere sit visus, verùm & vultu mœrorem monstrârit, si minùs religiosè à quopiã obseruarentur. Ad Societatem venit amore Beatissimæ Virginis, quòd eius cultum in Societate vigere videret, ac Societatem illi cordi esse intelligeret, eâ spe ductus fore vt ipse quoque hîc illam enixius posset colere & amare. Ternas & subinde quaternas horas ducebat orando, amabili compositione piæ modestiæ. Festo quouis die tribus sacrificiis intererat: & à Sancta synaxi percepta tres horæ partes in reddendis gratiis ponebat; idque constanter cùm etiam aliàs tam ipse crebrò SS. Sacramentum inuiseret, quàm alios ad idem inuitaret. *Eamus*, aiebat, *eamus*; *nec enim satis laudare possumus dominum Deum nostrum.* De se nunquam bene, de aliis malè nunquam loqui auditus est, etiamsi fortè læderetur. Prima surgentis & vltima cubitum concedentis occupatio erat à Beatissima Virgine, quemadmodum solet à matre benè moratus filius, benedictionem gestu supplici flagitare. Aiebat quinque se à Deo postulare. 1. vt moreretur antequam periculosis cum proximo congressibus inuoluueretur. 2. vt in Societate IESV. 3. vt sibi benè compos. 4. vt mane ante sacrificia inchoata. 5. Infra octauam S. P. Ignatij. Omnia obtinuit.

Vocatio.

B. V.

Oratio.

Eucharistia.

Lingua.

B. V.

GEORGIVS GILBERTVS NOVITIVS.

Anglus Romæ Incerto die. 1582. Soc. 1.

HVnc extremâ valetudine lecto affixum, idque flagitanti, præpositus Generalis ad Societatem atque ad religiosa vota admisit, eaque ipse nuncupauit. In Anglia primùm nostros hospitio, & liberalitate ad omnia porrectâ

porrectâ excepit, omnia quæ illis ex vsu erant, etiam libros typumque curauit Romæ in Collegio Anglicano magnâ ad leges omnes per sanctè seruandas attentione vixit, pudicissimæ modestiæ, orandi, seque macerandi studio, sed ante omnia obediētiæ, addictus. Fassus est cuidam, Beatissimam Virginem sereno aliquando ac suaui vultu sibi videri visam, quòd obedientiæ se accommodasset, cum eandem paulò ante seueriore vultu veluti tristem vidisset, quòd Georgius in re nescio qua suæ sententæ præ alienâ nimioperè adhæsisset. Officium B.V. recitabat quotidie. Martyrij longè erat cupidissimus. Omnes in cælo cælites persæpè visebat; authorque erat etiam aliis vt id facerēt, & interrogabat Sanctos singulos vnde illis ea gloria? & respondentes audiebat: E.G. S. Franciscum; ex humilitate & paupertate; S. Stephanum, ex lapidum perpessione &c. Eo mortuo magnum Angliæ præsidium in illo amissum dixit Pontifex. Sepultus est in tyronum loco, vt Nouitius. Octingenti aurei, quos tyrocinio legârat. Alano missi ad Anglorum calamitates subleuandas.

Obedient. B V.

Omnes Sancti.

P. BRIANTHVS CANSFELDVS.

ODio sui, & contemptione, Catholicisque apud Anglos laboribus fuit egregius. Inter celebrandum sacrum deprehensus, & ad Iudicem in sacrificali veste, inde ad carcerem, abreptus, ibique pessimis modis habitus, cùm existimaretur Iudicis vxorem ad fidem Catholicam conuertisse (quæ tamen non illius, verùm alterius de Societate Patris operâ Orthodoxam fidem agnouerat) errore postea detecto dimissus ille quidem est, at earum perpessione ærumnarum valetudine adeò quassatâ, vt vno ferè post mense diem extremum finierit.

Anglus Eboraci. 3. Aug. 1643. ætat. 65. Soc. 39.

IV. DIE AVGVSTI.

PETRVS GOMEZ. COAD.

4. August. Hispanus Complut. 1565. Soc 5.

PArentes habuit artifices Petrus. In Societate humilitati ac labori assiduo se totum dedit; & si quid otij sibi supereſſe videret, petebat à superioribus asellum & facultatem illum aquâ onustum per vrbem agendi ac pro more patriam aquam vehendi. Sic enim aiebat se quoquo modo effecturum ne segnis & iners pane pigris ventribus non porrigendo vesceretur. Toto die sæpè ruri laborabat inter operas, cuiuis ex illis par contentione, & strenuè laborandi assiduitate, ac frusto panis contentus. Illis etiam quiescentibus aliquid laboris inueniebat, nempe quòd maiore labore dignum esset illud manu pretium seu merces, quam ille præ rusticis quærebat. Et tamen de se ipso querebatur quòd piger, quòd Societati oneri, quòd pane quo vescebatur esset indignus. Cùm procuratoris vices ageret, pedes foras proficiscebatur etiam ad 15. millia passuum intra dici spatium conficienda. Redibat aliquādo oliuarum sacco onustus sine pileo, sine pallio; & per vias magis frequentes videndum se propinans. Mater illius quidpiam lineæ supellectilis lotæ pro sacrario nostro attulerat, & Petro tunc

Labor.

Humilit.

Humilit.

tunc Ianitori dederat: Cum hac, nemine alio præsente, loquentem vbi reperit P. Minister Collegij, ignarus quę illa fuisset, hominem acriter reprehendit, Rectore quoque admonito; qui alterum tantum reprehensionis illi addens, ac tacentem omninò vrgens vt proderet quid illud fœminæ fuisset, ne quid tetræ notæ occasione illâ Societati adhæresceret: vbi eam Matrem Petri fuisse audiuit, magni eius virtutem fecit atque silentium, quòd sene verbo quidem excusasset. Adeò tenerè domi ab omnibus amabatur prompta illa & omnium reuerens illius charitas, vt si quando peregrè, curatis Collegij negotiis domum reuerteret, obuij Patres in eius amplexum irent, quasi hospitis & peregrini. Id quod tantâ mutuæ charitatis significatione fiebat, vt quidam è primæ notæ viris eo viso spectaculo animum ad Societatem adiecerit in qua tam bonum & tam iucundum est habitare fratres in vnum. Eo ipso tempore quo Compluti mortem oppetiit Petrus Matri Occaniæ dicitur apparuisse & illa confestim Rectorem Collegij certiorem fecit literis postea tunc illum obiisse testatis.

Charitas.

Mors.

P. GASPAR MAVRITIVS SERPE.

Lusitanus in Africa. 4. Aug. 1578 Soc. 51.

SApientiâ, orandi, ac lachrymarum dono fuit excelsus, siue cum Deo, siue de Deo loqueretur. Vbi occasio adfuit, rara illi diei hora præterfluxit, quâ in cubiculo in se non sæuiret admodum aspero aliquo cruciatu. Cruĕtabat se loris, atque cilicio; quo ferè semper tectus, ceu stolâ puritatis, castimoniæ suæ sanctimoniam semper nitidiùs ad maiorem perfectionem euehere nitebatur. Sacras expeditiones obibat pedes, & stipe corrogatâ, mendicabuli ritu. Veste tam miserabili, ac tantâ sui contemptione se vilem vbique haberi optabat, vt in missione quapiam captus vnà cum socio, & in custodia detentus per biduum (quòd suspectus videretur) nunquam vel verbulo aperuerit ecquis esset; vsque dum alij eum vnà cum socio agnitum, de Societate Iesu esse dixêre, exclamantibus omnibus præ ingenti admiratione modestiæ tam constantis. Vt à se amoliretur gubernandi honorem, scripto seipsum depinxit teterrimis quibus poterat coloribus; & eas literas Præposito Prouinciali misit: nihilominus tamen Eboræ Collegio, & Vlyssiponæ Domui Professæ fuit Præpositus. Etiam cùm post P. Ludouicum Gonsaluium Regi Sebastiano à confessionibus esset, ibat ad aulam cultu obsoleto. Henrici autem Cardinalis tunc pro nepote regnantis confessiones audire liberè detrectauit; negans id se posse, quamdiu istic Ecclesiastica libertas in vectigalibus pristino vigori non restitueretur. Se inconscio ea vectigalia Ecclesiasticis esse imposita dixit Cardinalis; & actis Gaspari gratiis rem correxit. Cum Rege in Africam inuitus discessit; & sociorum cuidam prædixit, extremum id sibi esse quo eum videret. In Africa belli alea infeliciter cecidit. Patres capti; sed seruati, & ære postea redempti. Sebastianus Rex desideratus est, viuusne an mortuus, in incerto fuit. Gaspari parcere noluit Maurus victor, quòd illum (in flagranti, vt vocant) saucio militi peccata confitenti aures ritu Catholico dantem deprehendisset. Eapropter eum canem Nazareum compellans quid istic impietatis ageret interrogauit; & simul ei acinace bifariam caput fidit.

Mortif.

Castitas.

Itinera.

Humil.

Patientia.

Humil.

Paupertas.

Aula.

Confessarius.

P. ANTONIVS BELLAVIA.

Italus Pernambuci. 4. Aug. 1633. ætat. 39. Soc. 23.

CVm paruulus terram pede ictu frequenti persæpè pulsaret, ac à Patre eccur id faceret rogaretur, aiebat; *se ad alterum illum mundum qui sub nobis esset iturum*. Illo è scholis redeunte fœminæ aliæ alias inuitabant, aiebantque: Eamus, videamus paruulum Angelum, filium Bellauiæ.

Modestia.

In Societate, singulari desiderio ardebat dininæ synaxis crebriùs adeundæ: atque hoc desiderium aiebat esse vnam ex artibus quæ nos præparant cælesti illi conuiuio.

Eucharist.

Cùm inter docendum in scholis in illum Poëtæ versum incidisset.

Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus
Libatum agricolæ ponitur ante Deo;

magno verborum pondere suasit, ac auditorum mentibus planè impressit, vt assuescerent primos anni fructus Deo offerre, geniumque suum illis fraudare. Atque hanc de gula victoriam ille *mortificationis negatiuæ* nomine appellabat, nempe quando placiturum palato tuo bolum tibi negas, vt te Dei amore peruincas. *Mortificat.*

In Brasiliâ, ipsi Brasili vltrò ac sanctè sunt contestati, illum ab ipsis conspectum esse in alto à terra sublimem, cùm diuini sacrificij mysteriis operaretur. Magnam istic animarum messem collegit verbo & exemplo aprimè potens. Denique tam in Sicilia, quam postea in Brasilia floruit opinione sanctimoniæ singularis, mira etiam quædam operatus. In prælio, in quo ille inermis Lusitanis contra hæreticos pugnantibus sacram industriâ nauabat, glande saucius, cùm nihilonus Lusitano militi saucio confitenti aures præberet, ab hæreticis in opere quod ij detestantur deprehensus, aliquot in capite gutturque acceptis vulneribus, mortem oppetiit. Fuit vir tantâ modestiæ suauitate amabilis, vt ea quæ in illius mente, atque carne inerat integerrima virginitas, in vultu etiam religiosè composito, & castigatis ad omnem puræ modestiæ normam oculis legeretur. *Oratio. Sacrum.* *Fides.* *Castitas.*

V. DIE AVGVSTI.

RENATVS NOVITIVS.

5. August. Gallus. incerto die 1643. ætat. 35. Soc. 2.

DE hoc datis 5. Aug. 1643. literis P. Isaacius Iogues ait; securi trucidatum, cùm SS. IESV nomen ingeminaret. Laudat illum à simplicitate, incredibili dolorum patientiâ, innocentiâ. Plures menses in tyrocinio Societatis cum laude posuerat, inde ad Hurones missus, vt Christianis opitularetur arte chirurgicâ, quâ præstabat. Stupenda sunt quæ vnà cũ P. Isaacio tulit à diris illis Barbaris. Occisus est senis cuiusdam iussu, quòd eius nepotis fronti visus sit digito signum sanctæ Crucis imprimere, atque hanc necis fuisse causam prodidit ipsa mater pueri quem signârat. Vocat illum martyrem obedientiæ, fidei, & Crucis. Aliquando visus sibi est currere post illum cælo iam receptum, conspectis admirandi splendoris templis. *Fides.*

CÆSAR

Mortificat.

Oratio, Sacrum.

Fides.

Castitas.

Fides.

CÆSAR CAIETANVS. NOVITIVS.

Italus Panormi. 5. Aug. 1652. ætat. 19. Soc. 1.

HVius imago authoritate superiorum æri Romæ incisa hanc epigraphem præsefert : *Cæsar Caietanus abdicato Cæsari principatu, & Sortini Marchionatu, suiq; contemptu clarissimus, ipso ætatis & fortunæ flore in Societatem Iesu, cui se deuouerat, per ineluctabiles obices admissus est. Suspexit in eo viuente Roma positum perfectionis typocinium; mortui reliquias collegit Panormus.* Optabat, & impetrauit, mori Nouitius, lento morbo, sed sui compos, & aliquo die Deiparæ Virgini dedicato. In diuinæ Matris cultu iam inde à puero educatus, ad instinctus celestes paratum se postea præbuit liberali semper indole ac pudicâ. Relanguescentem in sæculo à primæ virtutis vigore inter aulicorum blandimenta spiritum expergefecit Deus lectione, piis colloquiis; generali exomologesi, concionibus religiosè auditis. Consultricem elegit in sua de vitæ statu deliberatione Deiparam, cuius honori ea propter, præter quàm quòd recepto iam vsu sabbatinis ieiuniis illam colebat, ac festa eiusdem, panis & aquæ vsu tantùm admisso præmissis ieiuniis celebrabat, hoc ad cumulum adiecit vt quot hebdomadis Marianum Sabbati diem sacro Eucharistiæ conuiuio epularem haberet, Deiparæ Virgini, tunc adhuc Princeps, teneras epistolas exarabat, in quibus per eam ad Societatem Iesv admitti postulans, ea scribebat, quæ in eius vita vnà cum reliquis eius virtutibus adnotaui: vbi etiam decretetam ab illo SS. Ignatio & Xauerio celebritatem, deliberandi modum, & dignas Nouitio virtutes enarro.

B.V.

Vocatio.

Sabbatum.

P. FRANCISCVS DEBARRY.

PAuli de Barry germanus, religiosâ inter nos contemptione quàm foris natalium claritudine nihil minor. Ibat senex baculo suo nixus ad pagos, vt animas Christo etiam in abiectis corporibus pretiosas lucrifaceret. Plura de illo in annuis : è quibus illud fert fama constans Biterris quendã è nostris ægrum à P. Francisco visitatum impositis manibus, fusis precibus continuò persanatum, sed id clam habere iussum, vt Deo salutis authori tota beneficij accepti gratia redderetur.

Gallus Mõspelij. 5. Augusti. 1654. ætat. 72.

Charitas.

P. GASPAR HERNANDEZ.

VT ea quæ gessit superior (& fetè sunt communia) omittamus, lubet id vnum referre quod illi euenit Salmanticæ; vbi ad ægrum, qui confessionem ad extremum vsque distulerat, & in phrenesim inciderat, vocatus, Deum per Beatissimã Virginem & omnes Sanctos pro infirmo rogauit supplex vnà cum socio, vt ægro illi tantum lucidi interualli ac opportuni otij concederet quantum sufficeret ad conscientiam æternitati parãdam. Quo diutiùs orabat Gaspar, eò æger minùs insanire ac sibi sensim restitui videbatur : Vbi verò iam sui compotem illum esse aduertêre, prodiit ex angulo, in quo orârat Gaspar, ægrum expiauit, ad mortem instruxit, & viatico ac extremâ vnctione munitum monuit vt per quartam horæ partem gratias redderet tam bono Deo. Id quod cùm æger tenerè ac sensu per-

Hispanus Toleti mése ac die incerto an. 1576. Soc. 22.

Oratio. B.V.

Mors. magno feciſſet, adiecit Gaſpar: Iam nihil ſupereſt faciendum, & illicò æger ſuâ phreneſi correptus viuere deſiit.

VI. DIE AVGVSTI.

P. CLAVDIVS IAIVS.

6. Auguſt. Allobrox Viennæ Auſtr. 1552.

VNus è primis Societatis IESV decem viris fuit *Claudius* vir ſapientiâ & virtute contra hæreticos tempore Concilij Tridentini, in Germania potiſſimum, ſingularis. Primum exercitiorum triduum ieiunus duxit, inediâ ſe ad cæli lucem parans. Placuit etiam in eo, fuitque ad Societatis genium, quòd Epiſcopatum Tergeſtinum ac poſtea Viennenſem (necdum editis tunc Societatis Conſtitutionibus, quibus id cauetur) religioſè ac fortiter detrectârit, euiceritque ope Virginis Matris, cuius officio ad horas Deiparæ recitandas deſtinato iam olim adoleſcens delectas quaſdam è SS. Patribus ſententias inſcripſerat de honoribus fugiendis. Petrus Caniſius illum Germaniæ Apoſtolum, alij Angeli Dei, Patrem Patronumque Catholicorum dixêre. Placidum illi & promptum facundumque ac à faſtu omni abhorrens fuit ingenium, vultus hilaris & ſerena oris modeſtia. Vnde aditus facilior illi ad aures & animos tam hæreticorum quàm Catholicorum, etiam Principum, aperiebatur, ob ſapientiam tanto virtutis ſuauioris lepore conditam.

Humil.

B.V.

Fides.

P. IOANNES SEBASTIANVS A CAMPO.

Sardus Saſſari. 6. Aug. 1608. ætat. 82. Soc. 42.

DE hoc latè annuæ à Prouincia Sardiniæ perſcriptæ, è quibus delibo hæc pauca: Impendebat tantum temporis orationi vt Sabbatis omnibus ab occaſu ſolis ad ſubſequentis vſque diei gallicinium & flexis genibus & nudo capite (quando etiam frigus rigidius ſæuiebat) coram effigie B. V. Annunciatæ in Noſocomio perſiſteret. Tranſigebat ieiunio dies Veneris & Sabbathi per totum annũ; quadrageſimæ verò tempore nullum aliud obſonium præter panem & aquam ad prandium adhibebat. A ſeruitute Africana redemptus eſt Argerij à quodam Genuenſi quẽ iſtic à Chriſto transfugam lucrifecerat. In Societate ſe verberibus bouis neruo inflictis quoties expergiſcebatur ſingulis noctibus caſtigabat. Femoralia ex equinis ſetis contexta geſtabat. Beatiſſimam Virg. incomparabili proſequebatur amore, officio quotidiano colebat, eandemque aliquoties illi diuino cinctam ſplendore conſpectam fama eſt. Et in captiuitate quidem ſe ab ea moneri ſibi eſt viſus vt in ſui filij fide captiuos Chriſtianos conſtabiliret, dicituráque roſaria plenâ manu illi porrexiſſe captiuis diſtribuenda & quotidie recitanda. Lingua illi plena ſilentij: &, ſi loqui cogebatur, plena ſuauiſſimæ charitatis. Tam miſſæ quàm orationi dans operam viſus fuit perſæpè à ſolo abripi; ſicque abſtractus & ſuſpenſus in aëre quoſdam lucis radios ſuo ex capite iaculari; IESV quoque inter ſumendum eius corpus pueri formâ conſpecto vt dicitur. Hæc, & his plura fuſiùs ibi quæ dabuntur in eius vita.

Mortific.

Noctu.

B.V.

Fides.

Oratio

Euchar. Ieſu.

ANTO-

ANTONIVS
DE LEON COAD.

Hispanus Hispali. 6. Aug 1627. ætat. 65. Soc. 46. Castitas.

PRomptus fuit semper & idoneus ad officia charitatis ac obedientia, nullâ suorum commodorum curâ insigni commendatione seueræ paupertatis. Illud verò castitatis morte ferè obitâ & cruentâ dedicandæ exemplũ quod edidit, meretur non negligi. Satagebat foris nescio vbi pro Collegio suo Antonius, cùm impuræ fœminæ inuitatu vocatur, imò vrgetur ad sacrilegam turpitudinem. At cùm fœmina se id impetrare haud posse videret, ac vehementer doleret se spretam ab eo quem ipsa lacessiuerat; alium quempiam sibi turpiter obnoxium subornauit qui Antonium obseruaret, ac solum deprehensum mortis etiam minaciter intentatæ metu ad negatum hactenus sacrilegum flagitium tandem perpelleret. Quæsita, & reperta est opportunitas id patrandi: & iam procus ille fœminę sceleratæ promiserat se Antonio vel turpe illud facinus mortis formidine persuasurum; vel si id planè nollet, eum coram illa trucidaturum. Ergò repertum Antonium coram impudica illa muliercula ad id quod hactenus negasset vrget procus ferro armatus, iubetque aut fœminæ desiderio parêre, aut coram illa cadere victimam iræ fœmineæ. Mortem citra dubitationis moras elegit Antonius: & illicò abiectus in genua ceruicem porrexit. Petiit tamen moræ tantillum, vt perbreui oratione animam Deo ardentiùs commendaret. Iam orabat Antonius: iam ferrum parabat expedire procus ille, carnifex mox futurus cùm fœmina tam serio spectaculo attonita, & in lachrymas effusa, proco illi suo persuasit vt absisteret. Eum enim hominem sanctum esse. Ita & vitam & triumphale pudicitiæ defensæ decus retinuit felix Antonius. Biennio postea lecto affixus, longam mortem inuenit tantâ patientiæ laude perinsignis, vt illis qui ad eum itabant vt eum solarentur ipse esset solatio singulari, atque exemplo.

Castitas.

VII. DIE AVGVSTI.

IOANNES ANTONIVS
APVLVS. NOVITIVS.

7. Augusti. Italus Messanæ 1551. ætat. 28. Soc. 2.

GRæcas, & Latinas literas tradebat iuuentuti, claro virtutis exemplo. Beatum se putabat si se despici, quod valdè optabat, aduerret; si obiurgari audiret. Ad suas voluntates frangendas, ad linguæ dominationem plenam, scitè intentus erat. Vnde sæpè veterа Patrum exempla reducens, in ore gestabat calculum silentij monitorem. Rogatus (vt habent pretiosæ occupationes morientium in Societate) quid sibi à Deo impetrari à fratrum corona percuperet; vt, inquit, eius de me voluntas vndequaque fiat. Quoties petebatur; ecquid vellet; non aliud, reponebat, quàm quod obedientiæ placuisset. Interroganti, quid sentiret summo sibi esse solatio in eo articulo? dixit: Obedientiam. In qua vellet virtute vel maximè studium posuisse, adiecit, in obedientia. Iam vnctus ad agonem & iussus fratri cuidam explicare, in quo illum cuperet esse eximium: in obe-

Silent.

Obedientia.

dientia, inquit. Idem rogatus quando vitam finire vellet, respondit, cum primùm venia data fuerit, finiturum. Nimirum sicut è domo foras prodire, nisi superiore annuente, non licet; ita hinc egredi noluit, nisi annuente illo in quo Deum vitæ ac mortis arbitrum reuerebatur. Et Patri Cornelio Vishauæo Tyronum Magistro, quando mori vellet, quærenti, dixit: Cùm tu, Pater, veniam dederis. Veniam se illi dare ait Pater primâ vel alterâ diei hora moriendi. Trucem dæmonum aspectum se pertimescere dicente Ioãne. Nihil est, inquit Pater, ego illum abs te arcebo; ego Deo adiuuante fugabo. Et verò manè ad ægrum reuersus, illum pugnis compressis cum dæmone seu luctantem seu illi alacriter minantem reperit. Cohorruit primùm maximè cùm vagatione horridâ igneum nescio quid ibi circumcursare aduertit. Tum Cornelius à pauore in preces versus, spectrum indè ritu Ecclesiæ ac verbis exegit, & Ioannes obediens victoriam retulit, atque alterâ diei horâ fessum ab ea victoria spiritum triumphis æternis coronandum transmisit.

Orland. lib. 21. n. 15.

P. MARTINVS DE AGORETA.

Hispanus Seguræ. 7. Aug. 1581. Soc. 14.

VIr nullius vnquam mortalis peccati sibi conscius, & candore sanctâque sui non curantiâ mirabilis. Hinc oculi, vultus, vox, ingressus modestiam humilitatemque spirabant; Conciones verò ignem, omnia innocentiam & charitatem. Paulum de Iesv Coadiutorem optimum amore insigni complectebatur. Hic compluti animam agebat, cùm Martinus Villaregij noctu voce excitari & moneri sibi visus est, vt pro Paulo animam agente oraret. Fecit ille quod iubebatur, & ecce breui literæ compluto nunciabant Paulum eâ ipsâ (quâ Martinus excitabatur) nocte, eademque horâ extinctum. Infestus innocentissimo viro dæmon tametsi luctâ perpetuâ illum adeò affligeret, vt Martinus etiam in gemitus prorumpere cogeretur, tamen victus abibat Martino semper vincente ac in Domini vinea totis viribus laborante.

Orare pro agonizz.

Oratio.

P. SEBASTIANVS MOLINÆVS.

ORationi mortificatione conciliabat efficacitatem, vt ea quæ à Deo petebat impetraret. Vnde non semel toto pœnitentialium psalmorum recitatorum spatio, acri flagello se cædere est auditus. Vtebatur hac industriâ ad eos, quorum peccata in Sacramento pœnitentiæ audiebat emẽdandos, ac virtute insigni ornandos, impetratâ ad id illis gratiâ apud Deũ. Pro Sanctimoniali quadam ad sacram normam reducenda, cùm nequidquã cum refractariolo illius ingenio laboraret, duram ceruicem flexit tandem postquam Deo supplex pro illa sibi acriter mille ictus inflixit. Mirum id de illo, quod vix vllum tam peruicax ingenium sit aggressus quod tandem non molliuerit, fregerit, subegerit, atque ad frugem ita vt optabat, non reduxerit. Ita coram Deo, & coram eo quem tractabat, se in omnes partes arteque versabat.

Belga Tolosæ 7. Aug. 1598. ætat. 64. Soc. 39.

Oratio.

Confessar. Mortif.

Zelus.

HIERONYMVS BIGNOTTVS. SCHOL.

VVltus, oculi, & lingua illi erant ad omnem legum nostrarum nutum composita, cum amabili suauitate: quæ tamen illum nunquam eò proiexit

Italus Posnaniæ. 7. Aug. 1616. Soc. 10.

uexit vt vel humano respectu, vel eâ quam vocant Eutrapeliæ affluentiâ se ad loquendum rapi sineret quando id non licebat. Is qui cum eo, pro more scholasticorum, in eodem conclaui habitabat contubernalis, illum nunquam nisi de rebus omninò necessariis vel verbum dicentem audiuit: idque ita rarò, & breuiter; vt diceret se facilè meminisse verborum omnium quæ toto anni decursu in cubiculo dixisset Hieronymus. In se afflictando perseuerus fuit, & in paupertatem ita intentus, vt nihil habere conaretur. Nec nisi libellos duos habuit, in quos ipse de diuinis rebus quædam selecta delegerat.

Silentium. *Silentium.* *In cubicul.* *Paupertas.*

P. CAROLVS SANGVINOT.

Gallus Burdigalæ. 7. Aug. 1571. B.V.

IN aula ducis Lotharingiæ cùm illi florens fortuna maximè arrideret, sponsam, ipsâ nuptiarum nocte, Alexium imitatus, deseruit. In Societate à Deipara eximia est beneficia consecutus, & multa diuinitùs didicit ab eadem: inter quæ fuit illud, quòd cùm vno ante obitum anno grauissime laboraret, iamque morti proximus crederetur, sospes repentè munia consueta obiuerit, & pro vitæ auctuario se annum integrum habiturum didicerit, prædixeritque, quo elapso tantas inter delicias moriebatur, vt ad audita illa verba IESV *dulcis memoria* indicto silentio cælestium gaudiorum initia quædam persentisceret, stupereturque maiora his adhuc in cælis gaudia esse reposita.

Mori.

P. IOANNES BAPTISTA BISTHOVE.

Belga Lugd. Batau. 7. Aug. 1655. ætat. 53. Soc. 32.

LOuanij Iurisprudentiæ operam dantem, auditâ in Parthenio cœtu exhortatio accendit, peruicit, & Societati adiunxit. Ad nitorem conscientiæ tuendum in Societate ad festa celebriora, generali à festo proximo exomologesi se perpurgabat. Cùm persæpè confiteretur, id accuratione ac dolore magno, nec sine lachrymis, faciebat, quippe dono lachrymarum abundè donatus. Certum afflictationũ quotidie sibi pensum indixit: quem numerum si quando per necessarias in Hollandia pro salute proximorum susceptas occupationes non explesset, se permultùm accusabat. Angelo suo custodi commiserat, vt illius, veluti horologij, monitu noctu excitaretur à somno ad ea quæ officij ratio postulabat istic agenda. Et affirmauit, se nunquam spe suâ excidisse, quippe semper interno quodam monitu expergefactum tempore opportuno. Libellum quoque vulgauit de ratione cum Angelo suo custode conuersandi. Alosti Foyẽsis Deiparæ statuam augustè colendam palàm exposuit & ornauit. Plura de illo dedi in heroibus, & victimis charitatis.

Conf generali. *Mortifica.* *Ang. Custos* *B.V.*

P. DIDACVS DE CASTILLO.

Hispanus Madriti. 7 Aug 1662. ætat. 63. Soc. 44.

IN tyrocinio tanta virtutis excelsæ documenta dedit, vt Magister illius cum admiratione diceret; magnum quiddam, & valdè magnum latere in illo Nouitio.

Orandi, corpus variè afflictandi, ac Deiparæ colendæ studio vnicè deditus, diebus Sabbati non solum non cœnabat,

B.V.

cœnabat, sed etiam se flagris dirum
Mortif. in modum in triclinio cædebat.

Procuratoris officio admotus, nihil de corpore macerando, nihil de precandi studio remisit; applicatione mirabili, peritiâ, diligentiâ, felicitate, ac virtute ordinariam supergressâ in munere illo per ipsos 35. annos versatus. Per longa, & æstuosa itinera nihil quod solem arceret, præter pileum, admittebat interdiu; noctu verò sine lectulo terrâ contentus, pallio pro stragulo vtebatur: si ouorum par admitteret, credebat esse delicias; cùm aliàs totum prandium & cœna illi esset panis tãtùm & caseus. Cilicium æquè gestabat per ter ac domi. Secedebat in campis ad locum aliquem secretum, vbi in se flagris sæuiebat. id quod cùm domi tam dirè faceret, vt alios in commiserationem admirationemque raperet, sui tyrannus pulcherrimo nomine dicebatur. Certè per ipsos quatuor & quadraginta, quibus in Societate vixit annos, non constat illum vnquam, cùm valeret, in lectulo dormiuisse. Vini quoque vsum non nisi æger, & medici iussu, admisit.

Charitas, & eucharis lingua in eo fuit singulari laude memorabilis. Totis manibus prouolabat ad familiaria domi obsequia, si Nouitium, aut alium quempiam oneratum videret.

Anno 1648. in regno Murciæ pestis admodum sæuiebat. Iussus ferre subsidium iis de Societate qui peste afflictis operam dabant, per iter à quinque prædonibus id quod erat suspectantibus interrogatus, affirmauit se pro Patrum illorum vsu auri quidpiam adferre. Attamen ab illis non solùm nihil damni accepit, verùm etiam eosdem se vltrò ad id offerentes comites habuit, vt securis itineribus ad iuuandos sanctos illos viros (vt illi eos appellabant) peruenire t. Per iter sermonem cum illis de diuinis rebus ita sci-
Colloquium Spirituale.

tè habuit, vt eos ad bonam frugem adduxerit; dolenterque peccata fassos & optima omnia pollicitos expiârit. Ne autem aliquid impedimenti supereslet ad vitam benè instituendam, veniam illis Madriti à Rege obtinuit.

Cùm apud optimates in aulis magnâ vbique authoritate polleret, illam tamen maiore sui demissione superauit. Procerum cuipiam, à quo in confessarium eligebatur, dixit: Eligat sibi alium. ego enim non sum tam altis rebus idoneus: sum solummodo ad obsequia hominum infimæ sortis, vltimique subsellij. *Humil.*

Madriti licèt sæpè tempore à caloribus aut frigore importuno, & valetudine afflictâ procul illi eundum esset, ac certatim sese curruum occasiones offerrent, nullis tamen precibus, aut Episcoporum, vel Procerum authoritatibus adduci potuit vt currum admitteret. Cùm quidam ex iis quos Hispania Grandes vocat P. Didaco, tanquam confessario suo, currum offerret, atque vt eo veteretur impensè vrgeret; diserte respondit, malle se potiùs confessarij munus titulumque amittere, quàm currum vel ad vnicum passum admittere. Nec admisit.

Mirabili officij sui gnaritate, ac fide semper integerrimâ tantus erat, vt nunquam in subducendis iis quæ expenderet vel in nummo erasse, nunquam in reddendis tempore suo iis quæ debebat fidei suæ, seu dato verbo, aut præstituto tempori defuisse sit deprehensus. Vnde citra vllam chirographi obligationem promptos reperiebat qui ei mutuum vltrò darent.

Quocunque proficiscebatur, de Deo vbique præsente, ac de eo quod acturus erat negocio cogitabat. Appulsus ad Vrbem quampiam, ante omnia inuisebat sanctissimum Sacramentum: inde opportuno loco quæsito se flagris cædebat. *Eucharis.*

Missæ

Missæ sacrificium cum summa compositæ ad æternas delicias mentis significatione, non sine fusis vbertim lachrymis, celebrabat. Vir grauis, & fide longè dignissimus, disertè affirmauit, constare sibi quòd P. Didacus inter orandum conspectus sit splendore malto circumdatus. *Oratio.*

Silentibus tribunalibus adeò scitè se ad sanctum solitudinis beatæ silentium componebat, vt Anachoretæ nomen inuenerit. *Humil.*

Nullo vacationum, festorumúe obtentu quicquam admittebat, quod corpori blandiretur, nec macerationis aliquid omittebat. Vnde dicebatur, nullam illi virtutem deesse, nisi Eutrapeliam.

Patientiam in rebus planè inexpectatis admirabili silentio testatus est, etiam cùm ab illis veniret occasio à quibus poterat meritò alia omnia expectare.

Cancer viscerum, paralysis, hydrops, febris ardens illi suprema extremæ patientiæ corona fuêre, vsque ad medicorum, & sociorum omnium admirationem. Post extremam vnctionem vixit adhuc diebus 14. velut in vestibulo æternitatis, Christi ac Deiparæ, deinde SS. Ignatij & Xauerij imagines habens præ oculis. Mortuus, maximis quibusque sanctitatis eximiæ elogiis honoratus est. Elogium eius Hispanico idiomate semel ac iterùm typis vulgatum est.

VIII. DIE AVGVSTI.

P. SEBASTIANVS SARMIENTO.

8. August. Hispanus Burgis. 1613. *B V.*

STudiosissimus fuit Deiparæ domi & foris verbo & exemplo celebrandæ. A dæmonibus, qui spectabiles illi sæpè aderant, vexatus, contra illos à Deipara etiam in agone supremo defensus est: quæ illi vnà cum Christo adesse visa eumque solata est, Angelis cæleste Carmen canentibus.

LAVRENTIVS GOREZYN. COAD.

Polonus Gracouiæ. 8. August. 1636. ætat. 17. Soc. 13.

CVm literis vtcumque tinctus esset, atque à Præposito Prouinciali ad Scholasticorum censum inuitaretur, tamen elegit potiùs abiectus inter Coadiutores ad domesticas operas destinari magnâ semper modestiâ & promptâ in omnes partes obedientiæ laude præstans. De morte se diuinitùs præmonitum credebat, & affirmabat; euentu, quoque vaticinationem secuto. Nam inter sacram synaxim, dum animum attentè colligeret moneri se intus adeoque vrgeri persensit vt Beatissimæ Virginis officium quotidie recitaret; annum enim illi superesse vnicum in hac vita. Paruit; & anno illo in virtutem, tanquam anno vitæ suæ postremo, enixè incubuit. Et verò anno euoluto ad extrema deuenit. Supremâ nocte dæmon illi negotium visus est facessere: sed ille Deiparæ opem implorare iussus, ad Beatissimæ Virginis imaginem, vbi eras, aiebat, ô Domina? hostis me suis voluit laqueis implicare. At tibi acceptam reddo de hoste victoriam: Et simul pro actionis gratiarum Carmine Litanias B. Virg. vnà cum iis qui aderant, pronunciauit.

Humilit. *Mort.* *Euchar.* *B.V.* *Inspiratio.* *Mort.*

P. DIDACVS DE TORRES BOLLVS.

Hiſpanus Chuquiſatæ 8. Aug. 1638 ætat. 88. Soc. 75.

IN regno Peruano tumultus contra Regem ortos felici orandi & prudentiæ arte tranquillauit, Eapropter à Rege impensè laudatus, & coram honoratus. Fredericus Cardinalis Borromæus Archiepiſcopus Mediolanenſis, illius virtutem tanti fecit, vt præter arcana ſua illi aperta manum quoque abeuntis oſculo ſit veneratus, eidemque pro Paraquaria prouincia 32. Calices donârit, Româ redux facilè 60. ſocios ex Europa ſecum abduxit; & Paraquariam Prouinciam fundauit, ac rexit. Poſtea in Peruuium reuocatus, in longa paralyſi, quotidianâ ſynaxi ſe armabat ad dolores religiosè ferendos.

Morbus.

P. IVLIVS CÆSAR RECVPITVS.

Italus Neapoli 8. Aug. 1647. ætat. 68. Soc 54.

IN præclara variâque doctrina religioſus in illo decor innatæ ſuauitatis eò lucebat magis, quò eum introſpiciebas magis. Pro concionali pulpito, & pro Philoſophicis ac Theologicis Cathedris cum fructu & plauſu auditus, & in libris lectus eſt legiturque. Eius ad piè moriendum induſtriæ biduo ante illius mortem è prælo Typographi in lucem prodiêre, in quibus rara quædam narrat quæ illi euenêre.

Mors.

B.V.

Vnum ex omnibus refero de Coadiutore Nouitio, qui P. Recupito narrauit ſe à Beatiſſima Virgine præſentiſſimum contra moleſtam tentationem remedium didiciſſe, atque ab illa edoctum illos verſiculos, quos (vtpote literarum rudis, ac ruſticus) hactenus ignorârat. *Maria mater gratiæ* &c. Hos ex ore Deiparæ ſenſim pronunciantis ac repetentis ſe accepiſſe ac memoriâ retinuiſſe; iuſſumque ad conſpectas B.V. imagines illam illis verſiculis ſalutare: tum ſibi promiſſam de tentatione victoriam, & immunitatem; idque aiebat ſe luculenter experiri. Hæc ille Recupito. Sed ipſe Recupitus quantus in Deiparam fuerit, manifeſtum ex iis quæ de illa dixit, ſcripſit, impreſſit.

Tentatio.

P. XIMENIVS BERTENDONA.

Hiſpanus Marchenæ 8. Aug. 1661. ætat. 64. Soc. 50.

CHaritate erga ſanos & ægros, ac ſingulari ad inueniendas vbique ſe demittendi artes ingenio meruit omnium admirationem atque amorem qui cum eo verſabantur. Mirabatur cum literas patentes videret quibus Rector dabatur alicui Collegio gubernando; item quando iuſſus eſt quatuor vota profiteri; cùm putaret ad neutrum ſe eſſe idoneum. Viro cuidam principi, qui eum pro confeſſario flagitabat, perſuaſit tandem vt abſiſteret; non vi ac pondere rationum quibus ſeſe abiiciebat, verùm ne tam inuitum cogeret ad id quod ille vſque adeò formidabat, tanquam rem humilitatis ſuæ oculos perſtringentem. Cùm Collegio cuidam præeſſet, ad concionem dicenti euenit vt hæreret memoriâ. Tum ille palàm dixit; benè ſuam ſuperbiam à Deo caſtigari quòd pulpitum conſcendere ac munus aggredi auderet ad quod non erat idoneus. Putant nonnulli id eum non memoriæ lapſu; ſed ſtudio demiſſionis feciſſe; magno certè populi, viri virtutem æſtimantis, exemplo.

Humilit.

Cùm vanis conſcientiæ terriculamentis miſerè vrgeretur, arripiebat inde occaſionem virtutum nobiliſſimarum. Omnem peccati vel vmbram mirum in modum formidabat; eò quòd

Amor Dei. quòd peccatum, etiam minimum, esset aduersarius amoris Dei. Extremis tamen vitæ diebus reddita est illi pax atque tranquillitas.

Mirabili orandi felicitate cælestes delicias delibabat, cùm familiari vsu, *Oratio.* ad Christi pedes sese abiiceret. Ibi reperiebat dulcem materiam cogitandi, atque orandi. Ibi voluntatem suam diuinæ coniungebat, & sua omnia in holocaustum offerebat: istic inuento veluti thesauro diues.

Morbus. Cùm peste afflatus decumberet, videre sibi visus est Christum amabili maiestate præsentem ad lectulum, ar- *Christus.* ridentem, ac hæc verba dicentem: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* quo ille spectaculo ac *Vita.* verbis adeò est recreatus, vt spem recuperandæ valetudinis, ac deinde pristinam etiam valetudinem, receperit. Magna fuit passim de illius virtute opinio: aiuntque illum Hispali, & alibi ægris manus imposuisse; & illos benè habuisse.

IX. DIE AVGVSTI.

P. IOANNES DAVID.

Hispanus Marchenæ. 8. Aug. 1603. ætat. 64. Soc. 50.

Humilit.

9 August. Belga. Antuerpiæ. 1613. ætat. 67. Soc. 31.

HVnc virum & ante & post initam Societatem zelus insignis & attenta disciplinæ accuratio commendauit. Pluribus Collegiis exemplo & rectione præfuit. Sancta sanctè scribendi ac dicendi arte magnus, & rarus ad varia hominum ingenia variè occupanda. Gandaui cælitum statuæ ab Iconomachis hæreticis deiectæ, illo adnitente quà publicis, quà priuatis impensis restitutæ. Contraci curionem cùm ageret in vrbe patriâ tam flagranter pro re Catholica stetit, vt hæreticorum iussu tertium exulârit. Ibidem exquisita illi domi ad omnem pudicitiam, imò ad seueritatem vsque disciplina fuit semper: vnde nec Matris contubernium admittere voluit; ne matris obtentu aliæ domum frequentare auderent. Durus illi ac vilis lectulus: & penes hunc loculus sepulchralis ex asseribus quasi condendo nunc eius cadaueri adornatus; ad mortis memoriam retinendam.

Fides.

Lectus.

Mors.

P. MATTHIAS BVRNATIVS.

IN Scholis, & Seminariis, iuuentutis ingenium ac mores aptè formabat, sed animos ad fidem frugemque longè aptissimè in iis quas passim habebat sacris expeditionibus per Bohemiæ missiones: in quibus multos orthodoxæ veritati addixit: ea propter à rusticis hæreticis irruentibus, & *Sacerdotem* se ad supplicium quærere vociferatis, capite vulneratus, furcâ fossus, glande plumbeâ de sclopo missâ confectus est. *Germanus in Missionibus Bohemiæ 9 Aug. 1629. Soc. 40.*

P. IVLIVS CÆSAR COTVRIVS.

WRastislauiæ Collegio cùm præesset, totâ aliquando nocte pernoctans erat in oratione Dei pro suis cõtra hæreticos. Si quid à B. V. peteret, præter artes alias, ternas coronas quotidie recitabat. Hemicranij, calculi, & alios dolores pro purgatorij compendio offerebat Deo patientiâ insigni. *Belga. Vuartẽbergæ 9. Aug. 1651. ætat. 55. Soc. 35.*

Oratio. B. V.

Iesum paruulum sub natalis eius ferias in cubiculo prostratus per semihoram quotidie adorabat. Nouę domi Rector cùm esset, ope rogati Angeli custodis, vt ipse aiebat, pecuniam reperit in pluteo, in quo per nullam diligentiam antea quicquam poterat reperire. Glacij peste afflictis seruiuit.

Ang. Cust.

X. DIE AVGVSTI.

P. MELCHIOR NVNNEZ.

10. August. Lusitanus Goe. 1572. ætat. 52. Soc. 28.

HOc authore Ioannes Nunnez, eius germanus, ad introspiciendam Dei voluntatem attentus, Deiparâ consultatrice, Patre Fabro magistro vsus, Societati nomen dedit, factus postea Æthiopiæ Patriarcha. Hic nobilis adolescens, in ipso limine Societatis, heroicâ de se victoriâ reportatâ veruecem humeris per vrbem tulit, aliis risu, aliis admiratione virtutem egregiam prosecutis. Quę in India, Sinis, Iaponia gesserit habet eius vita; vbi etiam de Armenio Episcopo doctè conuicto, ac ne noceret, prouidenter aliò destinato. In Sinarum portu, cùm intelligeret eorum quendam qui istic erant, interfuisse S. Xauerio morienti thecamque Xauerij habere, impensè apud illum egit vt ab eo pignus tam nobile extorqueret: Æneum ac rude receptaculum erat, quo recluso repertum istic perexiguũ, quiddam è lipsanis S. Thomæ Apostoli, nomen *Ignatij* ex epistola fortè resectum & professio ipsius manu Xauerij exarata.

Nouitius.

Fides.

S. Xauerij Thecula reliquiar.

P. IOANNES SANGENOTIVS.

Lotharingus Burdigalæ. 10. Aug. 1587.

ET agendo & contemplando fuit præclarus. Ineunte Augusto, cùm quæreret è valetudinario ecquis illi Sanctus in communi cælitum sortitione obuenisset, audiretque Sanctum Laurentium, adiecit. Idem & mihi, quare oremus illum vterque vt illo die in Paradisum admittar. Noctu Christus illum & Christi mater in quiete suo aspectu recreauêre; id quod ille manè cùm Præposito Prouinciali retulisset, affirmatè dixit; Triduo post migrandum sibi esse de vita. Et quo prædixerat tempore migrauit, benè vndequaque ad mortem præuisam compositus, atque ab ipso Christo & Virgine præparatus. Incompertum mihi & an hic sit idem cum P. Carolo Sanginot, de quo dixi 7. Augusti.

Mors.

B. V.

AVGVSTINVS OTA NOVITIVS.

Iapon. Ikoniscimæ. 10. August. 1622.

ABonziorum institutione anno 15. ætatis ad Christi disciplinam transiit. Camboensi ædi sacræ aliquamdiu seruiuit; & sacerdotis (cùm abesset) vices, quà licuit, populo in fide confirmando suppleuit. Nangasachi vxore mortuâ viduus operam suã Societati addixit, fidelis catechista, & operarius impiger. Cùm esset P. Camilli Constantij comes in carcere, Societatem à Præposito Prouinciali per literas impetrauit, à Camillo commẽdatus, atque admissus: & postridie in fidei Christianæ odium cędendus, vota, de Societatis more, concepit. Camillus flammis, Augustinus ac socij securi percussi cecidêre, corporibus in mare abiectis.

Fides.

P. NVN-

P. NVNNIVS VILLAVICENTIVS.

Hispanus Genuæ. 10. Aug. 1650. ætat. 42. Soc. 16.

HIc vt familiæ illustris primogenitus, cùm lauta sua hæreditate se exueret, tria solemnia vota professus est ante annos 19. quatuor verò vota Professis ante annos octo adscriptus. Româ in Hispaniam iter adornans, Laureti Deiparam inuisit, & ibi diuino instinctu ad vniuersæ vitæ rationes pro sacro pœnitentiæ tribunali reuidendas permotus, id præstitit valdè tenero animi sui sensu, æternitati se parans licèt tunc adhuc probè valens. Æger nunquam è ceruicali aut etiam è manibus Deiparæ imaginem dimisit; aiebat enim hanc dominam esse totam rationem consolationis ac spei suæ. Nec debet vocari in dubium hæc illi à Deo per illam fuisse impetrata, quippe qui constanter quotidie sanus & æger quoddam è S. Bonauentura excerptum Deiparæ officium recitaret *ad impetrandam gratiam in articulo mortis.* Etiam ante Societatem initam religiosa quædam in illo modestia elucebat. Manè horâ præstitutâ orabat. Corpusculum ciliciis & flagris exercebat ad virtutem. Aurum sibi à suis datum diuino cultui & pauperibus distribuebat. Bis quot hebdomadis pœnitentiæ ac S. Synaxeos Sacramenta obibat, feria 6. & Sabbato ieiunabat; quem morem totâ deinceps vitâ tenuit. Hæreditatem lautam quam à Patre, Matre, ac Matris sorore expectabat, lubens cum Crucifixo commutauit, Societatem ingressus: & quò fuit ditior atque nobilior, eò erat in Societate ad omnium pedes abiectior. Vestes amabat colore ipso viles: Sabbati diebus honori Deiparæ in culina quidpiam humilis officij obibat ad ollas, & in triclinio flagris in se animaduertebat. Hispali Inquisitionis Qualificator, postea Romæ Assistentiæ Procurator fuit: quo tempore anno 1647. 26. Iunij decisiosionem Rotæ obtinuit quâ declarabatur Collegia nostra non per priuilegium, sed verè ab intrinseco pro mendicantibus haberi debere, & esse. Ad negotia feliciter peragenda præter sacra, stationes &c. vtebatur etiam operâ seu ope *S. Mariæ Maioris*, quam sabbato visebat quothebdomadis, & ibi de genibus diu atque attentè rosarium recitabat. Vt diuinum officium religiosè magis exequeretur citra interuentores, è cubiculo ad secretum angulum quempiam secedebat, vbi minimè inueniretur.

B.V. *Mortif.* *Humil.* *Sabbat.* 26. Iunij.

P. RENATVS MENARD.

Gallus in noua Frãcia. 10. Aug. 1661. ætat. 57. Soc. 37.

COnfecto Theologiæ cursu, biennio humanitatem, & alio biennio Rhetoricam, in scholis explicuit: postea anno 1640. Canadensem Missionem impetrauit. Algonquinos, Hurones, Iroquæos excoluit tanto fructu, vt *Fructuosi* appellationem fuerit apud socios, consecutus. Facundiam illius præter insignem dicendi dotem commendabant etiam suaues lachrymæ quas fundebat. Singulis noctibus tres horas dabat precationi; nec inermi. Nam assiduo se afflictandi studio, ac perpetuis ieiuniis fuit mirabilis, nudâ humo contentus pro lectulo per annos viginti vsque ad mortem. Per plures annos nullam panis micam, nullam vini guttam gustauit.

Zelus. *Oratio.* *Mortific.*

Sæpè sub armata minacium barbarorum manu mortem sperabat potiùs quàm timebat. Vidit lætus etiam ignem quem illi exurendo barbari præparârant. Famem magnam, grandia itinerum incommoda, & naufragia

crebra perpessus, aliquando vix viuus euasit è flumine congelato.

Anno 1657. inter Iroquæos vnicæ hiemis labore tantum profecit, vt quadringentos sit Christo lucratus, qui viuebant ferè instar Ecclesiæ quam primitiuam vocamus.

Cùm ingenio esset ardenti, atque difficili tamen adeò se subegit ac mansuefecit, vt fuerit benignissimæ charitatis, & omnibus Patris ac matris instar.

Sæpè illi humeris baiulanda erat nauicula è cortice arborum, quâ per occurrentes torrentes vehebatur. Fames illum aliquando ad glandes, & ad arborum cortices aquâ maceratos edendos adegit.

Illud ei magnum laborum pretium fuit, quòd plures infantes, inconsciis parentibus, baptismate lustrauerit, qui breui è vita discessere.

Ad Hurones vocatus, in arduo illo itinere vel ærumnis confectus, vel à barbaris enectus est. Certè barbarus Algonquinus, dixit, sibi eius cadauer visum: sed nullo præmio adduci potuit vt illud aliis ostenderet; eo, vt putabatur, metu, ne è cadauere sanguis erumperet, ac illum proderet, ceu necis authorem. Suspectādi occasionem præbuit etiam nonnulla P. Renati supellex apud barbarum illum agnita. Quicquid sic, videtur impetrasse id quod optabat sæpè, vt moreretur desertus ab omnibus instar S. Xauerij morientis.

XI. DIE AVGVSTI.

P. IOANNES A CAMPO.

11. August. Hispanus in Mindanao. 1596 ætat. 33. Soc. 8.

vid. 7. Iulij.

Mortific.

Mors.

MAgno effuso virtutum odore cessisse illumè vita produnt literæ, incredibili feruore pietatis, humanitate, dexteritate comitate, laboribus, obedictiâ, in seipsũ victoriâ & seueritate quâ acer ipse sibi ac aduersarius, ciliciis verberibus, ieiuniis vigiliisq; corpus atterebat, etiã in bellica expeditione; adeo vt à comite persæpè fuerit monendus. Vehementer dolebat se mortem sine diuino viatico debere oppetere. Nam ita res ferebat, sed compensabat quà poterat iacturam tantam iam ante vnà cum morte præuisam. Etenim ferunt literæ, Ioannem octiduo antequam moreretur cùm Hispano militi sacram præberet Eucharistiam dixisse. Age gratias Deo, frater charissime, qui te sui sacratissimi corporis fecit compotem: sed væ misero mihi, qui octauo die moriar, neque erit qui me tam diuino beneficio afficiat. Ita euenit.

BERTRANDVS MONODOLIVS. NOVIT.

IVuat huius nomen silentio non præterire ob mortem lætabilem, quam victor tyro hic noster oppetiit. Iam parentes peruicerat, & se ad Societatem contulerat; cum importunus dæmon rigidum Societatis institutum obiectans illi suggerebat ecquid posset adeò seuerè 40. annos, quibus adhuc victurus erat, traducere? Præ manibus illi erat vita S.P. Ignatij à Ribadeneira perbenè conscripta. Hunc ille librum in illo æstu cogitationis fortè aperiens, in libri 1. cap. 6. incidit vbi sub ipsum ferè capitis exordium illa legit

Gallus Lugduni. 11. Aug. 1607.

Vocatio.

Lectio.

Tentatio.

legit verba Ignatij dæmoni 70. vitæ seuerioris annos obiicienti respondentis: *Nunquid tu mihi vnius horæ spatium certum præstabis? vitæ enim momenta non in tua, sed in Domini sunt potestate: & 70 anni laborum ac pœnitentiæ quid sunt cum æternitate collati?* Ita victum abegit. Et fuit ea victoria non longè positæ mortis præludium. Etenim sanguinis fluxu exhaustus, & breui morti admotus, Christi & damnatorum pœnas voluebat animo, ac lætus cogitabat quòd per summum Dei beneficium in Societate vitam deponeret. Petiit etiam corpus morti iam proximum diuerberatione cruciari, & velut præparari ad mortem. Tum votis conceptis *Te Deum laudamus* à sociis voluit recitari, mox ipse adiecit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi &c. Et Iesvm dixit pro Indulgentiis, ac obiit.

Mortific. Mort.

FRANCISCVS
CAGVINVS. COAD.

Gallus Lugduni. 11. Aug. 1617. ætat. 71. Soc. 56.

Hvic & species corporis & prudentia & sibi præsens ac pace suâ tranquillus in rebus gerendus animus magna promittebant. At ille maluit in Societate degere Coadiutor, ne sacerdotio quidem, quod illi offerebatur, admisso. Pro donis Catechisticis ante initam Societatem 35. aureorum censum instituit; in Societatem quoque egregiè liberalis. Æger ad extrema deductus Deum pro defuncti iam ante Magistri sui P. Bartholomæi de Guillelmis nomen inuocans, ipsum Patrem coràm dicitur conspexisse, & mox consanuisse. Innocens illi ac tenera in Societate conscientia; sed de anteactæ vitæ peccatis sollicitus dolorem aliquem à Deo pro illis expiandis petiit, & repentinus idemque acerrimus dentium dolor illum inuasit. Illud in eius elogio singulare, quòd Beatissima Virgo Dei mater se Franciscо spectandam per quietem persæpè præbuerit: neque vnquam ei aliquid petenti quicquam negatum ferunt. Inter quæ illud quoque à Deo per illam obtinuit, vt in Societate per tot annos viueret, quot egerat in sæculo antequàm Deo se in Societate manciparet.

Æger.

Pœnitentia.

BV.

Gallus Lugduni. 11. Aug. 1607.

Humil.

P. MATTHÆVS
GRIMES. BAZIER.

Magnâ impigritate, periculorumque contemptu in Anglia sagax, & ad sacras operas planè factum ingenium, diu exploratorum solertiam exercuit, & elusit. Tandem in suspicionem vocatus quòd esset Sacerdos Catholicus; per plures menses in custodia tentus, ibi ærumnis ac situ consumptus est; lætus quidem quòd in causa tam nobili captiuus moreretur, sed ad cruentam eadem de causa mortem desiderio toto impensè anhelans.

Gallus in Anglia. 11. Aug. 1650. ætat. 42. Soc. 18.

Fides.

XII. DIE

XII. DIE AVGVSTI.

P. STEPHANVS KABES.

12. Auguſt. Hungarus in Tranſyluan. 1603.

Charitas.

HVnc inter Heroës & victimas charitatis collocat Alegambe, aitque cum aliis duobus in Siciliam abiiſſe, cùm Claudiopoli exturbatus in exilio degeret. Ibi lue graſſante infectis iuxta ſaniſque iuuandis toto animo incumbens & aures confitentibus præbens, corpora ſepeliebat, magno pietatis ardore; donec & ipſe tandem lue illâ correptus, ac è viuis ereptus eſt. Porrò idem ibidem de Stephano ſic: Loco nobili apud eoſdem ipſos Tranſyluanos ortus, & Hungaricarum rerum apprimè ſciens fuit; cuius eò iactura grauior & nobis incommoda & populis ipſius iã charitatem expertis dolori fuit. Cæterùm neque ſemetipſe charitatis officiis, tũ cùm ſe ſenſit afflatum, eripuit; Neque concionari, aliaúe obire publicè munia deſtitit, donec inualeſcente morbo ad lectum affixus eſt; vbi tamen eam quoque quam potuit, aduentantibus ad ſe diligentiam, ad pridie vſque mortis ſuæ, quæ in diem duodecimum Auguſti incidit, ad animarum vtilitates nauauit morte abſumptus nobiliſſimâ in nobiliſſimo opere charitatis.

MAG. IOANNES BITTER.

Germanus Paderbonæ 11. Auguſt. 1619. ætat. 33. Soc. 9.

DE hoc ſic habent literæ P. Chriſtiani Lennep Rectoris Paderbonenſis 5. Ianuarij 1630. exaratæ. Ioannes Bitter magnâ cum laude & virtutis teſtimonio, humilitatis, charitatis miſericordiæ operum in pauperes (quibus alternis diebus eleemoſynam ad portam Collegij diſtribuebat) ſtudioſus; valdè obedientiæ tenax ſuperioribus intimos animi ſenſus libenter patefaciens, B. Virginis cultor ſingularis, cui multas quotidie preces (& maximè pro felici morte impetranda) recitabat, denique talis, in quo vix erat aliquid quod magnoperè reprehendi ac deſiderari poſſet. Hic per in ſomnia & peruigiles ducẽdo noctes in æſtiuis caloribus (quales in his locis multis retrò annis non fuerunt) in amentiam ac delirium incidit, & pro obiecto ſtultitiæ ſumpſit Architopel ex Tragædia Abſalonis quam exhibere parabat, & in qua tunc totus erat. Et vt erat ſeuerus in ſe, & admodum rigidus, morbi cauſas contempſit, neque vlli ſuperiorum patefecit.

Die 12. Auguſti 1629. à prandio hora 4. pomeridiana, cùm ego quædam Collegij cubicula viſitarem, huius fratris etiam cubiculum ingreſſus inueni illum flexis genibus reſupino & reiecto in parietem capite ad omnem pietatis & patientiæ ſignificationem compoſito vultu Quo viſo vehementer commotus & pauefactus, ſubito (vti ego opinabar) deliquio tactum inclamo & ingemino nomen IESVS, domeſticos voco atque etiam medicum & chirurgum, quĩ multò ante mortem ad auertendos à pectore noxios humores (quibus valdè abundabat) cauterium ipſi in ceruice inuſſerat. Hi ſtatim adfuerunt & catarrho extinctum pronunciarunt, materiâ noxiâ in fauces & pectus defluente. Ego verò

verò licèt de salute ipsius omnis ante acta vita me benè sperare iuberet, anxius tamen ad meum & aliorum mœrorem leniendum rogare dominum cœpi vt dignaretur me de salute eius reddere certiorem eo modo quo ipse sciret & vellet, ieiunaturum me omnibus septimanis per omnem vitam semel die Sabbati in B. Virginis & S. Ignatij honorem; scire dominum me hoc nulla curiositate ductum petere.

Sabbatum.

B. V.

S. Ignatius.

Has preces animo conceperam: & ecce cœpit se spiritus quidam in templo præbere spectabilem. Quo viso inscius omnium ac territus sacristanus ad me accurrit. Instruo hominem quid facto sit opus. Cùm igitur post illius mortem obiissent adhuc alij duo fratres, videlicet Petrus Hauzeur & Petrus Rhor, ambo dissenteria & febri, abiui ego Hildesium à P. Prouinciali euocatus. Interea spiritus ille iterùm se obiicit 16. Aug. Sacristano ante altare S. Crucis supra tumulum in quo sepultus erat Petrus Hauzeur & illum ipsum vestitu, colore, lineamentis, vultu exprimit; quem cùm resumptis animis Sacristanus alloqui pararet, prior ipse spiritus occupat: Noli, inquit, timere à Deo missus adsum. Cui ille, vti fuerat à Rectore edoctus, si tu inquit à Deo missus es, hæc verba repete. *In nomine SSS. Trinitatis, & B. Virginis, & omnium Sanctorum qui sunt benedicti in omnem aternitatem.* Deinde edissere quid velis. Repetit Spiritus totam sententiam distinctè & alacriter exhibitâ altari & venerabili Sacramento reuerentiâ. Deinde subiungit: Iussu Dei dantis id precibus Ioannis Bitter, & Petri Rhor adsum, ac iubeo te referre Rectori tuo, & aliis, Ionnem Bitter altero sacro è Purgatorij flammis ereptum, Petrum autem Rhor breuiore tempore peccatis expiatis ad cælum abiisse. Sacristanus qui sibi inter initia sermonis timorem demptum & tranquillitatem allatam sentiebat, animosior redditus. Tu verò, inquit, quandiu in Purgatorij flãmis detentus es? Hoc, inquit, spiritus perinde est: tuâ ope non indigeo nam & mihi parata est beatitudo æterna apud Deum & Sanctos eius. iam in tertium vsque diem commoditatem te alloquendi hîc præstolari iussus sum, & hac legatione functus, ad cælos ibo. Cur ergo, ait Sacristanus, in consueta veste, eodemque corporis habitu quo eras, cùm apud nos viuetes vteris? ne te, inquit spiritus, terrerem: Sed tu abi: & hæc quæ dixi renuncia Rectori tuo, & aliis. Eo dicto in pulcherrimum, & splendentem totius corporis habitum translatus, & ad aliquod spatium eleuatus, disparuit; ac Sacristanum tantis lætitiis incedentem reliquit, vt domi quæsitum sit à multis, quæ tandem gaudij causa esset? Et expresserunt quidam vt referret priusquàm ego reuerterer Hildesio. Alterâ deinde luce cùm lampadem concinaret Sacristanus, accedit iterùm Spiritus Petrum Hauzeur repræsentans splendidissimâ veste albâ amictus, & relucente vultu ac iucundissimo; obseruasti, inquit, quæ heri tibi mandaui Rectori referenda? Caue excidant memoriâ, & scribe. Cùm Sacristanus se accuratè tenere omnia diceret. Laus, inquit, Deo! Ego ad te non reuertar vltra, & exhibitâ Venerabili Sacramẽto reuerentiâ, inflexione corporis, eodem quo pridie modo in altum elatus disparuit. Ego licèt sciam diabolum se posse transformare in Angelum lucis, cùm tamen nullum habeam vel minimum indicium mali spiritus; sed potiùs omnia signa boni: fateaturque Sacristanus se memoriâ eius apparitionis vehementer in bonũ impulsum esse, & multorum dierum admirabili gaudio perfusum; existimo apparitionem hanc à Deo & bo-

ni Spiritus esse. Ita ille.

P. IOANNES BERNARDVS THANHAVSEN.

Germanus Græcij. 12. Aug. 1634.

ILlustris comitum familiæ primogenitus cùm esset, Societatem inituras Græcij Philosophiæ magister creatus, missum sibi à Ferdinando II. Imperatore aureum torquem palam in theatro è Legati manu accepit Romæ Theologiam cum defenderet, dictum est; illius ingenium & doctrinam iam tum docendæ Theologiæ parem esse. Franciscus Ioannis Germanus Mussiponti extinctus, amitæ Sanctimoniali splendida in veste apparuit, vt fama est, & dixit se Societati nomen daturum fuisse, si vixisset. Nunc verò id fratrem sui loco facturum. Is fuit hic Ioannes; quem longo postea interuallo Ignatius quoque secutus est, adeò vt hæc familia Societati duos fratres & quatuor Collegia dederit; Iudenburgense, Fluminense, Styrense, Zagrabiense, cum tertiæ probationis domo, & fundatione Missionum quæ est instar fundati Collegij. Viuax, & excitatum illi erat ingenium, de quo sibi Mutius Vittelleschus Præp. Generalis magna promittebat; & cuius æstum charitate ac patientiâ sustinendum moderandumque censebat Georgius Forro Austriæ Præpositus Prouincialis, Mutio illam prudentiam magnoperè per literas probante atque laudante, sæuiente postea in Styria lue è Logicis discipulis suis vnum charitate abreptus inuiserat, eique seruierat: inde illi lues, & mors. Octauo ferè post illam die socio cuidam per quietem speciei subtristi se spectandum dedit ore ac manibus inflammatis. Illo dicente. Omi pater, ora pro me; respondit: quin tu potiùs ora pro me. Quarto ferè post die curatis interea pro illo sacris & precibus, ad fuit eidem per quietem serenus & dicens: *Ego venio in testificationem.* Et videri desiit. Plura de eo in vita.

Vocatio.

Permissu.

Lingua.

Purgator.

GILBERTVS MIDLETONVS. SCHOL.

ROmæ in Scotorum Collegio degebat in Societatem necdum adscriptus & dabat specimen eximiæ pietatis cùm 4. nonnunquam sacrificiis interesset, nec iocationes irrisotum contubernalium moraretur obiectantium, quòd nimium esset pius. In aditu tyrocinij sacræ illæ S. P. Ignatij exercitationes ita illi arridebant, vt vna hora non nisi quarta horæ pars illi fuisse videretur. Quocirca singulis illis commentationibus alteram horam propè integram adiungebat; quò suo animo liberaliùs indulgeret. Interorandum vix aliò aberrabat Gilberti mens, adeò totus orabat. Per viam asperam iter aliquando cum nouitiis peregrè faciens, aliis è saxis & cœno eluctatos se dicentibus ille nihil eâ viæ asperitate sensit se à cælestibus cogitationibus auocatum. Aliàs nudis manibus spinas ad iter expediendum tractans licèt cruentas manus haberet, dolorem ne aduertit quidem. Videbatur in quodam lumine habitare corde sursum surrecto. Manè quotidie per S. Augustini manus, velut in Thymiaterio, æterno Patri offerebat thymiama, Sanctorum cineres, lachrymas Beatissimę Virginis & Christi sanguinem pretiosum; vt sic per illos gratias Deo pro beneficiis redderet ampliores, & gratiores. Aliquando etiam à Patribus vt sacrum votiuum de S. Augustino facerent impetrabat. Regulis innitebatur vt fundamento, easque vocabat medullam, compendiũ, florem perfectionis. Examinis particularis.

Scotus Romæ 12. Augusti. 1619. ætat. 24. Soc. 4.

Exercitia.

Oratio.

Manes S. Augustini.

cularis corollam seu decadem brachio alligatam retinuit, vsque ad mortem. Cùm sanguinem è pectore affluenter sibi per os erumpentem videret, illius pro Christo fundendi cupidus hæc identidem repetebat: Domine mi, omnia martyria mundi. Pro imminente mortis articulo, *Te Deum laudamus* in gratiarum actionem recitauit, sensu planè insigni, & professionem fidei è Tridentini formulâ instaurauit. De Gilberto mortuo facta est laudatio in Collegij Romani triclinio ab vno è Patribus, qui duo potissimum eius apophtegmata ponderauit. Alterum; *Anima mea cognouit te nimis: propterea ego sum semper in te & tu in me per orationem habitualem.* Alterum: *Potiùs mori quàm tepidus fieri*: Conditus est præter communem morem in loculo separato.

Morbus.

Scotus Romæ 12. Augusti, 1619. ætat. 24. Soc. 4.

Exercitia.

Oratio.

Mors. S. Augusti.

P. FLORENTIVS MONTMORENCY.

Belga Insulis, 12. Aug. 1619. ætat. 79 Soc. 60.

ROmæ ad Societatem, sed in Belgio ineundam coram admisit Florentium P. Claudius Aquauiua, & P. Manaræo de illo scripsit; videri à se illum idoneum, in quem aliquando vniuersa Societatis gubernatio posset incumbere. In Societate postea quàm Philosophiam ac Theologiam septẽnio explicuit, præfuit quà Collegiis pluribus, quà Patribus tertii anni. Prouinciam Gallobelgicam bis, semel Flandrobelgicam administrauit; & vtramque postea visitauit nomine Francisci Picolominei Generalis; vti iam antea Austriacam & Bohemicam nomine Mutij Vitelleschi Generalis visitârat. Romam primùm Gallobelgicæ Procurator, postea bis Elector ad Generalem Congregationem est missus. Apud Vincentium Carafam fuit Germaniæ Assistens, & ab eodem designatus Vicarius Generalis. Omnibus propè Societatis Magistratibus functus est, vnicâ suprema Præfecturâ exceptâ, ad quam tamen etiam fuit non vnâ suffragatione postulatus. Ad hæc officia, licèt non eodem ordine gesta quo narrata sunt, parem attulit sapientiam & virtutẽ. Crucifixus illi, per iter potissimum, semper pendebat è collo ad crebra oscula opportunus, atque ad consilium capiendum. In rebus dubiis etiam SS. Sacramentum consulebat: & si adire non posset, è cubiculo salutabat, petebatque consilium. Profunda illi erat erga Dei matrem reuerentia cultusque assiduus. Noctu si quid somnum abrumperet, eam è corolla variis artibus salutabat; per iter, licèt ære campano minimè moneretur, illam manè, meridie, vesperi verbis Angeli reuereri non obliuiscebatur: obuias Deiparæ icones capite modicè inclinato, & gressu quoque quandoque suspenso venerabatur. Commemorabat aliquando, non sine manãtibus vbertim lachrymis, se ad Societatem eò pellectum, quòd in ea Sodalitates adeoque varias eam colendi artes vigere perspiceret. S. Catharinæ Senensis ac S. Gertrudis diuinitus id edoctarum exemplo (vti narrabat ipse) certas sibi easque quotidianas è breuiario preces ad notârat pro Ecclesiæ vniuersæ progressu, tanquam pro re pergrata SSS. Trinitati.

Crucifixus.

B V.

Vocatio.

Oratio

Sanctorum cultui extendendo Romæ plura Sanctorum corpora impetrauit, quibus multa quà Societatis, quà aliorum templa religiosè locupletauit. Erga sibi cognomines tamen Sanctos singulari præ aliis pietatis affectu ferebatur.

Nunquam pedem prius è cubiculo efferebat aliquid negotij aggressurus, quin prius SS. Sacramentum, Beatissimam Virginem, Angelumque custo-

Negotia.

dem consuleret de genibus, ãc eis negotium commendaret. Salutabat obuiorum Angelos custodes.

Charitas erga senes, ægros, hospites, exules afflictos multis paternæ suauitatis ac eximiæ liberalitatis exemplis firmata in illo semper emicuit.

Mortif. Hebdomadam ita distribuerat; vt aliis diebus aliis se modis excruciaret. Si extrariorum epulas declinare non posset; illas non adibat nisi cingulo aculeis aspero ad renes circumducto, & cruce cuspidibus item pectus lancinante armatus.

Examinis particularis etiam extremo in senio, incredibilis in parendo accurationis, ordinis disciplinæ domesticæ, charitatis erga omnes fuit retinentissimus. Cùm regeret, aiebat: *homo vnus, homo nullus,* adeoque lubens auscultabat quid alij iudicarent, facileque in aliorum ibat sententiam probè expensam. Hodierna in crastinum minimè differebat, & ne quid per inconsiderantiam omitteret, schedulam pulpito affixam habebat præ oculis, indicem agendorum; nullius oculos veritus nisi Dei; & ausus disciplinam contra quoscunque tueri, nullo metu respectuum humanorum: id quod illi sanctum fuit etiam in superioribus diligendis, cùm eos proponeret Præposito Generali. Cùm per oculorum caliginem & virium imbecillitatem diuinis operari extremis temporibus *Euchar.* iam non posset, quotidie ad extremũ vsque diem sacræ Eucharistiæ pane Angelico refici voluit. Crucifixum è collo pendulum identidem exosculatus aiebat inter alia: *In manibus tuis descripsisti me: lege scripturam tuam & salua me.* *Cruciſ.*

Monebat superiores vt in arduis, *B.V.* diuinæ Matris ac S. Patris Ignatij opem *S Ignat.* enixius implorare assuescerent. Ad principem Robecanum suum è fratre nepotem præclara documenta epistolâ complexus dedit.

XIII. DIE AVGVSTI.

IOANNES CAROLVS
BERCHMANS SCHOL.

13. August. Belga Romæ. 1621. ætat. 22. Soc. 5.

DE Societate ineunda deliberabundus, 25. Florenos, quos tunc fortè habebat ad manum, trifariam diuisit; & partem pauperibus, partem sacris celebrandis ad B. V. aram Louanij, partem eisdem ad B. V. Aspricollis curandis dedit; vt lucem à Deo per B. Virginem impetraret, moxque conceptam animo Societatis petendæ destinationem voto firmauit. In Societate Deiparę ac regularum studio fuit ad admirabilitatem vsque excellens vno die selecto quot mensibus quo se colligeret: Perpetua illi sine vllo lethali peccato constitit innocentia, vt ferunt; & B. Aloysij imitatio ipsum Aloysium propè assecuta. Moriens coronâ B. Virginis Crucifixo & regulis alligarâ. *Hæc,* inquit, *tria mihi charissima; cum his libenter moriar.* Lugdunenses huius anni epistolæ affirmant; eo die, quo ille Romæ diem obiit, visum esse per quietem piæ Virgini iuuenem è Societate in Sarcophago ante altare iacentem B. Aloysio meritis parem. Eius cor postea istuc allatum osculata & tota deliciis illiquefacta cùm oraret in templo, audire sibi visa est illius adolescentis cor hoc esse quem viderat iacentem in templo Aloysio parem. Anima eius, (inquit P. Iacobus Stratius Flãdrobelgicæ Prouincialis) cuidam

B.V. *Vocatio.* *Mens.* *Cor.*

B.V. cuidam è nostris à Beatissima Virgine stipata altero iuuene induto superpelliceo cum magnâ gloria in cælum deduci est visa. Mantuæ verò triduo post mortem sexagenariæ Virgini eximiâ virtutis famâ celebri orationi summo mane deditæ à sensibus abreptæ illius sepultura ac virtus admirabilis reuelata fuit. Id quod illa P. Alexandro Capreolæ mox narrauit. De illo Philosophiam defendente dicebatur; Angelum, si humanâ carne amictus id munus obiret, non maiori modestiâ id facturum. Eius parens viduus sacerdotio erat initiatus cùm Ioannes in tyrocinio degeret. Illum ergo per literas enixè rogauit, vt ad aram B.V. Aspricollensis ter de Spiritu Sancto sacrificium offerret Deo, ad B. V. patrocinium impetrandum pro votis religiosè nuncupandis. Plura in eius vita. Narrauit mihi anno 1641. P. Hieronymus Ferrantinus, vir fidei integerrimæ, quòd cùm ipse in Coll. Romano Philosophiam doceret eo anno quo Ioannes Berchmans decessit, alterâ nocte à morte Berchmani quidam ex illo Collegio viderit Beatissimam Virginem in sella sedentem, succollantibus baiulis B. Aloysio Gonzaga, & Ioanne Berchmanno in sociorum coronam quæ frequens aderat inferri. Interrogauit Ferrantinus Virgilium Ceparium tunc Rectorem, an id verum esset: is rem ita se habere dixit; & homini cui species illa oblata erat nominauit. Fuerit id symbolum, ab illis illati sæpè de Beatissima Virgine Matre sermonis in familiari cum sociis consuetudine.

Modestia.

B.V.

Euchar.

Cruciſ.

B.V. S Ignat.

Mort.

Cor.

DIDACVS ALPHONSVS. COAD. NOVIT.

Indus Potosij. 13. Augusti. 1625. ætat. 45.

MOrtem suam sexto inter tyrones mense aliquot ante illam diebus prædixit. Biduo ante mortem à Beatissima Virgine singulariter per quietem recreatus, copiosum amplæ suæ erga illam pietatis fructum tulit. Negabat tamen sibi faciem illius visam verùm vestem tantùm; quam aiebat pulchriorem fuisse quam vel cogitatione concipi possit. Ita pluribus aliis quoque de cælo deliciis recreatus ad æterna concessit. B.V.

P. ADRIANVS CRVCIVS.

Belga. Antuerpiæ. 13. Aug. 1619. ætat. 52. Soc. 32.

IN regendo, docendo, ægros tractando eximius fuit; & in illorum obsequiis, heroum morte extinctus est. Etiam post continuam noctis integræ apud ægros peruigilationem, tamen indulgere sibi noluit, quo minùs manè cum aliis pro more orandi horam flexis genibus traduceret meditando. Illi qui spectris erant obnoxij aiunt se vidisse spectra cessisse P. Adriano. Quotidie in se flagello sæuiens ita se auditus est identidem compellare: *Adriane, sanguinem pro sanguine.* Quotannis certum quidpiam palato gratorum fructuum genus deligebat, quod Beatissimæ Virgini eum in annum offerret indictâ sibi ab eis abstinentiâ in eum annum pro quali quali munusculo Deiparæ oblato.

Mortifie. Oratio.

Mortifie.

B.V.

P. FRANCISCVS RAVLINVS.

Italus Parmæ. 3 Augusti. 1657. ætat. 46. Soc.

ROmæ Rhetoricam & Philosophiam, easdemque disciplinas Rainutio Duci Parmensi tradidit Parmæ; ibidem demum Theologiæ per decennium explicandæ magnâ & pietatis & ingenij eum laude intentus. Mores Angelici amorem illi omnium impetrabant; cùm Virginea quædam

pectoris ingenui innocentia in eo emicaret, omnibus qui eum norant id ab eius morte testatis, illum non Virginitatis modò integritate, verùm etiam perpetui ab omni grauiori labe innocentiâ commendabilem videri, quantum quidem humana assequi potest opinio. *Humil.* Animi submissione plusquam ordinariâ, se infra omnes abiiciebat; quosuis etiam infimæ fortunæ mortales modestâ reuerentiâ prosecutus, *Zelus.* duas puerorum ac adolescentum Sodalitates instituit, quarum altera è pueris infimæ sortis coaluerat. Altera è filiis mercatorum: vtramque mirâ constantiâ in rebus fidei ac pietatis perdiligenter, fructu omninò insigni erudiebat; Catechesis per vrbem quoque tradendæ curâ deinde susceptâ, vnde illi magna omnium veneratio coorta est. Aliud præter ea è selectissimis scholasticorum sodalitium instituit, cuius scopus erat, ad perfectionem erudiri, fidei mysteria meditari, solidâ virtutum etiam palàm exercitatione sese excolere. Inde se plures ad religiosa castra recepêre, iam probè instructi. Agenda quotidie vt sapienter exequeretur non tantùm animo destinabat, sed & scripto sibi præscribebat, accuratè religiosus in omnibus ac attentus. Deiparæ festa præueniebat arcto ieiunio, nullo ad cibum obsonio admisso. Literæ de illo Romam ad præpositum generalem Gosvvinum Nickel perscriptæ atque à Præposito Prouinciæ missæ aiunt; Sanctimonialem spectatæ virtutis, & fidei, ac raris Dei beneficiis ornatam scripto chirographo persanctè testatam oblatæ sibi speciei huiusmodi meminisse. Audito æris campani signo quo P. Francisci mors nunciabatur *Mors.* visam sibi videre illius animam specie paruuli annos nati ferè duodecim, veste albâ & perinsigni velut Lunæ stellarumque micantium splendore perfusa; quam Christus amplexu auido *Christus.* sibi amanter admouebat, moxque aperto atque hianti pectore includebat. Dei matre propè in sublimi sese ostendente cum S. P. Ignatio, cui Christus *B V.* dixerit: Accede, Ignati; perfruere meis tuisque laboribus. Hæc illa est *S.P.Ignat.* anima, quæ me in suo corpore clarificauit: hoc illud caput quod toties meis inuolutum est spinis. Caput istud nũc *Crucifixus.* liliis redimitur. Capitis factam mentionem particularem ita interpretabatur; idcircò aliis præhonorari, quòd legem diuinam impensiùs docuisset. Addebat vulnus lateris in Christo sibi tam admirabile visum fuisse, vt omnem bonitatem ac pulchritudinem continere videretur, Dominum verò de Francisci corpore, adiecisse, locum in quo ipse conderetur se signaturum, & semper in oculis habiturum, sicut mortales floridis hortis recreari solent. Tres ferè horæ partes hoc sibi obiectum spectaculum tenuisse, neque postea de morte illius cogitare potuisse quin toto corde incalesceret.

XIV. DIE

XIV. DIE AVGVSTI.

P. HIERONYMVS PLATVS.

14. August. Italus Romæ. 1591. ætat 46.

CONspicua illi ad Sanctimoniæ vsque opinionem fuit virtus ac forma, morumque suauitas, cũ lucido quodam acrique ingenio singularis. Apud Claudium Aquauiuam latinis epistolis concipiendis præfuit, & Nouitiis qui in domo professa versabantur; quos inter B. Aloysio Gonzagæ, Quam illustrem solidumque de religioso statu conceptum habuerit, testatur admirabilis efficacitatis liber ille de bono status religiosi ab eo conscriptus, qui tot ordinibus sacris asseclas peperit. Plæclara quædam alia studio paupertatis tantùm in chartis *Paupertas.* lucubrârat typis edenda, quæ omnia cùm à Coadiutore chartas illas inutiles esse arbitrato per præcipitem in considerantiam flammis tradita esse audiuit, mente tranquillâ omnes illos suos labores Deo obtulit in holocaustum.

Colloquia spiritualia. Lectulus.

nis colloquentem vnà cum sede in altum eleuatum sublimemque à se ac aliis illustrissimis Matronis conspectum testata est cùm diceret: *O quàm pulchrum* erit videre Deum *in se, & se in Deo!* Multa ex vero prædixit. P. Sebastianum Romeum tunc mortuum, in cælo visum ab eo ferunt in lectulo quiescentem, P. Vishaueum verò câ qua ille moriebatur horâ dicitur conspexisse in æde Lauretana rosas pro Eucharistia populo porrigentem. Circa S. P. Ignatij à B. Borgia in aliũ templi locum transferendi tumulum voces audiit cælesti cantu ingeminantes illa: *Gloria Patri, &c. Benedictus Deus in sæcula. Exultabunt Sancti in gloria.* Et his plura. S. P. Ignatius illum è cælo (per quietem, an vigilem, incertum habeo) visit & amplexus est. Visit eundem & allocutus est etiam B. Borgia. Eundem aliàs fouêre SS. Virgines Agnes, Cæcilia, & aliæ quatuor. Coronas quoque texere Angeli eidem sunt visi. Sæpè Christum in Eucharistia varie spectauit. Sed plura de illo dabit illius vita in annum 1618.

Euchariſt. Roſæ. S. P. Ign.

Euchar.

P. IVLIVS MANCINELLVS.

Italus Neapoli 14. August. 1618. ætat. 81. Soc. 61.

NE Prouinciam Romanam gubernaret per modestiam detrectauit, vir humilitatis, innocentiæ semper integræ, ac pietatis dotibus admirandus. Itinera per magnam orbis partem labore ac fructu magno exantlauit. Sæpè vexatus à dæmone, sæpè à cælitibus recreatus est; & hausit præclaram lucem. Sacrificantis capiti aliquando columba visa est imminere. Dorothea de Tuffo illum de diui-

Sacrum.

MATTHIAS PAVLVS WAGNER. SCHOL.

PErpetua illi constitit Virginitatis omnisque à lethali quauis labe integritas, vt fama est. Societatem illo etiam inuitamẽto motus elegit, quod speraret in illa se posse vtile studium nauare in paruulis ad cultum B. Virginis erudiendis, & exercendis. Leodij tyro de B. V. & scitè & libenter loquebatur, & ea quæ de illa audierat, adnotabat quicquid occurreret. Hisce verbis

Germanus Talbergæ. 14. August. 1614 ætat. 23. Soc 5.

B. V.

Colloquia.

Iaculator. verbis teneri se mirificè aiebat: *Ad maiorem Dei gloriam, & B.V honorem.* Inde illi ad contemnendos humanos respectus, inde ad omnem sanctimoniam animus incalescebat. Magnâ se animi firmitate amore IESV muniebat contra hominum dicteria ne vel apicem admitteret aut omitteret humanorum indiciorum metu, atque in hoc aiebat se ad sanguinem vsque decertaturum, timore Dei Iudicis & amore; nullo, vt vocant, supererogationis à Deo suggestæ actu omisso; quicquid scrupulosus audire deberet. Certè aliquando vt humanum respectum peruinceret totus sudore affluenter manante immaduit; & tamen inspiranti Deo paruit, sui victor. Sextâ quauis feriâ crucem paruulam tribus cuspidibus ceu clauis asperam frequenter pectori adstringebat, Cilicio ac disciplinis tantum vsus, quantum per obedientiam licuit. Ipsum diuini amoris nomen illum accendebat, & sæpè in lachrymas quoque soluebat. Cilicio SS. IESV & MARIÆ nomina setis altiùs eminentibus intexta gestabat; vt quoties illo se cingeret, illa nomina carni suæ per dolorem amoremque imprimeret. Tessera illi & azylum erat SS. Sacramentum, Beatissima Virgo & Angelus custos. Crucifixum extremis temporibus sibi porrectum multis lachrymis irrigauit, singula vulnera torrente quodam igneo visus aspergere inter aspirationes inflammati cordis interpretes. Adiecit: hæc mihi nouissima verba pro integra plenaria indulgentia consequenda sunto: IESVS, MARIA? Et vixit primâ innocentiâ suâ clarus, & tamen ita se inclementer tractans ac si aliquãdo peccatorum grauium reus fuisset.

Respect. human.

Mortific.

Iesus Mar.

Mor.

P. IOANNES DE LVT.

MEmorabili fuit in hoc viro sui demissio & religiosa in scholis per tot annos impigritas. De illo sic annuæ: nostros domi anno vno, Leodij externos Grãmaticam 300. facilè discipulis constantem per 43. annos docuit, labore magno incredibilique constantiâ, ac singulari vt peritia, ita fructu in adolescentibus ad virtutem, ac illam literaturam insignitè formandis, & in Sodalium cœtibus erudiendis, illustrandis, ditandis. Quo in genere illi vel primi palmam haud grauatè concesserint. Magna viri erat æstimatio Leodij, magnus sensus de mortuo & nomen prope immortale in ore dolentium.

Belga Leodij. 14. Aug. 1656.

Humil.

Labores.

XV. DIE AVGVSTI.

P. STANISLAVS KOSTKA. NOVIT. SCHOL.

15. August. Polonus Romæ. 1568. ætat. 19. Soc. 10. mense.

MArgarita Kriska Stanislai mater mater matrona illustris confessario suo testata est se cùm Stanislaum vtero ferret obseruasse in suo pectore IESV nomen purpureo charactere inscriptum. Viennæ Austriæ Beatissima Virginis laudes pro Scholasticarum exercitationum argumento adhibebat. Ibidem ægro & SS. Eucharistiam optanti idque à Deo per S. Barbaram flagitanti, Sanctissimam hostiam duo Angeli præsente S. Barbara attulêre. Ita refectus ab iis est. Adfuit postea & Virgo mater; quæ & IESVM

Iesu nomin.

B.V.

Euchar. S. Barbar. Angeli.

IESVM paraulum in lectulo illius deposuit, ac Staniſlao ſoſpitatem & conſilium vt IESV Societatem iniret dedit. Pedes ergo Viennâ Dilingam, inde Romam vſque peregrinabundus clam fratre profectus, & ad tyrocinium anno 1567. 28. Octob. admiſſus eſt Romæ in domo Profeſſa. Poſtea in Collegio Romano culinæ obiuit officia; mox ad S. Andreæ tyronum domum tunc naſcentem inter primos tranſlatus eſt. Cùm B. Virgini preces perſolueret, viſus eſt in vultu plus quiddam venuſtatis præ ſe ferre: quin & à quopiam eius facies inter orandum pluſquam humano quodam ſplendore lucere conſpecta eſt. Totus erat in humilitate, totus in tenerrima pietate; inter precandum nihil omninò vagabatur. Quin corde adeò exarſit aliquando, vt calore illo fatiſcens, debuerit admotis ad cor pannis frigidâ imbutis recreari. Quendam perturbatum & pro ſe orari petentem, breui ad SS. Euchar. fusâ oratione ſuauiſſimè ſerenauit. Supplicem libellum porrexit per S. Laurentium patronum ſuum mẽſtruum Beatiſſimæ Virgini, quo ab ea impetrauit vt ipſo Aſſumptionis B. V. die accerſeretur in cælum. Eius mortem fusè habent pretioſæ occupationes morientium in Societate. Illum cum B. Virgine conſpectum habent annales mei Mariani. Perhibent etiam morienti Beatiſſimã Virginem cum choro SS. Virginum adfuiſſe & Staniſlaum cum illis breuiter ac ſuauiter collocutum. Et certè morientis oculi hilarè repentè aperti, vultus lætâ venuſtate perfuſus, labia tenero motu tacitè quiddam dicere viſa, & ſimillima ſubridenti, eos qui adfuêre lætitiâ & pietate afflauêre. A morte viſus eſt cum B. Aloyſio adeſſe comes S. P. Ignatio.

B.V. teſt. paruul.

Mort.

Vocatio.

Belga Leodij. 14. Aug. 1656.

Oratio.

Tentatio.

Humil.

Euchar.

Laboret.

Mort. B.V.

B.V.

Euchar. S. Barbar. Angeli.

P. IGNATIVS MENDOZA. NOVIT.

FVit hic primariæ claritudinis Princeps, ac Regum Philippi II. & III. apud Galliarum Regem Venetoſque Legatus. Iuris etiam vtriuſque perſpicientiâ paucos pares habebat per omnem Hiſpaniam. Hoc ad Societatem ſe conferente aiebat Rex, Ignatium partem optimam eligiſſe. Cùm obſoletâ veſte ſe circumdatum videret, cum voluptate ſe circumſpiciens aiebat ſe ſibi plaudere; vt de vellere aureo acquiſito noui eius ordinis Equites conſueuêre. Patres in tanta reuerentiâ habebat vt diceret ſe coram illis loqui, imò ne hiſcere quidem audere. Culinæ officiis, & quicquid ad contemptionem ſui faciebat, erat magnoperè addictus. Fama erat, poſt B. Borgiam neminem illo maiorem Societati ſe tranſcripſiſſe. Obiit ipſo die Deiparę in cælum aſſumptæ cum vix tertium ab inito tyrocinio menſem expleſſet. Aiebat moriens; optimè quidem ſe de cælo ſperare ob ea quæ pro æternitate dimiſiſſet; luculenter tamen à Deo ſibi datæ mercedis inſtar eſſe hoc ipſum præmium, quòd bimeſtri hoc in Societate vixiſſet.

Hiſpanus Compluti. 15. Auguſt. 1602. Vocatio.

Humil.

Mort.

ALPHONSVS GVERRA. SCHOL.

PHiloſophiæ operam nauabat magnâ eximiæ virtutis commendatione, angelicâ integerrimæ Virginitatis innocentiâ, ſilentij ac obedientiæ laude perinſigni, mirabili & actuoſo erga Dei matrem amore; cùm glorioſo eiuſdem in cælum aſſumptæ die, ægro ſuo Alphonſo illa (vt fertur)

Hiſpanus Treſenal. 15. Aug. 1606. ætat. 19. Soc 4.

B V. in cubiculo in quo decumbebat apparuit nobili cælestium Virginum choro cincta, eumque admirabili suauitate hilarauit, & simul certiorem reddidit, illum diem ei esse vltimum in hac vitâ. Is qui cæleste illud spectaculum conspexit, cubiculum ægri ingressus Alphonsum reperit in amplexu imaginis Virginis Matris tenerè lachrymantem, cum illa loquentem, & dicentem, se illo die vesperi morituram, id quod euenit.

Mors.

P. IOANNES LA GARDE.

Gallus in pago S. Riani. 15. Aug. 1621. ætat. 27. Soc 11.

A Sexto tyrocinij sui mense ad vndecimum vsque in Societate, id est postremum, annum, nullâ mentis inconstantiâ inter orandum vagatus est; animo mirificè in Deum semper intento. Castissima in moribus eius tranquillitas ac suauitas elucebat, nullo fuco obscurata, nullâ commotiunculâ perturbata. Hebrææ linguæ, Theologiæ, atque concionum habendarum peritiâ cùm esset insignis, tamen in missione socius alterius erat biennio; ac omnes naui optimique Coadiutoris partes implebat; patientiâ nullis aduersis domitâ, & promptâ horarum omnium interuallis. In naui Gallicana rem animarum solerter agens, obseruârat noctu, quòd veneficus quispiam naui eadem veheretur. Ergò ne pestis illa rectæ fidei moribus, ac saluti reliquorum officeret, apud magistratum enixè id egit, perfecitque, vt veneficus pelleretur; quippe è libris, circulis, ac vsitatis artis diabolicæ instrumentis deprehensus. At magus vindictæ cupiditate furens, carmen in Ioannis aurem, & vnà venenum dicitur inspirasse: vnde Ioannes excessit è vita. Ioannis epistolâ affectæ corporis parti admotâ se consanuisse sanctimonialis quædam persanctè indubitanterque testata est.

Oratio.

Humilit.

Zelus.

P. HIERONYMVS DIAZ.

LVsitanæ Prouinciæ olim Prouincialis fuit. & pro vniuersæ Prouinciæ thesauro habitus est P. Hieronymus. Magnus & sibi vbique præsens erat illi animus. Frumentum pauperibus dari iusserat; & fama est illud in horreis increuisse; vti & oleum in vasis fictilibus, cùm illud iisdem dari iuberet. Vox illi sonora, & mira dicendi peritia; quâ ille tubâ multos ad religiosa castra incitauit. Quotidie se acriter verberabat, etiam senectâ iam caducâ. In memoriam Christi patientis absynthium quot hebdomadis deguſtabat. Oratio illi prolixa, & lachrymarum vbertate affluens.

Lusitanus Conimbrica. 15. Aug. 1614 ætat. 81. Soc. 65.

Eleemosyn.

Mortif.

Passio.

NICOLAVS TASSAR. SCHOL.

FVit hic adolescens humilitate, pietatis teneritate in iis quæ honori Deiparæ destinârat constantiâ penitus ac verò Marianus. Natales suos, licèt locupletes, obscurabat dictione, vt se deprimeret: aiebatque mirari se quomodo in Societatem esset admissus tam nihili adolescens. Vnde impensè, nec semel, petiit Coadiutorum numero accenseri, etiam Philosophiæ ac Theologiæ studiis iam imbutus. Quot hebdomadis ad Superioris pedes supplex petebat in Iaponiam vel quocumque mitti: Deum fortè pelle suâ vsurum dicens. Per quietem visus est sibi aliquando in IESV & MARIÆ gremio suauissimâ tranquillitate quiescere. Pensum Deiparæ destinatum nunquam omisit, & desponsam iam in sæculo

Gallus Nâcei. 15. Aug. 1629. ætat. 22.

B.V.

Humil.

Noctu. B.V.

Castitas. sæculo per eius manus Deo castitatem statim à voto ac deinceps nullâ sensit graui rebellione turbari.

P. EMANVEL FERNANDEZ.

Lusitanus Bahyæ in Brasilia. 15 Aug. 1633. ætat 74.

HIc (vt in annuis scripsi) vtrâque Theologiâ perdoctè traditâ, è Lusitania in Brasiliam soluit; sed ab Anglis interceptus, in Angliam est auectus. Ibi cum principe de hæreticorum secta Ministro super fidei controuersiis disputare iussus, cùm ea diceret, quibus ille respondere non poterat, victoriæ præmium tulit verba, quæ victus ille in victorem intemperatè adeò iaciebat, vt Angli ipsi Patris modestiam admirati stomachosiorem quàm par erat Ministrum, per gradus præcipitem deiecerint, domoque exturbârint. In libertatem assertus, Lusitaniam, adeoque Brasiliam tenuit: vbi Nouitios, Bahyense Collegium, ac Prouinciam gubernarit. Perfrequens illi, ac propè quotidianum erat, duas tresue horas orando ducere, priusquàm stata surgendi hora appeteret; quotidiano cilicij gestandi, ac se flagris inclementer accipiendi vsu nullâ die omisso. Orandi, tacendi, suauissimè alios commonendi ac errata correcta perpetuâ obliuione sepeliendi arte fuit eximius. Ægros domesticos quotidie inuisebat. Glorioſissimam Dei Matrem & ipse colebat vnicè, & studebat vt ab aliis impensiùs coleretur seque ad id quotidianâ libelli *de Amore* MARIÆ, Deiparæ conscripti lectione inflammabat nihilque suscipiebat negotij aut laboris in quo non eius tutamentum exposceret. Gnarus erat omnis propè industriæ ad modos excogitandos se variè afflictandi. Cùm omnibus præesset, vestis illi adeò abiecta erat, vt vel inde Hispani ac Lusitani Proceres illum in veneratione longè maiori habuerint. Clarus etiam dicebatur prænotione rerum, quas ex vero prædixerit: vt quando affirmauit, euentu postea secuto, se sacrificium Missæ superiorum permissu celebraturum; à quo tamen abstinere iussus fuerat, ob caliginem oculorum. Alij afflicto dixit, fore vt seuerior hactenus in eum superioris animus molliretur: alij securam fore nauigationem eò quò mitteretur, licèt omnia essent Hollandis plena; vtrumque affirmauit euentus.

Fidei. *Modest.* *Oratio.* *Mortif.* *Superior.* *Charitas.* *Lectio.* *Mortif.* *Paupertas.*

XVI. DIE AVGVSTI.

P. FRANCISCVS DE OTAZO.

16. August. Hispanus Hueti. 1622. Soc. 34.

LAutâ domo natus, & in Societatem insignitè liberalis, in illa magno exemplo vixit. Cùm de salute sua vehementer anxius Deiparæ nomen imploraret, adesse illâ sibi videre visus est cum corona Sanctorum librum magnum ac splendidum ostendentem, ac dicentem. Hic est liber vitæ, in quem eorum relata sunt nomina, quas beatâ æternitate donabit Deus. Tu illum inspice ac lege. Legit initio paginæ aureo charactere exaratum *Francisci de Otazo* nomen. Aliorum quoque prædestinatorum nomina, illi legenda præbuit Virgo, dicens: Fili, hos quoque tuâ operâ ad Beatorum felicitatem perducturus est Deus. Inde illi omnis mœror abstersus est.

Tradest. *B.V.*

Et postea in Philippinis conuertit ad fidem & ad frugem quamplurimos. Ibi in magno quodam hostium discrimine constitutus, positis genibus Dei matri supplex petiit ab illa se suosque Christianos iuuari; & mox obiecta illi Deipara, Francisce, inquit, ne metue. Ego te iuuabo. Ita periculo exemptus est. In morte rogatus à Superiore de iis quæ de illo libro prædestinatorum dixi, affirmauit sic rem se habere. Demùm cùm ex Europa redire in Indiam operaſque plures vellet adducere, obiit extremum diem, post vitam adeò innocenter actam, vt nunquam vllius mortalis peccati noxâ suam conscientiam maculârit, vt fama est.

E.V.

Mort.

Innocent.

P. CAROLVS ROMANVS.

Italus Gonsani in Sicilia. 16. Aug. 1624. ætat. 43 Soc. 23.

VIrginitatis ac singularis ob omni noxa lethifera innocentiæ flore ad mortem vsque felix creditur Carolus. Desiderium Indiarum non impetratarum transtulit ad Missiones obitas fructu magno & plausu pietatis. Nouitios cùm regeret, quendam animo fluctuasse ac fugam fuisse meditatum, sed diuinâ prouidentiâ impeditum mirabiliter didicit, ac fusis pro eo precibus eidem diserte prædixit fore vt in Societate persisteret, atque ad Indos penetraret. Alij quoque cuidam plures occultas eius destinationes & quædam quæ postea euenêre, aperuit. Beatiss. Dei Matri ex asse addictus, cùm illam Lauretanæ in domo inuiseret, illam istic vnà cum IESV infante ac S. Iosepho sibi spectabilem per quietem habuit. Adolescens quispiam in carnis sordibus volutatus, quem ille confitentem audierat diem obiit: pro hoc sacrificium altaris celebraturus Carolus exibat ad altare; & ecce illius adolescentis animam igne inundante inuolutam vidit, & dicentem audiuit: Damnatam se ad æterna incendia, quòd obscœnâ cogitatione delectatus post confessionem eiconsensisset. Inediam sæpè vsque ad deliquium tolerabat.

Vocatio.

Iesus paruulus B V. S Ioseph

Sacrum.

Castis.

Cogitatio.

Mortific.

ANTONIVS VASCONCELLVS NOVIT.

ILlustri domo natus, & Eboræ Sacræ Inquisitionis Deputatus, vt vocant, integritate magni exempli fuit spectabilis. Inde voto se obligauit fidei propagandæ, &, si liceret, fuso etiam sanguine confirmandæ. S. Francisco Xauerio velut prototypo vtebatur, eiusque sectari vestigia vndequaque optabat, Societate quoque flagranter petitâ, sed necdum impetratâ; quòd & virtute & authoritate suâ plus posse in eo in quo erat generalis per Indiam Inquisitoris munere pro Ecclesia crederetur. In India peraccuratè Inquisitionis munus cùm ageret, quidam ad illud tribunal accersiti sunt, qui à Iudice tam incorrupto suis fortunis, existimationi, adeoque capiti, metuebant. Ergò cùm donis eum corrumpi haud posse scirent, porrecto veneno morbum illi mortemque in causa defensæ fidei conciuêre. Quare, qui hactenus viua imago Xauerij totâ imitatione esse contendit, optauit etiam in eadem cum illo Societate mori, in qua viuere, quantumuis id flagitanti, hactenus non dabatur. Tandem eum id iterùm atque iterùm petentem Aluarus de Tauares Goanus Prouincialis, admisit: & ille, toxico gliscente in viscera, religiosè decessit. Quotidie conscientiam confessione perpurgabat; diuino sacrificio per tres horæ partes operabatur; duas horas orationi dabat duobus de Societate

Lusitanus Goæ 6. Aug. 1633.

S. Xauerius.

Fides.

Confessio.

Oratio.

tate sacerdotibus ad aram operatis ministrabat; diuinum officium, ac Deiparæ rosarium de genibus exequebatur; bis quothebdomadis flagris, & cilicio perpetuo corpus macerabat; liberalis in ærumnosos, sanos, & ægros.

Mortific.

P. EMANVEL BORGES
ET SOCII DVO NOVIT.

Lusitanus Nangasachi 16. Augusti. 1633. ætat. 53. Soc. 33.

IN Iaponia Nangasachi dum ab anno 1612. rem Christianam procuraret, posteaquàm sæpè latuit, & eos à quibus ad mortem quærebatur barbaros euasit, post anni 1614. exilium redux, 13. Augusti depresso in foueam capite suspensus est; & hoc demum die glorioſum agonem confecit. Et cum illo etiam

Fides.

IGNATIVS
XINDO. NOVIT.

Iapon. 16. Augusti.

ARiyensis ortu in Iaponia, Adriani glorioſi viri in fidei odium cæsi filius. &

IOSEPHVS
REOMVY. NOVIT.

FIngensis Hi duo è Seminarij disciplinâ socij Patribus, etiam in exilio, & reditione, adhæsêre; Societatem demum amplexi, & breui capti, eâdem cum P. Emanuele Iaponicæ fossæ ac suspendij morte affecti sunt. Iapon. 16. Augusti.

P. IOANNES
BATHÆVS.

IN patria vnà cum germano suo sacerdote communem hæretici furoris torrentem sensit. Etenim hæretici vtrumque hunc esse Catholicum Sacerdotem certiores redditi, & quidem Ioannem etiam Iesuitam, magnâ exultatione prædam nobilem in forum abripuêre, stipitibus alligauêre, ac vtrumque plumbeis scloporum glandibus traiecêre; Catholicis sacerdotes suos in odium fidei hæreticis exosæ sic tractari gementibus. Hibernus Pōtanæ. 16. Aug. 1649. Fides.

XVII. DIE AVGVSTI.

P. MARTINVS.
OLAVIVS.

17. Augusti. Hispanus Romæ. 1556 Soc. 4.

COmpluti primus fuit Martinus qui Barcinonâ istuc appulso S. Patri Ignatio eleemosynam dedit. Deinde Parisiis Philosophiæ ac Theologiæ disciplinis clarus, ad Carolum V. ac post varia tandem ad Societatem venit, à qua ante hac non mediocriter abhorrebat. Sed peruictum se aiebat iis vocibus, quas peracri clamore in corde suo sonare sentiebat cùm ipso Christi anastasis die inter sacrificandum, à Christo, quem manibus tenebat, consilium & opem exposceret. *Hic ego te volo*: aiebat illa vox, *in hac tibi Societate & viuendum & moriendum est. Æquum est te meæ non tuæ obsequi voluntati. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Aiebat respondisse tum se: O Domine, seruus tuus sum ego; seruus tuus & filius ancillæ tuæ Societatis IESV. Hæc dixisse, atque mox id voti religione firmasse. In Ro-

Vocatio. Eucharistia.

mano Collegio primus docendæ Theologiæ ab Ignatio admotus, Collegioq́ue præfectus est. Socios omnes Angelorũ instar venerabatur, suamq́; cum illorum virtutibus conferens imbecillitatem, longissimè se ab illis abesse aiebat; auditus identidem ingeminare illa verba: *O piam sociorum familiam! me miserum! qui eam nimis diu ignorans fugi! sæpè etiam de eadem detraxi!* Moribundus S. P. Ignatius petiit à Põtifice benedictionem postulari pro se & pro quodam alio de Societate. Is alius fuit Olauius Ignatium morientem die decimo septimo subsecutus. Moriens illa verba meditatè pronuntiare auditus est. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

Mors.

LÆLIVS

NICHESOLIVS. NOVIT.

Italus Nouellariæ. 1583. incerto die. *Vocatio.*

CVm à Patre suo viro nobili Veronæ potestatem Societatis ineundæ peteret, ac ille constantem eius indolẽ laudans diceret gaudere se quòd Societatem elegisset, in quam aditus honoribus non est, hoc etiam sibi inter incitamenta fuisse respondit, vt tanta porta diaboli tentamentis occluderetur. In tyrocinio volebat abiici, tractariq́ue instar putridi cadaueris. Obedientiam enixè colebat, cùm diceret voluntate suâ nec onus grauius reperiri, nec feram magis immanem. Singularis eius erga Deiparam pietas elucebat. Vnde etiam dum studeret, à Deiparæ Sodalibus ad illum deferebatur plerumque totius cœtus Parthenij præfectura. Mortem illius dabo ipsis Sacchini verbis è Societatis historia. Post decimum tyrocinij mensem Nouellariæ animam agenti Lælio adstitêre Angeli, videndosq́ue se præbuêre. Fuit etiam è sociis, qui testaretur circa moribundi lectulum & Angelos à se conspectos & diuos circumfusos, & integerrimam Virginem, & Christum Dominum tanquam solem in eorum medio coruscantem; ac beatam illam turmam duarum horarum spatio, ac dimidiæ, quamdiu spiritus Lęlio superfuit, perseuerasse. Alij quoque Patres fratresq́ue sensêre animo haud dubiam cæli in eo conclaui præsentiam ex insolitâ quadam dulcedine, quâ omnes tacitè neque gnari vnde, irrigabantur.

Humilit. *Obed.* *B. V.* *Mors.* anno 1585. num 54. *Angeli Sãcti B. V. Christ. Sol.*

P. ANTONIVS

IBANNEZ.

CVm Prouinciam Præpositus Prouincialis ac Toletanam Visitator gubernaret, multâ prudentiâ tam spiritum quàm literas adiuuit. Ad sacrosancta instituti iura seruanda (nullo humano respectu absterritus) totis viribus incubuit. Mirâ è cælo luce perfundebatur ad spiritus discernendos, & animas ad perfectionis excelsa ducendas. Primum candidæ Virginitatis florem ad mortem vsque incorruptum seruauit.

Hispanus Cæsaraugustæ. 17. August 1694. *Resp. hum.* *Castitas.* *Mors.*

XVIII. DIE

XVIII. DIE AVGVSTI.

P. CONSALVVS ESQVIVEL.

18. August. Hispanus Hispali 1575 ætat. 41. Soc. 11.

AD Societatem vnà cum famulo scientiâ egregiè iam tum clarus venit, & in sui æstimationē proculcandam atque in ea quæ Dei sunt acriter incubuit, vt moram compensaret. In tyrocinio eius famulus culinæ ministeriis destinatus est coquus, & Consaluus illi seruire iussus cùm propter obstrepentes foris gallinas mentem cælo affixam ita vt optabat tenere inter labores non posset; neque illæ vllis artibus compesci possent; Rectoris iussu illas modestè aperto capite adiit, & appositio ad os digito, Dei amore rogauit vt cōticescerent, conticuêre stupente Consaluo, & sociis, qui simplicis huius obedientiæ ac mirabilis euentus testes adfuêre.

Humil.

Obe

P. PHILIPPVS PANTALEON.

18 August. 1607.

HIc Patri Petro Antonio Spinello Prouinciali de B. Virgine loquēti dixit: Illa me puerum olim dignata est ad se accipere, & mihi blanditaidicere: *Tu es exceptio Dei, & filius Crucifixi*; cui ipsa me ostendit, & ille quoque blanditus est.

Cruciſ.

P. LADISLAVS CZAPLINSKI. SCHOL.

VNicus nobilis viri filius cùm esset, spesque familiæ; tamen patre annuente imò & comite, nec sine lachrymis filium Societati transcribente, Societatem amplexus est. SS. Christi corpus religione præcipuâ prosequebatur; & inde in suum corpus durior esse didicit catenulis ferreis, & geminâ intra vnum diem non rarò verberatione illud affligens. Mathematicam disciplinam tradituro morbus obrepsit. Paulò ante morbum per octo dies animum sacris S.P. Ignatij commentationibus exercuerat, vbertim ad lachrymas & sanctimoniæ studium nouum effusus. Ægri occupationes erant illæ pietatis exercitationes, quas ipse in libello ad id destinato digesserat. Auditus est persæpè ingeminare verba illa: *O si me omnesque animi & corporis mei vires distillare possem vel in vnam guttulam gustus & beneplaciti maiestatis diuinæ.* Sæpè se B. Virgini, S.P. Ignatio, & B. Stanislao commendabat. Alphabeti quoque literas recitabat, & ad singulas psalmum vel è psalmo versum aliquem pronunciabat. Moriens labia mouere visus est ad pronunciandum SS. Iesv nomen, cui plusquam vicies impensè repetendo vltimum linguæ officium in ipso, dum loqui desineret vitæ fine impendit.

Polonus Calissij 18. Aug. 1639. ætat 23. Soc. 8.

Mortifio.

Exercit.

Mors.

Amor Dei.

XIX. DIE

XIX. DIE AVGVSTI.

P. MELCHIOR CARNERVS.

19. Auguſt. Luſitanus. 1583. Soc. 40.

EBorenſi Collegio primus præfuit Rector. Poſtea in Æthiopiam comes datus PP. Barreto Patriarchæ ac Ouiedo, à Pontifice nominatus eſt Epiſcopus Nicænus. Contra Neſtorianum Epiſcopum Armenum egregiè rem geſſit magno capitis periculo. Sagitta ab hæreticis in illius caput vibrata, eius pileum penitus penetrauit. Conſecratus Epiſcopus non ſolùm de Societatis audiendis ſequendiſque conſiliis votum vouit, verùm & de redeundo ad Societatis obedientiam, vbi & quando id per ſummum Pontificem ſibi licuerit. Cùm in Æthiopiam penetrare haud poſſet; in Macao, & circum, heroicis virtutibus Apoſtolatum ſuum impleuit.

Fides.

RODERICVS DE FLORES. COAD.

Hiſpanus Hiſpali. 19. Aug. 1584. *Oratio.*

SIcca primum, diuque ieiuna ſine vllis deliciis oratio, deinde illi verſa eſt ſupra mel & fauum, adeò vt de diuinis digna Theologo loqueretur, & orationem in longas, aliquando in totas noctes extenderet, ita in illa nõ nunquam abſorptus, vt ſublimis in aëre nihil ſentiret, etiam cùm in pedibus aciculis pungeretur. In conclaui aliquando viſus eſt totus cæleſti luce circumdatus, ipſo etiam cubiculo mirè illuſtri. In odeo item aliàs manibus ad pectus in crucis formam compoſitis, firmo atque terram nihil tangente corpore pendebat in aëre, nec mouere illum vllus poterat, aut brachia flectere. Atque hic mentis exceſſus à feriâ V. maioris hebdomadæ ab occaſu Solis durauit vſque ſequentis diei diluculum. Licèt incredibili orandi ſtudio teneretur, nunquam tamen *Laborm.* eius gratiâ quicquam è conſuetis ſuis laboribus officioúe omiſit, experrectus ad ea quæ officium, vel quę obedientia imperabat. Veſtem breuiſſimam, neque ſat integram, ſed attritam geſtabat; nec meliorem admiſit, licèt oblatam. Optabat degere inter Indos vbi ei neceſſaria vitæ deeſſent, ad patientiam exercendam. Ieiuniis, ciliciis, flagris, culinæ, fabricæque laboribus corpuſculum atterebat. Modico cibo vtebatur: & in illo ipſo cauebat quicquid palato poſſet delicias afferre. Vnde vinum non attigit. Fortiſſima longioris morbi patientia hiſce virtutibus vltimum decus adiecit. Videri de illo poteſt Societ. hiſtoria.

Pauper.

Mortiſ.

1184. n. 315.

P. BARNABAS LA VECCHIA.

Italus Bitonæ. 19. Aug. 1614. ætat. 60. Soc. 33.

IN natali ſua vrbe Collegium cùm anno iam vigeſimo regeret extinctus magnum ordinariam ſupergreſſæ virtutis nomen ſuique deſiderium reliquit. Amabatur ab aliis: ipſe ſibi erat odio, quamuis veri erga corpus amoris potiùs teſtes ſunt aſperæ illæ ſui afflictationes, perpetua feriæ ſextæ ac Sabbati, & præter hæc frequentia pane & aquâ arctata ieiunia, cibi nullo ſale conditi, nulli arborum fructus per plures annos guſtati, flagella fuſo ſanguine affluenter cruentata, ſemper geſtatus thorax cilicinus, & duriſſimus humi

Mort.

humi somnus. Sibi totus spinæ, aliis rosa erat: tam mansuetâ comitate plenus gubernabat vsque ad sociorum admirationem. Charitate omnes, ac ægros arctiore, complexus, ipse illis minister persæpè aderat, noctu quoque vigil ad illorum obsequia obita potiùs quàm aliis imperata. Materna quædam indulgentia in eo eminebat præ aliis, adeò vt plurimi ibi esse percuperent, vbi ipse præesset Collegio. Tota illi regendi ars erat charitas, quæ illum ceu manna idoneum ad cuiusuis palatum hominem faciebat. Erga pauperes mirificè propensus hoc nomine Sanctissimo Spiritui charissimus videbatur. Quippe conspecta est columba in eam aream se volatu inferre, quam ille claudebat, ære in pauperes inde deprompto. Cùm verò eandem aperiret columba euolare iterùm videbatur. Rector cùm esset, omnia etiam infima pinsentium ac lauantium officia obibat; exempli, humilitatis, & charitatis ratus id interesse. Orandi arte fuit eximius: ac præditus singulari dono ad solatium turbatis afflictisque afferendum. Non vnam de fœminis impudicis victoriam retulit, ab illis impudenter tentatus.

Charitas. *Superior.* *S. Spiritus.* *Eleemosyn.* *Humil.* *Castitas.*

Mortem eo tempore obiit, quo eam se obiturum prædixerat. A morte verò cùm Collegij Procurator iniquæ molestiæ nescio quid ab aliquo pateretur, vbi chirographum quæri deberet per quietem reuelauit. Religioso etiam Sacerdoti amico suo post mortem conspectus, illum à miserabili vitæ languidæ laxamento ad flagrantem disciplinæ religiosæ accurationem efficacitate admirabili expergefecit verbis illis: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

Tepidi. *Nouissima.*

P. GABRIEL BOLICHER.

SOdalitati magnæ plusquàm 30. annis præfuit: & prædixit se necdum elapso ab assumptione B. V. octauo die migraturum è vita; id quod factum. Nobili fœminæ, ingrauescente morbo de vita desperanti, dixit (petito priùs fideli silentio) se cùm pro illa sacrificaret interiùs audisse, illam ex hoc morbo tametsi ingrauescat, non moriturum. Et illa conualuit, nec rem nisi P. Gabriele iam mortuo aperuit.

Hispanus in Coll. Balear. 19. Aug. 1617. ætat. 77. Soc. 55.

XX. DIE AVGVSTI.

P. THOMAS DE SOTO.

20. August. Hispanus 1600 ætat. 96. Soc. 37.

DEiparæ Virginis honori horas quotidie ac rosarium recitabat, rogabatque vt se in filium suum reciperet. Hanc ille aliquando in amœno campo sibi videre visus est Dei matrem simillimam illi imagini coram quà orare solebat quotidie. Videbatur Virgo illum verbis haud obscuris *domum* inuitare. Lapidem pretiosum, seu, vt alius ait, annulum cum lapillo amiserat eius mater: mox Thomas Deiparæ supplex pro inueniendo quod perierat, *Magnificat* canticum Marianum aliquoties recitauit, & Mater illius ex insperato lapillum illum inuenit in manibus. Iam senex, quicquid chartularum & sordium in templo inueniebat, efferebat, magno eorum qui aderant exemplo, cùm diceret se esse scoparium paruuli IESV,

B. V. *Magnificat.* *Humil.*

ad eius domum in suo nitore seruandam. Adfuit illi, vt fama est, paruulus & amabilis puer IESVS non semel, solatio eius tanto, quantum suo confessario non poterat explicare. Aliàs per quietem illi conspectus est Christus, at iam cruce onustus, aliàs Sancti Petrus & Paulus Apostoli : periit *nosse Deum*; & ostensus illi est in templo quopiam Christus cruci affixus. Per plusquàm 20. annos mira à dæmone, perpessus est, baculis, scrupulisque vexatus : at ille non nisi, *Domine*, aiebat, *vim patior; responde pro me.* Nocte quadam ante diem festum expectationis Deiparæ, repentè experrectus, se velut in cælesti quadam Empyrei luce absorptum videre est visus, Angelosque ac Beatos canentes audire. Vnde magna illi Dei notitia, reuerentiaque increuit; ibique persensit, se in corde radio quodam vulneratum, per dies plures illo vulnere amanter accensus. Tertio decembris anno 1594. mirabili cælestium sensu iterùm recreatus, postea etiam sæpius in somnis Christum spectauit, qui illi spinis coronatus adfuit aliquando dixitque : *Cùm ego tanta sim pro mortalibus perpessus, quomodo illi nihil volunt pati pro me?* Aliàs in cælo sibi hæc videbatur audire : *Laudemus semper Deum in tempore, & æternitate.* Æger bis terùe confitebatur quotidie. Plura de illo in vita ad annum 1600.

Iesulus. *Crux.* *Crucifixus.* *B.V.* *Cor.* *Corm. spin.* *Pati.*

P. MICHAEL SOLER.

Hispanus Vallisoleti. 20. Augusti. 1595. ætat. 70. Soc. 44. *Humil.*

TAmetsi huius viri dotes, ingeniũ ac doctrina illum idoneum ad altiora reddidêre, suâ tamen modestiâ peruicit, vtipsos 40. annos in infimo grammaticæ tradendæ puluere consumpserit. In Castellæ Prouinciæ more aiunt receptum, vt à mensa inter colloquendum pia quæpiam historia referatur. Id illi cordi fuit vt Patres excitaret ad ea quæ ad mores faciunt è rebus narratis eliciendas; cuius rei auctorem illum fuisse accepimus. Incredibili ardore commendabat omnibus perseuerantiam in Societate : hoc enim esse salutis pignus, & pignus pretiosum ac magnâ omninò accuratione custodiendum. Innocentiæ vsque ad admirabilitatem fuit longè tenerrimæ, vnde potentissimus fuit ad impetrandum. Habebatur inter illustrissima virtutis eximiæ decora sui sæculi illius obedientia, patientia, humilitas, exemplis egregiis. Præclaro fuit spectaculo, cùm id ætatis vir instar Nouitij pueri palàm in triclinio & ipse se accusaret, & exerceri se à superioribus gauderet, non sine admiratione Patrum. Rarum in illo, & ordinario maius fuit silentium. Si paruuli per B. V. nomen ignosci sibi pœnam commeritam peterent ac se B.V. coronam recitaturos pollicerentur, partem pœnæ remittebat. Si à quopiam de re aliqua moneretur, gratias agebat, & se id emendaturum recipiebat. Corpus mortui P. Michaelis honoratè sepultum, demum ad latus epistolæ aræ maioris translatum est.

Pia Colleg. *Vocatio.* *Silentium B.V.*

P. IACOBVS GARZIA.

Hispanus Hueti. 20. Aug. 1611. ætat. 44. Soc. 25.

HVnc etiam Virgineâ & admirabili innocentiâ clarum lego : Vnde mirâ propè tyrannide seuerus erat in corpus, quod habebat in disciplina modestiæ, sub austera custodiâ, cilicio, & flagellis. Distributus illi erat dies in occupationes partitè dispositas & mentalis orationis horæ aliam quoque horam addebat, officio diuino non nisi de genibus recitato & memoriâ semper ad Dei præsentiam experrectâ,

Oratio.

perrectâ. Templum, ad summam aram, ferè erat eius locus, vbi inueniebatur, si in cubiculo non inueniretur. Præfuit per 15. annos adolescentibus scholasticis nostris in biennali secessu, in quo post tyrocinij biennium separati ab aliorum consortione operam dant virtuti, ac literis. Illos exemplo regebat, & in instituti ad omne punctum seruandi reuerentiâ religioneque diligenter erudiebat. Affectiones non tam subegisse videbatur, quàm eas non habere.

GVILLELMVS BRVNVS. COAD.

Anglus Leodij 20 Aug 1637. ætat 59. Soc. 24.

ILlustrissimis ortus natalibus & in lauta quantumuis fortuna semper fuit integerrimæ innocentiæ citra labem. In infimis domus officiis, quæ cum labore coniuncta sunt quærendis, erat apprimè studiosus. Per annos 14. & ampliùs duas quotidie horas dabat ollis in culina perpurgandis; & si quid his domi erat abiectius; idque voluptate cordis in vultum etiam exundante. Terram in sporta humeris baiulare, horto operam dare, ac interea dum onera ferret è Thoma de Kempis aliquid lectitare, labores oratione miscere, sudare, vbique flagrare, seque profundissimè demittere, nullam stirpis claræ memoriam admittere; hæ illi artes erant ad sanctimoniam solidam consequendam. Vbique agebat quod esse factu non tãtùm honestum, sed optimum iudicabat. Sudanti iniecta est cælestis gloriæ mentio. At ille de cælo, inquit, quod Deo videbitur, fiat; ego verò Deo quæro placere, ac facere quod eius voluntati placet. Et per ipsos 20. annos non alio quàm diuini amoris calcari se ad agendum eguisse fassus est aliquando. Mane vnam horam ante alios orationi dabat, postea tres vel quatuor ante prãdium (idque flexis genibus) si per otium id liceret. Pendabat illi è collo sub veste corona B.V. & singularis in corde pietas vigebat in S Augustinum, S. Gertrudem, & Sanctos ab amore Dei percelebres. Semper sibi facie similis, placidus, & laborum ac diuini amoris perstudiosus. Obiit cum B. V officio in manu, corona in collo, IESV in ore.

Feruor. *Amor Dei.* *Pura intent.* *B.V.*

P. WOLFGANSVS GRAVENEGG.

Germanus Oeniponti. 20 August. 1650 ætat. 56 Soc 39.

HIc nobilitate perillustri, habilitate ingenij ac virtutis, demum dolorum perpessione vir planè inclytus, à chiragra & podagra calce plenus ac plusquam sexaginta plagis hiãtibus à situ & morbo velut perfossus, per ipsas tres ac viginti septimanas nihil sui mouere potuit, nisi caput, herniâ quoque miserabilis, magno veluti martyrium imitatricis patientiæ documento. Corpus cùm valeret tractabat propè vt carnifex, nullo die domi prætermisso quin se acriter verberaret. Cùm prouinciam regeret, orando potissimùm robur sibi accersebat efficacitate ad admirabilitatem vsque laudatâ, lachrymis quoque vbertim & ferè ad volentis nutũ fluentibus. Vesperi quotidie quodam extremæ vnctionis imitamento singulos sensus expiabat se signans ac dicens ad singulos: Per istam sanctam crucem, & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Dominus quicquid memoriâ, intellectu, voluntate, cogitatione, visu &c. deliqui. Instituti etiam in aula retinens, supremo vitæ biennio Iob fuit dolores condiens fronte exporrectâ & perbreui crebrâque ad Deum allocutione. Plura de illo habent annuæ. Plura habebit vita.

Patientia. *Mortificat.* *Oratio.* *Vesperi.*

XXI. DIE AVGVSTI.

P. HIERONYMVS RVBIOLA.

21. Auguſt. Hiſpanus Senis 1571.

SEnenſe Collegium iterum gubernauit, primus iſtic Rector. In rei familiaris anguſtiis tenerâ in Deũ nitebatur fiduciâ. Quare rogatus, ecquid conſilij caperet, quod in tantâ inopiâ Collegio nihil deeſſet? Vrgente arctius penuriâ, litanias ſe cum ſuis multiplicare reſpondit. Cùm ad extrema domi redactâ re, ne panem quidem haberet Collegium, adiit ad hominem Societati non ſat æquum; & fidenter interpoſito diuini amoris nomine dari ſibi ab eo petiit in tantæ inopiæ leuamentum aureos quinquaginta. Miranti illi, & num neſciret quàm alieno eſſet animo à Societate is à quo hæc peteret interroganti, ſubmiſsè reſpondit. Id quidem ſe haud neſcire, ſperare tamen ſe, illũ Dei causâ vel iis benè facturum, quibus non bene hactenus voluiſſet. Quæ tam ingenua fiducia homini illi adeò arriſit, vt & petitam ſummam liberaliter promeret, & deinceps Hieronymum fidenter petere iuberet id quod neceſſitas poſtularet. Omnia in vrbe illius & ſociorum operâ plena erant. Æger, ſupremum eum morbum ſibi fore præuidit, doctoriſque Medico idem aperuit, de morientium religioſorum felici ſorte inter lachrymas admiranda locutus. Os aceto lubentiùs eluebat ob Chriſti morientis memoriam dolores ſingulos ſigillatim ceu totidem ſacrificia Deo dicans, adeoque ipſum ſanguinem è venâ profuſum. Paruulis Sodalibus aduocatis circumdatus, poſt pretioſa documenta, *Salue Regina* vnâ cum illis recitauit. Moriens adeò liquidâ dulcedine ſe perfundi ſentiebat, vt ſubuereretur ne hoc illi gaudium totius præmij ſumma eſſet pro iis quæ vnquam egiſſet. Neſcire ſe aiebat an vnquam aliàs tantâ perſpicientiâ diuinæ ſcripturæ adyta introſpexiſſet, quantâ eo articulo, quo tamen aliàs intelligendi vis ferè obtunditur.

Oratio.

Mors.

Morbus.

P. GVILIELMVS MVRDOCHVS.

PAriſiis Collegij miniſter cùm eſſet anno 1574. academici petulantiores virgis inſtructi minaciter illum in ſecretâ domo iubent veſtes ad flagra deponere. Libenter ſe id Chriſti causâ facturum dicens Guillelmus, fecit; & ecce cilicinum in illo thoracem ſub induſio à collo vſque deorſum conſpicati Lorarij, furore in reuerentiam verſo ad pedes illius accidêre, veniâ poſtulatâ. In Scotia rem Catholicam ſub medici ſpecie per annos 14 concurſans præclarè adiuuit. Relatam à paucioribus Catholicis contra plures hæreticos victoriam in oratione poſitus & abſens eo ipſo, quo facta eſt tempore dicitur nunciaſſe, & vt pium eſt credere, eam etiam impetrauit. Aiunt certum eſſe illum aſpectu S. Patris Ignatij ad crucem alacriter ferendam eum animantis recreatum, cui totus erat impensè addictus. 10. iam annos natus erat cùm hæretici pſeudoepiſcopi iuſſu, colaphis, fuſtibus carcere 7. menſium mulctatus eſt, libraria ſupellectile proculcata. Edimburgi Metropoli Scotiæ ſacrificali in veſte circumductus ſannis, alapis, o-

Scotus Muſſipõt. 21. Auguſt. 1616 ætat. 79. Soc. 51.

Mors.

Fides.

Oratio

S. P. Ignatij Crux.

Fides.

uis

uis putridis, & luto est appetitus. Iussus est sacras vestes in ignem coniicere vel comburi; comburi potiùs velle se dixit, quàm illas comburere. Aiunt ferreis compedibus pedes illius fuisse vsque ad ossa exesos. Adfuit illi velut sacro seruiens irrisor iuuenis, cum illis verbis: Iudica me Deus: at Guillelmus Benè mones, inquit: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me. Tum Reginâ adnitente liber sed in exilium pulsus abiit & obiit, pauperculam (ita ipse dicebat) animam suam ad migrandum cum fiducia cohortatus.

IOANNES
CARDINALIS DE LVGO.

Hispanus Romæ 21. Aug. 1660. ætat. 77.

DOmo Hispalensis; sed Madriti anno 1583. 25. Nouembr. natus patrem habuit Ioannem de Lugo, matrem verò Theresiam de Quiroga vtrâque stirpe nobili ac gestis muneribus honoratâ. Piæ matris industriâ legere & scribere didicit cùm non nisi triennis esset. Vnde aiebat se non meminisse quando legere aut scribere didicisset. Nouem annos natus, in schola infima inter omnes palmam tulit, & primum locum, Theses suas Logicas S. Thomæ aquinati dedicauit, iuxta morem tunc receptum Theses cælitibus dedicandi. Salmanticæ studuit iuri ciuili atque canonico, matre anno 1600. amissâ, & Francisco germano Societatem ingresso. Inde Madritum accersitus Ioannes, à Rege annuâ ducentorum aureorum pensione donatus est, quos percepit quotannis vsque ad annum 1618. quo in Societatè quatuor vota professus est. Sed vt ad illum Salmanticam reuertamur; ibi ille operam dedit iuri triennio cum laude insigni; & post exercitia, hortatu Francisci fratris, è præscripto S. P. Ignatij religiosè obita, animum ad Societatem adiecit. At ob patrem vxore ac seniore filio tunc orbũ & mœstum, consilium distulit; donec tandem anno 1603. omnes moras abrupit, cùm parùm gratum è domo sua nuncium accepisset, ac vitam S. P. Ignatij perattentè legisset. Ergo 6. Iulij eo anno Salmanticæ admissus Villagarciæ tyrocinium posuit sub P. Gaspare de Vegas. Ad peregrinandi experimẽtum pro more tyronum missus est ad *Beatissimam Virginem de virtutibus* dictam, vulgo *de las virtudes*. Tyrocinij mense duodeuicesimo, Pampelonam ad recolendum Philosophiæ curriculum destinatus, anno 1605. 10. Iulij vota religiosè nuncupauit; Salmanticæ postea P. Petro de Arrubal Theologo datus discipulus. Anno 1610. Patre vitâ functo, Ioannis hæreditas bifariam ita distributa, vt quarta pars cesserit Collegio Hispalensi, Salmanticensi tres reliquæ. Anno 1611. sacris initiatus, post tertium probationis consuetæ annum Villagarciæ obitum, Philosophiæ ab alio inchoatæ perdocendæ admotus est. Medinæ Campi. Postea Vallisoleti docuit Theologiã ferè quinquẽnio, triẽnalem tamen ex integro Philosophiæ cursum priùs docendo emensus. Vallisoleto Româ euocatus, appulit 2. Iunij anno 1621. Vbi quia Hispanis tunc adhuc ferè ignotam B. Aloysij vitam in triclinio legi audiuit, eam Hispanicè interpretatus, in Hispaniam misit, vbi typis vulgata est. Primum in Collegio Romano auditus est cùm Angelicum adolescentem Ioannem Berchmannum de vniuersa Philosophia disputantem oppugnaret. Illud in itinere illi contigit non silendum, quòd in Galliæ montibus ex arcta semita in præcipitium è iumẽto deiectus à mulo prægrandi, qui obuius illac effræ-

S. P. Ignat. Lectio.

B V. de virtutibus.

B. Aloysius.

natus currebat, Deiparæ imploratâ ope manifestum vitæ discrimen euaserit.

Explicuit Romæ Theologiam per annos 20. (meus quoque in illâ magister) tanto splendore ingenij ac laude, vt scripta eius amanuenses plures ac postea typographos locupletârint tomis tot editis qui iam in luce versantur.

Mortifie. Publica illa quæ Romæ mortalium oculos ad se trahunt, adeò fugitabat, vt sacrum purpuratorum Patrum Collegium vnà in cœtu collectum (consistorium vocant) nunquam viderit, nisi cùm in Collegium illud adlectus ab Vrbano VIII. pileum acciperet Cardinalis. Nec vnquam apud aliquem prandere voluit aut cœnare extra Societatis domum quantumuis & à magnis & sæpè fuerit inuitatus. Nunquàm in animum induxit, vt sua typis *Humilit.* daret, nisi post multos annos iubente postea Mutio Vitelescho præposito Generali. Neque cubiculi administrũ adhibuit. Ipse libentiùs exequebatur ea quæ poterat, quàm alienâ operâ vtebatur. Ante alios manè surgebat de lectulo; vt horam orandi & sacrificiũ diuinum maturè executus; reliqua studiis daret. In prandio vix aliquid libabat, cœnare contentus. Omnes nationes ac religiosos ordines amore reuerentiâ singulari complectebatur. Ineunte anno 1642. mense Ianuario successit illi in cathedra magnum illud ac multorum magnorum ingeniorum admirationes (ad minorum fere vsque inuidiam) laudatum ingenium P. Antonius Perez: cui luculenter laudato Ioannes locum suum dedit, ipse verò ægris Collegio Romano præfectus. deinde suis expoliendis vacauit citra splendores aulicos, ne quid boni otij perderet, vel ne quid vanitatis sectaretur. Vrbanum certè Pontificem nunquam adiit (ne quidem ad pedum oscula) nisi post annos ferè viginti, cùm ei tomum de iure & iustitia dedicaret.

Anno demum 1643. 14 Decembris ad Vaticanum (monito priùs à sede Apostolica præposito Generali) euocatus, & Cardinalis nepotis curru eò *Humil.* vectus, currum illum *futum feretrum* esse dixit, quo ad tumulum se vehi aiebat. Cum Pontifice quàm multis, quàm dolenter, quàm seriò egerit de non admittenda Cardinalis dignitate longum est percensere. Audiui ego hæc illum mihi id optanti familiariter, & particulatim postea referẽtem. Constantia illius Pontifici iam subirato obstinatio videbatur. Vnde adiecit Pontifex; id se iam nunciasse præposito Generali: parendum esse præcepto obedientiæ: id enim (inquiebat Vrbanus VIII.) *omninò per præceptum formale & formalissimum obedientiæ mandamus.* Iam Cardinalis, ad S. P. Ignatij corpus illicò supplex adiit, vbi etiam postea voluit sepeliri. Demum in sacrum ac supremum fidei quæsitorum senatum cooptatus, deinde ab Innocentio X. Congregationi Concilij insertus, iussus est examinandis Episcopis operam dare. Quid auctoritate suâ & cõstantiâ effecerit in gemino Patrum purpuratorum conclaui pro Innocentio X & Alexandro VII. non est huius loci. Habuit aulam semper modestam, castos muros citra vllum offendiculum pudicitiæ, ac ornatos imaginibus non inuerecundis verùm ad pietatem ciendam insignibus. Volebat sibi adesse Coadiutorem è Societate veluti socium ac vitæ suæ (vt ipse aiebat) testem, idque facile fuit in aula tam quietâ & boni exempli. Tres ex eius aula facti Episcopi, etiam hoc nomine celebrati, quod ex eius clientelâ venirent. Nec in Societate à superioribus, nec in purpura à summis Pontificibus vllum vnquam officium

cium postulauit. Cauebat intentè, ne quid admitteret, quod religiosum Cardinalem non optimè deceret; contentus cultu paupere ac attrito in vestibus quæ oculis non patebant. Clepsydra index temporum illi semper ad manum: monitor item qui statim ac horologij sonus audiebatur, ad illum ingressus, quota hora esset nunciabat; & aduertebat eum illicò ad orandum sese componere. Nunquam, etiam Cardinalis, pro vllo apud superiores intercessit; nec vllam gubernationis partem attigit, neque authoritate suâ vsus est vnquam ad quicquã alicui de Societate apud superiores impetrandum, vel ad laxandam cuiuscumque legis disciplinam; id quod magni meritò in illo semper fecit Societas, ab illo vt filio amata constanter, cum incredibili perpetua, nec affectatæ sed syncerissimæ reuerentiæ significatione. Ad eleemosynam potissimum diebus Sabbati liberalis, eam turbæ pauperum eo die affluenti distribui curabat. Felix etiam nec parcus fuit in puluere quodam Indico pauperibus dando contra quartanam, succesſu optato; vnde ille puluis iam vulgò puluis Cardinalis de Lugo dicebatur. Quotannis in pauperes verecundos & alios erogabat scuta ferè quingenta; in Societatem quoque ac in Collegium Romanum potissimum, impensè beneficus. Moriens domum Professam Romanam hæredem instituit; quæ illi post solennes exequias & orationem de illius laudibus dictã ac typis datã post indicta denique sacrificia, epitaphium. Posuit è marmore ad sepulchrum S. P. Ignatij in hæc verba: *D. O. M. Ioanni Cardinali De Lugo Societatis Iesu, Theologo eminentissimo, Domus Professorum Romana hæres, vt vbi fuerat thesaurus eius, ibi esset cor eius propè corpus S. Ignatij ex eius suprema voluntate monumentum P. obiit anno salutis* M. DC. LX. *ætatis* LXXVII. De illius animi æquitate, sibique semper simili tranquillitate ac aliis, dixi in dedicatione tomi qui est de mortibus illustribus. Eius imago Romæ spectatur cum Cardinalibus Toleto, Bellarmino atque Pazmanno, in domo Professorum, & Coll. Romano.

Tempus. *Humil.* *Oratio.* *Obedient.* *Eleemosyn.*

XXII. DIE AVGVSTI.

P. NVNNIVS RIBERIVS.

11. Augusti. Lusitanus in Amboino. 1549. *Vocatio.* *Fides.*

DIuino vocatu, & magno Gonsalui Siluerię pro ineunda Societate cum consanguineis gloriosè certantis exemplo animum ad Societatem adiecit. Per iter in Amboinum sexcentos circiter, in Amboino verò plus quàm duo millia capitum Christo adiunxit; Saracenis odio eapropter in eum accensis adeò vt eam in qua habitabat domum igne circumdarent. At Nunnius illo defunctus periculo, mari postea ferè ad naufragium vsque iactatus est, cùm seminudus à fluctibus in scopulos ageretur, allideretur-que capite atque corpore toto lacer. Ita reptabat per triduum, cùm se haud posset erigere totus attritus. Sæpè vt pauperes tegeret, vestes suas exuebat. Saraceni ei qui Nunnium trucidaret, pro sceleris pretio præmium præstituêre. In festo Assumptæ Dei Matris, *B. V.* cùm in eiusdem æde sacra, quam ipse erexerat, diuinum sacrificium celebraret, singulari exultatione redundans

cecinit

Sacrum. cecinit *Gloria in excelsis Deo*, tametsi sacrum illud legeret, non cantaret. Et eodem die sese in eius venas fudit venenum illi à fidei hostibus iam antea propinatum; quo demum contabuit.

Zelus. Verùm licet concursare, pro more iam non posset, viribus fractus, & morti propè admotus, tamen in linteo circumferebatur, etiam extremo vitæ die concionabundus: ac singulis attemperatè pia, & extrema monita suggerebat.

P. BERNARDVS OLIVARIVS.

Belga Tornaci. 22. Aug. 1576. ætat. 33. Soc. 5.

HVius vitam fusè prosequitur in heroibus Alegambe. Ministrum agebat Romæ in domo profess. Bernardus, cùm ægro cuipiam è medici præscripto pharmacum præberi iussit S.P.Ignatij. Id quod Bernardus valetudinarij administro commisit, & ille per inconsiderantiam neglexit. At Ignatius noctu ægrum inuisens, more suo, nec porrectam illi medicinam intelligens, Bernardum inobedientiæ reum ipsâ nocte domo exesse iussit.

Obed. Exiuit, sed intra extimas fores perstitit perseueranter Bernardus; atque ab Ignatio constantiam laudante iterum admissus, & breui Collegij Romani Rector est designatus. Inde in Siciliâ, mox in Belgium ire iussus, ibi præclara pro animarum quæstu egit, magnâ inductâ Sacramentorum frequentatione. Morbum, & mortem traxit à

Charitas. P. Quintino, cui lue infecto seruierat. Moriens de nouitio quodam, paulò ante in obsequiis iisdem extincto; Nicolae, aiebat Nicolae quàm vili paradisum rapuisti? Tũ quædam quæ vrbi Tornacensi postea euenêre, prædixit. A morte Henrico, & Philippo fratribus eius mortis ignaris sebreuiter videndum præbuit.

P. IOANNES FERRVS.

Italus Pas. quarz in Mexico. 11. Aug. 1617. ætat. 64. Soc. 48. *B.V. Vocatio.*

MAceratæ in templo nostro elegantem B.V. imaginem conspicatus, coram illa quotidie flexis genibus psalterium incredibili animi voluptate recitabat, id quod quoties faceret, inflammari se sentiebat, vocéque sibi audire videbatur, quæ ipsum distinctè monebat, vt in securum Societatis portum sese reciperet; eique facilem aditum promittebat. Admissus, ab Euerardo præposito Generali Indiam impetrauit; eique adiuuandæ 40. ipsos annos laudatè sanè vtiliterque impendit, ingenio experrecto, labore immenso, industriâ Deo plenâ. S. P. Ignatius illi cordi erat vehementer, cupiebatque nascentem Ignatij nominis gloriam illustrari. Ansam dedit nauis (de qua annuæ Manilenses anno 1605.) cui in nauem, quâ Ioannes vehebatur impingenti & huius antennam confringenti, summo in periculo, clarâ, & confidenti voce dixit Ioannes: In nomine SSS. Trinitatis, & nostri Beati P. Ignatij impero tibi vt recedas à nobis. Hæc cùm dixisset sese nauis altera ab alterâ separauit. *S.P. Ignat.*

P. CLAVDIVS GRANERIVS.

Gallus Dijone. 11. Aug. 1626. ætat. 68. Soc. 45. *Vocatio.*

SVauissimè aiebat se olim cum suo animo consultantem, ecquid consilij esset capiendum in destinato vitæ statu, à B.V. blandè interno quodam inuitatu fuisse ad Societatem filij vocatum. In Societate per annos 30. quà humaniora, quà Philosophiam & casus conscientiæ docuit, à captatis vndique optimè de afflictis merendi occasionibus vulgò *Pater charitatiuus, & misericordiæ dictus.* *Charitas.*

IOAN-

XXIII. DIE AVGVSTI.

IOANNES DOMYNE'.

23. August. Gallus Mussipōti. 1621. ætat. 19. Soc. 3.

TOtos mores, & linguam potissimum, accuratissimè nostris legibus illigauit; ne semel quidem silentij verbo vllo laxati reus, magna de illo fuit apud Superiores & omnes virtutis ordinariam præteruectæ opinio. E Scholasticis nostris Theologis vnus propediem à Societate separandus, arcano quodam instinctu impulsus ad mortui huius Ioannis cadauer accessit; illudque complexus, profundo animi sensu, ô bone adolescens, inquit, trahe me post te! Traxit! Etenim eodem ipso die dissenteriâ illum tanta incessit, vt depositâ, à nobis abeundi cogitatione, paucis post diebus piè admodum ac religiosè de vitâ migrârit.

Vocatio.

P. IACOBVS SLVYSKENS.

Belga in Hollandia. 23. August. 1651.

DE hoc annuæ Flandrobelgicæ anni 1651. sic narrant: huius præclara decora magni sunt exempli, quę adhuc expectamus. Aiunt Catholici, & hæretici exitiale futurum fuisse Amosfurtianæ turris à fulmine accensæ incendium, nisi porrecta à Patre Iacobo aqua benedicta, illud præsentissimâ ope mirè stitisset; ita vt ne fumo quidem post se relicto flamma omnis, guttis illis absorpta, cessârit.

Aqua benedicta.

XXIV. DIE AVGVSTI.

PETRVS CORREA. COAD.

24. August. Lusitanus apud Carrigios. 1554. Soc. 5.

STirpe nobili natus & Lusitanorum in Brasilia facilè Princeps cùm Brasilos cum suo milite venaretur, caperet, Lusitanis ad operas venderet, siue gentis odio, siue lucri amore, siue vt sic ad Christum adducerentur, vbi à Leonardo Nunnio nostro certior factus est id minimè licere, Societati se addixit, vt se illorum saluti daret, operiretque charitate multitudinem eratorum. Et verò abundè id præstitit vsque ad mortem authoritate ac linguæ peritiâ tantâ vt Brasilico elogio *Doctor eloquentiæ* diceretur, ceruicem suam læsam vulnere luculento, quodque mortem vesperi minabatur, postridie sanam reperit, susceptum iter prosecutus, oculorum dolor accerrimus ille confestim extinctus est precibus sociorum. Homines epulis barbaris destinatos, ipsis annuentibus, clam dextrè baptizabat, aquâ è strophiolo expressâ. Cum Ioanne Sosa 24. Aug. ad Carrigios missus, ibi multifariam laborauit, artibus miro ingenio & labore inuentis. Et ibat res feliciter. At interuertit negotium libido, vnius è Christianis à quo pellicem iam ante abstraxerat, quemque à Brasiliorum illum deuoraturorum cultro carnario gulâque subduxerat. Ab illo concitati in Petrum & Ioannem Carrigij sagit-

Vocatio.

Charitas.

Oratio.

tis vtrumque confecêre, Christianis impensè lugentibus, & Corream vnicum veritatis interpretem, omniumque patrem, fratrem, amicum clamantibus.

P. EMANVEL SEGVEIRA.

Lusitanus Vlyssippone. 1594. ætat. 61. Soc. 40. *Superior.*

IN Societate ita gubernacula tenuit vt quos gubernauit de illo scribant; illum difficilem imitationem aliis reliquisse, cum neminem vnquam asperè aut minus moderatè compellârit, strenuè, ac religiosè occupatus. Eum ferunt annuæ cum Funcalæ extremâ annonæ inopiâ laboraretur, eiusque rei causâ populus ad D. Iacobi supplicatum frequens iuisset, dixisse pro cõcione citò diuinam opem affuturam. *Prædict.* Paucis interiectis horis nauigia in portum illata tantam frumenti vim exposuêre vt summam caritatem summa vilitas consequeretur. Eumdem in magna siccitate, deficientibus aquis cùm viri fœminæque supplices ad ædem Deiparæ fugerent, ea de re ad concionem peroraſſe, coque descendente è suggestu ingentem imbrium copiam delapsam arua segetesque infudisse.

P. IOANNES PEREZ.

Hispanus in miss. Peruana. 14. Aug. 1609. ætat. 63. Soc. 40.

HVnc missis è Christi latere radiis illustrem eorum solatio damus, qui ægris lubentes operam suam nauant. Cùm in nosocomio, inquiunt annuæ, Deo pauperibusque inseruiret, dignus habitus est, vt illi videbatur, quem Christus miro quodã splendore è latere simulacri sui promicante irradiaret, inusitatâque interius lætitiâ perfunderet. Setis & funiculis in corpus suum animaduertere non cessauit priusquàm viuere: quibus vti præcipuè cõsueuit aduersus periculosas illas occasiones, quæ castitati nocere apud incautos potuissent. Dei videndi desiderio flagrans, idque impensè petens à Deo hæc audiuit, vt fama est: *Meliorem tartem à me iam accepisti.* Et alias: *Incolumem te reddam, ita enim fiat volo.*

Charit. ad agros.

Mortific.

In morbo.

BARTHOLOMÆVS ALVARVS. COAD.

Lusitanus Vlyssiponæ. 24. August. 1614.

TOtum propè sacrarij instrumentum eius dexteritate partum aiũt Vlyssipone apud professos patres. Imminebat occasioni omni captandæ pietatis: vnde quotquot Sacerdotibus ad aram sacrificantibus adesse potuit minister, id verò præstitit perlubenter. *Oratio.* Ægris ferè per annos 40. mirâ charitate, reuerentiâ, industriâque seruiuit domi, foris æger quispiam Eucharistiam vomuerat, Bartholomæus adeò sui stomachi compos fuit, vt illum pietati obsequentem habuerit, hausto vnà cum sordibus sanctissimo Sacramento. *Euchar.* In Iaponiam destinatus, cùm à Sebastiano Morales Episcopo sacris initiari deberet, rarâ planè, eoque magis laudabili demissione atque constantiâ perstitit in gradu, nullo modo se adduci ad illum honorem passus, laborem tamen omnem lubens amplexus.

XXV. DIE

XXV. DIE AVGVSTI.

P. CORNELIVS VISHAVÆVS.

15. Augusti. Belga Lauretii. 1559.

Mortif.

VIr orationis magnæ, obedientiæ item, ac mortificationis. Per ipsos 14. annos asperum è setis cilicium diu noctuque gestauit P. Petrum Fabrum vt Louanij attineret, febrim illi à Christo dicitur impetrasse. Pro eodem consanando precari Deum iussus fecit; & Faber conualuit. Opinio eximiæ virtutis fecit, vt multi eius acta tunc adhuc in Belgio viuentis conscripta circumferrent. Balinghen in Kalendario B.V. 24. Augusti refert illum ad B. V. imaginem prostratum petiisse vbi P. Petrum Fabrum reperiret, de quo quærendo literas accèperat. Iussum esse secundùm cœnobium S. Dominici dextrum viæ latus ingredi; & ad sinistrum, tertiæ domus portam pulsare. Paruit; & quæsitum P. Fabrum istic reperit. In Belgio, & Sicilia Deiparæ dictus est *paranymphus*, quòd mirâ verborum efficacitate tot Christo sponsas in cœnobia adduceret. Cuidam id vehementer horrenti ob crinem rutilum quo splendebat, ex vero prædixit pœnas daturam in capillis, quos pro Deo præhaberet. Breui capilli morbo illi defluxêre, ac illa se in cœnobium dedit calua. Aliquando peccatum silentio in confessione à quodam dissimulanter pressum, ipse eidem prodidit, illo ita perculso vt humi sui haud compos conciderit. Mira illi gratia erat in dæmonibus exterminandis, & cordibus tranquillandis. Eius virtutum exempla & documenta quæ dabat latè prosequitur è Societatis historia, & aliis, Alegambe in eius vita.

Oratio.

B. V.

Vocatio.

Confessarius.

P. IACOBVS MIRO.

Hispanus Romæ 15. Aug. 1590.

FRequens illi erat pane & aquâ definitum ieiunium: gestabat semper thoracem cilicinum nodis intextis asperum, nec non laminam crebris cuspidibus alterâ eâque pectori adstrictâ parte asperrimam; quam tamen sacrificaturus deponebat, ne dolor mentẽ distraheret. Ferrea catena lumbis eius longo vsu immersa non sine periculo est exempta. Lectionem spiritualem plurimis lachrymis interrumpebat. Orandi non assiduitate tantùm sed & reuerentiâ incomparabili mirabilis, diu abdebat sese, annonâ modicâ cõtentus, & se coram Deo deprimens ac in angulum vel sub mensam abiectus; cùm locum non inueniret in quẽ se coram tantâ maiestate demitteret. Et tamen officio suo non deerat, seu scholas seu Collegia, seu Prouinciam, gubernaret. Huic magnæ mortificationis, orationis, sapientiæque viro P. Euerardus Mercurianus cõmisit colligendum ex instituto summarium & Regulas: ratus illas non ab aliâ manu debere conscribi.

Mortif.

Lectio.

Oratio.

Humilit.

P. PETRVS MICHAEL BRILMACHER.

Germanus Moguntiæ. 25. Augusti. 1595. ætat. 53 Soc. 37.

CVm quâ voce, quâ libris typo editis hæreticos ad silentium vsque compelleret, propinatum ei ab illis venenum est, quod nullis planè pharmacis domari ac vinci potuit. Vir fuit magni animi, linguarum peritus, felicis eloquentiæ in conuersione mul-

Fides.

torum; apprimè charus Principibus, & humanitate ac humilitate prorsus eximiâ.

P. IACOBVS SALAZAR DE PORRES.

Hispanus Compluti 25. August. 1596. ætat. 57. Soc. 36.

HIerosolymam profecturus, & nomen Matris assumpturus, se *filium Mariæ de stella* (id est, Beatissimæ Virginis) nuncupauit. Peregrè profectus, vbi vbi poterat Beatissimæ Virginis templa inuisere, minimè omittebat, ita vt S. Iacobum inuisurus, peregrinationem à *B. V. de charitate* dicta inchoârit, & in B. V. *de Conceptione* absoluerit. Ita reliquas etiam peregrinationes ab illius templo aliquo incipiebat, & in eiusdem templo alio terminabat. Romam appulsus, ante omnia *S. Mariam maiorem inuisit*. Laureti nouies diuino sacrificio precatus per nouem dies manè ac vesperi totus erat in illo sanctuario fundendis ad Dei matrem precibus occupatus. Longum esset omnem Catalogum texere sacrarum B. V. ædium, quas in Hispania, Italia, Germania visitauit. Deiparæ imaginem secum gestabat semper; cũ illa ceu cum consultrice itineris comite, duce, magistrâ, vehiculo, suo solatio suauiter ac sæpius collocutus, mirabili & confidentiâ & efficacitate. Non semel in arcto positus ad imaginem illam dixit: *Nunc, Domina, nunc age quod tuarum partium est: nec enim superest in hominibus quicquam auxilij aut consilij.* Et feliciter eueniebat quod petebat. In diuersoriis imaginem Beatissimæ Virginis, sarcinæ imponebat, aiebatque; Domina custodi teipsam & hunc fasciculum. Tum foras exibat, redibatque nullâ re vnquam deperditâ. Illi passus singulos & labores dedicabat. Mantuæ pedem cereum obtulit B. Virgini, & cor vnum; petiitque

Peregrinationes.

B. V.

Imago. B. V.

læsum suum pedem ab illa persanari. Et sanatum sensit, eodem die 4. millia passuum profectus ad sanctorum reliquias visitandas. Non secus atque ad matrem ibat ad Virginem, quicquid pro se vel aliis petendum fortè occurreret; eius ope vsus etiam feliciter ad angelicam puritatem. Moriens incredibili significatione suauitatis aiebat se Beatissimæ Virginis filium esse; illius filium esse se, nec scire satis disertè enucleare quo modo esset illius filius. Plura de illo in vita.

Mort.

P. MICHAEL CARVALLIVS.

Lusitanus Omuræ 15 Aug. 1614. ætat. 47. Soc. 27.

OLim puer Isaacũ egerat in theatro, vt suæ morti præluderet; ad quam per magna pericula virtutesque peruenit. Aliquando biremi fractâ, natatu euasit ad littus. Omnes quæ ad spiritum attinent functiones, flexis genibus obibat. Diuino sacrificio celebrando se per horam solidam præparabat, & aliam horam integram dabat reddendis gratiis. Beatissimæ Dei Matri religiosè addictus quotidie se cædebat, cilicio quà è setis texto, quà ferreo persæpè accinctus. In Iaponia ærumnæ illi in deliciis, maximè cùm per menses tredecim in carcere se videret; quo tempore incredibili martyrij desiderio tenebatur, optabatque pro Christo particulatim incidi. Ibi quoque duos excubitores ad Christum conuertit. Ad mortem ductus, crucem ipse portauit, cum sociis psalmos canens. Primus ipse palo alligatus, & cum illo religiosi alij plures; atque omnes dum arderent IESVM & MARIAM pronunciauere, atque vixêre.

Oratio.

Sacrum.

B. V. Mortifer.

Fides.

Iesu Maria

P. IOAN.

P. IOANNES NEROVIVS.

Bohemus Pragæ 15. Aug. 1656. Soc. 49. Oratio.

PRagæ aliisq; collegiis præfuit Rector, Philosophiam & artes septẽnio, Theologiam moralem docuit per annos 14. Per annos 30. præfuit rebus spiritualibus. Aiunt eum annis aliquot meditationis consuetæ horam humi super storea prostratum executum fuisse. Per vndequinquaginta annos quibus in Societate vixit, nunquam vel statæ meditationis horam neglexit, vel somnum vltra consuetam dormiendi horam extendit, imò vnius horæ spatio ante alios lectulum deserebat. Post Dei matrem, præcipuo studio colebat S. Dorotheam, quòd eius beneficio viueret virgo, pudore etiam in lubrica quadam illecebrâ conseruato, & post illam victoriam nullâ rebellione tentato. Fusis ad Deiparam precibus didicisse se aiebat, S. Dorotheam eâ dote pollere, vt suos clientes contra rebellatricis carnis insidias victores seruet. Pudicitiæ tuendæ causâ in potu cautus, dixit sub mortem, se nunquam vel tantillum supra necessitatem bibisse, quantum ad hilaritatem sufficeret. Per ipsos 40. annos nullum sibi diem elabi permisit sine gestato cilicio flagrisque sibi inflictis etiam in morbo extremo, propè ad vltimum. Sextâ quauis feriâ nec in triclinio, nec in cubiculo alibi quàm humi sedit. Aiunt illum futura ex vero prædixisse, & plures illi animas è piacularibus flammis apparuisse non semel. Quomodo cuidam subuenerit vt otium haberet se pro feliciore morte parandi, referunt annuæ fidorum testium fide nixæ. Inter migrandum sublatis manibus & extensis quasi gratum quidpiam expectantis gestu lætus exclamauit: spiritus veniunt spiritus! & expirauit.

Mortis.

Feria 6. Crucifixus.

Mors.

Castitas.

S. Doroth. B.V.

XXVI. DIE AVGVSTI.

P. FRANCISCVS MIROLDVS.

16 Augusti. Italus Bononiæ 1611. ætat. 55.

TYrones ac veteranos eâ suauitate rexit, vt matris loco sit habitus. Stipem ipse corrogauit, quâ pauperes virgines in matrimonio collocarentur, & quâ nosocomium iam collapsum vigori pristino restitueretur. Illud etiam inter immortalia eius opera fuit, quòd Sodalitatem instituerit, cuius institutum est animarum è purgatorio liberandarum curam omni contentione suscipere. Optabat eâ horâ mori, quæ suprema fuit Christo morienti. Et verò feria sextâ sub idem tempus obiit, quo Christus expirauit.

Charitas.

Purgator.

Mors.

P. MARTINVS STREDONIVS.

Silesius Brunæ 16. Aug. 1649. ætat. 62. Soc. 42. B.V.

HVnc mater etiamnum paruulum ad Claromontanæ Deiparæ imaginem adductum illi pro seruo transcripsit, ac dedicauit. Et modestè gloriabatur Martinus se ab eo tempore maternam ac planè singularem Deiparæ opem vbique persensisse. Septennis, antequam primò diuinæ mensæ accumberet, se tridui ieiunio ac propè inedià præparauit. In Societate Græcij dũ studeret, *Societatis Angelus* dicebatur. Postea dum quà doceret, quà colloqueretur, ita castigatè ac religiosè id agebat, vt Nissæ vocaretur *ille*

Eucharistia.

Mortificatio.

Lingua.

Mortific. *Pater ex cuius ore Angeli loquuntur.* Per annos aliquot, vinum & carnes vix attigit. Extremo vitæ quinquennio singulis propè noctibus è lecto se pro-

B V. ripiens ad B. V. imaginem supplex prouoluebatur, & ea tunc agebat quæ

Nostu. Mort. egisset, si tunc fuisset in extremo vitæ fugientis articulo. Brunæ contra Suecos conseruatæ felicitatem, strenuique militis fidelitatem non pauci (quos inter Ferdinandus III. Impera- *Oratio.* tor) Stredonij precibus adscripsêre. Nec defuit qui dixerit, illum sibi conspectum orantem propè templum in aëre sublimem. Mortem illius posui in pretiosis occupationibus morientiũ in Societate. De reliquis plura dabit eius vitæ historia.

XXVII. DIE AVGVSTI.

P. FVLVIVS ANDROTIVS.

27 August. Italus Ferrarius. 1575. Soc. 28.

DVos habuit in Societate germanos Hortensium & Curtium. Paupertatis studium humilitate ornabat: rectionem eximiæ probitatis authoritate firmabat, nullo vestiũ cultu nisi pauperrimo, nullo fastu

Superior. frontis, gestuum, aut verborum. Apud Ferrarienſem Ducem pollebat gratiâ, quâ tamen ille ad animi illius, non ad Collegij Ferrarienſis, cui præerat, commoda, vtebatur. Malebat recta suadere quàm operam dare magnorum confessionibus audiendis,

Syncerit. cum esset syncerus & seueritati propior: vnde non defuêre qui dicerent: si pater Fuluius indulgenter agere seu nosset, seu vellet, aureum illius Collegium euasurum. sed promptissimus longè ac felicissimus fuit in morientibus expiandis; & alias in conscientiis excolẽdis optimâ cultrone. Inter plures, quibus vitæ seuerioris sanctimoniam persuasit, fuit vidua nobilis ætatis ac formæ flore præstans. Eapropter à iuuenum pessimè id ferentium globo, vbi vbi haberi poterat, probris

Patientia. Confessio. cachinnisque acceptus est. At modestissima illius patientia peruicit procacem petulantiam irrisorum, adeò vt illi quoque suas conscientias illius disciplinæ tradiderint.

P. MELCHIOR HVRTADVS.

MExici voto ad pictor Indos pro- Hispanus in Philippificiscenti concepto, à morbo nis. 27. Aug. conualuit, qui eum morti iam propè 1603. ætat. admouerat; & ibi decennio laborauit. 37. Soc. 17. Pro mortis apparatione monebat Patres quid sibi vellet suggeri morienti, id est aspirationes è scripturâ de glo- *Mors.* ria cælesti. Apud Mindanaos vno anno seruus, ærumnas perpessus est, & probra, laboresque immensos. Linguas complures didicit pro gentium salute magnopere idoneas. Zebuanus *Zelus.* Episcopus illum laudibus magnis ornat cum admiratione, tanquam virum doctrinâ & Apostolica virtute admirandum ac ærumnarum sitientem, & Sanctitatis veræ studiosum. Pridie ante mortem superiori diserte dixit, crastino die eâ quâ hæc dicebat horâ, de se actum fore. Atque ita euenit.

IOAN-

IOANNES
NAVES. COAD.

Hispanus Gerundæ 27. August. 1605. ætat. 50. Soc. 21.

DE hoc in heroibus & victimis charitatis hunc in mundum scripsi: Ioannes Naues è 50. vitæ annis vnum ac viginti in Societate meruit; ad omnia Coadiutorum officia & artes ac virtutes insigniter vt idoneus, ita promptus, eaque insigni cum quadam eminentia executus, seu ad fabricam seu ad currus aut colendam terram foris, siue ad sacristiæ, valetudinarij, culinæ aut quæuis alia munia vocaretur. Magnum superiorum leuamentum fuit, cùm in obsidionis ærumnis Tarraconenses socios in sudore vultus sui (vt erat ad horti quoque cultionem egregius) sustentauit, omnibus officiis erga omnes amanter prolixus. Coadiutorum norma & clarissimum documentũ dicebatur. Nunquam retro, quod aiunt, humore (cui obnoxia sunt nonnunquam ingenia nonnullorum) afflatus, semper sibi præsens ac sui potens erat quocumque loco vel tempore illius opera quæreretur: adeò non erat opus dextrè molliora tempora obseruare, quibus illi esset aliquid imponendum. Planè omnium horarum vir erat, ad omne obedientiæ & charitatis ingenium factus ac faciens omnia. Domi noxium virus duos prostrauerat. His Ioannes tam effusè, amanter hilariterque adfuit assiduus, vt fræno eguerit, ne se perderet suo illo tam dulci velut æstro percitus & abreptus. Noctes diebus continenter iungens vigiles ac laboriosas, dicebat se quiescere non posse vsque dum chara illa capita suis ipse manibus conderet. Ægrorum alter carbonem pestiferum in collo, alter in tibia habuit. Vtrumque vlcus eodem loco ab vtroque traxit Ioannis collum ac tibia, oculorum altero lachrymatione continuâ gurtis perpetuis manante. Cùm patres illo suo periculo afflictos videret, ad eas S.P.N. Ignatij, quas ipse in obscuro suo conclaui habebat reliquias supplex accidit, & vt S.P. filiorum misereretur flagranter eadem repetens sibi videre visus est splendorem instar hominis è reliquiis erumpere, seque illo circumdari, totumque intimè perfundi lætitiâ solidâ, tenerâ, admirandâ. Tum dolor omnis, & colli vlcus abstitit, & somnus rediit, solo tibiæ vlcere in alterum diem relicto indice beneficij diuinitus accepti: quod tamen etiam euanuit: & Ioannes ex integro incolumis hortum percoluit, donec lætitiarum plenus iterùm se peste æstuare aduertit & Sacramentis procuratus 27. Augusti, horâ noctis 10. in lucem æternam excessit, cùm ante 15 diem eadem hora se lumine illo è S P. Ignatij lipsanis erumpente vestitum vidisset, vt dixi.

Hispanus in Philippinis. 27. Aug. 1603. ætat. 37. Soc. 17.

Oratio.

Humil.

Obed.

Charitas.

Mors.

Zelus.

S. P. Ignat.

XXVIII. DIE AVGVSTI.

P. MICHAEL
DE VRREA.

28. August. Hispanus in Peru. 1597. ætat. 42.

IN Peruuium anno 1585. traiecit: duo gentis idiomata confestim perdidit. Rectoris officium cum lachrymis deprecatus, paupertatem impensè amans, angulum pro cubiculo habuit quod illum vix caperet, atque in quo, ob loci humilitatem, erectus stare non posset. Reliquarum virtutum diues cùm

Paupertas.

cùm esset, super alias ditior fuit seuerâ in se asperitate ac humilitate. Cibus illi herbæ,& radices;lectus in sarmentis; quotidiana,& cruenta flagellatio; nulla humana solaria in ærumnis. Anno 1596. ad Ciuncas primus è Societate destinatus,quotidie se cruëtabat, aliisque corpus macerandi modis animum excolebat,parabatque arduæ illi expeditioni. Ciuncarum fines per asperrima montium, fluminum, siluarumque ingressus, *Te Deum laudamus* Deo dixit; vnicus in illa barbarie; quæ tamen est vibani vtcumque genij, & capacis ac non inuiti ad meliora, sed æquo retinentioris veterum superstitionum, quas exuere ratum atque perdifficile est. Auis, idolum versicoloribus pennis varium, illis erat in pretio atque cultu. Illud quia deiecit Michaël,displicuit etiam illi Dynastæ à quo præcipuè amabatur. Eam ob causam Caciquij ligneis acinacibus illum,alter profundè in capite, alter in facie, vulnerauit: vnde mors breui consecuta; illo interea pro iis orante à quibus fuerat sic concisus. Affirmauêre indigenæ, motam postea terram fatiscentem in rimas, euersis nonnullis prædiis; & visa persæpè lumina quæ nocte intempestâ tumulo incubabant,fuso plurimo circumquaque splendore; atque nebulâ nonnunquam inde surgente, ac se per eam regionem expandente. Eum qui eius ossa exarare parabat, nebula inde repentè prorumpens absterruit. Sicarij comessantes plerique à leonibus, atque tigridibus è lacu erumpentibus discerpti: superstites alij, qui fugâ sibi consuluerant, odio ab aliis habiti, lapidibus appetiti, deinde in vico suo leprâ pestilente absumpti sunt;, adeò vt nemo iam eorum qui necis autores fuerant supereſſet. Corpus tandem honorificè translatum est.

Auis idolū.

Fides.

Mors.

P. LAVRENTIVS PRATANVS.

VIr fuit candidi & ad sacros labores nati ingenij. Præclarum sui specimen dedit in castris Catholicis: in quibus contractâ lue Ruremundam deportatus extremũ diem vixit. Præfecta Virginum nosocomio istic seruientium, quæ Societatem vix modicè, Patrem Pratanum planè non nouerat, per quietem vidit duos Nosocomium ingressos eorumque alterum pallidum serto roseo coronatum, vterque Sacrarium ingressus est, at alter inde amplius visus non est.Postridiè (cùm istic necdum esset Collegium) Patrem Pratanum cum alio quodam de Societate istuc adductum vt vidit,hunc eum esse agnouit,quem serto viderat coronatum. Ibi obiit diem Laurentius.

Belga Ruremondæ. 18.Augusti. 1599 ætat. 39.Soc.17.

Charitas.

Mors.

P. NICOLAVS PLACEVS.

MOdesto semper & honorum fugitante ingenio vir. Patientiam in morbo tantâ ostendit quantâ maiorem se in nemine conspexisse medicus affirmauit. Paucis ante mortem diebus dixit se à S.Augustino per quietem visitatum. Et verò illius die requieuit in pace.Post mortem Rhedonibus matrona genere ac virtute inclyta dixit sibi per quietem vocem auditam quâ ille adscriptus cælitibus dicebatur. Iterùm post sacram synaxim sumptam, eadem illum videre sibi visa est in frequenti choro cælitum Deo laudes pangentium. Et aliàs non rarò hæc eadem à P. Nicolai Rhedonibus ad concionem olim dicentis capite columbam vidit ad simulacrum Crucifixi

Gallus Rhotomagi.28.Aug. 1617.

Patient.

S Augustī.

Oratio

Sanctis.

Mors.

Concio.

Concio.

Columbæ Crucifixum. Crucifixi prouolantem. Vita verò matronæ eiusmodi fuit, vt visis fidem faciat indubitatam.

P. IACOBVS ANTONIVS GIANNIVS.

Italus Xamabaræ 28. Aug. 1633. ætat. 56. Soc. 37.

ILlibatæ virginitatis ad mortem vsque fidelis custos præclara illius documenta præbuit contra eos à quibus tentabatur. Literis è Iaponia lectis mortis cruentæ pro fide oppetendæ desiderio accensus, vt eò eâ de causâ proficisci posset, Societatem petiit: atque illâ impetratâ breuî Goam, & Macaũ, denique in Iaponiam appulsus est. Literæ illius plenæ erant desiderio, vt in mille frusta discerperetur, aiebat autem; se martyrium non desiderio tantùm, sed spe quoque complecti. Ab apparitoribus, post felices istic ab anno 1609. labores, & cauernas clam habitatas, tentus, vinctus, circumductus, præcone præeunte, probrorum plenus, at lætus, 25. Augusti foueæ suspendio addictus, è pedibus pependit vsque dum 28. Augusti optato agone cursum consummauit.

Vocatio.

Fides.

P. CHRISTIANVS MAIOR.

Germanus Treuiris. 28 August. 1634. ætat. 50 Soc. 32. Castitas. Mortific.

VIrginitati suæ tuendæ semperque seruatæ ante Societatem iam inde à teneris initam ter se quothebdomadis ad vsque sanguinem flagellabat. Duobus quotidie, tribus per dies festos sacris intererat; quicquid contrà obnixè niterentur humani respectus. Tyrones, & Patres tertiæ probationis per annos vndecim erudiuit, exemplo vim verbis addente. Inconsulto Deo nihil omninò aggrediebatur. Diuinum officium nixus humi genibus & ad syllabas singulas attentus dicebat. Item psalmos à pœnitentiâ gradibusque dictos & B.V. coronam Quotidie manè ante omnia, vesperi post omnia, interdiu quinquies visebat SS. Sacramentum, licèt parum commodum illuc esset iter. Deiparam omni colebat industriâ, coliqué volebat. Tota illi corporis compositio è legum modestiæ disciplinâ profecta. Opem eius ægri quoque sensêre. scripsit libellos eximiæ pietatis plenos.

Oratio.

Euchar.

P. LAVRENTIVS BARTILIVS.

Polonus Smolensci. 28 August. 1635. ætat. 66. Soc. 50.

FVit hic vir inter prima documenta religiosæ solidæque pietatis, ac rectionis. Collegia & Prouinciam gubernauit: neque tamẽ cubiculum suum ab vllo administro componi curariúe voluit; *humilia*, inquiens, *officia nunquam sunt deponenda*. Secundâ post dimidiam noctem horâ visus est domũ obire & præ singulorum cubiculorum foribus genua humi ponere ac pro sociis impensè orare. Gubernabat miti quadam demissione sed citra respectus humanos. Opinio fuit Angelum adspectabili specie illi adesse eumque ad surgendum excitare. Si consuleretur, Deum consulebat, priùs quàm responderet. Inter orandum nescioquid in illo emicabat, quo totis viribus id quod agebat ab eo agi indicabatur. Selecta quædam è scripturâ sæpè depromebat ac vibrabat interdiu, quæ ille *faculas* appellabat. SSS. Trinitatem piis excogitatis industriis colebat. Ad B. V. Lauretanam pedes abiit è Polonia peregrinus, in paupertate, oratione ac perpetuâ in seipsum seueritate. Mysteria vitæ B.V. in dies hebdomadæ partitè distribuerat, vt hebdomada tota illi esset vita B. V. meditatè recognita. Taceo corollas, officia, Litanias, pensum Sabbatinum. Per iter cùm in vigi-

Humil.

Noctu.

Charitas.

Oratio.

B.V.

liâ festi B.V. in diuersorio verberare se
Mortific. non posset, in syluam secessit, & officio suo constanter perfunctus est. De Societate Fratrum non nemo Smolensci occasione vsus ad fornicem, vbi mortui requiescunt descendit, & è capillis P. Laurentij aliquid ad venerationem decerpsit; sed nocte proxima
Mort. P. Laurentius per quietem illi adfuit, & vultu seuero reprehensum iussit reponere quod accepisset. Neglexit id, phantasma somniantis ratus Coadiutor at ecce tibi nocte alterâ seuerioré P. Laurentium iterùm arguentem, & reponi accepta vrgentem, simulque addentem: nescis, mi frater, quantis ego mortificationibus à Domino obtinuerim, ne vlla mei particula in veneratione esset. Recepit se facturũ hic: at postea capillos non reperit. Vilnæ in
Sacram. S. Ioannis Bapt. basilica post sacrum gratiis agendis coram Crucifixo intentus, in altum sublatus conspectus est. Matthiæ Sarbieuio, suo Nouitio, Romanum iter; aliàs, quatuor Nesuisienſibus sociis mortem prædixit, viso antea curru per sublime in Collegium quadrigis inuecto. Et prædictio euentum sortita est. Eius vitam, & pietatis exercitationes quasdam breui libello complexus est P. Albertus Koialouiez, qui consuli potest.

SEBASTIANVS MENZEL. COAD.

Germanus Brunæ 18. Aug. 1648. ætat. 36. Soc. 15.

MAluit pharmaceuticen apud ægros nostros exercere Coadiutor, quàm ob eam quam nactus fuerat literaturæ peritiam scholasticorum albo adscribi, raro modestiæ documento. *Humil.* Nequid vanitatis admitteret, latinè loqui, (quantumuis eam linguam probè calleret) nunquam voluit, nisi grauis necessitas idextorqueret. Nullus vnquam æger sub eius curâ inopinatò decessit, quin extremis Sacramentorum præsidiis muniretur, illo tempestiuè id procurante. *Charitas.* Tranquillè ferebat si corriperetur, tametsi esset ingenij acrioris. quæ certè germani Societatis *Humil.* filij nota in illo laudabiliter eluxit. De glorioſa illius morte ita scripsi inter heroës & victimas charitatis. Cùm pestifero languore domi prostratum quemdam periclitari videret Sebastianus, perennaturâ æternæ vitæ diuturnitate ad huius vitæ despectionem in- *Charitas.* citatiùs animatus, quà sponte suâ, quà obedientiæ inuitatu perlibenter, se in capitis periculum dedit, perstitítque fidelis Fratri amicus & seruus, vsque dum alterum illum pestilens virus extingueret. Mox & ipse eodem discrimine inuolutus, post suprema Sacramentorum adiumenta, instauratis feruido animo religiosis votis, inter pulchra oscula Crucifixi, & repetita IESV ac MARIÆ nomina eadem quâ *Obed.* prædixerat horâ, plenus gaudij animam pro Fratre posuit: cùm diceret se *Mort.* illâ cogitatione immortaliter exhilarari, quòd vitam obedienter vltroque gratis venalem charitati, hoc extremi amoris officio breuiasset.

XXIX.

XXIX. DIE AVGVSTI.

P. IOANNES CODVRIVS.

29. August. Allobrox Romæ. 1541. ætat. 33 Soc. 1. S. Ioan. Bapt. Mortificat.

DIe S. Ioannis Bapt. nascentis natus & eiusdem morientis die mortuus est euolutâ ætate 53. annorum. Nonus fuit in primâ decade Ignatij Sociorum. Parisiis dum primis exercitiis excoleretur, triduum istic sine cibo & potu transegit, magno æstu abreptus. Venetiis die S. Ioannis Bapt. sacris initiatus, post alios labores Romæ Margaritæ Caroli V. filiæ à confessionibus fuit. Orandi studio apprimè addictus, conspectus est sublimis aliquando in aëre dum oraret. Anno 1541. ad S. Pauli extra vrbem coram ea quæ istic etiamnum colitur B. V. imagine vota in Ignatij, vt vocant, manibus post Ignatium primus, & singultiens nuncupauit; & per campos illos, quà ibat ad S. Sebastiani Basilicam, in lachrymas & voces miras erupit, corde animi flagrantiam non satis capiente. Pro hoc postea ægro sacrificaturus 29. Augusti ad S. Petrum in monte aureo cum socio Io. Baptista viola ibat S. P. Ignatius: & ecce repentino substitit in medio ponte Sixti, ac socio, Redeamus, inquit; Ioannes Codurius expirauit. Collatis temporibus deprehensum est, eodem tempore domi Codurium abiisse de vita. Scripsit postea P. Petro Fabro S. Ignatius, visam à quopiam (ipse is erat) Ioannis Codurij animam lucidam inter choros Angelicos ferri ad cælum.

Oratio.

B. V. Vita.

THOMAS ATHINAS. COAD.

PAulò ante mortem sibi probè præsens confessario retulit se, cùm esset faber lignarius, suæ tenuitatis conscium hæsisse vehementer anxium animi, quid circa Societatem ineundam sibi esset consilij capiendum: cùm se minimè recipiendum opinaretur. Eapropter consilij causâ se singulis diebus dominicis Rothomago ad vicinum B. V. Sacellum primo ab vrbe lapide peregrinabundum abiisse. Die quodam B. V. festo sibi vnâ vel alterâ ante noctis medium horâ precibus intento, suauissimam Virginem cum IESV paruulo in sinu conspicuam adfuisse præsente ad latus etiam S. P. Ignatio. Dictum sibi ab illa dulcissimè blandiente; bono animo vt esset, se enim illum in suam fidem susçepisse. Mox ad Ignatium conuersa, illum eidem impensè commendauit; & Ignatio magnâ reuerentiæ significatione annuente, aula illa splendida (in qua hæc videre sibi videbatur Thomas) vnà IESVS *Maria, Ignatius* ex oculis abiêre. Dixit, Angelum quoque suum custodem sibi oranti elegantis paruuli specie tertiò vel quarto videri visum eo in loco quẽ ille fundendis precibus destinârat.

Gallus Flexiæ. 19. Aug. 1620. ætat. 19. Soc. 6.

Vocatio.

B. V.

S. P. Ignatij

Ang. custos

IOANNES GVINDORA, SEV KIDERA.

CVm P. Iacobo Antonio Ciannonio longis carceris incommodis maceratus, ferro in manibus pedibusque onustus, præcone præeunte, asino

Iapon. Xamabaræ. 19. Aug. 1633. Fides.

insidere iussus, & circumuectus, ac post ludibria in foueam capite prono suspensus, hodie demum legitime certandi ac viuendi finem fecit, fortiter moriendo.

P. CHRISTOPHORVS FERRERIVS.

Italus in monte Rogali. 29. Augusti. 1637.Ætat. Soc. 9.

TAurini iurisprudentiam applausu insigni docuit; & postea ibidem Philosophiam cùm iam se Societati transcripsisset magnâ laude ingenij ac virtutis. Amœnus, blandus, affabilis; & tamen modestus, non leuis. Neruum sanctimoniæ in eo collocauit, vt legibus domesticis accuratè pareret. Singulari voluntatis propensione ferebatur in S. Ioannem Apostolum quem etiam morienti Christophoro spectabilem adfuisse aliquorum opinio est, id ex eius verbis gestu, nutibusque legentium. Placuerit Ioanni Virgini perpetua illa Christophori pietas quæ in eo præcipuè elucebat, cum nobili Virginitatis inter tot pericula conseruatæ laude coniuncta. Duo adhuc sunt, quæ mihi de illo & coram dixit & scripto testata reliquit vir fide longè dignissimus, P. Franciscus Vascus Mediolanensis Prouinciæ præpositus Prouincialis cùm in XI. Congregatione hîc versaretur. Alterum est insignis Christophori erga suam vocationem amor hoc exẽplo demonstratus. Thomas Ferrerius Christophori pater, cùm extremo senio vrgeri se persentisceret ad mortem; testamentum suũ Christophoro misit, vt illud quo vellet modo accommodaret; se enim ita illud compositurum quemadmodum ipse vellet. Accepto testamento Christophorus legit de se ferè ita scriptum. Si verò P. Christophorus Ferrerius vnicus meus filius per morbum aut alia de causâ in religione non persisteret, sed ad sæculum reuerteretur; eo casu rescindo quicquid constitui: & illum omnium omninò bonorum meorum hæredem constituo. Hæc lecta in hũc modum vertit Christophorus, & patrem promissi memorem esse iussit vt ita scriberentur in testamento pro vt ipse iudicabat, nempe: si verò P. Christophorus Ferrerius vnicus meus filius per morbum vel aliâ quacumque de causâ vsque adeò esset demens, adeò ingratus Deo, & adeo impius, vt religionem desereret, reuertereturque ad sæculum; eo casu pronuncio illum indignum qui mihi succedat, & sit meus hæres &c. Alterum quod in illo præteriri non debet est mansuetæ vsque ad religiosam perfectionem charitatis exemplum. Nobilis quispiam germanum patris Christophori tunc necdum in Societatem recepti interemerat; idem ipsi quoque Christophoro meditatus. Rebus iam postea pace quietâ tranquillatis; cùm P. Christophorum videret, aiebat cuidam de Societate, se quotidie manè ad nostrum templum concedere, ac P. Christophori sacrificio interesse, & si auderem, aiebat, vellem me ad eius pedes pro veniâ petenda abiicere. Audiit hæc è Patre illo cui ea dicta fuerant, P. Christophorus; & respondit. Est equidem cur nobilis ille vir sacrificio diuino cùm ei operor quotidie tam diligenter interfit. Ego enim in diuino sacrificio quotidie pro illo nominatim Deo supplex fio. Adeò semper cordi erat Christophoro, ei à quo pessima acceperat, id quod optimum posset, rependere.

Regula.

S Ioannes.

Vocatio.

Charitas.

Sacrum.

XXX. DIE

XXX. DIE AVGVSTI.

P. PETRVS CLVTIVS.

30. August. Belga Treuirus. 1587.

DE hoc in hunc diem Iacobus Stratius ex P. Ægidio Bauario, cui Petrus id quod dicam secreto retulerat, scribit, illum cùm inter Societatem & alium ordinem dubius fluctuaret, multis lachrymis lumen à Deo precatum, manifestâ Dei voce hæc ipsa verba audiuisse: *Petre, Petre; Beatus ille quem vocaui ad Societatem nominis mei.*

Vocatio.

P. RENATVS COTORELLVS.

Gallus Cãberij. 30. Aug. 1598. ætat. 55. Soc. 36.

DVo in hoc viro cùm aliis laudibus tum alacris obediẽtiæ obsequiis celebri memorabilia visa sunt fuisse præ cæteris. alterum quòd moribundorum obsequiis caput in lue addixerit, adeoque gloriosæ illi Spartę sit immortuus: Alterum, quod, vt inter heroës de illo scribit Alegambe, mirâ simplicitate, humilitate, charitate ipsos viginti quinque annos in erudiendo infimæ classis elementario puerorum grege, indefesso, constantique labore ponere iucundum sibi duxerit & glorioſum.

Charitas.

Humilit.

P. ANTONIVS SEV THOVVENINVS GARANDEL.

Gallus Massiponti. 30. August. 1638. ætat. 74. Soc. 32.

NOtatum est, illum orandi studio tantâ propensione animum adiecisse, vt intra diei ac noctis interuallum 12. Ipsas horas genibus nixus, citra vllum adminiculum, orationi dederit. Opinio fuit illum à Matthia Lecousi Coadiutore cælo iam, vt creditur, recepto visitatum. Multus erat in generosa sui contemptione atque victoria, in paupertatis ac obedientiæ cum reuerentia coniunctæ cultu, humilitatis denique vsu perpetuo, quâ silentio præteribat se ante Societatis initam, in intimam Errici Episcopi Virdunensis consuetudinem familiariter allectum, honorificè istic habitum & amatum; illud verò crebriùs occasione arreptâ repetebat se in Mussipontano conuictu famulum olim fuisse, atque adeò ex abiectâ conditione veniſſe.

Oratio.

P. ADAMVS KRAVARSKI.

Germanus Pragæ 30. Aug. 1660. ætat 85. Soc. 54.

HVnc tum adhuc puerum ad magna natum aiebat Sacerdos magnæ virtutis famâ commendatus, narrans eum sibi per quietem diuino sacrificio operanti ministrum adesse visum, capite coronatum coronâ cælestibus gemmis illustri. In tyrocinio variè à valetudine, atque à Magistro suo versatus, quasi inutilis infimæ scholæi nstitutionibus tradendis Pragæ antequam Philosophiam audiret per quatuor annos operam sanctam dedit. In Missione Dociana, & postea Tyrnauiæ in Hungaria operam Apostolicam præstitit felicissimâ messe animarum ad fidem, & ad frugem reductarum. Pragæ adolescentes è cella subterraneâ (magicis lineis confusis & interuersis) vna cum Magistro dæ-

mone faceſſere iuſſit; ne ſcholas noſtras, conuictumque peſſundarent. Quantum œconomię quoq; Pragenſis Collegij apud regni ordines, & apud Equitem Iacobum Horcicki commodi attulerit, meminit illud Collegium nunquam obliterandâ nominis tam benè meriti memoriâ. Illuſtris fœmina per illum ad orthodoxam fidem reducta cùm in hæreſi ter & nunquam viuum fœtum edidiſſet, poſtea Catholica nouies peperit, & prolem ſemper viuam. Reginæ Hradecij ad populum ita dixit, vt auditâ quadam eius concione, octoginta ciues hæretici (quos inter etiam ſenatores) ad illum adierint, & hæreſim deteſtati, præſtitutâ ab illo die, Sacramento pœnitentiæ animos expiârint. Eiuſdem, & Girzinienſis, ac nouæ ciuitatis Pragæ atque Clatouienſis Collegij origines P. Adamo deberi ſcribunt ij quibus res coram iſtic perſpectæ ſunt; Domo profeſsâ quoque opportunum in eo aſylum perſæpè luculenter expertâ. Georgius Comes à Martinez Bohemiæ Cancellarius datis vltimo Aprilis anni 1651. ad P. Adamum literis diſertè teſtatus eſt Luciam Kolovvratianam ſororem ſuam egregiis eius laboribus permotam Clatouienſi Collegio fundando animum adieciſſe. Id quod tunc factum quando præter omnem expectationem apud Biſtryenſes (quò miſeranda hæreſum variarum colluuies confluxerat) P. Adami ſuauitate, dexteritate, amabili pietate intra breue tempus facilè duo millia hæreticorum orthodoxam fidem amplexa ſunt; cùm haud ex vano timeretur vt fugam potiùs quàm fidē arriperent. Inito diligenter numero, aiunt (vt ex eius aduerſariis conſtat) in variis Bohemiæ locis P. Adami labores à Deo nobilitatos lucro tot animarum ad religionem Catholicam reductarum vt cenſeantur conuerſorum triginta duo millia & quingenti ab anno 1622. vſque ad 1660. Elucebat in illa ætatis & corporis granditate & maieſtate amabilis quædam prudentia, & inde apud Cæſarem ac ſacros prophanoſq; proceres authoritas. Flexis in pulpito vel altiore ſubſellio genibus, Deum ac omnes cælites religiosè teſtabatur, ſe ea dicturum quæ ſaluti audientium neceſſaria forent ſeque diuino tribunali pro eis reſpondere paratum, ſe plecti æternùm velle, ſi ſciens falleret. Tum diuinas literas, & Latinos Græcoſque Patres palàm promebat, & fidei Catholicæ articulos inde firmabat peritus fideliſque interpres. Quâ induſtriâ populum mirificè permouebat: & poſtea tanquam poteſtatem habens flammas in corda vibrabat, ſenatu quoque ab eius parte ſtante; quippe cui priùs decreta Cæſarea & datas ad ſe Archiepiſcopi ac Dynaſtarum literas exhibebat. Hoc ſtudium animarum aſſiduâ orandi cõſuetudine alebat. Præſtituta orandi & conſcientiam introſpiciendi tempora non niſi flexis genibus exigebat, etiam in valetudine non ſat firma: & ſi in miſſionibus non verſaretur, ſemper in ſuo conclaui ſe continebat: in cuius medio poſitis humi genibus voce clarâ diuinum officium recitabat. Totis noctibus aliquando vigil auditus eſt pretioſa quædam iacula in cælum orando vibrare, Sanctiſſimis Iesv & Mariæ nominibus quàm frequentiſſimè repetitis: id quod in itinere quoque agebat, quaſi coram cum iis loqueretur. In Hungariâ eum ſuper altas niues horam integram flexis genibus orando duxiſſe obſeruauêre nonnulli. Etiam in extremâ ætate, licèt per iter corrueret, tamen antiquâ ſuam conſuetudinem Sanctiſſimi Sacramenti crebriùs inuiſendi non omittebat; aliquando etiã iſtic pernoctans in oratione Dei ac ſe coram Chriſto Rege

Videt.

Oratio.

Eucharift.

Mortif. Rege vt reum sistens & inclementer verberans. Vt se diuino sacrificio celebrando pararet, duobus sacrificiis aderat antequam celebraret; vt gratias redderet, duobus aliis post sacrum interesse consueuit. Nihil ad cubiculum admittebat, quod paupertas Nouitio non concederet: nullum in verrendo componendoque cubiculo adiutorem vnquam admisit. Societate ab hæreticis Pragâ electâ, carbonarij veste cũ curru redibat Adamus, & Catholicis clam Sacramenta, ac solatia ministrabat. Quoties mortem sibi variè imminentem euaserit, dicere longioris est otij. Nunc rosarij Mariani, nunc variâ diuinæ prouidentiæ ope; post vulnera, seruatus est; tunc lætissimus, cum dicax hæreticorum natio illum verbis & verberibus acerbè acciperet miserè cruentatum. Pro vulneribus reddebat gratias, missæ quoque sacrificio celebrato pro iis à quibus sæuum in modum fuerat acceptus.

Sacrum.

XXXI. DIE AVGVSTI.

P. PETRVS VILLAR.

31. Augusti. Hispanus Tarraconę. 1604 ætat. 60. Soc. 37.

MIro ad afflictandum corpus ingenio est vsus per artes varias, flagrorum, ciliciorum, frigoris &c. Cũ Valentiæ præesset, noctu sæpè ad SS. Sacramentum adibat; ibi suspirabat, se dirum in modum cædebat, & orabat. Per iter Coadiutori socio mulam suam dabat; ipse illum sequebatur pedes. Occultarum cogitationum, quas alij versabant, aliquando se conscium esse ostendit, vt fama est. Super ęgrum qui à medicis iuuari vix poterat, Euangelium pronunciauit, & dolor omnis mox euanuit. P. Fr. Petrus Paulus de Villar Augustinianus in India cùm graui morbo teneretur, P. Petri patrui sui meminit, & illicò coram se P. Petrum præsentem sibi videre visus, manifestam eius opem persensit.

Oratio.

Eucharist.

Mortific.

gereret, ante initam Societatem eò se conuertens è campo, vbi templum & sacrificij locus esset, non sine gratia lachrymarum. In Societate Limam missus, per ipsos 20. annos ibi culinæ officia exercuit exquisitè mundus, assiduus, lætus, atque à singulis mentem in cælum librans. Marchio Peruuiæ fortè istuc aduenies, nec expectatus cùm illam elegantiam non sui sed Dei causâ fieri est conspicatus, totus alium ex alio se factum dixit, adiecitque se (si per matrimonium id liceret) Societatem initurum, quæ tales habeat faciatque. Multus erat in se multifariam afflictando & orando, quibus duobus præsidiis quædam ab aliis nequicquã tentata perfecit ex animi planè sententiâ. De optimo perfectionis compendio interrogatus respondit obedientiam diuinæ voluntatis interpretem, compendium summum esse. Cùm esset ianitor, mirabili gratiâ pollebat, in mortalibus ad confessionem perducendis.

Oratio.

Mundities.

Exemplum.

Mortific.

Obedient.

IOANNES GONZALES. COAD.

Hispanus Limæ 31. Aug. 1613. ætat 58. Soc. 32.

IAm tum sanctitati quærendæ operam intendebat, cùm curam pecoris

P. FLO.

P. FLORENTIVS TENNIER.

Belga Caſleti. 31. Auguſt. 1629. ætat. 31. Soc. 13.

ISraëlitam ſine dolo vocant epiſtolæ è Flandrobelgicâ de illo perſcriptæ, aiuntque fuiſſe ſui contemptione ac Deiparæ cultu apprimè præſtantem. Sed illud rarum omninò: Septimus, inquiunt, fuit ſerie non interruptâ filius, vnde priuilegio quaſi agnato, quo ex diuina diſpenſatione gaudebat, multos à ſtrumis ſeu morbo (vt iſtic vocant) regio liberaſſe dicitur.

Strumæ.

P. FRANCISCVS DE LA MOTTE.

Belga Armenteriæ. 31. Auguſt. 1635 ætat. 49. Soc. 23.

INter Procuratoris & Miniſtri officia ſemper ſua ei conſtitit virtus, & pietas: adeò vt ipſo illo die, quo peſtis illum è vitâ eripuit, agonem ſuum Dei matri enixè commendans, tria roſaria percurrerit cẽties & quinquagies in ſingulis MARIÆ Aue dicens atque ab ea iuuari orans in horâ mortis ſuæ, pulchro amoris erga Deiparam ad extremum vſque perſeueranter ſtabilis documento.

B.V.

Morti

SEPTEMB.

MENSIS SEPTEMBER.

PRIMO DIE.

P. ANTONIVS CORREA.

1 Septemb. Lusitanus Vlyssiponæ. 1569.

NOuitiis primus in Lusitaniacùm præesset, in morem induxerat, vt primus cuiusque mensis dies dedicaretur paupertati à Nouitiis, diceretúrque dies *sanctæ paupertatis*; eo die nullus cocti quidquam gustabat, ad exercitium paupertatis, cibario pane, pauciſque fructibus contentus. Exemplo præibat ipse in iis, quæ tyronibus præcipiebat. vnde, & obsonatorem sine pallio cum sacco pomis pleno secutus per vrbem est. Ab illo istic manauit mos ille, vt Nouitij à prima probatione ad consortionem reliquorum admittendi palàm se in cœnatione flagellarent, & humi priùs, quàm ad mensam cum aliis vescerentur. Firmauit etiam sanctum illum, & aliquorum exemplo ferè labantem morem iter pedibus agendi. Diuino sacrificio suum otium dabat, sæpè in illo religiosis lachrymis perfusus, & aliquando conspectus toto corpore in aëre palmos aliquos à terra sublimis. Vir denique talis fuit, cui similes cuperet Societas, & Nouitios & Magistros.

Paupert. *Mensis.* *Mortif.*

Humil.

Sacrum.

P. ANTONIVS SEDENNVS.

LAureti ad Societatem receptus, Româ à Collegij Germanici cura in Floridam est missus: famem, sitúmque, frigora, pericula crebra sustinuit; ingenio, virtute, labore totus in animas intentus. Vnde, & lue sæuiente, medici personam susceptit, ac è vita discedentes plures ad baptismum disposuit, & expiauit. In nouam Hispaniam ire iussus, primus de Societate fuit, qui Mexicum est ingressus, primus istic Rector Collegij eo adnitente fundati. Inde ad Philippinas ab earum Episcopo deportatus, Manilæ pro vrbe, ac pro salute animarum, & etiam corporum, plura præstitit, non imperitus etiam architectus. Templa insularum ferè imaginibus Deiparæ Virginis impleuit, accitis pictoribus. Illam aiebat esse orationem aliis altiorem, quæ magis nobis odium nostri, ac desiderium corporis afflictandi accendit. Magnus illi fructus constitit à bene ante oculos pro concione positis iudicio, & inferno; his aiebat mũdum concionibus indigere, non phaleris putidæ vanitatis. Mortem eligendam aiebat, mortem potiùs, quàm veniale peccatum; vnde occasiones quoque illius perdiligenti curâ cauebat.

Hispanus in Zebu. 1. Sep. 1595. Soc. 40.

Fides.

B. V.

Oratio.

Concio. *Mortific.*

Veniale peccatum.

P. MARTINVS ALBERRO.

Hispanus Valentiæ. 1. Sept. 1596. ætat. 70. Soc. 40.

PEr annos plures magnam noctis partem in pia cum Deo peruigilatione ponebat, precandi nunquam satur, etiam pluribus horis orando ductis interdiu coram SS. Sacramento. Inde illi auida quædam se vbique infrà omnes demittẽdi cupiditas, & cãdor, atq; sinceritas. aiunt Domus professæ literæ famam esse diuinam Matrem (cuius ille fuit amantissimus) sæpius sese ei videndam præbuisse in templo, semel in campo, deinde oranti. Domus sordes, quæ sabbato verrebantur colligentem blandè vt fertur, tangens in vultu, *Fili mi*, aiebat Virgo Mater, *valdè, valdè mihi in hoc places*. Sabbato alio illi conspecta, dixisse perhibetur 30. dies illi adhuc superesse in hac vita. In confessionibus audiendis fuit assiduus, & efficax ad serenda pia, non otiosa, cum iis quos tractabat colloquia. Vnde Franciscani Patres aiunt plusquam centum asseclas illo adnitente suæ familiæ accessisse. Plura in vita.

B.V.

Sabbatum.

Mors.

Confessar.

P. IACOBVS WILICHIVS.

Germanus Molshemij. 1. Sept. 1598. ætat. 30. Soc. 10.

CRuentâ alui deiectione prostratus, crebris vbertim fusis lachrymis morti se accingebat, obedientiâ exaggeratissimâ, magnâque conscientiæ depurgandæ crebritate, *Mariam matre gratiæ mâtre misericordiæ* totis vocis (quantam adhuc habebat) viribus innocatâ, pulchrum obedienter ac religiosè moriendi exemplum. Ergò (inquiunt Molshemienses, qui adfuêre) post sæuum cum morbo, cum morte, dæmonibusq; vt apparebat, duellum, inuitatu Domini, Deique sui, quem coram adesse palàm affirmabat, dum circumstantium quispiam Rosarium cum ipso percurreret, lętus emigrauit. Adeoque suprema eius in hac vita occupatio fuit Rosarium Marianum.

B.V.

P. ERARDVS MAINBOVRG. NOVIT.

Gallus Nanceij. 1 Sept. 1644. ætat. 70. Soc. 2.

HIc viduus, piè mortuâ coniuge virtutis excelsæ matronâ, filium Societati iam antè datum secutus est. Coadiutor futurus, nisi Præpositi Gen. voluntate euoluto primo tyrocinij anno iussus fuisset initiari sacris: quo facto trigesimâ post primum sacrificium oblatum die in morbum, & inde in mortem prolapsus est, fælix omninò senex. Collegij Nanceiani fundationi pœnè alterum tantum, quantum ante habebat, adiecerat. Sannicolaitanum quantum est, à fundamentis excitârat, piâ coniuge liberaliter annuente. Cumque de Societate nonnulli non deessent, qui parum grato tantis beneficiis animo responderent; ille tamen vnà cum coniuge tàm parùm abest vt ea re commoueri viderentur, vt dicerent; sed omne quod facerent, facere ad maiorem Dei gloriam; nec cessaturos se Societatem ea propter amore complecti, licèt omnes socij facies vtriusque sputis conspuerent.

Humil.

Benefall. Soc.

P. NICOLAVS LONGOBARDVS.

Pechini Siculus in Sinio. 1. Sept. 1654. ætat. 98. Soc. 71.

CAlcaieranæ natus, apud Sinas per ipsos 58. annos continuos laborauit, Riccio suppar. Nullum laborem, nullum periculum animarum causâ recusauit; nunquam de vllo vel murmur, vel querela ab illo audita est: nunquam sale, aceto, oleo, aut condimento

mento alio vtebatur : nullum diem (etiam senex & pelle ferè tantùm atque ossibus rigidus) omisit quo flagris in se non animaduerterit: nullum Ecclesiasticum ieiunium etiam in ætate tam præcipiti laxauit: nulla in paupertate laxamenta, sed nec sordes vllas, admisit : nullâ in lecto culcitrâ, etiam in dira quæ Pechini esse solet hiemis acerbitate, est vsus; contentus asseribus tenui stragulo coopertis. Ad Christi fidem per tot annos , tot ab illo adducti, vt socij numerum inire non possint. Fecit id magno virtutis exemplo, singulari magnæ probitatis famâ, & eloquentiæ Sinicæ mirâ vi, quæ in illo præstans fuit vsque ad Mãdarinorum admirationem. Prolapsus in templi limine , ac eâ prolapsione quassatus , morti se parauit. Auditâ Christi patientis historiâ , rogatus à socio ecquid illi molestum esset; manus in cælum sustulit , & lachrymis, coopertus, lætus, inquit, ac solatij plenus morior, quoniam mihi contigit hac horâ audire passionem ac mortem Domini mei. Imperator missis trecententis Taeis (id est ferè aureis) exequias celeberrimas ei parari iussit, Arca pretiosa, odores per iter fusi fumo vndante. Multi viri nobiles, & Principes , cùm cadauer inuiserent , pro more, terram fronte tertiò percussêre. Imperator marmor sepulcro illius imponi, & Sinico charactere epitaphiũ inscribi iussit.

Gallus Nic. ceij. 1 Sept. 1644. ætat. 70. Soc. 2.

B. V.

Humil.

Benefic. Soc.

Pechini Siculus in Sinio. 1. Sept. 1654. ætat. 98. Soc. 71.

II. DIE SEPTEMBRIS.

DOMINICVS IOANNES COAD.

2 Septemb. Lusitanus Conimbricæ. 1588. ætat. 52.

Silentium.

Labores. Humilis.

Exemplum. Coadiutoris.

DE rustico post vitam inter ædificationis operas toleratam Societatis Coadiutor factus, nihil vnquam, ab humilitate sua recessit. Silentium nunquam violatum, prima illi virtus fuit. Deinde labor culinæ per ipsos 24. annos religiosè impensus, adeò vt culinam *Sanctam eadem* vocitaret. Rogatus quî se ad labores tantos extimularet? respondit; eâ cogitatione, quòd ante initam Societatem duro agrorum, aliorumque laborum opere vix satis panis lucrifecerit: nunc verò longè mollius sibi esse ; plus habere se, minùs laborantem. Hac sibi cogitatione omnem laborem in Societate reddi facillimum. P. Ioanni Aluaro quædam , quæ postea euenêre, prædixit. Anima eius conspecta dicitur à sacerdote quodam multâ virtutum commendatione conspicuo, à Christo excepta, pretiosis virtutum plurium, sed trium potissimum, ornamentis conuestita : cui etiam sacerdoti Ioannes Societatem cõmendauit.

Mort.

MARTINVS APPARITIVS. COAD.

Hispanus Barcinonæ. 2. Sept. 1589.

MAgnâ silentij, ac strenui laboris exercitatione coluit Dei matrẽ Martinus, inter heroës & victimas charitatis morte gloriosâ perfunctus, quam cùm obiret aiunt illi strenuè cultam in vita Deiparam fuisse conspectam.

B. V. Silentium.

PETRVS MARTINVS. COAD.

Lusitanus Cusci. 2. Sept. 1624. ætat. 54. Soc. 30.

IN agris peritè colendis Oeconomiaque scitè administranda diligens

& simul tam teneræ pietatis fuit quâ vllus Nouitius. Illius pudicitia, cum extra domum ageret, ter minimùm à puellis tentata semper mansit illæsa; cùm sciret nos etiam cum domi nõ sumus non tamen esse extra conspectum Dei. Etiam in itineribus mediâ nocte surgebat ad preces; præclaris à Deo luminibus illustratus Noctu oranti adfuit vitâ iam ante functus P. Ioannes Sebastianus, & monuit, vt propinquæ morti se præpararet. AdSS. Euch. magnâ apparatione in hebdomada sæpiùs accedebat, & dixit visum se sibi, cùm illam accepisset, bolum carnis in ore habere. Ruri æger factus, cùm doleret se non in Sociorum complexu mori, morbus inducias illi dedit, vt domum rediret: quò appulsus, dixit se venisse vt domi moreretur.

Præsentia Dei. *Castitas.* *Mors.* *Euchar.*

III. DIE SEPTEMBRIS.

PETRVS STOPELLVS. COAD.

3. Septemb. Italus Mediolani. 1601. *B.V.*

A B admirabili animi tranquillitate, sui victoriâ, orandi studio, agendi assiduitate laudatur in literis Braydensis Collegij; vbi, & à Beatissima Virgine ad labores plures fuisse incensum, & in eius nomine pronunciando vitam illum finiuisse, sic narrat ea quam dixi epistola: Ante decennium circiter salute depositâ grauissimè iacebat ægrotus, cum ei Dei mater sese obiecisse dicitur præclarâ specie; à qua monitus est, longius abesse mortem: quòd plus etiam laboris in Dei famulatu ferendum erat. Itaque in eo ipso deinde morbo, qui finem attulit, cùm animam ægrè traheret, neque voces articulatas posset emittere; tamen identidem suauissimũ MARIÆ nomen incredibili cum sensu pietatis inclamabat, quasi patronam suam, atque matrem propiùs adesse sentiret. Sicibi. Adeoque Petrus extremum vitæ decennium strenuè laboribus dedit, tanquam (Deiparâ apud Deum adnitente) ad labores in vita retentus.

Labores. *B.V.*

PETRVS BROCQVEVILLE. COAD.

EXperrecti ad magnam virtutem animi vir fuit Petrus: quâ hortatrice, arduam peste infectis prouinciam enixè petiit atque obtinuit, illi demum immortuus. Dicebat; paratum se vel ipsam corporum saniem ex vlceribus ore suo, & suctu educere. Et verò duos nostros lue ictos amplexus, illis perdius & pernox incredibili cupiditate seruiuit lætus, & somni admodum parcus. Cilicio & flagellis in se ipsum seuerus, pane solo vesci solitus frequenter, & cilicio accinctus, laboribus tamen assiduâ cum contentione non defuit. Quin & voti sacramento spoponderat, vt à vino abstineret, id quod fecit triennio, vsque dum ad ægris seruiendum digressus voto solutus, vinum bibere iussus est.

Belga Antebati. 3. Sept. 1609. ætat. 29. Soc. 8.

Charitas. *Mortific.*

IOANNES EGGRE. COAD.

TRium facilè Coadiutorum labores vnus exantlabat, lætus, cilicio cinctus, & sudans ac in ea munia petenda intentus à quibus videbat mollio-

Belga Antuerpiæ. 3. Septemb. 1615. ætat. 38. Soc. 19.

molliorem aliquorum genium abhorrere. Obiit in heroicis inter peste infectos obsequiis. Deiparæ honoris tam fuit amans, vt ad Bredanos eius amore accendendos, positis calceorum soleis in eam vrbem Batauis tunc ereptam prægrandem B. V. effigiem suis humeris palàm hilaris intulerit.

P. ANTONIVS ISCIDA PINTVS.

Iapon Nagasachi 1. Sept. 1632. ætat. 63. Soc. 43.

PHilosophiâ & morali Theologiâ in Societate eruditus, eâ quâ pollebat dicendi facultate perdiligenter ad salutem suæ Iaponiæ vtebatur, magno suo periculo, sed non minore animarum bono. Anno 1629. tentus, religiosum Sacerdotem se esse confessus est confestim. Certa illi oblata spes vitæ, si nuncium Christo remitteret: sed ille vitæ potiùs quàm Christo nuncium se remittere paratum addixit. Ferrum collo eius, pedibusque circumdatum, & indicta disputatio; in qua victor, cum tribus ex inclyta S. Augustini familia Patribus est in custodiam detrusus. Ibi orandi, corpusque afflictandi exemplis alius alium accendebat. Is interea qui eum prodiderat, miserâ morte interiit. Sic illi annus non vnus ductus inter carceris molestias, cùm semper adessent qui eum identidem ad sectas Iaponicas inuitarent. at ille incassum aiebat secum agi: Christi se esse, ac fore: agerent, cruciarent, occiderent. Ad minas respondebat: se vltra minas etiam supplicia expectare; ac velle se cum illis certare, vtra pars priùs, illine pœnas irrogando, an ipse irrogatas ferendo deficeret. Alios ex aliis cruciatus in hebdomadas, menses, annos accerserent, & mortem lentam extenderent: hoc se in causa Christi cupere, hoc expectare, vt sentiat se mori. Nec fortius dixit quàm fecit. Anno 1631, 4. Decembris aquis sulphureis variè cruciatus, suspendebatur, iuncturis vndequaque vi dirâ extensis, & scapulis aquâ bulliente perfusis. Quo rerum articulo cùm illum sui ciues iterùm ad defectionem lacesserent, atque vt Imperatoriæ voluntati obedienter annueret, seque verè Iaponem esse ostenderet, inuitarent; his nihil motus, & (quod omnes stupuêre) ab aqua nihil adustus est. Ita per dies 30. nouis & semper variis sæuitiæ artibus tortus, iterùm carceri redditus, demum hoc die lento igne combustus est, victima glorioſa.

Est qui hoc die, anno 1645. colocet *P. Petrum Romerum*, de quo nos 22. Martij. Is post egregios annorum 34. labores eo quem dixi modo cæsus est, quia à vafro homine pro concione coram populo accusatus, quòd nouam fidem promulgaret, viros à concubinis abduceret, morum licentiam ad Christi leges adstringeret. Hæc in eum cùm dicerentur; Perro horas canonicas recitanti, & eorum inconscio, Breuiarium sanguine immaduit; cuius ille causam reperire non potuit. Cæsus est cùm ad aram iret sacris operaturus. Guiraqueraius eius proditor fassus est (vt iurati testes affirmãt) necem illi odio nouæ fidei, & amore Iaponicæ superstitionis illatam.

Belga Atrebati. 3. Sept. 1609. ætat. 29. Soc. 8.

Fides.

Charitas.

Mortific.

Fides.

Magnus animus.

Belga Antuerpiæ. 3. Septemb. 1625. ætat. 38. Soc. 23.

P. FRANCISCVS GARZIA ARCHIEPISCOPVS MALABARICÆ.

POsteaquam in Societate, insigni virtutis, ingenij, ac doctrinæ soliditate Philosophicas, ac Theologicas disciplinas tradiderat, & Collegia Rector, Prouinciam Præpositus perbenè gubernârat; Cranganoris Archiepiscopus electus est. Licèt verò ex-

Lusitanus Cranganoræ 3. Sept. 1659. ætat. 81. Soc. 63.

tra Europam id Societati laborioſum potiùs quàm honorificum ſit, ideoque iſtic (id quod in Europa non ſolet) admittatur; tamen Franciſcus ad eius honoris nuncium deliquio elanguit: id quod eo etiam die quo ei mitra ritè initiato impoſita eſt, euenit. Vt ſe ad virtutem expergefaceret, omnes de Societate, qui vel purpuram, vel infulam grandi virtute ornarunt, depictos præ oculis habebat in conclaui, dignus & ipſe pingi, pro incitamento exempli. Præter linguam Luſitanicam, & Latinam, callebat Hebræam, Græcam, Chaldaicam, Syriacam, Tamulenſem, Canarinam, Induſtanam. Præter perquiſitam canonum peritiã, nouerat & Arithmeticam, ac muſicam; volebatque domi ſuæ paruulos non Latinis tantùm literis, verùm in muſica etiam, & ſaltu (qualis in ſupplicationibus iſtic adhiberi conſueuit) erudiri. Vnde feſta Chriſti, Deiparæ, ac Sanctorum dialogiſmis variis (quos ipſe concinnè ac doctè atque attemperatè lucubrauerat) adornabat; vt iuuentus exerceretur & populus tum doceretur, tum ad pietatem incenderetur. Totam ſuam Diœceſim inter Ethnicos latè ſparſam non ſemel inuiſit: templa imaginibus, & ſacrificali veſte, puellas pauperes dote inſtruxit. Si ad feneſtram ſedens pauperes videret, largam illis ſtipem proiiciebat: idque perſæpè euenit. Primo ineuntis cuiu ſlibet menſis die, præſtitutam certam ſtipem ad deſignatas egentium domos deſtinabat, quâ eo menſe familiam ſuſtentarent. Et à morte eam in rem tantum auri reliquit quantum ad biennium ſatis eſſet, cùm ſperaret intra duorum annorum interuallum alium eo in munere ſibi ſucceſſurum, & deceſſoris veſtigia ſecuturum, ſi ea adhuc recentia inueniret. Etiam pro excitando ad pauperum commoditates monte pietatis tantum auri reliquit quantum res tam pia & vtilis poſtulabat, eique monti eam legem præfixit vt qui mutuum acciperet, nihil pignoris daret, ſed ſolueret poſtea tempore præſtituto quãtum acceperat, id ſi prætermitteret; pœnam non aliam ſubibat, niſi quòd ex monte illo dẽinceps illi, etiam petenti, omne ſubſidium negaretur.

Humilit.

Imitatio.

Scientia.

Feſta. Catechefis.

Zelus.

Eleemoſyn.

Mont. Pietatis.

Electus Cocini gubernator, id munus tantâ Reip. vtilitate impleuit, vt pergere iuberetur: maximè cùm eo rem feliciter agente Hollandi quoque Cocinenſem obſidionem ſoluere ſunt coacti. Sed ille, ætatis ac ſanctæ quietis obtentu, eo magiſtratu ſe abdicauit.

A muneribus accipiendis erat omninò alienus, vnde nec ab iis quos ſacris initiabat accipiebat quicquam; vt puras à muneribus manus eis imponeret. Si quis ex eius diœceſi ad negotia peragenda Crãganorem, iret conſtitutam ab eo domum adibat, vt haberet quò ſe reciperet. Amabatur à ſuis, & amabat ſuos paternum in modum omnes; ac affluenter illis præberi curabat quicquid ad ſalutem ſpectat. Domeſticorum etiam accurata illi erat cura in omnibus: volebatque quotidie Litanias à tota ſua familia recitari.

Sed inter hæc neque ſibi defuit. Nihil erat, niſi fortaſſe grauior quiſpiam morbus, quod illum à diuino miſſæ ſacrificio quotidie celebrando auocaret. Aiebat; nolle ſe id vnquam omittere: ne iuſtæ querelæ aliquid contra moueant animæ in igne purgatorij ad tantum ſubſidium anhelantes. Poſteaquam ſacrificauiſſet, aderat alteri ſacrificio flexis genibus, vt gratias redderet. Vt manè tempus meditationi conſtitutum daret, è lecto maturè ſe proripiebat, etiam in ætate iam graui, & fracta.

Sacrum.

Societatis ſuperiores tantâ reuerentiâ

tiâ prosequebatur, vt si in epistola ad eorum aliquem à se scripta aliquid acrius deprehenderet, epistolam semel, iterùm, tertioque concerperet, ac mutaret.

B V. Eucharist. Quotidiano Deiparæ rosario addebat alia è iaculatoriis precatiunculis variè contexta de SSS. Trinitate, de SS. Sacramento, de actibus contritionis, & pro defunctis.

Iaculat.

S. Vrsula Per annos plures salutationem Angelicam quotidie ter & tricies recitauit honori S. Vrsulæ ac sociarum, pro felici ad mortem optimam apparatione: aiebatque sub mortem, se à multo iam tempore Sacramenta eo animi sensu percipere, ac alia munia ita obire, atque si ea postremò in vita obiret.

Mort. Ante morbum extremum, curauit sibi exequialem apparatum pro feretro, seu capulo mortuali quo erat efferendus: item nouam Societatis vestem, vt in ea conderetur; cùm Societatem semper Matris nomine appellaret. Ea quæ pro eleemosyna erogabat, aiebat esse faces nostras quas nobis præmittimus morituris. Præter ea quæ singulis mensibus, & aliàs dabat, quicquid lineæ supellectilis habuit moriens, voluit dari pauperibus; & singulis qui ad exequias venirent, vnum Iulium destinauit; mancipia libertate, ac liberali ære donauit: & absorptus totus in diuini amoris actibus frequentandis, decessit comploratione publicâ elatus, ac omni apparatu Ecclesiastico & militari, mœstâ inuersione armorum, & vexillis terram lambentibus. Diuinum sacrificium ritu Chaldaico per 30. dies continuos pro eo celebratum. *Eleemosyn.*

IV. DIE SEPTEMBRIS.

P. ANTONIVS MACCIADVS.

4. Septemb. Lusitanus in Regno Angolæ. 1617 ætat. 33. Soc. 18.

IN Angolæ Regno in Africa multa pro Religione labore vtili est executus, vsque dum heroum morte apud Nigros occubuit in obsequio contagiosâ lue tactorum. Cruentam mortem diuinitus euasit quando infesti Christianis infideles, illum sagittis manu non errante eminus petiuêre, sed Antonio nihil læso.

Mort.

P. VINCENTIVS RAIMVNDVS.

Italus Catanæ. 4. Sept. 1637. ætat. 75. Soc. 28.

MOdestia oculorum virginem quêdam in illo intus habitantem animum testabatur. Seueram legem domi suis dederat ante initam Societatem, vt ne vllum pauperem sine stipe abire paterentur, ad mensam quoque quotidie primo quem obuium habebat paupere adhibito cum quo è lance, ac poculo eodem edebat, & bibebat. Tertiâ quauis feriâ in honorem Reginæ Angelorum stellis duodecim coronatæ, duodecim pauperes liberali stipe donabat. Mulæ capistro, seu catenâ ferreâ, se verberabat. Veste cilicinâ è ferro textâ vtebatur. Per septem annos nihil ad mensam suam carnis aut lactis, nihil vini admisit quadragesimæ esculentis, & aquâ contentus. Postea Ecclesiasticis functus honoribus, cùm de illo quâ doctrinæ quâ virtutis famâ tanto viro ad insulam euehendo ageretur, in Societatem Iesu se abdidit; humilitatis præclaris exemplis, & sui afflictatione tantus *Modest.* *Eleemosyn.* *B. V.* *Mortif.*

tantus, vt & exemplo fuerit, & commiserationi, cùm vix traheret cruciatibus voluntariis sessum corpus.

P. CHRISTOPHORVS KLEINIGH.

Germanus Neostadij. 4. Septemb. 1650 ætat. 40. Soc. 21.

HVius vita, morum suauitate fuit amabilis; mors verò plena teneræ vsque ad fusas lachrymas pietatis. Neostadij in Austria, dum iter illac haberet, morbo oppressus, missum è vicino collegio ad se P. Petrum Gatterer pro Sacramentis extremis habuit solatio periucũdo. Scripsit postea de illo P. Petrus, mortem illius religioso cuiusdam ordinis viro Christophori amico mox innotuisse; qui aiebat, Christophorum sibi paulò post mortem apparuisse, & auxilium postulasse. *Purgator.*

V. DIE SEPTEMBRIS.

MAG. CAROLVS DE PAVV.

5. Septemb. Belga Gandaui. 1621. ætat. 23. Soc. 6.

OBedienter planè annuebat quacumque demum à maioribus versaretur. Pertinax illi certamen fuit cum somno, qui ei oranti obrepebat: & tamen flexis genibus persistebat. Non priùs ad lectiones ibat quàm SS Sacramentum religiosè adoraret. Indias optabat ex ipso studiorum cursu adire, quò istic paruulos eruditet, baptizaret. Æger triumphabat in doloribus, ita crucifixum allocutus, vt is illi ab oculis tolli debuerit, ne fractas doloribus vires planè præcipitaret æstu illo accensus. Sæpè in hæc erumpebat: ô bone Iesu! quàm sancta, quàm bona mater Societas Iesu? sæpè illi in ore B. Aloysius; cui aiebat se congratulaturum in cælo: quã, inquiebat, illi in cælesti curia congratulabor! Medicis, numquid adhuc remedij supereſſet disquirentibus; Carolus magno læti animi sensu, Desperatum est, aiebat, Domini Doctores! Ad cælum imus, ad cælum. Nolite quæso me hic retinere; vocor ad cæleſtem mensam! ô quàm splendidè ibi epulabor! Ad extremum commendationem animæ recitari petiuit. Iam enim tempus esse. Omnibus recitatis, cùm Pater ordiri vellet à capite; Non est opus, inquit, mi Pater, satis est; iam vado. Et breui placidè abiit.

Oratio.

Euchar.

Vocatio.

Mors.

P. ANDREAS RVDOMINA.

DE hoc ita scriptum in pretiosis occupationibus morientium in Societate. P. Andreas Rudomina per quietem, nostrorum sub tribus orbis portionibus sudantium vultus, ab Angelis abstergi, & sudaria illo sudore madentia Deo offerri videre sibi visus, sudariis illis Deum delectari & pro singulis coronas dare, seque à suo Angelo Tutelari inuitari, Christo sisti, Christum annuere, mortemq; sibi in Oriente obeundam promitti vidit, audiuit, Indiam petiit, impetrauit, S. P. Nostro Ignatio semper suauissimè deuotus. Moriente P. Andrea lux in templo quodam illustrissima eadem horâ illuxit vt fertur. Ipsius verò morientis curam suscepisse visus est S. P. Ignatius, qui etiam se illi in agone præsentem spectandum ostendit. Id quod vbi Patri socio suo retulit P. Andreas, nil

Lithuanus in Sinis. 5. Sept. 1631.

Laborũ pro Deo pretiũ.

Delectamur Deum.

Ang. Cust.

Morti

S. P. Ignat.

nil ampliùs locutus est; verùm in id quod videbat læto vultu pulcherrimè intentus, cum S. P. Ignatio ad æternum Patrem luminum discessit. Verba Patri sibi assistenti loquentis erant: Mi Pater, excipe quæso honorificè nostrum Patrem Sanctum Ignatium, qui me accepturus secum venit. Vide quàm pulchrâ est facie, quàm pulchrũ comitatum secum ducit? Vide vt me vocat. Iam me vult secum ducere.

7. Septemb. Aiunt cadauere illius in tẽplo exposito suauissimum odorem latè omnia complesse. Reliqua de illo mira nunc tantisper omitto.

P. ALPHONSVS DE MEDRANO.

Hispanus Granatæ. 5. Sept. 1648. ætat. 85. Soc. 69.

HVnc à Virginitatis, imò innocentiæ nullâ grauiore noxâ vnquam læsæ (vt fama est) laude singularem, India deinde habuit fidei Propagatorem, deiectis idolis: è quibus argentea quædam & aurea, in Europam euocatus, Regi attulit, pretio facilè 6. millium aureorum. Inuitus licèt, obedienter tamen in Europa hæsit, postea in Granatense collegium liberaliter beneficus è sua hereditate reliquis, libris, & per 36. annos inclytis planè laboribus. Eius mater, & soror illi Collegio reliquêre facilè 14. millia aureorum. Orationi dabat noctem ferè totam quà poterat: nec enim somno plus indulgebat quã quantum ipse somnus sibi carpsisset cùm sesso sensim obreperet. E quo expergefactus ad orationem iterùm reuertebatur. Crucifixum, & totum locum, in quo orabat lachrymis perfundebat, sæpè inter orandum absorptus. Etiam in ętate suprema, & in morbis, integrã horam dabat B. V. rosario meditatè de genibus recitando. A somno experrecti prima vox erat; *Maria Mater gratiæ* &c. Habebat horrida verberandi corporis instrumenta, quibus per magnã noctis partem humeros lacerabat. Semper catenâ cinctus, aspero sacco vestiebatur; nec lecto vtebatur, sed scabello, in quo quiesceret. Feriâ sextâ in qudragesima non nisi 4. vncias panis, & duas aquæ vncias in cibum, ac potum, neque quicquam aliud, admittebat. Cùm P. Balthasarem Aluarez de tribus Christi clauis id est, paupertate, dolore, contemptu dicentem audiret sibi videbatur vidisse caput Balthasaris coronâ è stellis compositâ coronatum. Cùm ob incredibiles quosdam dolores vix compos iam sui esset, à B. V. petiit vt dolor ille cessaret, sed iterùm vt rediret. Vtrumque obtinuit, dolore ad horas aliquot illi laxamenti aliquid concedente. Anno 1645. morbo pressus, cùm in cælo aperto Christum, S. P. Ignatium, & plures de Societate olim sibi familiares videre sibi videretur, Domine iam nè, inquit, tempus est vt eam tecum. Non nunc, inquit Christus, verùm post aliquot annos. Tum pro se ac pro Sociis Granatensis Collegij supplici dixit Christus, omnes illos esse prædestinatos ad gloriam. Quo nuncio lætus, & idem iterùm audire certiùs gestiens Alphonsus repetiit: omnes Domine? Respondisse visus est Christus: Fili, omnes qui hodie sunt in hoc Collegio saluabuntur. At in eius vitam reliqua differamus.

Fides. Oratio. Crucific. Nox. B. V. Mart. Mortific. Nox. Mortific. P. Aluarez. Corona è stellis. B. V. Morbus. S. P. Ignat. Mort.

TT VI. DIE

VI. DIE SEPTEMBRIS.

P. MARCVS SALINAS.

6. Septemb. Hispanus Placentiæ. 1557.

HVnc intra septem dies ruri abstulit laterum dolor, morte Placentinis tristi, sed adolescentis cuiusdam saluti admodum fructuosâ: Aderat is Marco diuinum viaticum accipienti pro itineribus æternitatis: Cùm æger defixo in illum vultu solicito caput ita tunc agitabat, vt illo ipso silentio & capitis motu adolescentem acriter monere videretur ad mores corrigendos. Aduertêre id ij qui aderant: sed præ aliis adolescens ille illo capitis nutu ita est perculsus, vt à moriente Marco religiosè viuere didicerit, breui se ad eam S. Francisci quæ Discalceatorum dicitur transferens disciplinam.

Mors.

P. NICOLAVS GRACIDA.

Lusitanus Eboræ. 6. Sept. 1598. ætat. 60. Soc. 44.

HVnc paruulum Societati adiunctum, iucundo omnium auribus dicendi lepore pollentem audire certatim gestiebant etiam externi quàm plurimi. Et cùm tener esset; necdum socius, vt alij, sed *sociolus* dicebatur. Extremis 27. annis aulâ, & Academiâ post habitis, non cessabat quidem à concione sed se in solitudinem planè abdiderat egregiâ magni exempli cõstantiâ. Nec inuisi ab extrario vllo volebat nec vllum inuisere; nihil dare literarum, nihil accipere: Cubiculum omni omninò ex parte pauper vt esset curabat: in quo suâ se quiete inuoluens, vacabat Deo, & concionibus componendis; ægros tamen blandè recreans cùm illos nonnunquam inuiseret. Nunquam auditus est vllo verbo offendisse, quo quispiam vel minimè læderetur: perfectus profectò vir S. Iacobi sententiâ.

Concioner.

Silentium.

P. PAVLVS IOSEPH ARRIAGA.

INgenio ad omnia nato, virginitate ab vsque baptismo feliciter conseruatâ, Spiritu, & laboribus Apostolicis apud Indos clarus. Deiparæ matris beneficio, & vt aiunt, etiam hortatu, Societatem ingressus, illam ac Angelum Custodem & coluit accuratè & opem vtriusque luculentam ac familiarem expertus est. Honori Crucifixi, & B. Virginis à feriæ sextæ prandio vsque ad Dominici diei meridiẽ nihil in cibum admittebat. Inter orandum à terra sublimis conspectus est. Huc illum orationis prouexit profunda humilitas, & immitis in carnem sæuities, quâ quothebdomadis tres quatuorúe dies inediæ dedicabat nullo cibi vllius bolo admisso, somnum non nisi vestitus ad lignum vel in assere carpebat. Aiunt secreta etiam pectorum mirabili perspicacitate introspexisse, ac mira quædam cælestia illum, adeoque mortem suam, longè ante nunciasse. Obiit in naufragio flexis genibus in amplexu Crucifixi, morte quam ipse particulatim ita vt euenit ante præuiderat. Plura in eius vita,

Hispanus in Mari, 6. Sept. 1612. ætat. 60. Soc. 45.

B. V.

Fer. VI. Ieiunia Sabbat.

Oratio.

Martyr.

Mors.

P. THO-

P. THOMAS TRVGI.

Iapon. Nagasachi. 6. Sept 16.7. ætat.56. Soc.38.

CVm pro re Orthodoxa præclarè apud suos Iapones satageret gratâ dicendi affluentiâ vt disertus ita impiger; ab ipso diuino sacrificio peracto in custodiam detrusus, multifariam à suis quà blandè quà seuerè tentatus, effusâ quanta maximâ poterat felicis facundiæ copiâ, se pro Christo ignibus deuouebat. Cum duobus suis comitibus ad rogum damnatus, post præclaros sudores genti suæ per annorum 34. spatium laudatè impensos, in medio flammarum de Christi patientis tormentis, ac de fide Christi magno verborum pondere perorauit. Mox voce in cantum flexâ; *laudate Dominum, omnes gentes*; cantauit: & inter canendum extinctus est. Illud admirabile, ac Iaponibus & Lusitanis testibus luculentis (qui ipsi adfuêre, ac rem accuratè oculis lustrauêre) exploratum est; pectus mortui P. Thomæ vltrò apertum disiliisse; & ex illo visam egredi rubram flammam, quæ sursum in cælum sublimis volatu igneo splendens abierit, eorumque qui hæc spectauêre Christianorum corda mirum in modum accenderit.

Fides.

Oratio

Mors.

Ignis pectoris.

IOANNES LAPARVS.

Italus Drepani. 6. Sept. 1630. ætat. 107. Soc. 59.

HIc admirabilem in laboribus assiduitatem cum perpetua in cibo potuque quàm parcissimè sumendo parsimoniâ ita coniunxit, vt semper & minimum comederit ac biberit, & plurimùm laborârit; continuato labore vsque ad annum ætatis centesimum septimum; cuius extremo semestri æger decubuit, qui nunquam aliàs à labore, nisi tunc coactus, quieuerat, mirabile Coadiutorum exemplum.

Credlus.

P. PAVLVS CITVS.

Italus Neapoli. 6. Sept. 1649.

OB acerrimum quo flagrabat studium animarum vestitus ferè capiebat somnum; vt expeditus reperiretur, primusque ac promptus noctu ad ægrorum solatium prouolaret, si quis accerseret. Nouendialia ante natalem Christi diem sacra in templo nostro instituit; in quibus ad confertam populi concionem breuiter, sed acriter dicitur sub aurora, fructu magno teneræ ac solidæ pietatis & perfrequenti exomologesi multorum. virorum fide dignissimorum relatione compertum esse aiunt annuæ, illi cùm aliquando post sacrum in S. Dominici à Soriano (quò Neapoli pietati ergo excurrerat) gratias de more ageret, præuisum sui obitus diem: vnde illi lætæ lachrymæ, quas dissimulare non poterat, affluenter coortæ sunt.

Charitas. Nouendium Christi.

Charitas. Concionet.

Sacrum.

Mors.

FRIDERICVS SIMON COAD.

Bohemus Hradistij. 6. Sep. 1672

VIrginea in eo verecundia oculorum custos, totum illum ad leges suauissimæ cuiusdam modestiæ componebat: pietas tenera, obedientia reuerentiæ plena, doteque aliæ magna de illo promittebant. Aiunt illum aliquando cum Patrum quopiam ad phreneticum visendum egressum, recitatâ pro illo Deiparæ coronâ, eum ab incondito clamore tranquillasse; adiectâ alterâ, ei linguæ vsum impetrasse; tertiâ demum coronâ illum valetudini pristinæ reddidisse. id quod ego propensæ ad suos audiendos Dei liberalitati tribuendum duco.

Oratio B.V.

Charitas.

VII. DIE SEPTEMBRIS.

IOANNES BAPT. ARCHINTVS SCHOL.

7. Sepremb. Italus Romæ. 1574. ætat. 24. Soc 4.

HVius laudes sunt hæ in Societatis historia: Obedientiâ imprimis, odio sui, orandi vsu, quadriennium in Societate, raro omnibus exemplo, vel potiùs prodigio, vixerat. Etiam in seculo degens SS. IESV & MARIÆ nomina, quò se stigmaticum eorum mancipium profiteretur, & assiduè cogitaret, sibi in pectore candenti ferro inusserat; ea sine intermissione iterans diuina nomina: & ardentissima quadam diuini amoris flammà colliquescens, ad amplissimum, vt omnes augurabantur, cælestis gloriæ fastigium in natalis Deiparæ peruigilio euolauit.

Iesus Maria.

P. IOSEPH DE ESCALZA.

Hispanus Xeresij. 7. Sept. 1616. ætat. 38. Soc 20.

IAm inde à primis vitæ religiosæ rudimentis in eo totus erat vt assuesceret sese peruincere. id vt à Deo impetraret, carnemque subigeret, eam ferreo cingulo flagris crebrò inflictis, & frequentibus ieiuniis perdomabat. Cibo cineres aspergebat, saxo indormiebat vestitus: corripiebatque somni spatia, vt precandi otium magis extenderet. Cum Ministri munus gereret, vnus ipse plurium Coadiutorum obibat officia, eaque infima. Illud sibi altè in animum demiserat; se omnium esse mancipium. Aliquando à labore sessus videre sibi visus est coram se Christum graui Cruce onustum, atque dicentem: Fili, si tua tibi crux videtur grauis: meam aspice neque tibi persuadeas quòd sine me sis in illa. Etenim tam sum tuus vt me totum pro te tradiderim. Inde incredibili martyrij desiderio accensus, cum plurimos & atrociss imos cruciatus optaret, loco martyrij morbum habuit qui eum per ipsos quinque menses dolore acerbo exercuit.

Mortific.

Crucifixus.

Pati.

Dæmon aliquando fœminæ turpia molientis personâ tectus illum ad fœda pellicere conatus fertur: at ille se ad SS. altaris Sacramentum fugâ proripuit, & vicit.

P. STEPHANVS PONGRACZ.

Hungarus Cassouiæ 7. Sept. 1619. ætat. 40. Soc. 18.

ALuinciensis domo, Philosophiæ Theologiæque studiis in Societate perfunctus, septem annos posuit in iuuentute Rhetoricis, aliisque disciplinis erudiendâ. Tum scholis, & conuictoribus præfuit; & ad populum pro dignitate dixit. In Cassouiensi hæreticorum turbine vnà cum P. Melchiore Grodecio Silesio, ac etiâ Marco Chrysino Strigonienst Canonico, Cassouiæ in Domo Regiâ, nunc insigni Societatis Iesu Collegio, quintâ, sextâ, & septimâ Septembris die domo prodire prohibitus, triduum illud sine cibo, ac potu duxit tam ipse quàm socij fame magnâ, sed siti maiore, vexati. Nam obtrusas sibi feriâ VI. & Sabbato carnes non admisêre; ne apud rudes id esset indicium quòd minis, promissisúe cessissent, ac fidem orthodoxam, cum Caluini sectâ commutassent. Cùm Canonicus ab hæreticis ad deserendam fidem Catholicam

Fidei.

cam spe bonorum illi transcribendorum inuitaretur, Stephanus eum qui ea nunciabat Caluinistam disertè disertè dixit mali dæmonis fungi officio; certum sibi ac sociis esse, in Orthodoxa fide mortem præ fortunis vitâque habere. Cùm Caluinistæ *moriendum* illis continuò esse dicerent, & causam eius sententiæ rogarentur à Stephano ac sociis, respondere: *Quia Papistæ estis*. Hac vero de causâ, se ac socios mortem libentissimè oppetituros dixit Stephanus; & nudato collo ceruicem exporrexit. Septimâ Septembris coorto tumultu obuius è conclaui progressus Stephanus rostratâ clauâ ferreâ (bozogany vulgo dictâ) valido ictu in pectore percussus, prostratus est. Mox illi caput fune circumactum, tantâque vi compressum, vt mortuus crederetur. Tota illa nox in cruciatibus diris acta, tenerrimis quibusque corporis partibus intra bombardarum rotas contortis. Cruciatus etiam est singulis digitis, gallo sclopi, vt vocant, subiectis & pressis; cùm aures negaret promittentibus libertatem atque honores, si vel verbulo edito ad Caluini partes transiret. Iterùm id, iterumque contentissimo studio cùm negaret Stephanus, dixêre illi; se verò eum ad id tormentorum vi compulsuros. Mox illi vstulatum latus, vsque dum propè esset exanimis. Præterea constat P. Stephanum, cùm iam pluribus vulneribus laceri aceret, ac se à vicino Catholico (à quo hæc habemus) audiri aduerteret, vicino illi ad retinendam perseueranter fidem Catholicam authorem fuisse, ac hortatorem, quicquid in re tam nobili ingrueret tormentorum. *Age*, aiebat voce quâ poterat, *& te bonum Christi militem præbe: iam ego ad conspectum dulcissimi* IESV *hinc euolo*. Eorum sanguis muris, & sicarij vnius vesti aspersus, diu recens apparuit quà erat fusus, neque abstergi potuit. Ioannes *Laios* Caluinista, *præfectus* fuit *carnificum*; à quibus Stephanus & duo socij in latrinam demum deiecti sunt vulneribus cooperti; sed postea inde extracti, Catharinâ Palfiâ Proregis Forgachij coniuge à Bethelehemo id impetrante: quæ postea ritè interrogata, dixit, se, admotis horum pignoribus, à graui cordis palpitatione liberatam, post fusas preces. Reperta sunt capita obtruncata, facies concisæ, latera vsque ad costas fœdum in modum exusta. P. Stephani digitus ab illa religiosè, at priuata in veneratione, seruatus. Corpora Tyrnauiç, apud S. Claræ Sanctimoniales in Deiparæ Assumptæ sacra æde, sunt condita. Auditos ibidem à religiosis illis Virginibus ad illa corpora cantus Angelicos; ad P. Ioannem Rumer Austriæ postea Prouincialem, scripsit P. Daniel Vasarhelyi; affirmauitque, id Virginem aliis Præfectam paratam esse iuratis testibus confirmare: ad hæc; eadem corpora nec alibi sine miraculis iacuisse. Aiunt etiam nonnulli, corpora è latrinæ sordibus eruta suaui odore fragrasse; ac hæreticum quendam dixisse, auditum à se fuisse concentum Angelicũ ad illa corpora tunc adhuc in cloaca iacentia. Excerpo nunc pauca ex iis, quæ è processibus Tyrnauiæ authoritate Petri Card. Pazmany anno 1628. 12. Sept. Et Georgij Lippai Archiepiscopi Strigoniensis anno 1661. 20 Ian. formatis, fide digni testes affirmant, & ego ea in Archiuio Romanæ Domus Prof. deposui. Ad mortem se flexis perpetuò ferè humi genibus inter comprecandum præparabant, ad pulchrũ agonem fortiter obeundum se inuicem assiduè cohortati. Plures narrauêre in Regio eiusdem Domus Sacello Cassouiæ sæpè noctu visa fuisse lumina in altari, & duos Patres Stephanum ac Melchiorem, vnà cum Marco

Pati.

Hungarus Cassouiç 7. Sept. 1639. ætat. 40. Soc. 18.

Fides.

Oratio.

Mors.

Altare.

Canonico, post mortem gloriosè oppetitam adstare altari visos, cum admiratione spectantium. Auditum est etiam à nonnullis qui ab annis iam pluribus peccata confessi non fuerant, eos à tribus his interfectis fuisse admonitos, vt Sebesinum (vbi tunc eorum corpora seruabantur) profecti, conscientiam expiarent. Paruêre, testati Confessario de S. Francisci familia, se occisorum illorum Patrum monitu ad exomologesim esse inductos. Sophia Partinger Tyrnauiæ Sanctimonialis clauda, imò pedum vsu propè capta, cùm semper in lectulo ferè decumberet, voto tandem concepto, partim fulcro, partim Monialium brachiis nixa horum Christi heroum corpora Tyrnauiæ apud Moniales tunc iam condita deducta, fusis ibi precibus, nullius ope adiuta, surrexit in pedes de genibus, & baculo istic relicto ad cubiculum rediit, fassa id postea sæpiùs vsque ad mortem, se beneficium illud Deo & horum auxilio debere.

Confessio.

Monialium alia testata est se ad illa corpora sonum organi audiuisse, & totum in quo illa iacuêre locum luce perfusum vidisse, lumine foras etiam erumpente. Alia dixit; sonum fidium à se istic auditum, & virorum in eodem loco colloquentium voces; cùm verò ad cubiculum rediret, visos sibi veluti tres viros, seu vmbras, quorum duo quadratos pileos habuerint, tertius verò latum pileum, seu galerum, vt vocant. Adiecitque tunc Sancti Audentij corpus (quod nunc ibidem asseruatur) necdum ibi fuisse collocatum. Aliæ duæ affirmant emicantem ex eodem loco fulgentem quendam lucis radium per portam clausam vsque ad ex aduerso dormientis cuiusdam Monialis pectus porrectum eiusdem cordi insedisse, ac per quartam circiter horæ partê amabile illud spectaculum ab vtraque oculis attentè vsurpatum. Harum altera dicit se, cùm arcæ in qua tres hi Christi heroës iacent, manus languidas sæpiùs piè admouisset, manus à languore nescio quo vegetas retulisse; & sonum organi à se quoque ibidem auditum ante quàm istic etiam fuisset conditum corpus S. Audentij. Alia manus ferè contractas & dolorum plenas, osse vno alicuius ex his tribus Heroibus piè deliniens, & dolores absterfit, & manus integras, cum earum quæ id oculatæ testantur admiratione recepit. Alia 2. Iulij in festo Beatissimæ Virg. visitantis post nocturnas preces, vidit è Sacrario (vbi corpora illa quiescunt) effusam lucem, longè lateque porrectam, adeò vt columbæ sub tectis ad lumen illud eo vsque porrectum perterritæ auolârint. Teresia Bihari ibidem Sanctimonialis hortatu dictæ Sophiæ Partinger votum concepit, se in honorem trium horum Christi Athletarum quotidie rosarium recitaturam; vt à duobus vulneribus, seu potiùs vlceribus, à quibus curari non poterat, liberaretur. Vix triduo Rosarium ex voto recitârat, cùm nullo alio remedio adhibito, vlcera euanuêre, non nisi ficcâ cicatrice post se relictâ. *Lux.*

Fuêre illa corpora in illo Monasterio in veneratione tanta, vt etiam supplicationes ad illa celebrarentur. Sed posteaquam Româ perlatum est, ne vllis ab Ecclesia in Sanctorum vel Martyrum album necdum relatis, honores publici darentur; obedienter superscdêre piæ Virgines ab illo exercitio pietatis: nec deest quæ dicat, ab eo tempore ad illa corpora nihil admiratione dignum visum esse, aut patratum.

P. EDMVN-

P. EDMVNDVS AROVSMITHÆVS.

Anglus Lācastriæ 7. Sept. 1628. ætat. 43. Soc 5.

HVius doctrina hæreticis silentiū sæpè imposuit. Captus, in ipso carcere vnum conuertit. Scripto illi obiectum, quòd Sacerdos, quòd Iesuita, quòd seductor esset; quippe qui dixerit: Extra Romanam Ecclesiam neminem saluum fore. Duo testes adfuêre qui eum sibi Catholicæ fidei amplectendæ authorem fuisse ac suasorem testati sunt. Ideò capitis damnatus, raptari, suspendi, & in frusta secari iussus est. Ter in scalis flectens genua: *Dulcissimè* IESV, inquit, *tibi vitam hanc meam in meorum satisfactionem peccatorum vltrò deuoueo.* Tum ei quem in mortis tempora vsui sibi futurum conscripserat libello legendo intentus, precabatur: & à Prædicante (vt vocant) seu concionali hæreseos ministro, ad hæresim inuitatus, illique seuerè respondens, Catholicos ad magnanimam perseuerantiam hortabatur. Cæsus, Ambrosio Barlo ord. S. Benedicti religioso Sacerdoti, earum quę agebantur rerum inconscio, adeoque absenti postridie spectabilis adfuit, & disertè dixit, *quàm benè secum esset actum* Lancastriæ. Eadem illum manere ibidem: pergeret porrò, satageret pro fide Catholica. id quod factum, Ambrosio pari mortis gloriâ Edmundum secuto ibidem 20. Septembris anno 1641. Fama est, idem ab Edmundo eidem prædictum Lancastriæ in carcere, cùm istic Edmundum Ambrosius extremum inuiseret.

Fidei.

Mori.

Disce à mortuo.

VIII. DIE SEPTEMBRIS.

IACOBVS DIAZ. SCHOL.

8 Septemb. Hispanus Trigueri. 1574.

RECti, puri, synceri cordis hic adolescens, è studiis ipsis in ætatis ac virtutis flore morte abreptus est. morbus, quo tabescebat illum longâ patientiâ coronauit: sed ea quâ erga Dei matrem ferebatur propensio tenerę voluntatis magnum operæ pretium tulisse visa est, quando longè ante mortem affirmatè prædixit, se die Beatissimæ Virginis migraturum è vita. Obiectante verò medico die Beatissimæ Virginis Assumptæ, quî fieret quòd non moreretur, cùm id ita prædixisset; verecundâ modestiâ; solùm, inquit, hoc sco, & hoc tantùm dixi quòd moriendum mihi sit aliquo die festo Beatissimæ Virginis; quo autem illorum, id verò me latet. At ipso Beatissimæ Virginis natæ die, cùm accinctus quidem per Sacramenta semper esset ad mortem, tamen eo die securi de illo essent Patres, vicino Patre accito, iussit Patrum, ac fratrum coronam conuocari: tempus iam esse quo commendatio animæ recitaretur. Affluxêre accersiti Patres ac alij: & peractis iis, quæ res postulabat, Iacobus moriens, prædictionem impleuit die Dei matris festo æternitati transcriptus.

B. V.

Mori.

IOANNES FARINA. SCHOL.

Italus in Sicilia. 8. Sept. 1577. ætat. 25. Soc. 4.

HVnc è Philosophiæ cursu euocauit ad vitam Deus. Deiparæ amandæ, colendæ, laudibus celebrandæ

dæ iam olim addictus erat, nobilis puer. In Societate orandi studio ardebat vt carbo ignitus, ipsâ etiam facie igne ardore succensâ. Et hoc orandi Deum, atque incredibili silentij amore ad magnam virtutis eminentiam euasit, ipsi P. Paulo Achilli spectatæ omninò virtutis viro comparatus. *Silentium.* Illud eius Silentium illum amabilem reddebat omnibus, & pretiosum si quid diceret. *Modestia.* Mores ad omnem modestiæ amussim ita emendati, vt eius aspectu alij quoque sese componerẽt. Tentata olim illius pudicitia in gloriosa fuga inuenit victoriam, quando extra vrbem fœminæ, an dæmones fœminarum formam lasciuiamque mentiti incertum, Ioanni flagitium obtulêre, conscleratissimo inuitatu & artibus impudicis. *Castitas.* Sẽper perstabat sibi similis, citra vllum turbamentum & suæ quietis compos. fama fuit mortem illi fuisse præuisam, & illâ imminente illum vna cum Angelis cecinisse; *Mors.* quod præmium fuerit illius purissimæ pietatis, constantisque silentij.

P. IOANNES BAPTISTA PERVSCVS.

Italus Romæ. 8. Sept. 1598.

HIc posito Plinij nomine maluit Ioannis Baptistæ nomen pro incitamento virtutis, & Sancti patrocinio adsciscendo. *Vocatio.* Tarquinium Perusçum, Patrem suum, virum nobilem, qui viduus Societati se transcripserat, imitatus, voluit ibidem viuere quò Pater exemplo præcesserat. Domui Professæ Venetæ præfuit primus Præpositus, religiosæ disciplinæ vbique retinens insigni ad omnes exemplo, etiam cùm præesset. Valebat suaui prudentiâ, & sanctâ quâdam de rebus diuinis colloquendi gratiâ. Mortui animam videre sibi visus est P. Iulius Mãcinellus in purgatorij pœnis id solum dolentem quòd adhuc à facie Dei exul eam pœnam sustineret quam damni vocant. *Purgator.*

P. MELCHIOR GRODECIVS.

Silesius Calsouiæ 8. Sep. 1619 ætat. 35. Soc. 16.

HIc vnà cum P. Stephano inter Apostolicos labores versatus Calsouiæ, pari cum illo morte à Deo est postridie honoratus. S. cariorum, siue carnificum, vnus, cùm aspersam Patrum Stephani, & Melchioris sanguine suam vestem arte nullâ posset eluere, aliam induit: verum & in illa, non secus ac in ea quam exuerat, cruentæ *Sanguis.* sanguinis maculæ conspectæ sunt, quicquid illam perlueret.

P. IOANNES MAGIRVS.

Germanus Spiræ. 8. Sept. 1609. ætat. 51. Soc. 28.

AD Societatem à Deo vocato Ioãni, & tandem à primis ardoribus torpenti frater germanus nuper vitâ functus leuitatem ac viuendi libertatem per quietem acerbè obiecit, & *Crucifixum.* Crucifixum ostendens, hausto ex eius latere Christi sanguine, in Ioannem coniecit, dicens. *Vide ne hic sanguis incassum pro te effusus sit.* Ergò Societatem, opimâ hæreditate contemptâ, mox iniit; in qua Ecclesiastes nobilis & iuuentuti, curionibusque formandis idoneus persanctè vitam egit vsque ad mortem. Febris demum illum extremis admouit: in quo morbo Christi, & S. P. Ignatij obiectâ cælesti *S. P. Ignatij Mors.* specie dulcissimè recreatus dicebat; meliores esse febres illas omni sanitate humanâ. Et abiit: Socios ad Societatis virtutem, id est ad obedientiam, in extremis *potentissima dictione* cohortatus.

P. HIE-

P. HIERONYMVS QVEYROT.

Gallus Damasci. 8. Sept. 1653. ætat. 63. Soc. 49.

PEr 40. ferè annos Apostolica munia exercuit in missionibus orientis Damasci, Constantinopoli in Asia, Syria, Ægæo mari. Extipsius Epistola compertum est, illum tribus ante mortem suam mensibus de sua morte iam imminente aliquid ordinario certius præsensisse. Nullus illi dies immunis abiit quo per totum quinquagesimi psalmi interuallum in se ferro, vel flagellis ferro armatis nō desæuierit. De SSS. Trinitate quothebdomadis sacrificabat, si per sacrificales rubricas id poterat, voluitque inter moriendum semper sibi præ oculis esse imaginem SSS. Trinitatis. Quotidianum diuini officij pensum flexis genibus exequebatur coram SS. Sacramento. Plura de illo annuæ Franciæ.

Mortificat.

SSS. Trinit.

Mort.

Eucharift.

P. IOANNES VAZIN.

Germanus Vratislaniæ. 8 Sept. 1653. ætat. 60. Soc. 43.

INgenio, doctrinâ, studio eò euasit in dicendo, vt cùm per ipsos 33. annos è suggestu diceret, *Euangelica tuba* nomen obtinuerit; pectore, ac moribus consentientibus ad exemplum. Wratislauiam (vt de illo scripsi in annuis) de Societate primus intrauit, ac ibi Societati sedem fixit, sagaci & grato apud Imperatorem & Dynastas ingenio. Ibi per annos 16. pro Ecclesia cum hydra hæretica bellum gessit. Collegio illi bis præfuit, modestâ prudentiâ, prouidentiâque charitatem suam omnibus contestatus.

Emcio.

P. Henricum Pfelschmidt vitâ iā functum videre sibi aliquando, & loquentem audire visus, illum cælo iam receptum intellexisse, ac rogasse dicitur, num sua opera Deo placerent, & ab eo audisse: *placent, placent.* Rogatum autem P. Henricum, de purgatorij cruciatibus quos sustinuisset, dixisse, *modicum, & breue id fuisse; Deo charitatem quâ proximos olim adiutum iuerat, remunerante. Placere verò Deo Apostolicos Sociorum labores VVratislauiæ contra tortuosum inferni colubrum, qui se cum sua hæresi gyrat atque defendit.* Hæc P. Ioannes Vazin P. Andreæ Schambogen Prouinciæ Bohemiæ Præposito non semel familiari candore narrauit plenus lætitiâ: & P. Andreas ea se sic ab illo accepisse persanctè scripto testatus est. Ego fidem illi do lubens, quippe qui P. Ioannem Vazin hic in X. Congregatione Generali probè nouerim, simque expertus virum religioso candore amabilem.

Charitas.

P. PETRVS CLAVERVS.

Hispanus Carthaginæ in Indiis 8 Sept. 1654. ætat. 71. Soc. 52.

HVnc in annuis latè descripsi: ex iis paucula nunc excerpo. Alphonsi Rodriquez Coadiutoris virtutis tantæ famâ inclyti amicitiâ, documentis, precibusque vsus est. Is pro Petro aliquando in preces effusus thronum in cælo vidisse fertur, & Angelum dicentem: *Thronus ille Clauero tuo discipulo est destinatus, ob eius virtutem, & ob animas ab eo in Indiis ad Deum conuertendas.* Breuiarium, & diurnum habetur frustatim lacerum, coque illud funiculo alligabat: idem de vestibus intellige. Semper, ac totus erat in cilicio variis aculeis horrido, indusij loco. Ad hæc dirè se quotidie concidebat. Lectus illi terra; cibus cinere corruptus. In summis caloribus nunquam sudorem abstergebat, nunquam aspellebat muscas faciei ac manibus ad sanguinem vsque, aculeo altè defixo, infestas. Per omnem licèt vitam ab om-

Zelus anim.

Tauptriæ.

Mortif.

ni lethali noxa innocens creditus, tamen manantibus vbertim lachrymis confitebatur quotidie. Sensus singulos religiosâ quadam seueri spiritus velut tyrannide premebat, etiã in iis quæ licent. Oraturus, se coronâ spineâ coronabat, & funem collo circumdabat, ad singula diuini officij verba impensè attentus. Multos ab hæresi, ab idolis plures ad fidem adiunxit. Multa ex vero prædixit; dæmones fugauit. Mortuus quidam suum olim socium monuit, vt à P. Clauero B.V. rosarium peteret, ac illud pro se recitaret. Deiparæ ope mira prædixit, atque impetrauit. Illi, & dilectis è cælo vniuerso 24. Sanctis particulatim singulas horas (velut clientes atque ancillas) dedicauit. Horologio audito *Salue Regina* Deiparæ Virgini recitabat. Plura longè vide in Annuis Noui Regni 1654. Pragæ impressis.

Conf quot. *Oratio.* *B V. Sancti.* *Hora.*

P. ANTONIVS SAVIGNACVS.

Gallus Tolosæ. 8. Sept. 1660. ætat. 71. Soc. 54.

SOdalitia Parthenia per ipsos annos 14. ita administrauit, vt vndecunque abiret, magnum sui desiderium vbique relinqueret, ac vbique auidè cum admiratione & voluptate, etiam à delicatissimis auribus, in iis quas ad sodales habebat allocutionibus audiretur. Etiam cùm Prouinciæ præesset, nostrorum animos religiosè delectabat suauissimus ad virtutem hortator. Ante annos ferè tricenos, brachia paralysi omnia remedia superante, dissoluta gestabat è collo. Eorum vsum in omnem vitam facilem, & commodum recepit, voto Loyolam nuncupato ad ædem S. P. Ignatij. Enitebat in viro hoc perspicientiæ quædam diuinarum rerum, & constans exercitatio ac vsus prudens præsentiæ Dei præ oculis mentis assiduè retinendæ. Solida hilaris patientiæ laus magnum habuit spacium exemplorum in tot eius morbis quorum vel catalogum referre longum sit. Ægerrimè ferebat quicquid luxari laxarique in religiosa disciplina videret. De magnâ religiosi ei ius animi erga Crucifixum, & Deiparam propensione, sic habent literæ de illo perscriptæ: Christi è cruce pendentis signum tenebat manibus semper. Accensa erga Deiparam Virginem pietas, & in eius miseratione fiducia; ob quam cùm pridie obitus, audisset ab vno è Patribus domesticis, sperandum illi à benignissima Virgine, cui semper fuisset addictus, fore, vt quo illa die nata esset in terris, eius fauore ac patrocinio, ipse nasceretur in cælo; exultauit animo, sublatisque in cælum oculis manibusque, lætam spem tanti beneficij præsetulit.

S. T. Ignat. *Crucifixum B.V.* *Crucif.*

Ad mortem sese impensiùs accingebat à quinto mense, nempe posteaquam Patrem Abadie morientem interrogauit, num ei citum è vita exitum impetraturus à Deo foret, ac ille respondit: Intra sex menses, mi Pater. Nec effluxêre sex menses, cùm P. Antonius secutus est morientem.

Mors.

IX. DIE

IX. DIE SEPTEMBRIS.

P. ANDREAS LEOMANVS.

9. Septemb. Lithuanus ad Polocia. 16to ætat. 35. Soc 35.

DErpatensi Collegio præerat cùm illum in prædio deprehensum Sueci hæretici vinctum pedibus, ac manibus in Sueciam abduxêre. Ibi per septem annos in ærumnis vixit longâ febri vexatus, & ferro ad collum, ac pedes ita vinctus, vt per omnem vitam reliquam, cruenta numellarum, & compedum vestigia retinuerit. Ad equuleum quoque fuit raptatus, & in carcere frigidissimo maceratus. Inde liber, seuerum imperium exercuit semper in corpus: durò lecto vtebatur. Sabbato non cœnabat: Olusculo & aquâ contentus sæpè victitabat; omnia denique corpori commoda procul à se amoliebatur. Charitas illius tam ampla fuit, vt cùm nec medicus vllus adesset Polociæ & viginti è Sociis ægri decumberent, ipse singulis attemperatè seruiens, charitatem omnia ferre, omnia posse ostenderit.

S. T. Ignat.

Crucifixus B.V.

Fider.

Cruciſ.

Mortific.

Charitas.

Mort.

P. CLEMENS PVIOLIVS.

Gallus Pali. 9. Sept. 1628.

PIetate præstanti, & literarum sublimiorum tantâ scientiâ præditus erat Clemens, vt vulgo ea de illo increuerit opinio, earum perspicientiam tàm insignem illi Beatissimæ Virginis singulari ope datam, quippe cui faerit impensè addictus. Ianitor, eius cubiculum ingressus aliquando illum vultu accenso reperit à terra sublimem: & à Clemente obnixè lachrymante rogatus est, vt id, quod vidisset silentio fideli obtegeret.

B.V.

Oratio.

P. IOANNES PARISOT.

Gallus Virduni. 9. Sept. 1651.

DE hoc sic habent annuæ Campaniæ: Zelo magnus: at profundâ se demittendi contentione, ferè ad Sacramenti vsque nuncupationem, omninò memorabilis. Sacramenti, seu potiùs decreti formula hæc erat, cui nomen sanguine subscripsit: *Bone Iesu, Dux meus, humillimæ humilitatis Doctor & Professor, exaudi me! In conspectu diuinæ maiestatis tuæ elegi, atque iterum eligo abiectus esse in domo tua, & Sanctissimæ Societate Iesu toto vitæ meæ decursu: & promitto me nunquam ab inita sanctæ humilitatis via deflexurum. Ex intimo cordis affectu renuncio omni sublimi in ea gradui, & dignitati cuilibet, paratus vilia qualibet obire munia: pueros in infimis Grammatica classibus, quantum per valetudinem licebit, docere: & quicquid contemptibilius est hominum oculis, ad gloriam nominis tui aggredi, & promptâ mentis alacritate; dum viuam exequi. Ita promitto, ita statuo, atque ex animo desidero*

Ioannes Parisot Societatis Iesu.

Auenione 31. Martij anno 1644. ante celebrationem primæ missæ. Sic me Christus Dux humilitatis adiuuet, & SS. Christi Mater Maria, & Patroni mei SS Ioseph & Ignatius. Amen. Ita ibi. Inde illi perpetuum profundissimæ demissionis studium fuit semper, vbique in omnibus, quatuor tamen vota profiteri iussus, tandem paruit.

Humil.

X. DIE SEPTEMBRIS.

P. CAROLVS SPINOLA, SEV P. IOSEPHVS A CRVCE CVM OCTO SOCIIS.

Italus Nangasachi. 1622. ætat. 58. Soc. 37. 10. Sept.

HEros hic fuit illustrissimi sanguinis, & virtutis. In Lusitanico itinere ab Anglis hæreticis captiuus abuectus in Angliam; inde liber, in Lusitaniam, Indiam, Iaponiam appulsus est. Meaci septennio Minister fuit Collegij, charitate tantâ, vt quos eâ incendi volebat P. Franciscus Pacecus, iis author fuerit, vt frequenti Caroli Spinolæ consuetudine vterentur.

Charitas.

B.V.

Familiare illi fuit Beatissimam Virginem nouies verbis Angelicis salutare constanter, ac sæpè, in honorem nouem illorum mensium quibus Christus paruulus in virgineo ac materno eius vtero habitauit.

Zelus.

Paruulo in campis animam agenti aquam è strophiolo in caput dissimulanter expressit, eúque baptizauit; & paruulus breui edidit animam expiatam. Ea res P Carolo tanto solatio fuit, vt id vnicum totius Iaponicæ suæ nauigationis & laborum abundè magnum pretium sibi esse sit testatus. Cùm valeret, noctibus propè singulis (nec rarò ad sanguinem vsque) se verberabat.

Noctu. Mortific.

Fructus Iaponicos cum magnoperè appeteret, per plures annos non gustauit: postea tamen iussus, obtemperauit. Quotannis per mensis vnius interuallum sese recipiebat ad silentium exercitiorum.

Mensis. Oratio.

In sæuissima contra Christianos persecutione, sub *Iosephi à Cruce* nomine occultus latuit ad opitulandum Christi fidelibus: & iniquissimis licèt illis tẽporibus quinque millia capitum baptismo lustrauit. Tandem 14. Decembris anni 1618. Omuræ abreptus est in carcerem, in colle ventis & omnibus cæli iniuriis peruium, angustum eóque multifariam ærumnosum: in quo adeò angustè sunt habiti Carolus, & socij, vt singuli integrum trium palmorum spacium non haberent. inde illis tot ærumnæ, vt singuli corporis sensus suos quisque dolores haberet quibus affligeretur. Ad somnum extendere se non poterant; cibus nunquam eximebat famem, sed mortem tantùm arcebat.

Fides.

14. Dec.

Diuinum tamen sacrificium, quod Carolus quotidie celebrabat, vim animi ei tantam addebat, vt diceret, sibi ergastulum illud paradisum videri; licèt in æstate diurnis nocturnisque sudoribus maderet, hieme autem frigore acerbissimo gelidus rigeret, vt taceam odorem terrimum, & vermes, aliasque sordes humani corporis in situ, squalore, atque putredine.

Sacrum.

Mortif.

In quadragesima, omnes quotidie benè longam verberationem instituebant. Sed & aliàs, extra festos dies idem agebant quotidie; MARIA noquoque officio, præter pensum canonicum, quotidie recitato. 4. Nouembris 1620. S. Caroli deprecatione acris illum febris, nullâ medici ope, deseruit, redditum sanitati. Cùm ad supplicium vocarentur, psalmos vnà, cum dulcissimis lachrymis cecinêre. In loco supplicij triginta millia Christianorum qui affluxerant sunt censa. Columnis alligati stetêre per horam, antequam ignis subderetur, & Carolo incipiente, læti cecinêre: *Laudate Dominum omnes gentes.* Cùm iam

B.V.

4 Nouemb.

Oratio.

lenius

entus ignis arderet, duo Iapones facti sunt fidei desertores. Et verò Carolus flens ante prædixerat; non omnes ex eo numero coronam accepturos è manibus Angelorum. Scintillæ quædam è rogo in pectus Caroli aduolârant, eique adhæresebant. vnde ille primus corruit lento illo igne extinctus, secutis reliquis. Omnes de Societate fuêre octo: ex Ord. S. Dominici item octo, Minoritæ quatuor: triginta alij Christiani. Prædixerat Carolo P. Bartholomæus Riccius, illum in Iaponia fidei odio occidendũ. Concio. Orandi signo domi audito, statim in genua se abiiciebat, nec surgebat vsque dum hora efflueret. Eos qui in Christi odium de Societate sunt occisi, nominatim singulos adnotabat, & priuatâ religione quotidie illorum opem exposcebat. Cusi sunt à Spinolarum familiâ inclytis & facinoribus & opibus orbi notâ, nummi cum imagine Caroli conflagrantis. Socij P. Caroli ea in morte fuêre hi:

P. SEBASTIANVS QVIMVRA.

Iapon. ibid. ætat. 57. Soc. 38.

FVit hic primi qui in Iaponia Christum agnouit nepos, ex illustri plurium in fidei odium cæsorum domo; idemque primus Iapon Sacerdos, anno 1601. initiatus. Paupertate, candore animi, ac simplicitate morum erat amabilis; orandi tam studiosus, tamque accuratus, vt semper illi ad manum fuerit arenarium horologium admetiendum precationis tempus. Inter flammas per trium horarum spacium sterit, summâ & quietâ lætitiâ, oculis in cælum sublatis, manibus in crucem ad pectus compositis.

Sex reliqui, tyrones Iapones.

Combusti sunt cum Carolo, & Sebastiano tirones hi;

Antonius Kinni. Gonsalus Fusai. ætat. 40.

Ludouicus Gauara. Michaël Xumpo, ætat. 33.

Petrus Sampo. Thomas Acafoxi, ætat. 50.

Septimus ante alios combustos, cum palus cui alligaretur, ad manum non esset, capite truncatus est *Ioannes Ciucoga.*

His oblata erat libertas, si Christum desereretur: sed mortem potiùs elegêre; ac mortis accepto nuncio vnà omnes *Te Deum laudamus* cecinêre. Zelus. *Petrus Sampo* Iudici multa dicenti; Vtinam, inquit, vox hæc mea toto regno latè posset audiri! Altissimos montium vertices conscenderem; & omnes, omnes Iapones, die ac nocte ad fidem, ad cælum, euocarem. Fides.

Thomas Acafoxi, Domus famulum captum duci cum vidit, etiam se quæsitum fuisse ad necem certior factus, eos à quibus quæsitus fuerat est assecutus, dixitque; sibi ea vincula deberi, non seruo. Dimisso ergò seruo substitutus ipse, vinctus, & flammis lentis absumptus est. Mors optata.

XI. DIE SEPTEMBRIS.

P. SERTORIVS CAPVTVS.

11. Septēb. Italus Aquilæ. 1608. ætat. 41.

HVius imago æri Romæ inciſa cū SSS. Trinitate, SS. Sacramento Beatiſſima Virgine & Angelo cuſtode ſit eſt inſcripta: *Pater Sertorius Caputus Societatis Ieſu ſanctiſſimæ Trinitatis, venerabilis Euchariſtiæ Sacramenti, Dominicæ paſſionis, Deiparæ Virginis, ac Sanctorum Angelorum cultor eximius.* In ſe affligendo fuit aſſiduus. Vnde in B. V. & feſtorum aliorum peruigiliis, ac ter in hebdomada, ferè in pane, & aqua ieiunabat: item in Aduentu catena pungens ad lumbos illi frequenter, cilicium verò ſemper die ac noctu. Quotidie flagro ſtellis æreis horrido ſe quater flagellabat, & ſæpè ſpatio 7. Pſalmorum; aliquando per horam integram. Lectus illi aſſer ſtoreâ ſtratus; breuis in illo quies, quam poſtremis annis ferè non aliter quàm flexis genibus capiebat. Ante orationem linguam humi trahebat terram lambēdo. Ægrorum vlcera tractabat amanter, & oſculabatur, laborabat in zelo animarum, quantum tres alij minimè otioſi. Surdum ſe ad linguas cenſorum præbebat, omni humano reſpectu in diuinum tranſlato. Sæpè illius vultus luce mirabili perfuſus conſpectus eſt. Apertum aliquando infernum, Angelum item ſuum perſæpè vidiſſe fertur. SS. Sacramentum inuiſentem aliquando Chriſtus è Sacramento in gloria obuius (vt ei videbatur) amplexus eſt. Author erat iis quos familiariter tractabat, vt ſingulis horis cor ſuum Deo in holocauſtum offerrent. Ipſe in ſingulas horas non ſemel introſpiciebat cor ſuum, ne quid Deo in eo diſpliceret. Virginitate, ac innocentiâ fuit inſigni, vt illi teſtantur qui eum pernouēre. Statim à morte Sanctimoniali Virgini nobili radiis circumdatus apparuit (vigili an per quietem incertū) quæ illum ſæpè antea videre optârat, ſed per ſui ordinis leges non poterat. Alij cuidam eodem tempore conſpectus, eum documentis inſtruxit, & ad cultum Deiparæ tenerè inflammauit, vt dixi in Annalibus Marianis, vbi plura vide nu. 1033. Cadauer illius poſt quinque annos repertum integrum, odore fragrans, molle, tractabile. Reliqua de illo in vita.

Mortif.

Oratio.

Charit.

Reſp. hum.

Oratio.

Ang. Cuſt.

Euchariſt.

Hora.

Iaculat.

Cor.

Mort.

B.V.

P. HERMANNVS HVGO.

AMplo ad omnem literaturam ingenio, felici calamo, ſuauitate morum, omnibus optimis corpori ſuo peſſimè faciendi artibus inſignitè præſtans. Præfuit noſtris in caſtris longè ſuauiſſimè, ac prouidentiſſimè. Quotidie in colloquio meditationis proponebat ſe victurum eâ ſpiritus nouitate, quâ fuit in Nouitiatu. Voti religione ſe authorauerat charitati; quippè, qui vouerit, ſe nulli ſubtracturum ſuam operam ſeu domeſtico ſeu externo egenti, quicquid officij charitatis præſtare poſſet. Hinc morbū & mortem traxit ab obſequiis charitatis ægris in caſtris impenſæ. Orandi horæ ordinariæ, diebus Sabbati horam alteram, feſtis & dominicis etiam tertiam addebat. Coram SS. Sacramento tam ſæpè, ac diu orabat, vt putent illum quandoque totos dies iſtic duriſſe

Belga Rhenobeiæ. 11. Sept. 1625. ætat. 41. Soc. 24.

Charitas.

Sabbatum.

Oratio

Confessio. se immemorem cibi, & potionis. Faciles illi fluebant lachrymæ pietatis testes: & is, qui confitentem audiebat, dixit, illum nunquam sine teneris lachrymis fuisse confessum. Aiunt etiam quâ vellet noctis horâ fuisse experrectum, ad mentem cum Deo coniungendam. Ad portam vel extra domum iturus, ac redux, SS. Sacramentum salutabat. In tyrocinio in sui peruincendi artes acriter intentus vomitu ejectas ægri sordes & lotium crassum aliquando hausit. Per septem annos nonnisi cilicio armatus ad concionem dixit. Ad iram Dei à suo quodam olim discipulo auertendam, eumque ad frugem seriam reducendum per dies 14. quotidie se ad sanguinem vsque cecidit, & in cilicio humi, vel in assere, cubauit. Viaticum percepturus genibus humi flexis voluit collocari, & Christum fiduciâ magnâ sic est allocutus Domine, tu nosti, quòd verè te ex corde quæsiuerim, amauerim, seruierim: redde ergò mihi coronam iustitiæ.

Oratio. Euchar. Mortific. Charitas. Mortific. Mors.

ciebatur, cadauere, mundi vana exosus, Societatem amplexus est; in qua ingenio, & singulari miræ probitatis laude excelluit. Noctu somno ter abrupto, tres horas dabat orandi studio. Per octo illos à festo corporis Christi dies ferè habitabat in templo demissione atque ardore insigni. Quotidiani sacri apparatus & actio gratiarum duas horas facilè occupabat. Corpori ferreas catenas circumdabat, vsque ad prandium loricam ferream gestabat, & noctu ter se totis viribus cædebat adeò vt lassus ad Crucifixi pedes procumberet; sibi, & animabus purgatorij veniam flagitans, quibus etiam quicquid boni agere patereturúe donabat. Acutis cuspidibus armatas manicas & pedicas manibus ac pedibus inducebat in honorem vulnerum Crucifixi. Ita Collegiis præerat vt *Charitatis Rector* diceretur, vero elogio; citra iniuriam, imò cum lucro disciplinæ, quam charitas nunquam laxat. Examen particulare nulla die omisit, vt constat è libello.

Vocatio. Oratio. Noctu. Euchar. Mor. Purgat. Mortific. Charitas. Exam. part.

P. STANISLAVS DOMANIEWSKI.

Polonus Posnaniæ. 11. Sept. 1637. ætat. 60.

ROmæ conspecto nobilis adolescentis, quod in sepulchrum abii-

XII. DIE SEPTEMBRIS.

P. CHRISTOPHORVS COLLADVS.

11. Septēb. Hispanus Barcinonæ. 1575.

HVnc à magna virtute laudatum, in ipsa obedientiæ, ac humilitatis exercitatione mors ad æternam, vt speramus, vitam abripuit: id quod hisce verbis breuiter describit Societatis historia: Christophorum Colladum magnæ virtutis atque expectationis Sacerdotem in ipso iuuentæ flore collapsum Fulmen Barcinonæ pridie idus Septembris extinxit. Paulò ante diuinam rem fecerat tunc que lances in culina tergebat. Itaque quâquam ex improuiso aggressus, tamen optimè præparatum, inque Sanctæ humi-

Mors. Humil. Office. culinæ

humilitatis ac obedientiæ ministerio mors deprehendit.

P. DIDACVS GARCIA.

Hispanus Manilæ. 12. Sept. 1604. ætat. 52. Soc. 32.

HVnc hoc die migrasse perhibent Annuæ Philippinæ (pag. 379.) posteaquam prolixum ei elogium texuêre. Indias occidentales in pluribus Prouinciis, magnis suis laboribus, virtutibusque ornauit. Conscientiæ maculas confessionis Sacramento expiabat ferè quotidie. In orandi arte discenda singulari studio versabatur. quotidie vesperi post communes SS. omnium litanias, ipse alias priuatim recitabat, ex illis Sanctis contextas qui à primo Societatis ingressu illi in Patronos obtigerant. In præsentissimo scopulorum periculo inter nauigandum omnes in naui S. Ignatium inuocauêre, Patre Didaco suggerente; & mox omni sunt periculo liberati. In rebus afflictis noctu in templo apertâ sacrarij portulâ coram, aperto SS. Sacramento se inclementer cædebat, & noctis reliquâ parte peruigilabat in oratione Dei; sociis exemplo illo ad flagrantissimum orandi studium incensis. Moriens petiit sibi legi è Thoma à Kempis caput de via regia S. Crucis.

Confessio. *Oratio.* *Sancti menstrui.* *Vesperi.* *Oratio.* *S. P. Ignat.* *Euchar.* *Mors.*

P. MARCELLVO DE LORENZANA.

Hispanus in Paraquaria. 12. Sept. 1632. ætat. 69. Soc. 49.

IN Peruuium Hispania, tum in Paraquariam vbi peruenit; labores, insidias, ærumnas plures perpessus est in illo Apostolatu æger, ad lectum sibi formulam contritionis conceptis verbis descriptam appendi, & ab iis à quibus inuisebatur legi iussit. Prædixit multa quæ postea euenere: vt Guairanas Residentias à Brasilis vastatum iri. Cuidam de nostris Patribus, annorum venientium mala ex vero disertè explicuit. Iudici viduam contra fas & æquum vexanti, ærumnas graues, & sequutas prænunciauit. Vipera lethali veneno iam nota, & horrenda Marcellum in brachio momordit; & omnibus illius mortem expectantibus, ipse nil damni accepit vt fama est. Apud Paranos ægris multis sanitatem baptismo, vel manibus impositis, Euangelio recitato, & precibus impetrauit.

Morbus. *Amor Dei.*

P. MICHAEL SANCHEZ.

Hispanus Marchenæ. 12. Sept. 1637. ætat. 70. Soc. 46.

MAgno Dei amore accensus, in lue Cordubensi anno 1601. illâ sauciis omni ope seruiuit saucius & ipse, vbi conualuit rediit ad spartam eâdem exornandam, voti quoque obligatione adiectâ, se caput (quoties occasio se ostenderet) illi periculo ad charitatis obsequia oblaturum. Vt iuuentutem pro Republica educaret, ac pietatem per literarum disciplinas teneris animis insereret, totos duos & quadraginta annos Grammaticæ cathedræ transcripsit; quibus & literas humaniores, & diuinos igniculos ita ingeniis accommodabat, vt in hac arte esset planè insignis; multis ad Rempublicam, non paucis ad religiosos ordines ex eius disciplina profectis. Intra 46. annos quibus in Societate vixit, non nisi vnicam epistolam dedit ad suos sanguine sibi iunctos. Si à quopiam læderetur, preces pro illo, & sacrificia offerebat. Quinque aut sex horas dabat orandi studio quotidie, nocte supplente cùm interdiu id non posset, vnde prima post mediam noctem horâ somnum abrumpebat, vt peruigilaret in oratione Dei.

Charitas. *Humil.* *Mortific.* *Consang.* *Charitas.* *Oratio.*

P. PE-

XIII. DIE SEPTEMBRIS.

P. PETRVS DIAZ. ET 4. SOCII.

13. Septēb. Lusitanus. 37. ætat. 4. Soc. 23.

OCciso nuper Ignatio Azeuedio, illa quâ Petrus in Indiam vehebatur nauis ab hæreticis capta est. P. Petrus, qui aliis præerat, ab auditis aliorum confessionibus redux, vnà cum *Gaspare Goë*, ac puero quodam tenello qui à P. Petro auelli se non patiebatur, occisus. P. *Franciscum Castrium* in excipienda vulnerati cuiusdam confessione inuentum, Galli hæretici certatim, punctim ac cæsim interemêre.

Hispanus Marchenæ. 12. Sept. 1637. ætat. 70. Soc. 46. Charitas.

Mortific.

Michaël Aragonensis scholasticus, magnâ in seipsum sæuitiâ, & ingenio nobili celebris, cum *Francisco Paulo* in mare præceps deiectus.

Mox in cælitum reliquias & imagines effusus furor hæreticus. Atque hæc omnia tantâ rabie acta in Societatis homines, vt Gaspar Gonsaluius, sociorum vnus, at degener à præcelsis cogitationibus filiorū Dei, vile in periculo glorioso, ac timidum caput, cùm Iesuitis haud parci, imò illos maximè peti, videret; veste Societatis positâ, se turbæ immiscuerit. Sed mortem gloriosam quam fugiebat cum ignauâ commutauit. Etenim ab hæreticis in mare abiectus est cum turba inutili, quam illi alere nolebant, ceu nauis ignauum atque inutile pondus. Singillatim de P. *Petri Diaz* virtutibus illud affertur; eum adeò fuisse modestum, suique custodem, vt ferè in se componendo videretur occupatus. Diuinum officium semper de genibus recitabat. In confessionibus, potissimùm ad scrupulos eximendos, fuit adeò promptus ac dexter, vt auditus fuerit quidam dicere; paratum se ad extrema orbis limina Petrum sequi, vt eo confessario vti posset.

Humil.

Mortific. Consang.

Charitas.

Oratio.

MAG. LVDOVICVS SCHIESA. SCHOL.

Italus Comi. 13. Sept. 1630.

HVnc in scholis Comi docendis occupatum pestis ad extrema deduxit. Post altum silentium, atque suspirium vrbi, & Collegio calamitatem imminere prædixit cùm in extremis esset. Nominatim è Collegio, qui essent morituri expressit. Frustra cælari aiebat morbum Magistri Leua: illum in villa decumbere; & cras horâ septimâ obiturum. ita euenit. Massanum, Gattum, Redolfinum speraſse se euasuros, sed frustra: nec euasêre. P. Rectorem perendie morbo tētandum, & octauo post Dominicam proximam die horâ 22. moriturum; tunc mortuus est: & postridie secuturum P. Ioannem Ambrosium Vertua; secutus est. Decessurum & P. Villani; Patrem Alexandrum tentandum, sed euasurum: hic egrotauit, sed euasit; ille decessit. P. Ministrum acerbè exercendum, citra mortem tamen. ita factum. Magistrum Guidonem Orticonum, (cui hæc dicebat) penultimum fore in serie morientium. Ita & id euentus affirmauit. At vnde ista nosset petenti Mag. Guidoni, curiosiùs ista quàm oporteat quæri respondit, ac mysteriis procuratus 13. Sept. decessit. Guidone 12. Octobris (& vno post illum) extincto.

Mors dicta.

P. GVILIELMVS BOYTONVS.

Hibernus Castellæ. 13. Sept. 1647.

HIc post operam in ciuium suorum vtilitates impigro animo impensam, in clade Castellensi (vbi Hibernos Catholicos milites trecentos in templo tandem septem hæreticorum millia obruêre) tunc istic vnà collectos Catholicos expiabat pœnitentiæ Sacramento. Ibi victor miles hæreticus dirè in canos senes, in fœminas, in paruulos cæde grassatus est, sanguine latè profuso. Maxima sæuitiæ pars in Sacerdotes incubuit. Hos inter cecidit felix victima etiam *Guilielmus*, cùm hæretici, Sacerdotes potissimùm ad necem deposcerent; si hos dederent Hiberni Catholici, militem omnem impunè abire permissuri. *Fides.*

XIV. DIE SEPTEMBRIS.

P. PETRI DIAZ SEPTEM SOCII IN ODIVM FIDEI OCCISI.

14. Septēb. Lusitani. 1571.

SVperstites ab hesterna cæde socij P. Petri Diaz (de quo heri) carceribus, pugnis, alapis, & sputis malè mulctati, in summo vertice contundebantur, in coronæ Sacerdotalis opprobrium; obiectantibus hæreticis, quòd in Brasiliam vsque tenderent ad fidem prauam (vt ipsi aiunt) proseminandam. *Fides.*

Modestia. *Petro Fernandio* Nouitio, quòd modestus esset, oculos digitis aperiebāt. Exprobrabant cachinno hæretico, quòd à Christo, à Christi matre, atque à Sanctis non iuuarentur. Ita vexati in mare abiecti sunt. *Petrus Fernandius, & Ioannes Aluarez* mox hausti sunt. Didacus Ferdinandus adnauit ad nauem aliquam, & receptus est; vti & Sebastianus Lopez. Alij fessi luctando cum aquis, *Credo* & *Miserere* recitabant cum *Alphonso Fernando* illicò submerso. IESV nomen implorauit *Andreas Pais*, & haustus est: ac post hunc *Ferdinandus Aluarez*. Eandem in aquis mortem oppetiêre *Petrus Diaz* & *Didacus Caluallius*. Piratarum illorum antesignanum aiunt postea in oppido sibi natali, securi occisum. Nauta præcipuus, cùm nostros in mare abiiceret, ipse quoque delapsus, ac mersus est. Alphonso contra fidem plura obiectantibus respondenti, disertè dictum est: *Ob id ipsum est tibi moriendum.* *Fides.*

P. PASCHASIVS BROET E PRIMIS DECEM.

Picardus Parisiis. 14. Sept. 1561. ætat. 55. *Exercitia. Fides. Ang. Socio.*

IN primis exercitiis in triduum produxit inediam sine cibo, & potu. In Hiberniam à Pontifice missus, ab hæreticis quæsitus est ad necem. Lugduni coniectus in vincula, vt explorator, & honorificè dimissus. Moniales pluribus locis dextrè in ordinem redegit. Fauentiæ condidit sodalitium charitatis pro iuuandis pauperibus. Destinatus erat Æthiopiæ Patriarcha, Ignatio illum *Societatis Angelum* nominante. Ferrariæ dæmonem contra alios pertinacem, auditâ obsessæ confessione fugauit. Italiæ fuit Prouincialis primus: In Gallia postea multa passus. Othoni cuidam nostro Parisiis luc contacto seruiit, & luem contraxit, quâ occubuit. Per ipsos 20. annos enixè à Deo continuatis precibus humilitatem *Confessio. Charitas.* *Humilitas.*

litatem flagitauit. Messores illum in agro pannosum conspicati, liberali cachinno accessêre, illo interea stante dum fessi conticescerent, ac postea suauissimè illis loquente. vnde illi ad veniam impetrandam se illius pedibus aduoluêre. Equum ab Episcopo sibi donatum ad iter, Franciscano cœnobio donauit, & pedes iter confecit; atque ad diuersorium appulsus, diuinum officium genibus flexis persoluit. Orandi, & piorum colloquiorum insignis planè artifex fuit. Mitis illi & simplex indoles, oculique ad pias lachrymas longè facillimi.

Fides.

Iter.

Oratio.

P. ANDREAS OVIEDVS.

Hispanus in Æthiopia. 14. Septêb. 1577. ætat. 59. Soc. 14. Alius ponit anno 1580. 19. Iunij.

GAndiensis, ac Neapolitani Collegij, primus Rector fuit, magno mortificationis, orationis, charitatis exemplo. Fuit & Hieropolitanus primùm Episcopus, deinde Æthiopiæ Patriarcha electus, paupertate, zelo, sanctimoniæ magnæ famâ mirabilis. Iam antea in Æthiopiam penetrârat, vbi coram Rege Claudio Abassinos Doctores manifestè conuicit, & aliquos ex Abassinis Ecclesiæ reconciliauit. Eapropter Claudij, & successoris illius ira in illum exarsit: adeò vt hic etiam gladio illum trucidasset ipse, nisi Regina obiectu corporis intercessisset. Fremonę iam tum Patriarcha calculi doloribus extinctus est, quem ille locum à Barbaris incolumem fore prædixerat. Nam omnibus circùm bello turbatis, à Catholicis consultus, Christum in diuino sacrificio consuluit, manendum ne istic esset, an fugiendum. Et vox de cælo audiri visa bis *Fremonam, Fremonam* repetês. Istic ergò mansêre securi, cùm hostis omnia vndique vicina populatus etiam solo æquaret. Hæreticus illum videns agnouit eundem esse, quem viderat per quietem; & ab eo de fide instructus conuersus est. Multa in eo admirabilitatem habuêre. Locustæ, densæ nubis in morę omnia obtexerant. Accitis in templum Catholicis, Andreas Deiparæ Virginis & Sanctorum opem litaniis petiit; & eodem tempore cadebant sensim locustæ mortuæ plures, ac plures, quò plus procedebat oratio; vt eâfinitâ ne vna quidem locusta superfuerit deinceps illo superstite. Pio V. Pontifici scripturus, cùm chartam non haberet, in abustis, & consutis è Breuiario marginibus scripsit, illachrymato ad epistolam lectam Pontifice.

Fides.

Sacrum.

Fides.

Fides.

Picardus Parisiis. 14. Sept. 1561. ætat 55. Exercitia. Fides. Ang. Socii.

Confessio.

Charitas.

Humilitas.

B.V.

Litaniæ Christi.

Sabbat.

B.V.

Mortific.

FRANCISCVS TOLETVS. CARDINALIS.

Hispanus Romæ 14. Sept. 1596. ætat. 64. Soc. initæ 38.

SOtus eius magister, illum ob ingenium prodigium appellabat: putaturque suâ ætate neminem id ætatis parem habere in sapientia. Simancâè Tyrocinio Romam proficisci iussus, Philosophiam, tum scholasticam Theologiam, deinde moralem explicuit. Anno 1569. à Pio V. ad Palatij Apostolici conciones admotus est, donec tandem Clemens VIII. anno 1593. illum in Cardinalium Collegium cooptauit. P. Iacobus Ledesma iam ante in purpura illS sibi videre visus, Toletum Cardinalem dixit. Procul à se habebat delicias etiam hac fortunâ religiosè vsus. Legumina illi cibus, ac Sabbato panis tantum, & aqua, honori Deiparæ cuius in Esquiliis templum eodem die quothebdomadis è Vaticano vsque illuc pedes profectus adibat, quæcunque tempestas esset, prospera, vel aduersa; ibique sacrificio operabatur. In Iulij mense ieiunium inchoabat, & per dies 40. continuabat vsque ad festum Assumptæ in cælũ Dei Matris, idque vsque ad vitæ finem. P. Ia-

cobus Stratius ex P. Hĕrico Schereno Belgij Visitatore, ac aliis eius ætatis viris, tria se de Toleto audisse scribit in Toleti elogio quę totidem ferè verbis adscribam: Primum; eam fuisse primis illis religiosæ vitæ annis Toleti probitatē, vt grauissimus Sacerdos de Societate dicere sit solitus: arbitrari se si per aliquem mortalium eâ tempestate Deus miracula facturus esset, per Toletum facturum. Secundum *B V.* est; quòd erga Deiparam Virginem suauissimè affectus, eam semper castè coluerit. In arduis negotiis sacro eius votiuo, eiusdem opem implorare est solitus. Tertium; quod religiosa, & sanctimoniæ opinione clara persona dixerit, sibi reuelatum, adiisse quidem Toletum in mortis agone æternæ salutis periculum, Virginis tamen ope fulcum, respirasse; & cælestis gloriæ *B.V. fecit.* compotem factum. Hæc Stratius. Cæterùm prolixâ semper voluntate fuit erga Deiparæ matris cultū Toletus, quippè qui largis eleemosynis erogatis eius festa coluerit, ac etiam noctu eiusdem templa religiosè inuiserit. Ad immaculatæ conceptionis atque Annunciationis festa se octo dierum ieiunio præparabat: S. MARIÆ *maiori* 12. lampades argenteas (quasi argenteos mēses duodecim) donauit eandemque hæredem scripsit, & ibi condi voluit: eius de festo ad Niues dotem Virginibus in matrimonium collocandis dedit, in S. MARIÆ à plantis templum etiam piis impensis liberalis. Post mortem illum se cuipiam conspiciendum dedisse refert Thomas Auriemma de B. V. pag. 368. ex historia pontificali, & dixisse: *Ego auxilio magnæ Dei Matris sum saluus.*

P. IOANNES FALCO.

INter orandum videbatur sensuum haud compos; adeò absorbebatur à Deo. Deiparę Virginis cultum studiosè propagauit exemplo, & verbo. Hildesij sociū monuit, vt auertendo, quod imminebat periculo salutationem angelicam pronunciaret. Fecit id vterque, & ecce lapis prægrandis ex alto deiectus, in medio illorum innoxius decidit, confractus in frusta. A latronibus hæreticis equos spoliatus & raptatus, mox liber, B. Virginis litanias cecinit, illam rogans vt reddi curaret, quæ amisisset. Adfuêre prædones, ac iumentum Ioanni vltrò restituêre sine sacra tamen supellectile, sed & illam postridie ad tēpli valuas inuenit. Prolixè in se flagello sæuiebat, sæpiùs interspirans & intentionem instaurans. Certè constat illi nullam noctem abiisse quin centum vt minimum, ictus sibi infligeret, cùm alios crederet somno iam pressos. Paruuli supplicatione vespertinâ institutâ, ad eas quæ in angulis platearum passim coluntur Deiparæ imagines ibant, & ibi orationes elatâ voce pronunciabant pro Ioannis incolumitate, cùm æger decumberet. Si quâre indigebat, petita à P. Ministro veniâ id instar mendici, amore Beatissimæ Virginis petebat sed addebat; id se velle, quod esset omnium deterrimum. Quidam de Societate Sacerdoti illi apparuit, & se Purgatorij, flammis teneri affirmans, vnum sacrum ab illo tunc ægro petiit. quo ille peracto eundem reducem & gratias agentem vidit: prædicentemque futurum vt ex eo morbo conualesceret, ac plures Deo adhuc animas lucraretur: deinde in cælum euocandum.

Germanus Moguntiæ. 14. Septēb. 1616. ætat. 42 Soc. 22.

B.V.

Mortificat.

Nocte.

B.V.

Pauper.

Purgator.

Sacrum.

P. GVI-

P. GVILIELMVS VANDEN LEYDEN.

Belga Ipsis. 14 Septēb. 1628. atat. 33 Soc. 12.

MAtri illius ad Iuris lauream capescendam illi necessaria præparanti venêre in mentem pericula eius vitæ quam filium ingredi videbat. Ergo coram SS. Sacramento prostrata petiit vt aliam suo filio mentem inderet bonus Deus: & impetrauit. Nam eodem planè tempore ac ferè horâ Antuerpiæ Guilielmus ad Societatem admitti impetrauit; in illa postea concionator præstans & ad legos valdè religiosè attentus. Expirauit, illas ad B. V. voces ingeminans: *ô Clemens, ô pia.*

Vocatio.

B.V.

P. STEPHANVS SINI.

Hungarus Claudiopoli. 14. Sept. 1645.

ROmæ ad Societatem adlectus miro candore amabilis Româ in Turciam ad Apostolicos labores missus, inde post triennium Gabrielis Bethlehemi Principis accitu, superioribus vltrò annuentibus, in Transyluaniam abiit, charus Principi licèt hæretico. Vnde is P. Stephano Albæ Iuliæ templum cum scholarum ædibus transcripsit, iussis inde sectæ hæreticæ ministris facessere; ac pane, vino, carnibus ei ex aula præberi iussis. Vixit istic ad morrem vsque P. Stephanus per annos vndetriginta, inter varia Transyluaniæ turbamenta, magnum ac propè vnicum columen rei Catholicæ. Quare pauci iam erant nobiles Catholici qui non ex eius disciplina prodierint. Stupebant aduersarij, eius charitatem, etiam in illos amanter adeò explicatam, ac erga omnes beneficentiam vbi posset. Prudentia in illo singularis, at nulli vmbræ obnoxia, quia religiosè simplex, nec vlli suspecta elucebat, cum illis quoque qui etiam tuta omnia pertimescunt. Eos qui ab immundis spiritibus vexabantur curandi gratiâ singulari pollebat, Deo id illi dante in medio gentis hæresi vndequaque squalentis. Per Aduentum & Quadragesimam ad concionē dicebat quotidie: diebus festis atque Dominicis iteratò, præter quotidianam scholarum curam; labore quem non sine admiratione laudarunt qui rem propiùs introspexêre; adeò vt ipse Bethlehemius Transyluaniæ Princeps cōcionalibus suis ministris, quos Prædicantes vocant, cùm eos segnes videret, laboriosos optimi huius senis canos, atque assiduam impigritatem obiectârit. Si ad expiandum quempiam excurrēdum erat etiam ad Leucas aliquot, labori ac industriæ non parcebat. Memoriâ tenebat ea quæ in Romano tyrocinio combiberat, & perseueranter exequebatur: cumque rogaretur, cur hoc illud ûe faceret, circa industrias paupertatis ad minima quæque attentæ, atque in aliis respondebat. Hoc se in Nouitiatu didicisse. Orabat semper genibus humi positis, nec meditationis horam mutabar vnquam nisi magna necessitas id vrgeret. Pro lectulo nullam lineam supellectilem admisit: & sæpè orantem oppressit somnus extra lectum, à quo experrectum oratio matutina excepit. Negabat Iesuitam debere esse delicatum: sed stomacho ad quamuis escam idoneo, humeris autem ad omnia ferenda promptis & expeditis. Cruci affixi Christi effigiem, quam ei Româ in Turciam proficiscēti dederat P. Claudius Aquauiua, pro incitamento habuit ad ardua, & in pretio semper: aiebat eam sibi esse auro quantolibet chariorem. Et verò S. Crucis exaltatę dies illi supremus fuit in vita. Cadauer toto triduo patuit adeuntibus antequā

Zelus animarum.

Paupertas.

Oratio.

conderetur, magnâ virtutis ab aduersariis quoque amatæ, ac Societatis commendatione, pleriſque dicentibus etiam ab orthodoxa fide alienis; Ieſuitas profectò ſi tales ſint qualis hic fuerit, arceri à Tranſyluania non debere. Stupebant nil tetri odoris afflari naribus à cadauere tabeſcente. Multa de illo Annuæ Tranſyluanæ & ſingularia quæ ad animarum ſtudium, atque ad fidei Catholicæ propagationem ſpectant.

XV. DIE SEPTEMBRIS.

THOMAS STILLINTONIVS. NOVIT.

15. Septēb. Anglus Meſſanæ. 1617 ætat. 23.

HVic in Belgio adoleſcenti videri viſa Virgo Deipara, ſtipantibus eius latus SS. Ignatio atque Xauerio illum per amænam viam ad Palatium glorioſum manu prehenſum ſic eſt allocuta; *Ingredere huc: Hæc erit habitatio tua.* Eundem ſanctis Ignatio, & Xauerio commendauit dicens: *Adoleſcens iſte veſter eſt: curam eius gerite: ego eum vobis commendo.* Tum cognouit, Palatium illud eſſe Societatis Ieſu templum, & ſingulari Societatis ineundæ deſiderio ſe teneri ſenſit. Fuit in orandi dono eminens: vnde illi dulcis quædam morum harmonia, & inſignis ad petita obtinenda fiducia. Captabat occaſiones familiares ſe affligendi. Quare ſi ſederet, dorſum nullâ re fulciebat: muſcas faciei moleſtas non appellebat. Aiebat; tempus illud quod mortificationi impenditur, optimè eſſe impenſum. Mirabili erga vulnus lateris Chriſti amore æſtuabat; magnum in ſuo etiam latere dolorem perſentiſcens. Quidam dixit, ſe illi rem magni momenti tertiò in preces commendaſſe, ac eam rem ex animi ſententia fuiſſe confectam. Morti proximus illo hymno delectabatur: *Ad perennis vitæ fontem mens ſitiuit arida* &c. Ita animam nullius vnquam grauioris inquinamenti ream expirauit.

S Ign. & Xau. B.V.

Mortif.

Oratio.

Mortific.

Tempus. Crucifixus.

Concio.

P. OCTAVIVS NAVAROLA.

Italus Bononiæ. 15. Sept. 1617. ætat. Soc.

QVàm ſe infra omnes ducebat etiam cùm Prouinciam regeret, tam id veſtibus, & cibis abiectiſſimis teſtabatur. Inuitus, & ſummâ cum demiſſione ac parcè imperabat. Eapropter vt aliquam exercendi imperij occaſionem effugeret, primæ menſæ benedicebat ipſe cùm aderat. Sabbato ſemper ab omni cibo veſperi abſtinuit in B.V. honorem; in Germania pro potu non niſi aquâ vſus. Hoc illi in ore pro teſſera officij Prouincialis fuit: *Patres, mei, plus charitatis, & minus authoritatis volo.* Idque ad amuſſim exequebatur; interea ſumma in reuerentia habitus eo ipſo. Ægros ipſe non iuſſu ſolùm, ſed manibus quoque ſuuabat. Incredibili politicarum artium odio, & amore diſciplinæ conſtanter flagrabat; nullâ ſpe, nullo metu victus. De morte admonitus: *Conſtituiſti*, inquit. *terminos eius, qui præteriri non poterunt. Tu, Domine, ſuſcipe Spiritum meum!* Et 7. pſalmos pœnitentiales prælegi ſibi curauit. Generaliter de totâ vitâ confeſſus, ac Sacramentis inſtructus petiit humi deponi, vt in terra humilis moreretur.

Sabbat.

B.V. Superiu.

Mori.

CÆSAR

CÆSAR
BOSCHVS. SCHOL.

Italus Taurini. 15 Sep. 1618. Soc. 5.

ANtequam è Rhetorica Societati se daret, parentibus in Conclaue accitis omnia quæ habebat musicæ instrumenta collegit; & pro ea, quâ egregiè pollebat peritiâ, singulis perscitè, ac iucundè modulatus; ore, ac manu omnia suaui concentu versauit, exaggerato quàm maximè poterat artis extremùm officio suo fungentis ingenio. Tùm repentè quà Instrumenta, qua suos allocutus; *Valete*, inquit, *valete mihi ô mea hactenus, at fluxa, instrumenta lætitiæ! nam ego ad Christi vexillum, ad Societatem Iesu à vobis me studiaq; mea hinc transfero.* Dixit abiecit, abiit! Et in Societate, dulcissimâ suauitate ad omnem legum harmoniam adeò attentus vixit, vt nec sponte nec per inconsiderantiam vnquam vllam earum laxare sit visus. Affligebat, despiciebat sese infra omnes. Morieps, enixè rogauit Rectorem vt sibi liceret in storea humi abiecto, & in cilicio manu alterâ flagellum, alterâ Crucifixum ori admotum tenenti animam expiare.

Vocatio.

Sabbat.

Regula.

Humilit.

B. V. Superiu.

Mors.

P. PETRVS
ÆGIDIVS CIIL.

Hilpanus Barcinonæ. 15 Septēb. 1621. ætat. 72. Soc 49

CVm per annos 40. Principum, & Episcoporum confessarius esset; nihil pro se, nihil pro consanguineis munusculi admisit vnquam à nullâ lege, vel domestico onere eximi voluit vnquam. Cùm Collegia vel Prouinciam gubernaret; vestes habuit lacerrimas, præclaro ad admirationem vsque exemplo se vbique abiiciens, acriterque sibi infensus. Per omnes annos quibus ad omnes adiuuandos promptus accurrebat, sensus tamen acerrimâ custodiâ circumscripsit, fœminum nullam nouit de facie. Posito magistratu P. Ministrum sabbatis manibus & cum lachrymis precatus est, vt nihil ætatis suæ, nihil alio quouis obtentu singulare præberet. Ianitore etiam aliisque rogatis, vt in laborum partem vocaretur: & faciliorem prolixioremque moram ac operam dabat Pauperibus, quàm nobilibus.

Humil. Oculi. Castitas.

P. CAMILLVS
CONSTANTIVS.

Italus Tabiræ. 15 Septēb. 1622. ætat. 50. Soc. 30.

NObilis hic, locuples, & castissimus adolescens, olim immissam ad se dolo conscelerato noctu fœminam, casto furore plenus, eiecit, & actis Christo Crucifixo gratiis, IESVM ac MARIAM, ne vnquam inquinaretur, precatus est. Indiâ, & Iaponiâ impetratâ potitus, præter labores Euangelicos, & exilium, plures ærumnas tolerauit. Militis personâ tectus in Iaponiam rediit, per omnem industriam atque pericula in animarum commoda intentus, & omnia noctu concursans. Capitis damnatus, delirus putabatur; quòd diceret, se iam votorum suorum summam penitus attigisse. Tabiræ ad Firandum rogo addictus, palo fune ex arundinibus texto alligatus, ad populum de animæ immortalitate, ac felicitate fidei Christianæ dixit egregiè. Incendio inuolutus, orabat: & flamma tantisper diducta, seu aperiri visa, illum orantem ostendit, canentemque: *Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri &c.* Tum tertiò Iaponicè pronunciauit voce clarè perceptâ: *O quàm benè mihi est!* Iam flammis absumebatur corpus, cùm adhuc *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* quinquies cantare auditus est. Dicebant barbari; tantam illam eius viri fortitudinem

Castitas.

Fides.

Oratio.

Mors.

tudinem supra mortales vires altius quidpiam habuisse.

P. LVDOVICVS RICHEOMVS.

Gallus Burdigalæ. 15. Sept. 1625. ætat. 81. Soc. 60.

CVm Assistentis Romæ, ac alibi visitatoris, & aliis muniis fungeretur, dici non potest quanto ingenio sit vsus ad artes humilitatis profundissimæ cuius etiam instinctu 4. Confessionum suarum libros scripsit, se istic accusans S. Augustini imitatione. Auenione fœmina pia & probatæ virtutis, illum vt fama est, vidit, toto capite cælesti lumine circumfusum; quo intellexit hoc *humilitatis* insigne à Deo esse bono illi Patri concessum. Cùm iam pedibus captus esset, ad culinam se deferri curabat, vt istic scutellas abstergeret. Ad orandum tener atque assiduus, Societatem incredibili amore complexus est; id, quod & ea quâ regulas enixè obseruabat religio, & scriptæ pro Societate vindiciæ præclarè testantur.

Humil.

P. MATTHÆVS FERNANDEZ.

Indus in Iafanapatania. 15. Sept. 1628.

COcini natus in India, in Iafanapatam quinque millia baptizauit. Lanceis deinde confossus & capite plexus est.

P. *Bernardinus Pecius*, seu *Senensis*.

Italus ibid.

Eodem die ibidem obtruncatus est, ob insignem diligentiam nauatam pro salute animarum. Aiunt eius reliquias suaui odore fragrasse.

Odor.

P. IOANNES SVFFREN.

Gallus Vit. singæ. 15. Sept. 1641. ætat. 70. Soc. 55.

MOdestiâ incredibili & facundiâ potens ad concionem fuit orator inter primos, vix vlli torâ Galliâ secundus. Mariam Henrici 4. viduam exulem secutus est; eiusdem Confessarius, & sacer orator. Insepsum tam fuit seuerus vt Coadiutori socio debuerit obedire, ne inclementer nimirum se tractaret. Etiam per illos quinque annos quibus Ludouici XIII. conscientiam regebat, nunquam ibat ad aulam, nisi vocatus, nec apud Regem, aut Reginam quicquam suscipiebat externi negotij, suum illud opponens: *Hoc ad Principis conscientiam minimè pertinere.* In calculi sectionisque tormento, sine gemitu perstitit, hac sola cum voce: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Mortuum P. Ioannem Regina ita fleuit, vt nullam solatij partem admitteret.

Mortific.

Patientia.

LEOPOLDVS FREY NOVIT.

Germanus Viennæ Austr. 15. Sept. 1644. ætat. 18. Soc. 2. *B.V.* *Humil.*

VIrginitatis flore semper seruato, fuit Deiparæ puritatis suæ præsidi vnicè charus; à qua dicebat se nihil vnquam, quod non impetrauerit petiisse. Sentiebat se à Deo ad rerum asperarum desiderium incitari: solers, & ingeniosus erat ad quærendas contemptionis vbique captandæ occasiones vt rideretur, aut contemneretur. Inter loquendum nunquam vlli contradicebat, nunquam de vllo sinistrè loquebatur. Inter acres morbi dolores iacebat vt agnus, innocens victima diuinæ voluntatis, quam placidè adorabat cum se à nemine audiri arbitraretur, hæc iterabat: *Iesus Maria mei dulcissimi*

Morbus. *dulcissimi amoris, vobis viuo, vobis moriar, moriar ad gloriam vestram: vtinam mille mortes, mi Iesu, amore tui moriar:*

Amor Dei. *tantùm doleo, quod tam parùm amore tui fecerim, & passus sim.* Nescio quæ aliena cogitatio illi fuit à pessimo veteratore ingesta. Tum ille velut experrectus, exclamauit: *nolo facere, nolo facere! malo mori millies; malo damnari, mi Iesu,* Tentatio. *tuus sum non faciam.* Rogatus quid cogitationis illud fuisset; respondit, fuisse cogitationem inutilis leuitatis cuiuspiam secularis: nil tamen in sua cõscientia inde turbatum.

XVI. DIE SEPTEMBRIS.

IANVARIVS DVCHVS. SCHOL.

16. Septēb. Italus Romæ, 1580.

DE hoc habet non pauca Societatis historia: Inter quæ: Tantâ ait diuinitus dulcedine repletũ fuisse, vt ad diuinam accumbens mensam adeo madefecerit solum, vt ex vestigio monstraretur locus, in quo Ianuarius orasset: patrimonio luculento, & octoginta aureorum millibus, quę patruus donârat paupertatem euangelicam pretiosiorem existimasse, Societatem complexum legatis eidem 25. millibus aureorum: quâ tamen liberalitate Societas vti noluerit. Cùm Tusculi præesset, Coadiutori Tusculum appulso suum lectum dedit, asseribus ipse contentus. Natali Dei matris post susceptum SS. Christi corpus vocem interiorem audiuisse ferunt, iubentem benè sperare; quicquid admisisset, esse condonatum. Ita illi anxij doloris loco suborta fiducia, conscientiæ iam pacatæ à perpetua illa curâ dolendi peccata; qua hactenus cruciabatur. Intercluſa respiratio dolorem illi acerbissimum creabat; sed precatus Deum, impetrauit, vt tantisper dum Confessioni, & S. Synaxi operam daret, dolor quiesceret. iis perfuncto illo, dolores quasi post pactas inducias redibant. Dextrum illi latus ad costas perfixum dolore longè acerbissimo, vt aditus ad præcordia aperiretur interspirationi adiuuandæ. Lætus hæc ille sustinuit, non ingemuit, nec vultum mutauit, etiam cùm vulnus dilataretur digito Chirurgi altè immisso in sanam carnem, neque caustico maceratam. Post longum deinde silentium oculos repente aperuit, in aliud latus ad Crucifixum se conuertit, & expirauit.

Charitas.

B. V. Scrupuli.

Confessar.

Patientia.

Oratio. Lachryma.

Mortific.

Patientia.

P. IOANNES CARLIER.

MIssionum religiosè, ac flagranter magnoque cum fructu agendarum singulare documentum fuit Ioãnes, adeò vt Albertus, & Isabella Belgij Principes illius famâ commoti illum audire optârint, auditumque ac laudatum sint impensè cohortati, vt sic pergeret. Rusticani iuxta & nobiles cùm aliquem in sacris expeditionibus præstantem videbant, familiari prouerbio illum laudaturi aiebant; *En Alter* P. *Ioannes Carlier.* P. Mutius Vitelleſcus cùm de illo magna audiret, ei in mandatis dedit, vt modum, quem in missionibus teneret perscriberet, ac Romam transmitteret. Perscriptum legit, laudauit, atque vt porrò ita rem ageret hortatus est, munusculo quoque submisso. Domo ad illas expeditiones proditurus, adibat ad

Belga Atrebati. 16. Sept. 1633.

Missiones.

Eucharist. SS. Sacramentum & gratiam sibi ac iis ad quos ibat, flagitabat; Angelum quoque suum, ac eorum custodes precatus, vt ipsi rem suo fauore proueherent: Concionum argumentum erant ferè 4. nouissima: quibus ille de profundo veterno extrahebat veteranos & flagitiosos. Cauebat domos nobilium; certè epulas: quibus tamen si adesse cogebatur, se properè expediebat, ad labores redux. Vnde Ioannis neque manducantis, neque bibentis, neque dormientis illi nomen adhæsit.

Missio. Nam 12. noctis horâ seu nocte mediâ, se ad templum proripiebat: ære campano signum dabat, vel dari curabat: & sæpè iam tum aliquos reperiebat, qui cum opperiebantur, vt peccata

Prouid. Dei. deponerent. Per iter aliquando inediâ fatiscenti nec iter prosequi valenti ignotus homo panem & vinum porrexit, amicis verbis erexit, in syluam abiit; Ad populum tantâ contentione, aliquando etiam quatenus die, & prolixè verba faciebat, vt aliquoties sudorem sanguineo simillimum sudasse sit compertum. Obstinatum quendam in vinculis cum aliter ad confessionem non posset adducere, se coram

Charitas. illo nudauit, & acerrimè cecidit. Sic ille permotus est ita & sortilegæ duæ captiuæ simili eius spectaculo perdomitæ, peccata cum lachrymis sunt confessæ: quarum facilè ducentas rogo addictas ad supplicium duxit, felicissimâ charitate. Domum redux, ad SS. Sacramentum, ad culinam, ad labores, ad corporis cruciatus redibat. De morte vicinâ certior factus, psalmos pœnitentiales, Litanias recitabat; & libellum, quem in eum vsum sibi conscripserat, versabat, persæpè ad *Mort.* cælum aspirans, & dicens: *Iuua me, Bone Iesu: Iuua me bona Maria!*

P. HENRICVS CARLIER.

Belga Hui. 16. Septēb. 1636. ætat. 38. Soc. 19. FVit Henricus P. Ioannis nunc narrati fratris filius. Inclementer in se ipsum seuerus fuit, & in palæstram charitatis non semel se dedit ad peste infectos. Namurci Mosa exundante laterum tenus gelu plenas aquas ingressus est, vt ad ægros penetraret. Hui, tum adhuc sanus, confessario suo *Charitas.* dixit, P. Guilielmum Bartier Collegij ministrum haud ita pridem istic defunctum, sibi coram adspectabilem *Mort.* adfuisse, & mortem ac felicem vnà Societatem breui futuram prædixisse: id quod euenit non multo post. Cum nostris seruiret peste contactis.

XVII. DIE SEPTEMBRIS.

P. IOANNES TELLIER.

17. Septēb. Gallus Romæ. 1579. ROmæ in Professorum Domo præstans operarius, illud pro vinctorum ergastulis ad animarum lucra compendium iuuenit quòd libros pro eius loci ingenio idoneos industriâ suâ conquisitos è catenulis ferreis per

Lectio spiritu. carceres hinc atque inde suspenderit, velut mutos magistros, & consolatores, hortatoresque, quos alij ex aliis legentibus audirent magno temporis melius collocati; & conceptarum inde bonarum animi propensio-

Carcere. num compendio. Ibidem imagines muris circumdedit, vt ij qui istic tenebantur, eo spectaculo bona cogitationum cælestium semina conciperet.

Ad

Ad hæc à summo Pontifice indulgentias procurauit; vt qui imagines illas adirent, fusis ibi precibus easdem indulgentias consequerentur quas ij qui vrbica templa inuisunt. Ibidem leges conditæ, illo aduertente, quibus ludi, & quædam alia morum dedecora longè arcerentur. Vt Mariano vespertini æris campani signo aliud pro Purgatorij animabus adderetur, apud Parochos primùm, tum apud summũ Pontificem effecit, re tam insigni in laudatum morem inductâ. Sed de his ac reliquis Ioannis gestis in eius vita ad annum 1579.

Purgator.

PETRVS VELLON COAD.

Belga Hui. 16. Septēb. 1636. ætat. 38. Soc. 19.

Hispanus Compluti. 17. Septēb. 1601 ætat. 60 Soc. 34.

LApicidæ artem etiam in Societate ita exercuit, vt orandi studium cum sui afflictatione assiduoque labore sanctè coniungeret. Multas noctes dũxit peruigil in orando: & cùm dormiendum erat, humi se abiiciebat, saxo pro ceruicali vsus. Ter in se verberatu tã sæuo animaduertebat quotidie, quasi petram percuteret. Antequàm diuino sacrificio adesset, iam per tres horas noctu orauerat: & vesperi non priùs humi ad quietem capessendam se collocabat, quàm duas horas orando implesset. Cum verò laborare per festa non licebat, toto antemeridiano tempore sacrificiis intererat: post meridianas horas autem precandi studio dabat sine tædio; licèt legendi planè ignarus; decem facilè horis orando transmissis: idque de genibus adeò vt illa in callum induruerint. Hinc ad se perdomandum victor sui prodibat; & talis, in quo nihil quod reprehenderes reperires. Matutinæ sub Aurora orationi vacantem apoplexia extinxit.

Oratio.

Mortif.

Charitas.

Mors.

Lectio spiritu.

Carcer.

ROBERTVS CARD. BELLARMINVS.

Italus Romæ. 17. Sept. 1621. ætat. 79. Soc. 61.

IN Italia, Belgio, Gallia, magno virtutis, ac doctrinæ nomine illustri famâ claruit. Anno 1599. à Clemente 8. (anathemate interposito, ni pareret) Cardinalium adscriptus est Collegio, cum hoc elogio: Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam; & quia est nepos optimi & sanctissimi Pontificis. Marcellus II. is erat è cuius sorore natus est Bellarminus. Experimento didicit, se quæ petebat à Deo, impetrare. Dolorem dentium petiit, vt experiretur quid esset; impetrauit: petiit liberari; liberatus est. Ipsi testes oculati Patri Recupitò retulêre, Bellarminum Capuæ ad suas oues dicentem, conspectum esse luce quadam circumfusum adeò vt oculos in illum non possent intendere. Quotannis ad vnum mensem in Tycinio Romano exercitiis vacaturus secedebat. Virginitatem perpetuam circumsepsit sensuum custodiâ, cibi, ac potionis parcitate, orandi studio ferè citra euagationes attento, ac suæ conscientiæ curâ quam maxima, etiam ad venialia omni studio constanter adhibito euitanda; euentu felici. ad officium canonicum addebat etiam officium B. Virginis, & defunctorum: & post prandium secreto solus inambulans, aperto capite, Christi & B. Virginis, coronam recitabat. Moriens, Cor, IESV, & MARIÆ transcripsit: & duo illa nomina sæpissimè (aliqui aiunt trigesies) repetiit. Ea, quæ admirationem habent, in eius vita videri possunt.

Oratio.

Conuic.

Exercitia.

B. V.

Mors.

P. RVDOLPHVS CORBÆVS.

Hibernus Londini. 17. Sept. 1644. ætat 47. Soc 20.

HVius & Pater, & duo fratres Societatem ingressi sunt, matre cũ duabus filiabus ordinem S. Benedicti professâ. Celebris fuit Rudolphi virtus ab admirabili rectione linguæ meditatè loqui, & prudenter tacere scientis. Per annos 12. clam in Anglia pedes concursans omnia, laborauit; & 18. Iulij 1644. ferè in sacro deprehensus, non negauit quis esset. Patibulum suauissimè exosculatus est amplexu tenerrimo. Vicecomes 17. Septemb. disertè affirmauit ei hoc die moriendũ *quod plures ad Ecclesiam Romanam seduxerit.* Aderant ad patibulum Sacerdotes qui illum, & Ioannem eius amicum pari de causa cædendum, dato ab illis pœnitentis animi signo, à peccatis absoluerent. Ita suspensi: tum secti in partes, eo die quo Gerardus Corbæus Rudolphi Pater ante septem annos in Societate de vita migrârat.

Lingua. *Fides.* *Fides.*

XVIII. DIE SEPTEMBRIS.

P. IOANNES MVLHVSINVS.

Germanus Treuiris. 18. Sept. 1609. Soc. 24.

PRudentiâ & charitate fuit insignis. Treuirensi vrbi, & Collegio, quod regebat erat carissimus; eoque acerbiùs tulêre immaturâ morte ac apoplexiâ subitâ sublatum. Hoc in illo minimè omittendum, quòd cùm Romam tunc adhuc hereticus appulisset, vbi Summum Pontificem vidit, ac diligenter aspexit, agnouitque hominem verè esse; non verò monstrum, seu bestiam infandam (id quod à suis heterodoxis magistris audierat) repentè lumine celesti perfusus manus veritati orthodoxæ dederit, postea Societatem quoque amplexus.

Fides.

ANTONIVS DE CAMERA. COAD.

Belga. 18. Sept. 1621. ætat. 56. Soc. 30.

DE somno sæpè partem decerpebat, vt se ad SS. Eucharistiam aptiùs præpararet. Bona desideria in oratione concepta, in libello adnotabat, & diebus Dominicis vesperi legebat, vt illa menti altè imprimeret. Mortis memoriam sibi manè quotidie dum surgeret reuocabat in mentem. In hebdomadam totam distribuerat mysteria Christi passi, Sanctos tutelares, virtutes nobiliores. Silentium, ac tempus illi charum erat; ne quid ex alterutro malè efflueret. Vota in sacro quotidie instaurabat: fœminas nunquam visebat: & si alloqui eas necessitas postularet, oculos humi semper defigebat; idque constanter, etiam cùm per ipsos 28. annos gereret officium procuratoris: per quos omnes annos nunquam turbari est visus pacatè semper idem, ac sibi simillimus.

Euchar. *Ment.* *Castitas.* *Modestia.*

P. IOANNES SANZIVS.

Hispanus Valentiæ. alij ponũt 17. 18. Sept. 1617. ætat. 71. Soc. 51.

TOtus erat in artibus humilitatis excelsæ, cuius aciem nulla sublimia officia hebetarunt. Etiam cùm Prouinciæ præesset, nihil de communi disciplina, nihil de sui afflictatione, nihil

Humil. nihil de officiis humilibus omisi t aut remisit. Assiduus illi sensus perennabat dulcissimæ pietatis. Etiam 70. iam annos natus, primus ad manè surgendum, ad verrendum primus erat. Seu præesset seu subesset, nullius operam ad purgandum, vel componendum suum cubiculum admisit vnquã. Tota supellex cubiculi hæc erat: lectulus, *Paupertas.* mensa, sella, ligneus Crucifixus, B.V. imago è charta præter hæc nil aliud admittebat. Sabbato ieiunabat honori *B.V.* B.V. & lances tergebat semper, etiam senex. Pauperibus distribuendi *Humil.* sportulas curam ipse susceptit: & id perdiligenter, piè, ac de genibus faciebat, vt Christo se seruire meminisset. Mortuus reliquit post se opinionem admirandæ virtutis. Omnis literaturæ humanæ ac diuinæ (sed mysticæ potissimum Theologiæ) fuit eximiè peritus. Rectæ intentioni ad Deũ creberrimis aspirationibus dirigendæ *Intentio.* adeò assueuerat, vt particulatim singula, etiam minima, redderet pretiosa semper actuando, vt ita dicam, seu mente aut etiam ore singula referendo ad maiorem Dei gloriam. Miræ teneritatis fuit in spiritualibus exercitationibus. Ante mortem, cùm nihil adhuc subesse periculi videretur, impensè petiit, ac tandem obtinuit, extremis mysteriis communiri, & ad singula ipse respondit æquè atque si ei valetudo constaret. Iam vnctus, Hæc, inquit, ergò peracta sunt: & corpus componi petiit, ac mox vixit.

Fides. *Fides.* *Euchar.* *Mund.* *Mors.* *Castitas.* *Modestia.*

P. IOANNES FAGOT.

Lotharingus Metis. 18. Sept. 1657. ætat. 77. Soc. 56.

PIè semper ac modestè hilaris, adque labores tam promptus quàm idoneus fuit. Lutetiæ, alibique magno cum fructu auditus est per annos ferè sex & quadraginta. Infensus illi dæmon in exorcismis energumenæ cuiuspiam Nanceianæ minatus est, se breui eum rubore suffusurum. Respondit Fagotius; se illius viribus vires Angeli sui custodis oppositurum. Non ita multo post in oppido Sammiellano concionem exorsus, fallente memoriâ nihil habebat quod diceret. Quocirca rogauit Auditores vt pro quodam afflicto preces tantisper funderent. Orante concione, mox illi memoria fidelis rediit eorum quæ illi obliuione planè exciderant. Id operâ dæmonis factum fuisse vt obliuione illâ turbaretur, illud indicio est, quòd cùm perplexus hæreret, eodem tempore dæmõ Nanceij palàm insultans dicere sit auditus: *Nunc malè est Fagoto.* Hic fuit qui P. Carolum à Lotharingia exercitiis excoluit cùm ille animum ad Societatem adiecit; eumque ad tyrocinium Romam duxit.

XIX. DIE SEPTEMBRIS.

P. NICOLAVS MAGNIENVS.

19. Septẽb. Gallus Lugduni. 1612. ætat. 42. Soc. 24.

RHetoricam, Philosophiã, Theologiam ita docuit, vt ab ingenio & virtute ab omnibus laudaretur & amaretur. Nec vllus illum despiciebat, nisi ipsemet se ipsum: optabatque in infimæ classis disciplina tradenda emori. Non solùm nunquam vllo dicto verbulo se laudauit, verùm nec vllo suæ laudis vmbram præferente sermone est delectatus: & in morte

Hispanus Valentiæ. alij ponũt 17 18 Sept. 1617. ætat. 71. Soc. 54.

Humilit. dixit se omnium eorum, qui vnquam istic fuissent mortui, deterrimum, eoque suffragiorum maximè indigum esse. Modestia illi splendebat in vultu, & mirè omnes alliciebat. In cubiculo nihil quod valetudo tenuior aliàs postularet admisit, nihil quod ornatum saperet. Romam iturus, id pedes fecit; & pedes rediit; licèt superiorum illi charitas ad viaticum non deesset. Denique tale fuit, Nicolai & ingenium & virtutis laus, vt è vulgari hominum numero peculiari quadam eminentiâ sit secretus.

Iter.

P. ALPHONSVS GIANOTTI.

Italus Bononiæ. 19. Sept. 1649. ætat. 53. Soc. 34.

CVm in tyrocinio haud satis flagranter pro nouitiorum consueto more se virtuti religiosæ dederet; repentè in meditatione quadam adeò exarsit, vt alius ex illa planè à se ipso redierit. Pro alio nouitio se pœnę reum aliquando stitit, licèt culpæ affinis nõ esset. Nec deinceps per omnem vitam laxauit oculos primâ illâ modestiâ circumscriptos, nec refrixit animo flammis cælestibus tunc accenso. Multi ad sancta sanctè succensi sunt viso Alphonso; dicebantque vidisse se in illo quid spiritus feruor esset. Ad regendum Bononiense Collegium debuit obedientiæ præcepto compelli; & rexit exemplo magno, nihil suo vel honori, vel commodis vsquam indulgens. Virginitatis gloriam humilitatis industriâ, orandi assiduitate modestiâ, abiectis officiis, ac sepè rudi è tela veste ornauit. Sæpè ieiunio se macerans, Bacchanalibus, id est publicè gulæ reis temporibus, non semel totos dies ieiunus traduxit. Vindicatæ alienæ pudicitiæ præmium tulit, quando ab iis, quorum libidini illam eripuerat, ligno percussus, per scalas actus est præceps.

Tapor. Meditatio.

Modestia.

Castitas.

Mortific.

Quandam etiam sanguine dæmoni authoratam, in auream libertatem asseruit. Iusserat Alphonsus molestum illum dæmonem ad se mitti: sed dæmon fremens, sibi in Dei seruum potestatem esse negauit. Cùm præesset, suum è lecto stragulum, alio non admisso, ad pauperem tegendum misit.

Dæmon.

P. IOANNES DE HERRERA.

Hispanus Marchenæ. 19. Septēb. 1636. ætat. 85. Soc. 64.

CVm instinctu cælesti se ad Societatem vrgeri aduerteret, neque tamen se satis expediret, teneriore quàm in causa tali par erat matris amore deuinctus, tum demum subactum sibi animum sensit, quando è pia quadam Christi columnæ alligati effigie audire sibi visus est hasce voces: *Yo como deie la mia? Et ego quomodo reliqui meam?* adiectis Latinè, etiam hisce verbis: *Faciam te in amorem magnum.* Societate initâ per 4. annos nihil cælestis roris persentiscere sibi visus, viuebat corde arido ad diuina. Sed post æneum cælum, totum factum illi est melleum, tantis deliciis delibuto, vt etiam fama sit illum certiorem redditum peccata sibi esse dimissa. Miro erga Deum amore se vri sentiebat. Vnde promptus ad pericula omnia proximi lucrandi causâ prorumpebat, quicquid esset ferēdum incommodi. Cùm Collegiis præesset, se ad gestandas portæ claues ianitorisque officium, ad infima culinæ obsequia demittebat; exibat comes Patrum ad ægros iuuandos euntium. Vt Deus iis qui animabus ad fidem adducendis dant operam adiutor adesset; multis precibus, & assiduâ sui afflictatione agebat. Totus nobili quodam ardore inflammatus, indies in diuino amore crescebat, vique ad mortem; in qua ei Deipara se illi adfuturam dicitur promisisse. Vnde

Vocatio.

Amor Dei.

Humilit.

Zelus.

Iter.

B.V.

Mori. de moriens Patrum cuidam qui aderat discrètè dixit: *Si mi Senora mi llama, vamos.* Si me mea Domina vocat, eamus. Fama est, Deum per illum in vita & post mortem quædam non ordinaria operatum.

XX. DIE SEPTEMBRIS.

IOANNES MENDOZA. NOVIT.

10. Sept. Hispanus Marini 1556 ætat. 27.

PEtri Marchionis à Valle filius & Castello nouo seu arci Neapolitanæ præfectus, magnâ maiorum munerum spe, ac lautis quæ cum dote opima offerebantur nuptiis posthabitis, impetratâ à Philippo Rege potestate, Societati animum addixit: quo tempore dum moras inuitus trahit, totis moribus ita est mansuefactus, vt Adolescens Mahometanus eo exemplo permotus Christianam fidem sit amplexus. Romam ad Ignatium conuolauit Ioannes; & inter Nouitios glorioſum duxit se ad infima quæque abiicere. AD uce Palliani visitatus, è culina ita vt erat linteo præcinctus prodiit, amplexumque accepit. Verùm per sex ferè menses his intentum valetudo defecit ob quam dum Neapolim Româ vehitur, (condito priùs testamento, quo sua omnia peitati transcribebat) in villa marij quæ *marinum* dicitur, propè Tusculum 12. Kal. Oct. decessit è vita, obediens vsque ad mortem. Romæ conditus apud Professos. Ante iter iam se generali confessione expiârat, & pridie diuina mysteria vsurpârat; bis quotheb domadis diuinâ Eucharistiâ refectus, & admirabili lætæ conscientiæ pace tranquillus.

Vocatio.

Exemplum

Humil.

Itur.

P. FRANCISCVS CARDOSVS.

Lusitanus Vlyssipon. 20. Sept. 1604.

PRimarum partium Concionator cùm esset, maluit tamen catechesim apud rudes pueroſque tractare, arundinem suam ostentans, ac dicens; plures se cælo addixisse sceptro illo quàm concionibus quibuscumque. Sed & mors illius documento magno fuit quippe is, qui heri ad lachrymas plurimorum de mortis insidiis, ac filio viduæ in Naim, ita dixerat, vt vix vnquam melius dixisse sit visus, qui post meridiem in catechismo suspensum tenuit confertissimum auditorem de morte item disserens affluenter, hoc die manè piæ lectioni affixus, mortuus est repertus. Quid tunc legerit, particulatim explicuit Procuratorum Patrum quidam inde Romam appulsus, è cuius testificatione sunt illa de Cardosi morte in pretiosis occupationibus mortuorum: P. Franciscus Cardosus in Lusitania Concionator dicendi gratiâ præstans, at virtute præstantior; in Vlyssiponensi Professorum Domo ab ædituo illum ad sacrificium celebrandum euocante mensæ suæ in cubiculo assidens mortuus est repertus. Acciti alij reperêre illum porrecto in apertum librum (erant Biblia, vel missale) digito impressa istic hæc verba monstrantem: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Exequiæ illi tanto gemitu factæ vt nihil simile vnquam viderit Olyssippo. Symphoniacorum quoque Sodalitas ab illo erecta

Lectio.

Mors.

inferias

inferias illi fecit celebritate Regibus pari. Aiunt, fuisse qui è dolore morbum & mortem contraxerit; & omnes ferè insidiosæ mortis metu perculsos, conscientias expiasse. Dictitabat & ipse; non in lecto se, ignauâ morte, sed stantem, moriturum.

P. IOANNES BAPT. CECOTTVS.

Italus Romæ. 20. Sept. 1640. ætat. 84. Soc. 68. *Silentium.*

SS. Iesv nomini tenerè addictus, illud manantibus ab amore lachrymis pronunciabat. In Collegio Romano per annos 40. & amplius non nisi semel in die refectus est. Gaudebat ita se abdere in cubiculum, vt ignoraret quid foris ageret Roma, vel mundus. In meditationis apparatione quartam horæ partem, aliam item quartam horæ partem in præuidendo sacro ponebat. In Societate nunquam meminit se vel venialem noxam deliberato studio commisisse. Perennes illi manabant ab oculis lachrymæ facili quauis occasione effusæ. Aiunt eum per annos plurimos pedem nunquam è Collegio extulisse.

Veniale. pecc.

P. HENRICVS HVISKENIVS.

NOn nisi de Deo illi lubebat loqui: atque vt ne verbo laberetur, timebat horas colloquio destinatas. Quocirca illas addiscendis linguis variis impendebat. Latinè Germanicè, Italicè, Hispanicè, Gallicè quin etiam Hebraicè loquutus est, iactis & Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, fundamentis. Ante initam Societatem à malæ notæ fœminâ venenum sibi propinatum vbi sensit, S. P. Ignatij imaginem stomacho applicuit, ac toxici vim infregit. In Societate quoque acutissimos ventriculi dolores, eiusdem sancti effigie ventriculo admotâ feliciter tranquillauit.

Germanus Dusseldorpij 20. Sept. 1645.

Lingua.

S. P. Ignat.

XXI. DIE SEPTEMBRIS.

CELSVS FINETTVS SCHOL.

21. Septēb. Italus Romæ. 1597. ætat. 23. Soc. 6. *B. V.*

MAgnæ pietatis puriqúe candoris, & egregiæ expectationis adolescentem hunc vocat Romanum Collegium; addens illum cultui matris Virginis præcipuè fuisse addictum à qua etiam visâ, mortem sibi, & salutem certò prædictam narrauit, diem quoque purgantium pœnarum in quadriennium finitam nunciasse; adiecisse insuper B. Matrem, M. Antonium Ridolphinum breui secuturum. De hoc dicam 12. Octobris.

Mors.

ANTONIVS AMBROSIVS. COAD.

Hispanus Angelopoli. 21. Sept. 1599 ætat. 41. Soc. 6.

MAnè luce dubiâ in remotum ab arbitris locum secedebat, vt se more consueto verberaret sacræ, synaxi hac industriâ sese paraturus: & è fornice in templum quod tunc ædificabatur cecidit. Nudatus, cilicinâ veste indutus apparuit. Sibi deinde redditus, & sacris mysteriis communitus excessit.

Mortis.

P. AN-

P. ANGELVS SIBILLA.

Italus Caltagirmæ. 21. Sept. 1611. ætat. 72. Soc. 59.

ANgelus Siciliæ est habitus modestiâ, virginitate perpetuâ, mirabili orandi vsu singularis. Per 18. annos docuit; aliis præfuit, & quidem per annos 30. Nouitiis; exemplo, peritiâ, lætitiâ, sui afflictatione spectatus. Nunquam vllam se affligendi, aut vincendi artem docuit vllum, quam ipse non exercuerit. Agno Dei seu cerâ benedictâ extinxit incendium; & suam quoque mortem probè adhuc valens ex vero prædixit. Plura de illo in vita.

P. IOANNES AMADEVS.

Gallus Romæ. 21. Sep. 1620. ætat. 43. Soc. 26.

ATtentissimi quique in illum oculi nihil in illo quod reprehenderent, inuenêre; adeò sine felle, cautus in verbis, exquisitus in accuratione domesticæ disciplinæ vixit semper. Christi dolores meditabatur tenerè atque ardenter. inde illi heroica quædam patien tiâ inter dolores. Virgini cuidam piissimæ, se ipsum sed nomine tacito, commendârat. Illi pro Ioanne oranti Christus apparuisse dicitur quinque funiculis (quinque vulnerum indicibus) Ioannem trahens in cælum, & dicens: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.* In morbo cùm phrenesim timeret, iterum pro illo, id petente, orans illa virgo vocem accepit, quæ dicebat: *In pace in id ipsum dormiet & requiescet.* ita factum non sine magna post se relictâ opinione virtutis ordinariâ maioris.

Patient.

Morbus.

Funiculi.

Mors.

Christi vulnera.

XXII. DIE SEPTEMBRIS.

P. PETRVS RIBADENEIRA.

22. Septēb. Hispanus Madriti. 1611. ætat. 81. Soc. 71. alias ponit 1. Octob.

HVnc tunc adhuc puerum ob indolem præclaram Societati necdum confirmatæ adiunxit S. P. Ignatius, quem postea in Beatorum numerum ritè relatum videns Petrus, mortuus est incredibili plenus lætitiâ: & cùm à moriente Prouincialis, ac Socij benedictionem postularent, nec ipse loqui posset; digitum in B. Ignatij imaginem intendit, significans, illam ab illo esse petendam. In Societate missiones obiit, Collegia, & Prouincias gubernauit, Assistentis munere functus est. præclarè de S. P. Ignatij vitâ, de instituto scripsit; & Latinè & potissimùm Hispanicè, scribendi arte præclarus. Habitabat in alto Collegij ne crebrò à secularibus viseretur, cùm esset amantissimus distributi à se temporis atque silentij. Statim atque de lectulo surgebat, osculabatur terram, idemque faciebat à sacro vel aliunde ad conclaue reuersus. Plura de illo in vita ad annum 1611.

Silentium.

Manè.

IOANNES BRIENNE. COAD.

Belga Atrebati. 22. Sept. 1617. ætat 54. Soc. 10.

DVo in hoc sunt præcipua. Alterum quòd hæroum fine vitam terminârit in obsequio lue tactorum:

alterum, quòd ad Societatem impetrandam ad SSS. Trinitatem enixè confugerit, desiderio tanto vt voti religione spoponderit, se si desiderij sui compos fieret, in editum SSS. Trinitatis montem Tornaco Neruiorum imminentem reptabundis genibus euasurum. Et verò annuit eius optatis SSS. Trinitas. Quocirca vt primùm se ad Societatem admissum certior est factus; confestim proiectus in genua sursum ad montem SSS. Trinitatis repens, gratias reddidit sanctissimæ Trinitati.

Vocatio.

SSS. Trinit.

COSMVS
MEACENSIS. COAD.

Meacensis Ximi. incerto mense ac die an. 1595. ætat. 47. Soc. 25.

A Patre suo, & patruo Bonzio ob fidem Christianam susceptam variâ fraude, blanditiis, minis, carcere vnius anni vexatus, euasit tandem, & ex hereditate proscriptus, eâ lubens, etiam dato chirographo cessit, Patrem ac hereditatem cum S. Francisco dicens se habere in cælo Societati adiunctus, magno desiderio atque ardore pro conuertendis aliis laborauit; & quà concionibus, quà responsis datis, plures conuertit. Per annos 14. pro Patre, Matre, ac suis, vt saperent, flagranter Deum precatus, tandem illos omnes, ingenti suo gaudio, Christi lauacro lotos vidit. Gratia Regina Tangi sæpè illum de fide Christiana consuluit, ac tandem veritati manus dedit.

Fides.

IOANNES
YAMA. COAD.

Iapon. Iendi. 12. Sept. 1637. ætat. 67. Soc. 47.

INter continuata vitæ, mortisque pericula Euangelio præstantem suâ eloquentiâ operam per regna Iaponię quaquauersum excurrens nauauit, etiam ab exilio reuersus Macao. In carcere scriptione nobili Iaponibus suis offusas tenebras ostendit: & ibidem permultis profuit ad salutem per annos plures tentus, atque ab optimatibus etiam visitatus, qui explicatam ab illo fidei veritatem perspexêre. Iaponico tandem suspendio è pedibus in scrobem pendens vixit extremùm.

Fides.

P. MICHAEL
PINEDA.

Iapon. Nagasachi 22. Sept. 1633. ætat. 56. Soc. 36.

SOlidarum virtutum exemplis clarus fuit Michaël, multis in patria exhaustis pro fide laboribus postea extorris Manilæ in Philippinis. Inde reuersum cùm exploratores omnibus exquisitæ solertiæ artibus ad necem quærerent, ab eo apud quem diuerterat, metu perculso, non quidem proditus est, sed clam nocte intempestâ, cælo tunc maximè imbribus sæuiente, dimissus è domo. Ab eius noctis incommodis morbum contraxit; quo intra triduum confectus est, cùm ad cruentam mortem toto desiderio aspiraret.

Fides.

XXIII. DIE

XXIII. DIE SEPTEMBRIS.

P. NICOLAVS BOBADILLA.

23 Septēb. Hispanus Laureti. 1590 ætat. 73. Soc. 50.

HVnc egestas Parisiis ad S. P. Ignatium compulit, à quo adiutus primùm, deinde inter socios primus adlectus est. In Italia, Viennæ, Austriæ, ac passim in Germania & Dalmatia doctè vtiliterque Catholicam rem gessit. Episcopatu quoque detrectato, quem illi Rex Fetdidandus obtulerat. Dum ægris seruiret, peste contactus; cùm pro orthodoxis, & virtute variè satageret, in capite vulneratus, ad indusium vsque spoliatus, veneno propinato appetitus, cum morbis variis colluctatus, ex his omnibus ad Apostolicos labores emersit. Romæ in generalibus post extinctum Ignatium comitiis turbarum aliquid excitârat: sed errorem tandem aduertit, serioque resipuit. Pro mortis quiete Lauretum optauit, vt in sinu Beatissimæ Virginis expiraret idque illi euenit feliciter. Fuit vir acri omninò ingenio & zeli ac pietatis pleno. Conscripserat sibi peculiares quasdam pietatis exercitationes in dies aliquot digestas, in iisque distribuit suam vitam particulatim, & postea vitam Christi, atque nouissima. in quibus Infernum considerans, damnatos istic attentè contemplatur, *acsi* (inquit in chirographo suo latino) *viderem eos per foramen aliquod in Inferno.* Descripsit sibi etiam veri religiosi effigiem, qualis esse non debeat & qualis esse debeat: non otiosus, quiete carens, pudens laudis, fugax commodi, superbus ad vitia, canis in dormitorio, columba in refectorio, cæcus in vrbe, suspensus in cælum, mutus in ira, mortuus seu cadauer inter mulieres, rarus in verbis, assiduus in lachrymis, sibi amarus, aliis dulcis, animi sui victor, verus amator. Hæc ex illius manuscriptis.

Fidei.

B.V.

Fidei.

Infernus.

P. GABRIEL VASQVEZ.

IN hoc viro cum summo ingenio summa in legendo, & studendo diligentia eam illi doctrinam peperit quã legimus, quam compluti, & Romæ per 29. annos docuit ingenio, ac diligentiâ Magistro dignâ. Elucebat in illo summa virtus in literatura tanta, vt de illo scribunt clarissimi quique viri, eum *Hispani Augustini* elogio, & aliis laudibus honorantes, apud Gabrielem de Henao de Eucharistia disp. 12. nu. 91. præter alios, Basilius Legionensis, ait. *Vnum Vasquez sibi esse pro mille.* Luisius de S. Ioanne dicit Vasquium esse *Solem Theologiæ, Magistrũ Magistrorum. & Doctorum; virum admirabilem in omni virtutum genere, Angelum vitâ, & intellectu.* Fuit sincerè candidus sine omni fuci aut ambitionis vmbra. Nec minor in illo erga religiosam disciplinam quàm erga studia fuit amor, cùm studiis vteretur pro sanctimoniæ instrumento, non disciplinam domesticam studiis, verùm studia domesticæ disciplinæ accommodans, tanquam, vt dicitur, accessorium principali.

Hispanus Compluti. 23 Sept. 1604 ætat. 55. Soc. 37.

Regulæ.

Studia.

P. AVGVSTINVS CANVS.

Mexicanus Mexici 23. Sept. 1622. ætat. 70. *Humil.*

1. IN tyrocinio excelluit virtute. aliis quoque ad imitandum propositus. In humaniore, ac sublimiore literatura ingenio ac doctrinâ præ reliquis suspiciebatur: ipse tamen adeò paruus erat in oculis suis, vt cùm literis operam daret, in coadiutorum, seu laicorum, vt vocant, catalogum referri voluerit. Eruditione, ac studendi assiduitate fuit mirabilis, & per ipsos viginti annos diuinæ scripturæ libros ità est interpretatus, vt duo Generales cum ad lucubrationes suas typis edendas inuitârint: at ille maluit abiectus esse, atque latere.

Castitas.

2. Illibatæ puritatis suæ nitorem seruabat omni custodiâ, lectione, oratione, corporis afflictatione, animi demissione, ac præcipuâ erga Dei Matrem propensione deuotissimæ voluntatis. Per ipsos quadraginta annos nullum diem sibi præterlabi est passus, quo vnum caput è S. Augustini meditationibus non legisset; vt inde amare Deum indies magis condisceret. Horas plures fixis humi callosis genibus ducebat orando. Quotidie se verberibus inclementer accipiebat: adeò, vt nonnunquam eum humi prolabentem vires destituerint. Pannosæ illi vestes. Nihil ab extrariis ad sua commoda vnquam vel petiit vel admisit; quicquid locupletes consanguinei, familiares, discipulique vrgerent.

Lectio.

Oratio. Mortific.

B V.

3. Deiparæ amore solido, teneroque flagrabat. Eius officium, & psalterium, veluti sui amoris & honoris pensum, recitabat quotidie. Festa eius colebat iciuniis; & exercitatione illius potissimùm virtutis quæ in festo quolibet singularis præ aliis elucet. Scripsit in *Magnificat* Deiparæ canticum, commentarios ingenio, eruditione, pietate refertos. De illa domi & foris, palàm & priuatim disertè ac linguâ mellifluâ disserebat: neque negabat quicquam quod ab illo Deiparæ nomine petebatur. Morti vicinus querebatur coram Dei Matre, se tepidum esse, adeoque ab ea desertum videri: sed illa mox tantâ eum suauitate perfudit, vt videretur sibi cælitum gaudiis interesse. Aiunt, Deiparam ei tunc in mentem reuocasse omnia quæ vnquam legerat de materna illius in suos pietate, atque amore. Tum ille plenus gaudio, eamus, aiebat, eamus ad Deum reuelatâ facie contemplandum. Ad extremum Dei matrem dulcissimis è D. Anselmo verbis allocutus, vixit felix! Cadauer illius octauo post mortem anno integrum, ac velut recens repertum est.

Festa virtutum.

Mors.

P. IOANNES BENTIVOGLIVS.

Italus Romæ 23. Sep. 1651. ætat. 43 Soc. 14.

HIc præter natiuam comitatem egregiâ erga S. Xauerium pietate fuit conspicuus: & mortem obiit singulari Xauerij fauore memorabilem. Imminebat (vt scripsi in annuis) iacentis capiti picta imago S. Francisci Xauerij, quæ, dum æger Patris Prouincialis Romani manu, pluribus de Societate, alumnisque Græco in Collegio (cui præerat) nonnullis præsentibus oleo sacro ad mortem vngeretur, visa est oculos circumferre, ita vt pupillæ nunc in dextrum latus, nunc in sinistrum moueri viderentur: iterumque in altum elatæ spectare cælum: id quod meditatè ac diligenter obseruatum est eò faciliùs, quò spectaculum durauit diutiùs, adeò vt alius alium ad spectandam attentè rei tam inusitatę admirabilitatem inuitârit. Quocirca, præter pictorem vnum, res est plurium

S. Xauerius.

Mors.

plurium oculatorum testium tum de Societate tum aliorum (etiam scripto datâ testificatione) firmata: & ego hæc ab ipsis qui adfuêre accepi.

P. IOANNES CALLANT.

Belga Antuerpiæ. 23. Sept 1625. ætat. 31. Soc. 9.

Mors.

Charitas.

CONtagione in obsequiis charitatis acquisitâ extinctum Ioannem eadem horâ quâ obiit cælum magnâ cum luce petentem vidisse fertur Anna de Iesu monialium S. Theresiæ mater: id quod ipsa monialibus narrauit priùs quâ de illius morte nostri quicquam possent resciscere. Rem Antuerpienses annales narrant.

P. CHRISTOPHORVS CLEZLIN.

Germanus Monachij. 23. Septéb. 1640. ætat. 49. Soc 33.

Italus Romæ. 23. Sep. 1653. ætat. 43 Soc. 14.

Sanctè.

Mors.

A Sueco inter obsides Monacenses abductus, ferè triennio istic arctè crudeliterque habitus, hæreticam rabiem tulit animo æquo, & religioso. Duæ illi virtutes cordi maximè fuêre; humilitas, & charitas erga Deũ. Gymnasio Monacensi præfuit cum pietatis & industriæ commendatione. Pro felici morte illam excogitauit industriâ vt Sanctos in quorum se fidem sæpè, atque ardenter pro illo articulo commendabat, & erga quos ampliùs aliquid fiduciæ dulcioris habebat, in charta adnotârit nominatim, litaniarum in modum, eamque chartam sibi mortuo in os inseri voluerit; vt vel sic suo chirographo, & ore muto testaretur, cupere se illa verbis, & corde, quæ in ore chartaque haberet exprimere, ac opem cœlitum totis viribus implorare.

P. IOANNES WEIS.

Germanus Choinecij. 23. Septéb. 1656. ætat. 76 Soc. 48.

Purgator.

Hebdomadæ purg.

Sacrum.

LIcèt de hoc nihil particulatim, nisi consuetas eximij religiosi laudes, habeamus; habet tamen eius mors illud minimè omittendum; quòd à morte spectabilis adfuerit Patrum cuipiam, petieritque impensè tam ab illo quàm ab aliis Patribus pro se diuinum sacrificium celebrari. id quod vbi religiosè factum, post dies octo eidem Patri, cui ante, spectatus, actis pro nauatâ piâ operâ gratiis, dixit; se post octo dierum, & noctis vnius cruciatus in flammis purgatorij exantlantos, nunc demum felici libertate donatum.

XXIV. DIE SEPTEMBRIS.

P. GEORGIVS FERNANDEZ. ætat. 33. Soc. 18.

P. GOMEZ DAMARALIVS. ætat. 37. Soc. 20.

24 Septéb. Lusitani in Iaua. 1580.

GEorgius cum Aquauiua in Indiam venit: Gomez ante illum cum Valignano: idque se dixit à Deo per Deiparam, quæ Rupis Franciæ nomine in extrema Castella percolitur, impetrasse. Nam peregrinatione votiuâ illuc profectus, quod à Superioribus non poterat impetrare, ibi voti Indiæ adeundæ compos effectus est. Ambo in ea quam Goâ Amboinum instituerânt nauigatione, à Iauensibus, Christi ac Lusitanorum hostibus, vnà occisi sunt, cùm Christianos in naui expiarent.

B.V.

Fid.

P. CAROLVS PHARAO.

Italus Messanæ. 14. Sept. 1591.

HVic Societatem toto desiderio optanti, & ne ad eam, iret à suis Domi prohibito, adeoque incluso, tantus id quod optabat assequendi ardor exarsit, vt nocte intempestâ linteis colligatis per fenestram sese demiserit, atque iisdem tectus ad nudum Christum seminudus, nobilis puer, profugerit: parentibus virtutem admiratis, ac benè illi precantibus. Placuit heroicus ille animus S.P.Ignatio. Idcircò illum Romam accersitum voluit Romano in Collegio Philosophicis ac Theologicis erudiri; quæ ille ita didicit vt eadem cum laude docuerit; vbi etiam discipulum habuit Bellarminum, postea Cardinalem tantum. Ad conciones quoque peridoneus fuit fructu insigni. Cùm verò paterna illius domus (è qua ille gloriosâ illâ fugâ sese proripuerat) à Societate fuisset empta, & iam in vsu nostro esset, conrigit P. Carolum in eodem in quo natus erat conclaui spiritum exhalare.

Vocatio.

Mors.

P. FRANCISCVS MARINVS.

Italus Neapoli. 14. Sept. 1592.

HVius nobilitas in Ducibus eius Nepotibus conspicua, non minorem in illo virtutem ac doctrinam ornauit; quippe quem ingenium, & eminens Philosophiæ ac Theologiæ scientiâ commendârit. Repertis Messanæ S. Placidi & sociorum corporibus, cùm disputaretur, an verè illorum ea corpora viderentur, P. Franciscus nocte tertiâ mensis Septembris anno 1588. in conclaui suo, se prolixæ precationi dedit ac, si corpora verè illorum Sanctorum essent, à Deo flagranter, per Sanctos illos, petiit contritionem à vero dolore atque amore, cum tenero sensu pietatis profectam. Impetrauit. Etenim vbi ab orando surrexit vt cubitum concederet, repentinis coortis lachrymis atque singultibus, totum peccatorum per omnem vitam à se commissorum catalogum ob oculos mentis positum particulatim, & manifestè vidit, doloris, & amoris diuini atque compunctionis quam vocamus, morsu sensuque mirabili; adeò vt nox illa tota illi perennibus, & affluentissimis lachrymis mananti fluxerit in amaritudine animæ suos annos recogitantis, atque plangentis: id quod Archiepiscopo ipse retulit, ac ille in tabulas referri iussit. Sic ille sanctorum cultum in id auferendũ quod in nobis Deo non placet quàm maximè conuertit.

Sancti.

3. Sept.

Contritio.

P. IOANNES DE ALMEIDA. OLIM MADA.

Anglus in Brasilia 14. Sept. 1653. ætat. 81. Soc. 60.

PIosephi Anchietæ in tyrocinio discipulus, tantusque postea in virtute, ac patrandis admirabilibus assectator, vt in vtroque diceretur thaumaturgus Brasiliæ Anchieta. In tyrocinio, putridas iumenti plagas curans, collectos ex illis vermes ori ingessit; vt se generosè peruinceret. Illo diuinam hostiam in sacrificio eleuante, sparsi humi circumquaque palmarum, & aliarum arborum rami, (vt fertur) subsilire sunt visi. Varia illi horridaque cilicia, sacci, disciplinæ è ferro, setis, funiculis, loris. Nec vllum diem abire sinebat quo in se non sæuiret. Vino nunquam vtebatur. Fer. 2. v. & Sabbato nihil omninò cibi sumebat. Fer. 3. non nisi pane & frigidâ reficiebatur: feriâ vi. Societatis more primùm abstinebat: postea verò nihil admittebat à feriæ v. prandio vsque ad prandium

Victoria sui. Sacrum.

Mortific.

dium diei Dominicæ. Catholicorum contra hæreticos victoriam ope Deiparæ referendam, ex vero non semel prædixit. Fuit opinio illum cum Deipara loqui auditum, illâ ei disertè respondente. Inter orandum visus est nõ semel corpore à terra in cælum eleuato. Absentia dixit, futura prædixit. Cùm obtrectatores quosdam rogaret, moneret, obsecraret ne alienæ famæ detraherent; illis ad hæc surdis, tanto animi dolore æstuauit, vt plures viderint illi tunc è fronte cruentas sudoris guttas defluxisse vsque ad terram, & in genis concretas aliquas perstitisse. Sceleratus quidam Sacerdos in itinere, Ioannis se in conclaui dirè tunc verberantis (cùm ille turpe flagitium moliretur) miseratione tactus, à scelere illo abstinuit, rogauitque Ioannem vt cessaret alienam culpam in se tam diro supplicio castigare. Post eius mortem ritè conscriptæ sunt tabulæ de iis quæ per Ioannem, etiam mortuũ, operatus est Deus: Dedi plura de illo in annuis admiratione publicâ celebrata.

Contritio.

B.V. Oratio.

P. PETRVS DE LEON.

Hispanus Hispali. 24. Sept. 1632. ætat. 87. Soc. 61.

PEr quinque annos integros expetiit Societatem, ac tandem impetrauit. Flexis genibus flagitauit vt Coadiutorum numero adscriberetur. Iuueni qui triduo æger sine sensu mutus iacuerat, dixit: Laurenti, (vt illi nomen) in virtute Christi Nazareni tibi impero vt dicas Iesus, Iesus, Credo. Mox iuuenis sibi restitutus obediit. Duobus ex vero prædixit fore vt illos ad supplicium duceret. Breui capti, & ab illo ducti sunt ad mortem. Adolescentem monuit vt cõfiteretur: fieri enim posse vt breui id velit, & non possit. Postridie repentino morbo prostratus est, & omnis loquendi facultas eiadempta est. Quatuor aliis mortem prædixit, rogans vt contaminatas animas expiarent. Neglexere; & breui repentinâ morte sublati sunt: & vnus quidem eo tempore quo Deũ offendebat. Adeò inclementer se cædebat quotidie vt flagra sanguine imbueret, ac breui laceraret vsu crebro. Etiam extremâ ætate quouis die sabbati se palàm cædebat in triclinio quantis adhuc viribus poterat per ætatem, idque à pluribus fieri peroptabat. si per occupationes licebat; duas horas manè, duas vesperi ducebat orando. Obiit sacras expeditiones, seu missiones facilè sexaginta. Vnicâ concione vndecim mulierculas ad pudicitiæ castra reduxit. Cùm Dux Metimnæ bonam auri vim illi dedisset vt eam in suos domi conuerteret, Petrus Collegio dedit, omnia; dicitque ibi se habere suos & Patrem & Fratres. Nempe his viuebat, consanguineis planè iam mortuus.

Anglus in Brasilia 24. Sept. 1653. ætat. 81. Soc. 60.

Victoria sub. Sacrum.

Mortific.

Zelus.

Mortif.

B V.

Oratio.

P. DIDACVS BARRETO.

Natus in Insula Materiæ 24. Sept. 1652. ætat. 50. Soc. 12.

HVic è Societate auulso, cùm foris ageret dicitur adfuisse conspectus diuinitùs egregiâ specie S. P. Ignatius, & blandè illi autor fuisse, vt Societatem repeteret. ad quam reuersum, nauiterque agentem omnia importunæ iterum de Societate deserenda cogitationes obturbabant. At eum cælesti, vt fama perhibet, aspectu iterum recreans S. P. Ignatius, ad patientiam & laborem hortatus est; futurumque promisit, vt in statione constans persisteret: id quod factum per annos ferè duodecim, quos multis sudoribus glorioso hodie fine optimo coronauit.

S P Ignatè

Vocatio.

Tentatio.

XXV. DIE

XXV. DIE SEPTEMBRIS.

P. IOANNES RODERICIVS.

25. Septēb. Hiſpanus Compluti. 1587. ætat. 72. Soc. 32.

DVos & viginti annos in Miniſtri officio poſuit Compluti, exemplum eius officij egregium. Morem gerebat Rectori; & morem ſibi volebat geri, quà id leges volunt: labores autem imperabat exemplo. Diſciplina in illo arcta: vnde ſeuerus eiuſdem exactor eſſe audebat. Non niſi ſemel induit nouem veſtem, idque P. Prouincialis iuſſu. Nulla nox illi abibat, è qua non decerperet dimidiam horæ partem quâ ſe acriter diuerberabat; plura facturus, niſi plurima flagitanti Rectores Cõfeſſariiq; negaſſent, quibus omnes ſui cordis receſſus pandebat ſimplicitate conſtantiâque mirabili. Petenti, vt ordinariis orandi temporibus manè vnam horam addere liceret, ac veſperi aliam; negatum eſt: & conceſſa manè dimidia, veſperi item dimidia. Dono lachrymarum fuit inſignis: & piiſſimo ingenio ſciebat omnia quæ fiebant in orandi vſum alimentumque conuertere. Inter alia ſpiritus apophthegmata, dicebat idẽtidem; ſeueram à nobis rationem Deo reddendam de tot præſidiis ad virtutem, quibus prouida mater Societas nos aſſiduè inſtituit, & inſtrumenta ſuppeditat. In mortis expectatione, quam vicinam eſſe iam ſentiebat, ponebat aliquot horas quotidie, orans cum lachrymis; & dicens ore læto, ſe ire ad mortem.

Paupertas. Mortific.

Oratio.

Iaculatoria.

Mors.

P. FRANCISCVS SVAREZ.

AVdito ad concionem dicente P. Ioanne Ramirio, animum ad Societatem adiecit, in ea hebes primùm ad philoſophiam viſus, at poſtea ingenio, doctrinâ, virtute omniũ laudibus non impar. Theologiam in Hiſpania, Romæ, in Luſitania docuit; & in luce optimâ collocauit, magnis elogiis celebratus. P. Ludouicus de Ponte visâ eius in diſputando modeſtiâ, & manſuetudine, Societatem amplexus eſt. Quot hebdomadis, ternum idque ſeuerum, ieiunium ſibi indixerat: cùm tamen aliàs quoque valdè parcè ederet. Æreo filo contextum flagrum habebat quo ſæuum in modum ſe quotidie verberabat. Horarum in occupationes partitionem *matrem ſpiritus* appellabat; & aiebat; malle ſe omnium, quæ ſcripſiſſet, quæque ſciret, iacturam facere quàm vnicam conſuetæ in Societate orationis horam omittere: cui horæ, ille manè ſemihoram, & veſperi horam integram addebat. Studebat coram B.V. imagine: coram qua ſupplex illam, in iis quæ difficilia incidebant, conſultricem flexis genibus adhibebat, operæ pretio pretioſo. Diebus B.V. feſtis duas horas ante ſacrum illius allocutioni dabat; cui ſe debere aiebat literaturæ ſuæ omnis opes omnes, feliceſque ſucceſſus. Deiparæ gratiam, & gloriam omni omnium prædeſtinatorum gratiâ, & gloriâ fuiſſe maiorem defendit in Theſibus, hortatu P. Martini Guttierrez; & latè poſtea de eodem argumento ſcripſit: ea propter Martino Deipara coram

Hiſpanus Vlyſſipone, 25. Sept. 1617, ætat. 70. Soc. 54.

Modeſtia.

Mortificat.

Tempus.

Oratio.

B.V.

ram spectabilis gratias amplas agere videri visa est. Horam sacri aiebat esse horam suæ dulcedinis & voluptatis, sine qua necesse sit exarescere spiritum suum Crucifixum permagno amore prosequebatur, è cuius effigie splendidi radij visi sunt vt fama est in Suarij pectus, & caput vibrati erumpere, Suario duobus cubitis tunc in alto à terra pendente. Litem inter Pontificium legatum, & Regios in Lusitania ita composuit, vt Paulus V. Pont. Max. gratias illi per literas idcircò egerit. In morbo plenus desiderio moriendi, illud selectis è psalmis versiculis testabatur; aiebatque plenus gaudio. *Non putabam tam suaue esse, tam dulce mori.* Corpus in capsa cum plumbea lamina sub sacello conditum. Post eius mortem illum coram B. Virgine Angelis cincta flexis genibus, & iunctis manibus supplicem se, vidisse aiebat Hieronymus Silua virtutis spectatissimæ Coadiutor.

Sacrum. *Crucifixus.* *Mors.* *B.V.*

P. GODEFRIDVS THELEN.

PEr iter à Carbani oppidi hæreticis captus, illusus, percussus, tanquam bellorum & Papisticæ idololatriæ (vt illi loquuntur) seminator, ac tandem glande plumbeâ in pectus explosâ traiectus, cecidit in genua, & sublatis ad Deum manibus atque oculis; *Domine,* inquit, *exaudi orationem meam; & non intres in iudicium cum seruo tuo.* Tum in capite, ac reliquo corpore contusus, sauciusque occubuit. In cadauere sex inuenta vulnera ampliora. Cilicium, flagellum, cereum Dei agnum, reliquias (quæ secum per iter ferebat) in ignem abiecêre. In loco cædis postea anno 1625. Carbensis Gubernator sacellum S. Crucis erexit, & omnem cæsi P. Godefridi tragædiam istic depingi curauit. Hanc mortem sic obitam hæc vitæ ratio præcessit. Sacerdotio extremo vitæ anno initiatus, officium diuinum cum otio, & meditatè recitabat. Quotidie coronam Deiparæ tertiò euoluebat, attentè atque flagranter; & SS. Eucharistiæ Sacramento adorando post prandium quartam horæ partem dabat. Ad eandem percipiendam synaxim etiam noctu se parabat, somni parte decerptâ, & Angelo Custode rogato, vt citiùs excitaretur; ad hæc, sui verberatione præmissâ. Post diuinum epulum, vni sacrificio religiosè intererat. Si quis eius nominis ignarus de illo quidpiam loqui vellet: *Ille,* aiebat, *ille Pater qui tam frequenter ac feruenter orare consueuit.* Ludouici de Ponte operibus lectitandis pietatis suæ igniculos fouebat; S. Vrsulæ quoque colendæ; ac visendis eius altaribus, vbi id posset, addictus. Cilicium illi perfamiliare, in scholis etiam, ac in summo æstu. Christi patientis, & Beatissimæ Virg. Matris honori atque amori feriâ sextâ à vino, à cœnâ Sabbato, abstinebat.

B.V. *Eucharist.* *Mortif.* *Lectio spirit.* *Mortific.* *B.V.*

LEONARDVS KRANSCHART COAD.

FVit hic vir obedientiæ, laboris assidui, & patientiæ robustioris laude præclarus. Mortem hoc anno expectabat, eique se parabat, quòd diceret se anno hoc ineunte per quietem admonitum, seu admoneri visum, vt sibi sepulchri locum in templo deligeret.

Mors.

XXVI. DIE SEPTEMBRIS,

P. PETRVS CONTINENS.

26. Septēb. Hispanus 1641. ætat. 82. Soc 59.

SEu regeretur, seu Collegia, & Prouinciam regeret, seuerè se, & habebat ipse, & haberi volebat; etiam publicè, atque coram tyronibus. Vnde, hospes licèt esset, procul arceri volebat cupedias. Ad regulas earumque singulas circumstantias erat perquisitè attentus. Patientiam inter dolores è Crucifixi effigie hauriebat, oculis in illum defixis magno silentio. quæ res chirurgo conscio quid P. Petrus pateretur admirationem & lachrymas quoque vbertim elicuit. Morti vicinus nil querebatur, nisi quòd extremi temporis vsum compendiumque non ita faceret, vt par erat. Suæ linguæ Dominus erat omninò, ad silentium, & meditatè parcéque loquendum: Deiparæ Virginis imagines in ambulacris particulatim singulas salutabat: SS. Sacramento quinque quotidie repetebat illud; *laudetur SS. Sacramentum*: & custodem Angelum item quinquies inuocabat. Rosarium quoddam è puris contritionis actibus recitabat. Animam acturus, B.V. imaginem postulauit, vt coram illa æternitatem iniret.

Morbus.

Patientia.

Mors.

Lingua.

B.V. Euchar. Ang. Cust.

Contritio.

Mors.

S.P. Ignat. Mortific. Mensa.

Conformitas voluntatis cum diuina.

P. FRANCISCVS FABER.

Germanus Oeniponti. 16. Sept. 1655 ætat. 44. Soc. 28.

AS.P. Ignatio pristinæ olim valetudini restitutus, & redditus ad Societatis functiones idoneus, certum precum pensum illius honori exequebatur quotidie. Sunt qui aduerterint mensæ accumbentem Franciscum nunquam dorsum ad parietem admouisse pro commoditate sessionis. Mira in conclaui nitoris cura, sed sobria, citra elegantiæ ostentationem, mira in magistri Nouitiorum, ac Patris Spiritualis munere, atque in aliis accuratio, mira supra quàm dici potest cum diuina voluntate consensio, etiam in arcano illo Dei consilio quo permisit vt P. Franciscī pater desertâ fide Catholicâ fœdo transfugio hæreticus apostata fieret, neque vllis optimi filij per se alioque oblatis sacrificiis, nec datis literis immortalia æternitatis bona, & mala grauissimè expendentibus, aliisque industriæ vndequaque adhibitæ artibus, ad meliora consilia flecteretur.

GASPAR ALMEIDA COAD.

Lusit Bahyæ. 16 Sept. 1654. ætat. 80. Soc. 50.

FVit Gaspar staturâ perpusillus, at in labores quantâ poterat pietate ac virium contentione intentus, vigore mirabili, etiam in corpusculo macie, ieiuniis, aliisque asperæ vitæ curis attrito. Dura cibarij panis frusta, & duo poma illi pro lauto erant conuiuio; cùm pisces, carnes, aut si quid aliud apponeretur, daret pauperibus, obtentâ à superioribus facultate. Totam quadragesimam continuatâ inediâ sine cibo ducere tentanti vires defuêre, cùm tertio die totus concideret. Quotidie se flagris æreæ armatis verberare, cilicio adstringere, noctu ad orandum atque se verberandum consurgere, pro lectulo corio lacero, & saxeo ceruicali vti, vel se humi ad somnum

Charitas. Mortif.

num abiicere, nec linteamina culcitramúe admittere quotidianæ illi artes erant ad virtutem. Si moneretur, corriperetur, plecteretur à stomachosiore quodam Superiore, tacebat. Vt prolixè oraret, malebat sibi de somno multum quàm de labore vel parum detrahere. Viribus iam planè attritis, laboris loco illi fuit silentium, secessus, perpetuaque oratio, & corporis senio licèt fessi vexatio. Diuinum Sacramentum visebat persæpè interdiu, noctes etiam non rarò istic ducens vigiles in oratione Dei. Deiparæ schedam sanguine suo subscriptam obtulit, quâ illam suam coram Deo Patronam optabat, impensè addictus etiam animabus è purgatorio adiuuandis. Coadiutorem ostio præfectum, sed iam ægrum atque depositum, surgere iussit è lectulo, dixitque longum illi adhuc tempus superesse quo adstium pauperibus operam daret. Surrexit ille; & per annos plures curam gessit ostij ac mendicorum. Chirurgi de milite quodam saucio spem abiiciebant; ille verò eum affirmauit cras benè habiturum; idq; ex vero. Illustri fœminæ in extremis preces Gasparis expetenti nunciauit, breui perbenè valituram; & valuit. Pernambucum Catholicis restituendum, & cuidam felicem in Lusitaniam nauigationē prædixit: atque euentus vtrique fidem dedit. Dæmon illum nocte intempestâ orantem, nunc strepitu, nunc minacis viri specie, aliàs verberibus absterrere à precibus nitebatur: at ille perstitit in orando. Plura de illo aliàs. Dignus certè fuit Gaspar cuius exempla in Coadiutorum omnium memoriâ, sermonibusque, ac moribus immortaliter viuant.

Humilit.

Oratio.

S. P. Ignat. Mortific. Mensa.

Euchar.

B. V.

Conformitas volunt. cum diuina.

XXVII. DIE SEPTEMBRIS.

P. THEODORICVS CANISIVS.

Lusit Bahyæ 16 Sept. 1654. ætat. 80. Soc. 50.

17. Septēb Belga Ingolstadij. 1606. ætat. 74. Soc. 52.

PEtri Canisij frater à S. P. Ignatio Romæ ad Societatem admissus, in Germania Collegiis præfuit, vindex acerrimus disciplinæ. Dixerat illi aliquādo Petrus Canisius: Vide, Theodorice, quid tibi mortis meæ nuncius sit allaturus. Dictionem euētus explicuit; etenim Lucernę auditâ super mēsam anagnostæ P. Petri Canisij mortem legentis voce, subito stupore, velut apoplexiâ, diriguit; omni (etiam sui nominis) memoriâ destitutus adeò vt octauum vsque in annum (hoc est vsque ad mortem) nec legere iam nosset, nec loqui nisi duo illa SS. nomina *Iesus Maria*; quæ nobili compendio in reliquorum vicem succesſerant. Hæc enim, quoties vellet, expeditè promebat, & iterabat. Sub mortem tamen illa verba disertè pronunciauit. *Ad calum? ad calum!* & *Iesum* dixit; cui *Mariam* addere cùm inciperet, eum in ipso totam afferendi conatu vita defecit, *Mariæ* nomini verè immortuum. Sæpè Crucis signum fronti imprimebat æger: & aiunt in fronte mortui figuram Crucis in modum fuisse conspectam.

Charitas. Mortif.

Iesus Maria.

Mors.

Crucifixus.

P. PETRVS SCARGA.

Polonus Cracouiæ. 27. Septēb. 1612 ætat. 77.

EPræpositi, Societatis tyro factus Romæ, postea in Polonia inter primores Concionatores facilè primus

mus fuit per annos 30. etiamnum superstes in libris. Magnâ illum beneuolentiâ complexus est Rex Poloniæ Stephanus Batorius glorioſus, plurium Societatis domiciliorum istic fundator. Æger Beatissimæ Virgini Claromontanæ ceræum candidum ipse confecit, misit, & accendi iussit. mox ille accensus est, & vbi ille consumptus ardere desiit, Petrus etiam desiit viuere. Multos viros ac fœminas, etiam principes, ad Ecclesiæ gremium reduxit. In Aula religiosè citra pompã, citra vllum paupertatis, aut religiosæ disciplinæ laxamentum per 24. annos versatus est. Vilnæ ab hæretico alapâ percussus in platea: & aliàs in capitis periculo inter hæreticos non semel versatus est. Anno 1604. 20. Martij, horâ 12. meridianâ Petro desperanter ægro P. Stanislaus Warsuicius olim mortuus apparuit, eundem recreauit: suadereque visus est vt plures quàm vnum vitæ annum postularet. Anno 1610. in Aprili S. P. Ignatius & S. Franciscus de Paula (quem illo mense Patronum menstruum acquisiuerat) illi se spectabiles dedêre per quietem, opem suam illi polliciti. Vilnæ cùm Rectorem ageret, atque abesset, eadem horâ, quâ istic mortuus est murarius Italus quispiam Coadiutor, ei apparuit, dixitque se suorum laborum in Societate exantlatorum mercedem à Deo accepisse.

B.V.

Mort.

Aula.

Fides.

P. Ignat.

Mors.

P. SEBASTIANVS DIAZ.

Lusitanus Conimbricæ 17. Sept. 1616. ætat. 34. Soc. 19.

MAgna in hoc viro virtus, at præstans quædam in energumenis ab iis, qui epileptici sunt discernendis perspicientia eluxit, ac Dæmones eiiciendi felicitas, ita vt facilè 30. sint numerati, è quibus eiecit illos genios infelices.

Dæmon.

P. HIERONYMVS VAN SEVRCK.

Belga Syl uæducis. 17. Sept. 1655. ætat. 59. Soc. 44.

HIc inter ministeria charitatis heroum morte occubuit. quocirca inter heroes & victimas charitatis de illo egi prolixiùs. Primus è septem fratribus ad Societatem venit; & sex reliquos ad eandem exemplo pertraxit. Mens illi ad iratos cuiusuis linguæ torrentes placida, & quieta linguam in officio tenebat. Aiebat enim: *qui cedit vincit.* Vicarius, illius morte auditâ, dixit, perdidisse missionem Hollandicam virum cui parem ipse vix nouerit. Plura vide in heroibus.

Patientia.

Lingua.

MAG. NICOLAVS FRANC. REGINALDVS SCHOL.

Gallus Doæ. 17 Sept. 1636. ætat. 24. Soc. 7.

HVnc Heroum in albo censet Allegambe morte inter obsequia charitatis perfunctum. Hunc, inquit, Deipara (cuius amorem ipse altissimè imbiberat) superioribus annis insigni miraculo iam conclamatum saluti restituerat. Sic ibi. Et verò acceptum diuinitùs vitæ munus in Americanis ærumnis in animarum quæstu volebat impendere Nicolaus, nil aliud quam labores illos desiderio toto spirans. At illorum loco hos adiit; & vitam miraculo retentam charitati generosæ impendit.

B.V.

IOANNES DE BANNOS COAD.

Hispanus Valentiæ. 27. Sep. 1576. alij 17. Sept. *Obedient.*

MAturior ad Societatem accessit. Oratione potissimum in Societate, obedientiâque fuit excellens, vsque ad admirationem. Iussus in scam-

no

no quodam stare dum inde abire iuberetur, oblito superiore qui iusserat istic nocte integra perstitit: cum vestes manè indueret, euocatus, abiit altero pede adhuc nudipes: iussus saxum mouere cui mouendo ne decem quidem Coadiutores pares erant, cingulo suo quo cingebatur illud alligauit, & mouit, vt fama est.

XXVIII. DIE SEPTEMBRIS.

P. PETRVS MARTINEZ.

18 Septēb. Hispanus in Insula Tacaruçurana. 1566. *Charitas.*

VIsâ in Societate mutuâ sociorum charitate, Societatem, à qua fuerat animo alieno, expetiit, & obtinuit. In illa parendi tam fuit auidus, vt non duo tantùm, verùm ducenta officia subire se paratum diceret, si obedientia ita vellet. quare fuit semper, in culina, in naui, ad operas, ad conciones, ad sacras expeditiones aptus & expeditus. In Florida inediam perpessus, dum omnes circum terras lustrat, in illas Euangelium illaturus, è scapha exractus à barbaris, flexis genibus, elatis in cælum manibus, capite clauâ confracto mortem quam optabat, quamque prædixerat, est adeptus. Catharina Martinez, Petri è germano neptis, anno 1615. iam deposita mortem opperiebatur; cùm vocem audiuit, quâ nominatim vocabatur. Ignaræ cuius ea vox esset, ac hærenti; dictum: Ego sum tuus patruus, P. Petrus Martinez è Societat. IESV: Deus meis precibus incolumitatem tibi restituit. Incipe ab hoc die te impensius dedere Dei obsequio: contemne te ipsam, & mundum, & quicquid in eo est; & cessa à litibus. Hisce auditis repentinò se sanam reperit; stupente medico quòd iam incolumis se vestiret, ac cælestis odoris quiddam flagraret in conclaui. Aiunt pluuiam quoque illius meritis, ac valetudinem, etiam aliis, impetratam.

Obed.

Fides.

Post mortē.

Disce à mortuis.

Eruor.

Humil.

P. FERDINANDVS SVAREZ DE LA CONCHA.

Hispanus Mexici mēse ac die incerto 1607. ætat. 80. Soc. 50. *Mortific. Oratio.*

LEgem vitæ instituendæ in hoc S. Pauli compēdium redactam portæ sui conclauis affixit in hæc verba: *Attende tibi, & doctrinæ.* Secundâ noctis vigiliâ è tabulis suis (quæ illi erant pro lectulo) surgebat, & se flagris acriter cædebat; Cruce humeris impositâ ædem sacram petebat; mox horas diuini officij executus, & magnis è cælo deliciis delibutus. quare lachrymarum plenus, illud Xauerij sæpius iterabat: *Satis est, Domine; satis est.* De Deo loquendi magna in illo gratia, peritia, desiderium. Sub Christi morientis ferias eo loco vbi facilè 20. millia mortalium sese flagris cædunt, ille ad eruentam illam concionem stupendo ardore dicebat, cùm impressa eius capiti corona spinea sanguinem è capite profluentem cum lachrymis per ora manantibus permisceret. Cubiculum illi plenum erat crucibus, & ossibus mortuorum. Nocturnis illis flagris non contentus, quotidie se iterum verberabat, & alias atque alias sese afflictandi artes quærebat, vt in illis proficeret.

Morte.

P. FRANCISCVS MACCIADVS.

& P. BERNARDVS PEREIRA.

Lusitani in Æthiopia. 28. Sept. 1625. *Fides.*

SVltano Sequedo Æthiopiæ Imperatore ad Christum adducto, ad ingentem rei Christianæ spem eò proficiscebantur duo hi Patres Goâ. Periter ab Auxa Gurellano Principe Mahumetano, carcere, ludibriis, vinculisque vexati sunt, atque occisi, quia id placiturum credebatur Çabraëli, qui contra Sequedum Abassinæ Imperatorem Christo addictum, pro Schismate tuendo arma ferebat: & sciebatur Patres hos ad Sequedum pro fidei Christianæ propagatione; adeoque pro extirpando schismate, proficiscì.

Thomas Riocan.
Ludouicus Cafucu.
Dionysius Yamamoto. Nouitij.

Tres hosce Seminaria Societatis ad omnem Christianæ disciplinæ normam instituêre. Vnde illi postea Sociis inter labores Euangelij vtiles vbique adiutores, ac periculorum quoque socij fideles adhæsêre. Fuêre aliquamdiu extorres à patria, ob Christi fidem: sed cùm rediissent, ac Patribus comites perpetui adessent, Nangasachi in carcerem coniecti sunt, & (quia id petebant) ritè in Societatem admissi. Cocuræ tandem lento igne cremati sunt; quòd Christianam fidem populis prædicassent. Iapones Cocuræ 1. Sept. 1633. *Fides.*

XXIX. DIE SEPTEMBRIS.

P. IOANNES ROXAS.

29. Septēb. Hispanus Madridi. 1605. ætat. 53. Soc. 37.

B V. Humilit.

S. P. Ignat.

LAudatur à summa in B. V. religione, ieiuniis, & aliis obsequiis cōtestatâ; sed obedientiæ, ac humilitatis exercitatione potissimum; vnde nec reddi rationem volebat si quidpiam imperaretur. Humilitatis officia obibat lubens cùm semper, tum vnâ quotannis hebdomodâ quam totam abiectissimis culinæ officiis transcribebat. S. P. Ignatius ab illo imploratus valetudinem Ioannis, vitio stomachi ad extrema deductam, illi aliquando restituit.

P. FRANCISCVS FOLIANVS.

Rhetus Romæ. 29 Sep. 1609. ætat. 66. Soc. 50.

HVmilitatis, & pietatis studio, etiam sacerdos, aliis sacrificantibus ministrabat lubens: & quicquid in culina, quicquid domi sordium est expurgabat. Flagellis, ciliciis vrticis, æstu, frigore, ieiuniis sæuum in modum se macerabat, vbique in omnes se affligendi occasiones intentus. Promisit, se intra trimestre pro Benefactrice quadam 36. millia actuum mortificationis externæ oblaturum Deo. adeò vsu condidicerat id genus occasionum & quærendarum, & vsurpandarum modum. SSS. Trinitati multifariam colendæ vnicè fuit addictus. vnde multa de illo conscripsit: & à Pontifice obtentâ veniâ, quotidianæ præfationi *Humil. Mortific.* *SSS. Trinit.*

tioni in sacro adiecit illam, quæ est de SSS. Trinitate. Tria illi erant omnia, religiosâ eius numeri obseruatione in vsu communi. Nomen Dei non nisi flexis humi genibus scribebat. Templa, sacella, imagines illi vt fierent procurabat: per octo dies ante, & post festum SSS. Trinitatis, consuetis afflictationibus, & precibus alterum tantum addebat. Festi illius nocte totâ in sacello sacrificali apparatu indutus peruigil stabat ante altare; ac manè incredibili animi voluptate sacrum per horam integram celebrabat. In extincti corde tres flammulæ inuentæ, quæ in vna parte in vnam coalescebant, medico id stupente. Laudatio illius in triclinio habita. Cadauer loculo inclusum cum hac epigraphe: P. Franciscus Folianus Soc. Iesu: eximius SSS. Trinitatis cultor.

Cor.

P. IOANNES DE FONSECA.

Lusitanus in Iaponia. 29. Sept. 1610. ætat. 50. Soc. 32.

ARimæ Iapones multos per annorum 16. interuallum fœcundo sudore conuertit. Hunc demum inedia, & ærumnæ longissimæ atque plurimæ confecêre, cùm tempore exilij Sociis eiectis, clam ipse istic latuit vt Christi pusillo gregi prodesset.

P. FERDINANDVS MONROIS.

Hispanus Limæ, 29. Sept. 1626. ætat. 64. Soc 49.

QVotidie per 5. vel 6. horas orabat: noctu quoque ad id peruigil coram SS. Sacramento prostratus; quo tempore ibidem somno aliquando captus, Christum vidit, qui dicebat; se velle illum docere modum orandi facillimum, sibique gratissimum: vt nempe æterno Patri gratias, & laudes dicere assuescetet pro concesso nobis SS. Euch. Sacramento: à quo tempore voluptas illum suauissima incessebat ad illa sacri verba, *Domine Sancte, pater omnipotens &c.* plurimumque illo orandi modo profecit. Matutinum nocte modiâ in templo reliquas horas suis temporibus accuratissimè recitabat. Per 33. annos ad sacrum se parabat, ita, vt vesperi mediâ horâ de illo mysterio meditaretur; manè ante sacrum sub sacro primo aliâ mediâ: tum sacro celebrando & gratiarum actioni horam vnam dabat: & duo sacra audiebat. Quotidie recitabat officium SSS. Trinitatis, B. Virginis, & cùm in choro præscribitur officium defunctorum: Feriâ v. verò officium de SS. Sacramento; Dominicam orationem, & Angelicam salutationẽ in honorem S. Mariæ Ægyptiacæ quadragies; in honorem. S. Mariæ Magdalenæ tricies; in honorem S. Alexij 34. quotidie recitabat. In S. Vrsulæ ac sociarum honorem suas preces ita distribuit, vt vndecim millium Virginum singulis quotannis oratio vna obtingeret. Festa Sanctorum, quos impensiùs colebat, publicâ in triclinio sui verberatione præueniens. E S. Pauli Epistolis vnum caput quotidie perlegebat ex voto. Extremis sex annis quothebdomadis feriâ II. IV. & VI. non nisi panem & aquam in cibum & potum admittebat. A fructibus penitus abstinebat: cilicium ab anno 1609. gestabat quotidie. Pro quodam, qui confitebatur, & ore linguâque mox tumescente *SS. Mariæ* nomen pronunciare non poterat, in sacro orauit; manus capiti eius imposuit: & ille *Mariam* deinceps expeditè pronunciauit. Coram B. V. imagine orantem fulmen cirumiuit illæsum. Moriens, quicquid pro se offerendum Deo esset suffragiorum, in subsidium animabus Purgatorij testamento legauit, tabulis supremæ charitatis. Mula quâ vehebatur

Oratio.

Euchar.

Sacrum.

Breuiar.

Sacrum.

Sancti.

Lectio.

Mortif.

B. V.

Purgator.

Charitat.

hebatur illum non eò, quò ipse volebat sed ad alium locum vexit & ad portam substitit obstinata. Domum ingressus Pater ægrum illic in agone reperit, & expiauit. Plura in vita.

P. GREGORIVS RVMER.

Hungarus Brunæ 19. Sept. 1617. ætat. 57. Soc. 35.

HVnc inter primores suos ponunt Austriæ, Bohemiæque Prouincia, quas difficillimis temporibus decennio gubernauit, quâ modestiâ, constantiâ, circumspectione, indulgentiâ, prouidentiâ, disciplinâ, erga omnes & ægros potissimùm charitate, quâ in se ipsum seueritate insigni. Hæc omnia particulatim fusiùs laudant annuæ ac elogia virorum illustrium missa è Prouincia Bohemiæ; quam ab Austriaca Gregorius diuisit, ac primus Prouincialis rexit. Diros laterum cruciarus religioso silentio ferebat, & illâ interdum condiebat voce: *ô bone Iesu, ô Iesu bone, miserere.* Franciscus Cardinalis Princeps à Dietrichstein feretrum illius comitatus, sociis officium defunctorum recitantibus se adiunxit. Ferdinandus verò II. Imperator eodem tempore Brunam appulsus audito eius mortis nuncio; multùm indoluit, multùm sibi cum eo viro commodi periisse palàm testatus. Rexit deinde Austriæ Prouinciam perinsigni habilitate ac felicitate, etiam P. Ioannes Rumer Gregorij germanus, de quo dixi in pretiosis occupationibus morientium in Societate.

Superior.

Patientia.

P. ONVPHRIVS SARACVS.

Italus Lanciani. 19. Sept. 1650. ætat. 45. Soc. 29.

ADolescens admodum ad Societatem adlectus, & in ea quatuor vota professus, præter laudes alias, in sacris missionum expeditionibus industriè atque cum eximio animarum quæstu versatus est. Post mortem Octauio Longaretto, & Vincentio de Carceribus Theatæ per quietem spectatus est, vt id iurato chirographo testatur Octauius, quod etiam Vincentij, ac demum Notarij publici nomine ritè firmatum est. Scribit ergo iureiurando id asseuerans. Octauius, anno 1656. post elatam coniugem, sororem, quatuor nepotes, &c. peste extinctos se quoque eodem malo contactum, & lecto affixum, voto in S. Xauerij honorem facto visum sibi per quietem audire ex imagine quæ istic ad lectum pendebat, S. Xauerium dicentem: *Octaui, bono animo esto: nil dubita, iam enim ego tibi obtinui sanitatem.* Inde Octauio maior increuit fiducia, valetudine etiam sensim omnia magis prospera promittente. Deinde quinto ferè post die visum sibi sopito ait P. *Onuphrium Saracum*, qui (vt Octauius in chirographo illo suo loquitur) Apostolico animarum studio, & Seraphico animi ardore inter opitulandum animabus, post glorioso labores in missione Lanciani vitam sanctè finierat, magno virtutis ordinariâ maioris exemplo. Ergò Onuphrius vultu magnoperè hilari, Ne metue, aiebat, Octaui: non moriêre. Nam S. Franciscus Xauerius tibi recuperandæ sanitatis gratiam impetrauit. Ad hæc æger etiam in somno memor P. Onuphrium Saracum ante annos aliquot è vita migrasse; Quomodo, aiebat, ô Pater, id mihi potes promittere, cùm ante plures annos extremum diem obieris? Ita quidem se res habet, respondit Pater: sed Deus Dominus noster mihi potestatem fecit vt ad te venirem, eque certiorem facerem de valetudine prospera tibi reditura; & huius boni nuncij baiulus tibi essem. Atque hisce ita dictis videri desiit, & audiri.

S. Xauerius.

Zelus.

Missiones.

audiri. Cùm autem Octauius æger, iam animo serenior manè de læto eius noctis nuncio cogitaret; ecce tibi adfuit eum inuisens (at ignarus horum) Vincentius dictus de carceribus, qui Octauij filium èbaptismo ritè susceperat: &; Age, ait, alacri animo esto, Octaui: certum est te hac vice minimè moriturum. Hac enim nocte mihi per quietem visus P. Onuphrius Saracus, me securum esse iussit de gratia impetratâ. Quapropter nil dubita te breui valetudinem integram recuperaturum. Ita omninò est, respondit Octauius: certa me spes tenet, sic fore. Nam hac eadem ipsâ nocte idem Pater mihi quoque apparuit, & de eadem re me reddidit certiorem. Ita illi. Et verò spei euentus respondit.

S Xauerius.

XXX. DIE SEPTEMBRIS.

P. MARTINVS LATERNA.

30 Septēb. Roxolanus in mari Baltico. 1598. ætat. 45. Soc. 19.

CAlisij literis imbutus est magnâ ingenij famâ vsque ad laudem extemporalitatis. Braunsbergensium Patrum pietate, doctrinâ, consuetudine delectatus; exemplo sui magistri, se in Societatem dedit 10. Maij. Fuit Philosophus, Theologus, & missionum Apostolus insignis; at planè mirabilis in pœnitentiâ prædicandâ, velut Ioannes in deserto. In Stephani Batorij (inclyti, & rei Catholicæ ac Societatis studiosissimi Poloniæ Regis) castris triennio ad Regem Latinè, ad alios Polonicè dixit; ac vrbes postea præcipuas fructu suique nominis celebritate impleuit; Romæ quoque confectis feliciter negotiis, ad quæ expedienda venerat Regis missu. A Stephani Regis obitu Cracouiæ factus ad S. Barbaram Procurator, subinde Leopoli sociis præfuit. Inde ad Sigismundum Regem accitus in Sueciam, cùm è bello pax affulgeret, in Poloniam reueniebat. Sed nauis quâ vehebatur, ab hæreticis capta omnes Catholicos vexandos exposuit hæreticæ petulantiæ procaciter in Pontificem, & Romanam fidem grassanti.

Zelus.

Missionis.

Exemplum

Dum ergò Martinus orthodoxos suos ad ea probra Christi causâ fortiter toleranda hortaretur, hæreticis innotuit, eum non modò Catholicum, verùm & Sacerdotem esse, atque adeò Iesuitam. Iam designabatur ad necem, cùm procacior quispiam intruso in os illi pane hortabatur vt comedat, breui quod abundè biberet habiturus. Mox exuto, manus dirè sauciant, eumque, inflictis priùs vulneribus, mari mergunt. Ingenium illi fuit mite; sed in diuinis ardens audensque, ac semper cupidum plures ad Ecclesiæ gremium adducendi. Regij Secretarij oratione, tanquam *Laterna Poloniæ* luculenter laudatus est, additâ quoque, ex ore famę ac populi, martyris appellatione. Ioannes Demetrius Archiepiscopus illum pro concione prolixè laudauit. Laurentius Bienczovvski nobilis Polonus 37. annos natus, & de P. Laterna benè meritus, anno 1602. in Tartarorum seruitutem redactus in bello, de tigno appensus, atque instar globi ligatus foueæ imminebat, ne qua elabi posset. Hic persanctè affirmauit, sibi die 7. Iunij Deū, ac Sanctos imploranti, conspectum currum splendidum quatuor equis candidis vectum per mare, sedente in curru P. Martino Laterna radiis glo-

Fides.

7 Iulij.

Post mortē.

rioso. Huic, num se nosset interroganti, respondit Laurentius; nosse: petiuitque quid sibi ea pompa vellet. T ũ Martinus, præmia illa suorum laborum esse dixit, quos pro sanctâ Petri naui exantlasset, in huius vitæ mari ac fluctibus. Equos, quatuor Euangelistarum, atque Doctorum Ecclesiæ probè explanatorum præmia esse ac symbola Cæterùm, num à vinculis absolui vellet roganti Martino annuit captiuus Laurentius; & iussus ab eodem loca sacra Romæ, Cracouiæque inuisere, momento se liberum vidit in cãpo Russiæ quinquaginta leucis dissito à castris carcereque illo Tartarico. Hæc videnti, sed an vera essent hærente Laurentio, aurora exorta est, & ille visis vinculis ad pedes suos iacentibus, quatuor Polonos, qui ante quatuor dies ibidem captiui se fugâ subduxerant, iter per eundem campum facientes agnouit: Romam religiosè inuisit, rem hanc omnem suo confessario P. Matthæo Pakost Pœnitentiario Polono, aliisque iuratus narrauit: & hæc omnia anno 1607. à Iacobo Lauro, cum Pontificis priuilegio, æri Romæ incisa sunt, ac vulgata. Anno 1603. 27. Sept. nautæ cùm Beatissimæ Deiparæ Chestochouiensis honori vota conciperent, vrgente periculo, narrauêre visum sibi P. Martinum in aëre: dixisse illum quis esset, ac prædixisse saluos fore; hortatum denique vt promissa fideles ad Deiparam exequi non omitterent Anno 1607. (vel 8.) Leopoli Mater de filiarum in religioso cœnobio Nouitiarum constantia sollicita, cùm illæ tam corpore quã animo adeò affligerentur, vt seculum repetere omninò in animum induxerint priùs quàm religioso se Sacramento adstringerent; ad notum olim & charum sibi P. Martini nomen confugit quàm potuit dolentissimè ac flagrantissimè, pro ope, in re illâ infamiæ, ac salutis æternæ periculum inducturâ. Postridie illas inuisit, & valentes corpore, animo tranquillato, instituti sui retinentes, ac lætas læta inuenit.

Mort. Cælum. Fidet.

27. Sept.

B.V.

P. ANDREAS PEREZ.

MAgnus operarius, & communi nomine appellatus *ille Pater qui audit confessiones pauperum.* Paupertatis adeò studiosus fuit, vt laceras suas vestes ipse sarciret. A fœmina impudica, morbi obtentu, ad confessionem audiendam accitus, cùm illa flagitium peteret, repetito veteri, nec semel in Societate vsitato plurium exemplo, totâ facie fœdis retrimentis opportunè istic repertis oblitâ se illi stitit, & victor abscessit. Extinctum oculorum lumen illi Beatissima Virgo rogata restituit, miraculo multis vtili. Ipse verò gaudebat se officium canonicum recitare, ac sacris operari iam posse. Circa confessiones ritè audiendas longo vsu tam peritus fuit, vt *Manuale confessariorum* diceretur. Dæmon illi sæpè variè spectabilis adfuit; sed in graui quodam morbo potissimum, in quo ad lectulum bestiæ formidandæ instar illi conspectus, totis viribus illum de spe salutis deiicere nitebatur. Tum ille ad Deiparæ opem conuolauit spei plenus atque fiduciæ. Nec illa defuit Andreæ suo, Etenim cum paruulo in sinu Iesu se illi sistens, illum suauissimè suo aspectu recreatum à magno illo periculo liberauit. Sed & alias tenerrimo illam amore complexus, eam dulci Matris suæ nomine compellabat, & illa Andreæ fauebat vt filio.

Hispanus Cæsaraugustæ 30. Sept. 1603. *Humil. Paupertat. Castitat.*

B.V.

Oculi.

B.V.

Tentatus.

P. VIN-

P. VINCENTIVS MATRESE.

Hic nobilium sodalitij Neapoli præses fuit, eâ dexteritate, ac omnium voluntatum propensione vt perdifficile visum fuerit patrem illi reperiri posse. Aiunt primum fuisse, qui Neapoli 40. horarum preces celebrârit. Dæmonem ex energumeno eiecit, posteaquam illum adegit, vt cantaret: *Deposuit potentes de sede* &c. Per B. V. S. Mar. Magdalenam, S. Dionysium mirè euasit latrones trecentos, à quibus per iter ad necem quærebatur. P. Realinus illi tunc Proregis Catalonniæ Confessario, ac in Hispaniam proficiscenti prædixit, non rediturum; nec rediit. Mirum istud quod addo. Barij anno 1587. Fr. Laurentius de Mola Concionator Capuccinus obiit cum bona opinione viri spiritualis. Hic supremum æger P. Vincentio Matresio accersito, de Societate multa præclara dixit. Antonius Beatillus tunc de Societate ineunda cogitabat. Ei à reduce P. Vincentio, ecquid apud Capuccinum actum esset, quærenti, respondit P. Vincentius gaudio plenus: Dixit mihi de Societate res adeò præclaras, vt si vera sint, verè felices, & beati appellari possimus. Quid autem illud fuerit, narrauit anno 1628. P. Michaëli Terza visitatori Sardiniæ designato. Iussi te Pater (aiebat ad P. Vincentium morti proximus Capuccinus) hac horâ aduocari, vt nunciem quæ mihi Deus nunciare mandauit; nimirum, omnes, qui moriuntur in Societate saluari, & ad cælum ire. Temperare dicti latitudinem volenti Vincentio respondit æger: Pater mi, res ita se habet vt dixit: & Deus mihi mandat, vt dicam; & idcircò te curaui aduocari. De hac re plura pretiosæ occupationes morientium in Societate.

Italus Barcinonæ. 30. Sept. 1607. ætat. Soc. 34.

Eucharist.

Hispanus Cæsaraugustæ 30. Sept. 1603. *Humil. Paupertæ. Castitat.*

B. V. S. Mar. Mag. S. Dionys.

Iter.

B. V.

Oculi.

Vocatio.

B. V.

Tentatus.

P. LAVRENTIVS GODEFRIDVS.

Ad missiones pedestri plerumque itinere proficiscebatur, cilicino cingulo accinctus. Paupertatis amantissimus, laceros calceos ipse sibi resarciebat. Orandi efficacitate ac assiduitate fuit fœlix. Monialem sororem suam longissimo interuallo à se dissitam, & quarto iam anno raucam per literas monuit vt præstituto, quem assignabat die ad recuperandam, si è Deiglo ia id esset, vocem S. Synaxim perciperet: se illo die ad idem impetrandum diuinis mysteriis operaturum. Fecit ille, & illa, quæ constituerant; & priuatim sacrâ synaxi refecta, cælestium deliciarum plena se tenere non potuit quin in lætitiæ vocem erumperet, sanctimonialibus æstum illum & canoram vocem repentino illi redditam esse stupentibus, Rectoris officium per annos plures gessit, magnâ commendatione disciplinæ. Moriens Angelorum turmam sibi adesse dixit: mortuus verò Patrum cuidam apparuit per quietem ac eodem die se cælestem beatitatem adeptum disertè affirmauit.

Gallus Turonibus. 30. Sept. 1619. ætat. 50. Soc. 30.

Oratio.

Mors.

IACOBVS ANTONIVS TACVSIMA.

In carcerem odio fidei Christianæ iectus, ibidem in Societatem adscribi petiit, & obtinuit; vir eloquens, ac præstantis exempli. Viuus felicissimo incendio conflagrauit, ab iis damnatus ad rogum qui in illo, ciue suo, Christianam religionem oderant, & extinguere nitebantur, morte deletis iis qui eam prædicabant.

Iapon Scl. ki. 30. Sep. 1633.

Fides.

P. AMARVS seu MAVRVS MOVREIRA.

Lusitanus ad Goam. 30. Sept. 1639. ætat. 42. Soc. 22.

Fides.

CVm ex incensa ab hæreticis Lusitanorum naui in aquas desiliisset, iique alios adnantes cymbis excíperent, illum è veste Iesuitam, è corona (seu vertice illâ die raso) Sacerdotem esse agnouêre; ideoque non recepêre cum aliis, imò comtis truculenter confecêre.

P. FLORENTIVS VAILLANT.

Belga Bethun. 30. Sept. 1652. ætat. 60. Soc. 43.

SOrtitus animam bonam, quam virtute solidâ exornauit labore in scholis aliasque insigni. Bethuniæ in sua Patria Collegium ære paterno, suâque industriâ iuuit eximiè. Ibidem celeberrimæ S. Vedasti, vt vocant, confraternitatis author fuit: atque item solemnis sacrificij, & supplicationis S.P.N. Ignatij in Collegiatâ S. Bartholomæi Ecclesia; quæ quotannis celebratur Domini câ infra octauam festi eiusdem S.P. Ignatij: cui constabiliendæ annuum eumque perpetuum & luculentum à suis parentibus censum obtinuit.

S. P. Ignat.

MEN-

MENSIS OCTOBER.

PRIMO DIE.

P. THEODORICVS GERARDI.

1. Octobris Belga Viennæ Austriæ. 1558.

SOcietatis ineundæ flagrans desiderio, Romam (suis ne salutatis quidem) profectus, in Collegio Romano is fuit, vt de eo P. Martinus Olauius disertè dixerit: *multas virtutes in multis in Romano Collegio eminere; in Theodorico nullam desiderari* moribus erat facillimis: attentissimus sui custos. Quicquid à Confessario vel superioribus audiebat quod ad virtutum progressum faceret, in libello adnotabat. Germanico etiã Collegio præfuit Rector magnis benignitatis ac prudentiæ documentis. Morti vicinus, ad Theodoricum Canisium, qui illi aderat repentè, concentum, inquit audio Angelicum, carissimè Canisi: comitare me: concentum Angelicum audio. Ad sociorum coronam præclara dixit de vocationis præstantia; & adiecit: si quid igitur vnquam aduersus eam diabolus cogitationis obiiciat, illicò (vt fit in rebus fidei) abigendum.

S. T. Ignat.

Studium proficiendi.

Mors.

Vocatio.

B. FRANCISCVS BORGIA SOCIET. IESV. PRÆP. GEN. III.

Hispanus Romæ. 1. Octo. 1572. ætat. 62.

HVnc vaticinationibus pluribus laudatum & in aula sanctè versatum salutariter perculit Isabellæ forma nuper adorata breui post mortem in cadauere tam deformis. tunc diuinitùs à sanctimoniali quadam visus est ad Crucifixi manum porrigentis, & suppetias promittentis, pedes lachrymari. E prorege, ac demum Duce Gandiæ ibidem Collegij fundator, & postea vniuersæ Societatis bis Vicarius ac (id quod S. P. Ign. de illo prædixerat) III. Generalis factus, humilitate, orandi peritiâ, & assiduitate, asperrimâ corporis afflictatione fuit mirabilis. Purpuram à Pontifice non vno, nec semel sibi imminentem sapienter & fortiter declinauit. Societatem in Europa & Indiis latè sparsit, ac magnis exemplis nobilitauit. Inediâ, flagellis, & assiduis afflictationum artibus carnis suæ hostis fuit. Animum verò quotidiano pœnitentiæ Sacramento, aliquando bis etiam repetito, mirabili cum Deo coniunctione, singulari & ingenioso Deiparæ cultu variè adornauit. Mortis occasio illi fuit longum iter, è Pontificis illum cum legato mittentis mandato susceptum. Humilitatem illius loquuntur eius libri & mores. Illâ, tentantem, & spectabilem non semel sibi dæmonem fugabat, cùm se infra illum abiiceret. Restitutum filiæ dentem, qui exciderat, fluentem è ligno Sanctæ Crucis (quod ipse verum S. Crucis lignum esse dixerat) sanguinem, pulsa illo implorato dæmonia, & alia imitatione admirationeque digna in eius vita recensui ad annum 1572.

Mors.

Crucifixus.

Humil.

Conf. quot.

P. MICHAEL OCHOIA.

Hispanus Syracusis. 1. Octob. 1575. Soc. 26.

MOrbos curandi dono fuit spectabilis, quam ille à Deo acceptam dotem ad curandos etiam animorum morbos transferebat. Post alios Barcinone, alibique curatos, Romæ à P. Ioanne Polanco febres mox depulisse fusis ad SS. Eucharistiæ Sacramentum precibus, fama fuit. Tybure quoque deinde, ac in Hispania plura de illo id genus mira narrantur. Vnde & apud Ognacenses eo nomine clarus fuit. Hinc ille maiore virtutis Deo charæ famâ, & dicendi efficacitate munus Apostolicum exercebat cùm aliquos momento valetudini (benè illis precatus) restituisset qui toto anno ægri iacuerant.

P. IOANNES HARLEMIVS.

Belga Louanij. 1. Octob. 1578. ætat. 41. Soc. 12. *Angelo.*

THeologiæ, ac trium sacrarum linguarum peritiâ perinsignis: at prudentiâ, morumque religiosâ suauitate fuit planè amabilis. Historia nostra eum vocat cunctis perfectæ sapientiæ partibus absolutum. Ægri peste contacti confessionem audienti obrepsit contagio, & inde mors ante quam quartâ ferè horâ ad lectulum Angelum tutelarem sibi videre visus est: & dixit se ab illo acciri; quod ille illorum Patrum ac fratrum precibus dabat, qui tunc, pro Societatis more, quotidianis litaniis in sacello recitandis erant intenti. P. Florentius Boncorstius, vir grauis, & fide omninò dignus affirmauit circa Ioannem dum animam efflaret, in solitum lumen ab sese conspectum.

Mors.

Litaniæ.

Mors.

P. ADRIANVS HORN.

Germanus Coloniæ. 1. Octob. 1655. ætat. 73. Soc. 53.

DE hoc sic habent annuæ literæ: Domum ab ægris vltimò Sept. redux, & catarrho grauis, post cœnam menstruorum sanctorum sortitioni præsens, ei Patri, cuius precibus eo mense palàm (vt istic moris est) commendabatur, se iterum & ipse enixiùs commendauit; alterique valedicens dixit: *Sancti Angeli nos custodiant*: & 1. Octob. manè dormienti similis placidéque extinctus repertus est, læuâ, vt omni nocte assuescrat, Deiparæ corollam tenente. Pietas in illo eximia, comitas item ingenij, puritas (vt haud ex vano est opinio) illibata, conciones Deo plenæ; rectio suauis, prouida, & nec temporum annonæque caritate arctata. Magno fuit emolumento Selestadij, omnibusque domiciliis, quibus præfuit Superior siue Rector, Coloniæ potissimùm: vbi socios in Collegium nouum primus induxit Rector. In exules peregrinos qui bellico tumultu eiecti affluebant, erat amantissimè liberalis, victu, veste, viatico, etiam in re domi angustâ, sed ex porrectâ in Deum nec deceptâ vnquam animi excelsi fiduciâ. Fuit cùm de suis & peregrinis alendis solicitum interna veluti vox audita sperare iussit. Mox ad locupletem, & ægram Virginem euocatus, liberali & opportuno subsidio vltrò adiutus est. Ingenuè fassus est aliquando, quietem se capere non posse nisi meditâdi horam, conscientiæ disquirendæ tempora, & quicquid statum est, omnibus numeris prorsus expleisset. Aiebat occurrentibus, vt fieri amat, occasionibus cùm præesset ac aliàs: quæso, ne lædamus sanctam paupertatem.

B V.

Charitas.

Regula.

II. DIE

II. DIE OCTOBRIS.

P. COSMVS TVRRIANVS.

2. Octob. Hispanus in Insula Xiqui. 1570. ætat 60. Soc. 12.

SAlutato S. Xauerio se accendi totum sensit. Postea Goæ post exercitia in Societatem ab eodem admissus, Amangucij multa hominum millia, & multos Bonzios ad Christi fidem adduxit: multa passus aduersa, & ad necem non semel quæsitus. Fœminam enurgumenã simul baptizauit, simul à dæmone liberauit. Omuræ, Frandi tanta gessit vt Heroës fidei educârit; Regulum Omuræ baptizauit, & Bartholomæum appellauit. moriens triginta circiter. Superstitum Christianorum millia reliquit in Iaponia; id quod illi summæ lætitiç fuit. Amangucij orizâ tostâ, salsis piscibus, & herbis victitauit sine pane, vino, carnibus, lacte, &c. Sed cæli deliciis & lachrymis abundabat, pro sancto habitus in summa omnium veneratione tanquam Apostolus, & omnium Pater.

Baptismus.

Fides.

P. FERDINANDVS ALVAREZ.

Hispanus Abulæ. 2. Oct. 1579. vel 1572.

IN Tuneano bello, illius consanguinei cuiusdam caput globus è tormento explosus abstulit, & ipsum Ferdinandum læsit. inde ad opes, & honores contemnendos coortâ cogitatione, Societatem amplexus est, & Abulense Collegium liberali munificentiâ iuuit. Fuit vir eximiæ charitatis tam in studio animarum, quàm in rectione nostrorum. P. Balthasar Aluarez illum valdè laudabat quòd nihil quantumuis minimum aggrederetur nisi oratione præmissâ. dicebatur; nullum fuisse qui in illum oculos coniiceret, quin piè tangeretur. Illo mortuo, S. Theresia illicò, dato ad nostros breui Chirographo, illos certiores fecit, P. Ferdinandum à se conspectum esse in gloria; & adiecit: *sic honorat Deus eos qui tractant proximos cum charitate.*

Vocatio.

Mors. S. Theresiæ. Charitas.

P. IOANNES LVCENA.

Lusitanus Vlyssiponæ 2. Octob 1600. ætat. 51. Soc. 35.

AB huius ad concionem dicentis ore pendebat concio tanto applausu, vt aliquando finem dicendi facienti omnes acclamârint vt pergeret. Nec minor fuit plausu fructus. In dissensiones aliquando acerrimè dicentis vox quatuor nobiles viros ita seu perterruit, seu mansuefecit, vt illicò inueteratis odiis positis amicitiam totis voluntatibus coluerint. Eadem concio lecta à milite coram duobus viris nobilitate claris, at odio ferreo exulceratis, illos ad inimicitias ponendas flexit. Talis per 20. annos Concionator fuit Lucena; domi etiam patientiâ, piis lachrymis, & in omnes charitate spectabilis.

Pax.

Concio.

P. ALEXANDER HELLER.

Germanus Constãtiæ. 2. Octob. 1611. ætat. 76. Soc. 55.

VIennæ Austriæ illis natus parentibus qui primi nostros istic hospites accepêre: quorum religiosâ modestiâ & pietate animum ad Societatem adiecit; & Romæ ipso S. P. Ignatij morientis die admissus est. Collegiis,

Vocatio giis, Tyronibus præfuit, concionatus est per annos 42. Quamprimùm à lecto vel mensa surgebat, domumue redibat, primum illi negotium fuit SS. *Euchar.* Sacramentum inuisere. Vt confitentibus dies festos daret meditatione non omissâ, nec dilatâ, illam ante quàm è lectulis alij surgerent exequebatur. *Mortific.* Flagellis, ac tunicâ cilicinâ etiam in senio se affligebat; veniâ tamen à superioribus petitâ more maiorum. Etiam post quàm exemptus est à culinæ officiis, illa non omittebat. In se de confessionali tam constans fuit vt per nouem extremos anni menses omninò 12. millia ducentas & sexaginta confessiones audierit. Religionem spirabat eius vultus & verba; mores omnes patientiam, & mansuetudinem seu diceret aliquid, seu taceret. Quarto ante *Mors.* mortem die, sanus tunc adhuc, generalem confessionem instituit.

P. IGNATIVS BALSAMON.

Italus Lemouicis 2. Oct. 1618. ætat. 75. Soc. 57. NE quid è seculi analectis retineret, prophanum Herculis nomen cum Ignatij nomine commutauit. Nouitiis præfuit per annos 16. vir verè famam sancti non morosi commeritus. Semper quidem orabat, sed particulatim præter matutinam horam, vesperi alteram, & extremis annis tertiam, orationi dabat. Orationis illius *Oratio.* materia interdiu erat ferè gratias Deo agere. In orantis vultu flammæ, in oculis lachrymæ visebantur. Inter sa- *Sacrum.* crificandum quoque sublimis è terrâ conspectus est. Quotannis Patrem quempiam deligebat à quo more maiorum moneretur de iis erratis quæ fortè occurrunt, & à nobis ipsis non aduertuntur in nobis. In culina seruire, ad mensam legere, deterrima quæ- *Humil.* rere, nullius pro cubiculo operam admittere, ad punctum omne obedire, solemne illi ac sanctum, etiam quando cum viris primariis loquebatur: mox enim abrumpebat. Ad sacrum ibat, iam sacrificali veste indutus, cùm à Rectore vocatus rediit, vt pareret. Dolores suos multos, & longos læto *Patientia.* vultu *benedictiones* vocabat. Præter se- *Mortific.* uerum in quadragesima ieiunium quothebdomadis inediâ biduî se afflictabat; neque nisi vestitus ad quietem se componebat. Res à Societate gestas datis in Prouincias literis perquirebat, adnotabat, narrabat. Cùm spiritualibus rebus præesset, incredibilis fuit charitas mutua Sociorum: & notatum est omnes eius tyrones in Societate ferè perstitisse constantes. Patres monebat vt expectationem exempli implerent, in oculis aliorum in eos intentorum: nec benè de sacrificio missæ meritum iudicabat si quis semi horam illi non plenam daret, a- *Sacrum.* uarus erga Deum, & reus legis quotidie violatæ. Amorem Dei esse aiebat *Amor Dei.* regularum seruandarum causam & neruum. Ad silentium ceu legum compendium attendebat, & alios hortabatur indignosque aiebat spiritûs deliciis eos qui linguæ suæ potentes non essent, in vna legum plurium violatores. Aiebat, præstare vnum de Societate iuuare in spiritu, quàm plures *Exercitia.* externos. Exercitia vocabat vindemiam S. P. Ignatij.

P. BENEDICTVS FERNANDEZ.

Lusitanus Nágasachi. 2. Octob. 1633. ætat. 54 Soc. 38. HVic à P. Vasco prædictum fuit, fore vt in fidei odium cæderetur. Tulit, fecitque quàm plurima in Iaponia pro fidei felicibus incrementis. Aduersarij ipsi miram hominis eloquentiam, nec minorem virtutum ac morum quàm linguæ elegantiam, in

in eo amabant, atque laudabant. Cùm captum hortarentur, *vt à Christi fide deficeret*, negauit decere id hominem adeò ab ipsis laudatum: datâque illis in libello de fide lucubratione insigni, fidei suæ breuiarium ac tesseram illis explicuit; simul corpus obtulit ad tormenta pro illa fide. Sub imi equo, ceu in triumpho, vectus, ab inuitis at Imperatorem timentibus, ad foueam damnatus est. Depositus de patibulo deinde tamen est; ne tam citò vitâ decederet. At breui postea in carcere glorioſum vitæ finem inuenit. Eodem die ac eadem de causa in foueæ patibulo pendens migrauit victor.

Fidei.

P. PAVLVS SAITO.

Iapon. ibid. 2. Oct. 1633. ætat. 57. Soc. 26.

OBiit athleta felix postea quàm septem dies pependit capite deorsum prono in foueam, sine cibo, sibi tamen præsens, dicensque; se ante P. Benedictum minimè moriturum. Et verò eadem horâ, & ferè momento, vterque decessit. Illud stupendum. Aiebant satellites; se coram istic adfuisse, attentisque auribus accepisse verba duorum illorum cadauerum ad rogum deportatorum, cùm se inuicem Lusitanicè ac Iaponicè salutarent, felicitatemque suam Benedictus Paulo, & hic illi vicissim gratularetur.

Fidei

Charitas.

P. IANVARIVS PISA.

Italus Aquilę. 2. Oct. 1656. ætat. 39. Soc. 16.

IVrati testes affirmant; huic à contracta in glorioſis apud peste afflatos obsequiis luc morti iam proximo admotam S. Xauerij imaginem eas maculas quas medici pedecchias vocant, quæque totam sinistri eius lateris partem ad cor infecerant, velut absorptas penitus abstersisse; ita vt è latere prorsus euanuerint, & in imagine comparuerint velut impressæ, adeoque tum quidem P. Ianuarius conualuit: sed postea, in iisdem obsequiis, heroum morte decessit. Quare & ego de illo inter Heroës ac victimas charitatis ad annum 1656. fusè scripsi: quòd Philosophiam triennio, Theologiam biennio explicuerit; Collegium Aquilanum itidem biennio gubernârit; in celebrioribus, Societatis potissimè, festis duodecim pauperes in Collegio suo mensæ adhibuerit; sibi quoque cibum ac vestes, vt ea pauperibus præberet, detraxerit; templi fabricam magnâ erga Deum fiduciâ nixus mirè promouerit; neminem à se auxilium petentem vacuum abire permiserit, quin eum vel ipse iuuaret, vel alium à quo iuuaretur inueniret. Visum aiunt non semel inter sacrificandum Angelico quodam & augusto vultu in sublime elatum. Somnus illi durus, cùm culcitram rarò ad quietem admitteret; nec vestes exueret, nisi quando inclementer planè se ad effusum vsque sanguinem laniabat acerrimo verberatu. Lue Aquilæ coortâ, ad ægros per feneſtras etiam adreptabat. Duobus disertè de morte sua ea dixit quæ illum extremæ suæ diei non esse inconscium testabantur. Est qui persanctè affirmet; P. Ianuarium vitâ iam functum sibi post mortem ad spectabilem adfuisse, vultu splendido, & pileo aureo tectum; hortatumque fuisse, vt ad diuina obsequia enixè prosequenda perseueranter incumberet: eoque se in concepto erga diuina incitatius peragenda studio confirmatũ. Addunt alij, & probatæ fidei ac oculati testes anno vno ab eius obitu euoluto, corpus eius repertum incorruptum; cùm tamen & locus in quo conditus iacebat, vliginosus fuerit, & arca consumpta. Virginitatem suam tan-

S Xauerij imago.

Vid pag. 537.

Festa. Charitas.

Sacrum. Oratio.

Mortific.

Discendum à mortuo.

Pileus aureus.

Tepidi.

Humil. tâ modestissimi animi demissione ornauit, vt spiritualium rerum præfecto quæstus non semel sit de sua audacia, quòd ausus fuerit sinere vt sacris initiaretur; quâ sancti ordinis maiestate se putabat omninò indgnum.

III. DIE OCTOBRIS.

POMPEIVS CAPVANVS. NOV.

3 Octob. Italus Neapoli. 1588. ætat. 17.

ILlustrissimæ Comitum Proregum familiæ flos nobilis, cùm oblatum, lautum quantumuis, matrimoniũ detrectaret, submissę sunt conductæ fœminę artium impudicarum technis instructæ, vt illum ad sordes condocefacerent. At ille sacro quodam furore plenus illas fugauit; nec videre illas nec audire dignatus. Callum habebat in genibus ab assiduitate flectendi, & orandi: sæpè in medio noctis intempestæ silentio ad precandum surgebat; sæpè cilicio vsus ac se acriter verberans: quibus illę industriis, cum præcipuo Deiparæ Virginis cultu coniunctis, virginitatis thesaurum custodiuit vsque ad mortem. Cùm apud parentem vrgeret, quò bonâ eius veniâ Societati nomen daret; ceu delirus in obscurum conclaue coniectus est. Inter submissos plures, qui eius molitiones interuerterẽt, fuit religiosus nonnemo, qui omnes religiosos, ac se quoque suscepti de religione consilij pœnitere dixit. At Pompeius respondit; eos, ad quos ipse iret, vitæ religiosæ minimè pœnitere. Peruicit omnia; & Societatem amplexus, peregrè vt fieri amat ad Deiparam quæ in monte Virgine colitur missus est. Inde reducem febris prostrauit in mortem piissimè oppetitam.

Castitas.

Oratio.

Mortif.

Castitas.

Vocatio.

P. STANISLAVS WARSEVITIVS.

Polonus Cracouiæ. 3. Oct. 1591: ætat. 64. Soc. 24.

SEnatoriâ nobilitate, obitis ad Turcas Regiis legationibus, & Regiâ, vt vocant Cancellariâ cuius Ptæses erat, clarus, Episcopatu à Rege oblato sed non admisso, Romæ cum aliquot è sua familia in Societatem admissus, B. Stanislai Kostkæ connouitius fuit. Nocte quâ B. Stanislaus obiit semisomni Warseuitio quispiam de Societate in Domo professa dixit, Stanislaum iam esse in cælo: & benè manè Stanislai mors nunciata est. Per totam quadragesimam concionatus est aliquando de pœnitentia, ingenti fructu. Pro re Catholicâ, doctrinâ, exemplo, concionibus mira gessit. In morte à dæmone de fide tentatus at victor, peste apud infectos in eoque obsequio contractâ occubuit. Post mortem postea anno 1604. 12. Martij hora 12. meridianâ Patri Petro Sparga ægro apparuit; & non vnum (vt Petrus faciebat) sed decem annos vitæ, vt à Deo petteret autor fuit. Et verò Petrus nouem annis siuè in annum decimum superstes vixit.

Vocatio.

B. Staniſl.

Pœnitent.

Mort.

Petrus Stopellus. Vide 3. Septembris. alij eum ponunt 3. Octobris.

P. ADRIANVS ARBOREVS.

Belga Cortraci 3. Oct. 1615. ætat. 62. Soc. 38. B. V.

FAcundus, & sagax inter primos in Hollandia operarius. Tribus coronis, & litaniis Deiparam quotidie honora-

honorabat; tria vicissim ab illa petens primò, vt in Dei gratia; deinde, vt in Societate illius auxilio persisteret: denique vt illa extremo suæ mortis articulo benigna præesset. Vt diuina mysteria ritè perageret, omnes actiones eò referebat. Igneas aspirationes vibrabat sæpè ad cælum, quibus ingeniosa amoris erga Deum sui desideria exprimebat, vt infinitum illi amorem deferret. In morbo persæpè conscientiam expiabat. piè lectum aliquid audiebat è psalmis, è Thoma à Kempis. Petiit ad stabulum deferri; vt ibi vbi Christus, natus est, moreretur.

Sacrum. *Amor Dei.* *Mors.*

P. MICHAEL IVLIANVS.

Hispanus Valentiæ. 3. Octob. 1621. ætat. 64. Soc. 42.

AD Societatem venit, nobilis & suauissimæ ac placidissimæ indolis adolescens; quam semper in longa rectione omnique officio retinuit, magnâ obseruantiæ religiosæ perseuerantiâ, præclarâ dicendi gratiâ, missionumque laboribus. Immaculatæ Conceptionis festum, præmisso arcto in pane, & aqua ieiunio, celebrabat; obseruabatque diligenter quicquid ad cultum Deiparæ scriptum ab aliis poterat inuenire: nec vllum Deiparæ festum præterlabi sinebat, cui suas se afflictandi, & orandi exercitationes ingenio pio non adiungeret. adeò in se asper & rigidus, vt eâ in se ipsum sæuitiâ satiari nunquam videretur.

Vocatio. *B. Stanisl.* *Pœnitent.* *Mors.* *B. V.* *Lectio. B. V.*

P. THOMAS VIRINGVS.

Belga Leodij. 3 Oct. 1621. ætat. 56. Soc. 30.

ANte initam Societatem medicinæ Doctor; postea sacerdos apud nos, vir plenus Apostolicæ charitatis, atque industriæ. Ab hæretico suo consanguineo, quem vi argumentorum pressérat, alapâ percussus, alteram genam porrexit. Ab alio impactâ in vultum patinâ exceptus, illi veniam ab aliis petiit sed postea prædixit: Deum iniuriam illam vlturum: id quod breui factum, cùm ille fortunis, & vitâ exutus est. Summâ dexteritate præstabat, in curando melancholiæ malo, in scrupulis eximendis, in peruigilatione apud ægros continua, & vtili: quosdam curauit etiam peste infectos. Denique charitatis erga moribundos, erga reos ad supplicium ductos, erga omnes, tantæ fuit, vt quidam è primorum numero dixerit hactenus Louanij parem illi fuisse neminem, ac fortè nec fore.

Patient. *Charitas.*

P. Vincentius Raimundus. De hoc dixi 4. Sept. Alij eum 3. Oct. collocant.

LAVRENTIVS CHODOROWICZ COAD.

Polonus Cracouiæ. 3. Octobris 1662. ætat. 67. Soc. 37.

1. NE interdiu, orandi obtentu laboribus deesset, nocturnis horis orandi spatia extendebat; & maiorum permissu, noctu cùm medium silentium tenerent omnia, concedebat in templum, ac erat pernoctans in oratione Dei toto tempore post mediam noctem vsque ad diluculum.

Oratio.

2. Demissione animi fuit insigni. Vnde cùm quemdam è tyronibus coadiutorem officio suo indiligenter functum, pro munere suo, admonuisset, ad eius postea genua prouolutus veniam petiit si quid fortè dixisset acerbius quàm par erat. Eadem industriâ nonnullos extrarios quos inter se dissidere audierat, peruicit vt in mutuam gratiam redirent, positâ simultate.

Humilit.

3. Acerbissimo dentium, pediscque dolore vexatus, intimo sensu pietatis diuinæ voluntati se accommodabat,

Patientia.

non solùm nihil quæstus, verùm etiam dolorum grauitatem extenuans. Cùm ægris peste ictis ministraret, permagnum lebetem, cui sustinendo par non erat, euertit; quo casu effusa è lebete feruens aqua totam eius dextram tibiam pedemque miserandum in modum exussit. Triduo toto ita vt erat vestitus dolorem sustinuit, nec vulnus aut inspexit ipse, aut vlli curandum dedit. Triduo post cùm iam rem silentio minimè tegi debere videret, admirationi fuit mira eius in dolore tam diuturno constantia, cuius nobile specimen dedit tum etiam, quando pure concreta omnia in crustam coaluerant, & detractis tibialibus crusta etiam omnis & carnis panno adhærescentis particulæ non modicæ sunt detractæ.

4. Nemo illum iratum, nemo laboris aliquid detrectantem vidit. Nihil sibi parcebat, ne deesset officio. Perpetuum ei erat, vt semper promptum eum reperiret charitas ac obedientia, quocunque quandocunque accerseretur. *Obed.*

5. Supremis annis quindecim, etiam hyeme tam immitti, vt in Polonia esse solet, non nisi nudo asseri, ac vimineæ storeæ incubuit. Habebat statutos dies quibus carne non vescebatur. Sub noctem repetitis crebrò ac sæuum in modum ictibus cædebat se vsque ad sanguinem vbertim effusum. *Mortific.*

6. Amabile Deo, ac iis qui ei ægro aderant spectaculum fuit, quàm tenerè aspiraret ad Deum, ad Dei Matrem, ad cælites, & nominatim ad S. suum Laurentium, seque accusaret supremo in morbo quòd tanti sui herois patientiam tam lento passu, ac frigido sequeretur. Cùm per idem tempus, asseres suos deserere ac in lectulo molliore decumbere iuberetur, fecit quidem ille obedienter imperata, sed non sine perfusis lachrymis quòd cogeretur se habere adeò indulgenter.

7. Cùm lues, plures in Cracouiensi, in qua ipse degebat tyronum domo eripuisset è vita, Laurentius persæpè collucentes ad sepulchra illorum, & alibi faces videre sibi videbatur; ac inter orandum, aliasque audire gemitus eorum quos pestis extinxerat, cùm aliorum, tum verò Gilberti Coadiutoris Nouitij magnæ virtutis; qui post mortem cuipiam conspectus fertur expansis brachiis in igne lucido ardere, velut opem exposcens. Multa tum ipse tum eius rogatu alij præstitêre pro piis illis manibus, à quibus interpellabatur, ac monebatur cùm sanus tum è pede aquâ feruenti perfuso æger, ac demum peste contactus. Singillatim, ac nominatim ab iisdem didicit, & ex voto prædixit, quendam è Coadiutoribus, deinde duos è familia (quos etiam nominabat) se demum omnium postremum decessurum è vita, neque vltra progressuram luem. *Purgator.*

8. A diuino Eucharistiæ Sacramento die S. Michaëlis percepto, aiebat sibi adesse spectabiles omnes illos quos in illa Domo pestis ante illum extinxerat. Quo spectaculo est iterum recreatus die B. Borgiæ post acceptum cæleste viaticum. Quo tempore cùm rogaretur, *an Christum amaret?* Respondit Latinè: *Valdè amo, valdè, valdè, valdè.* Et verè amoris illius ore, ac linguâ loqui videbatur toto illo biduo quo adhuc inter mortales fuit, inter ignea diuini amoris suspiria, quibus ad Deū, ad Matrem Dei, ac Sanctos suos anhelabat. Ait is qui ei viaticum ministrauit de Societate Sacerdos, etiam sibi conspectam coronam Sociorum vitâ ibi functorum, Laurentij latus hinc atque inde cingentium. inter eosdem cum alio quopiam de Societate ipse quoque in templo post mortem coram ara S. Xauerij vultu præ aliis amœniore visus, innuit malum vltra non pro- *Eucharo.* *Amor Dei.* *Mors.*

progressurum: id quod euentus etiam affirmauit. nam licet grassans lues tunc minari maximè ac furere videbatur, tamen repentè stitit, nemine post illum erepto, vt ipse fore prædixerat. Nec semel auditam aiunt post mortem eius velut orantis vocem in templo, choro, cubiculo, vti precari viuus consueuerat. Plura de illo annuæ, ac Rectoris, & aliorum literæ accur atè conscriptæ, quibus luculenter com mendatur veterana virtus Laurentij qui quotidianis exemplis fuit omnibus Cracouiensis tyrocinij sociis perinsignis ad omnem disciplinæ laudem stimulator; & speculum impigritatis, ad Deum totis viribus, ac totâ fortitudine amandum, i nter labores tenerâ orandi assiduitate conditos.

Oratio.

Purgator.

IV. DIE OCTOBRIS.

DOMINICVS DE ONNATE COAD.

4. Octobris Hispanus Cazorla. 1596.

Vocatio.

CVm luculenta domi res illum omnibus fortunæ bonis exutum destituisset; innocens licèt tamen longo carcere afflictus est, donec tandem innocentia viri patuit; & ille libertati redditus, se Societati transcripsit. Orandi ac se afflictandi studium ad insignem in suis muniis diligentiam adiungebat. Mors illi assiduè præ oculis versabatur. Vnde rogatus aliquādo à superiore quid mente tractaret; respondit: Quòd me per pedes trahant ad tumulum: quod à me petatur ratio, seuerè tunc exigenda. Noctu audire sibi videbatur has Angeli sui (vt opinio fuit) voces: *Vita breuis est; labor exiguus est. præmium verò grande est. præparate ad reddendum rationem.* Sæpè illi in ore fuêre illa. *Patientia, diligentia; & amplius thesaurorum.*

Eucha.

Mors.

Amor Dei.

Angelus.

Mors.

PETRVS LE FRANQ COAD.

Belga Mechliniæ 4. Oct. 1617. ætat. 81. Soc. 58.

CHaritate, labore, & in furore hæreticorum Antuerpiam occupantium fortitudine fuit insigni; ab iisdē in exilium etiam relegatus. Iucundum illi erat se omnibus posthabito, aliorum commodis studere, sacerdotum reuerentiâ magnâ & potissimum superiorum quos sub noctem adibat bonus senex, & aquâ benedictâ ab illis aspergi volebat, simulque benedictionem flagitabat. Multis quotidie sacrificiis ministrabat; orandi, laborandi ac se afflictandi assiduitate memorabilis. Vnde, & mors illum in flagranti, quod aiunt, reperit. Etenim 4. Octobris manè pœnitentiâ, & sacrâ synaxi recreatus, ac postea Beatissimam Virginem è rosario salutans, concidit: mox vnctus de vita migrauit; cilicio ad pectus, & circa lumbos morientis reperto.

Fides.

Labores.

B. V. Mortifici

Mors.

P. IOSEPH GVIMERANVS.

Hispanus Valentiæ. 4. Octobris 1620. ætat. 82. Soc. 67.

ERga se contemptione profundâ: erga alios mansuetudine, morum facilitate, charitate ad sacras operas promptâ: erga superiores obtemperandi alacritate præstabat, etiam cum Professis, aliisque præcesset Beatissimæ Virginis imagines domi obuias, flexis, vbi sine arbitris id licebat, genibus salutabat: floribus eleganter or-

B. V.

nabat in eius festis; vt quali quali obsequio illi officium exhiberet. In more habuit, vt à Deo peccatorum veniam enixè quotidie centies flagitaret.

Iactatoria. Contritio.

P. IOANNES DE LAS MISSAS.

Indus Manilanus in Insula Maridduque. 4. Oct. 1625.

REdux 4. Octobris à peracta apud Patres S. Francisci, de eius laudibus concione, à Mauris, ac aliis barbaris ethnicis odio fidei furentibus, explosi sclopi globo interfectus, & capite truncatus est. Inde furor versus in templum, imagines, & quicquid instrumenti sacri repertum est. Ex eius cranio propinatum, haustum, & in cadauer barbaris modis sæuitum est. Iam ab ipsis religiosæ vitæ rudimentis habitus est Ioannes pro homine verè puro, ac sancto; habeturque pro explorata re ac certa, quandam Christi Cruci affixi, coram qua supplex attentione magnâ orabat, imaginem, illi aliquando fuisse locutam. Ea hodie quoque habetur in honore, ac reuerentia singulari.

Fides.

Crucifixus.

V. DIE OCTOBRIS.

P. LVDOVICVS ALMEIDA.

5. Octobris Lusitanus in Iaponia Amacusæ. 1581. ætat. 59 Soc. 27. Hist. Soc. 1583. à 1. 248.

HVnc Societatis Historia nomine antiqui, experientis, & strenui Ecclesiæ Iaponicæ Ministri appellat. Ait familiaria illi fuisse prodigia curationum; cum nullus ferè tam desperatus, tam difficilis ei morbus offerretur, quem ille cælesti potentiâ non depelleret. Dæmon, quòd è corpore puellæ quam annis octodecim insederat, exorcismis Almeidę pulsus esset, Cangoximę quadam nocte in eum insiliens, plagis crudelissimè contusum, in multos dies ægrè trahentem animam reliquit. Hæc omnia Societatis historia. Cæterùm Ludouicus cùm nauis Odoardi Gamæ chirurgus esset, Bungum ad aliquos è Societate Firandum accersendos missus, & ibi spiritualibus S.P. Ignatij exercitijs eruditus ac inflammatus, quinque millia aureorum obtulit pro ephebio educandorũ puerorum quos parentes desertos exponebant; & pro Nosocomio leprosorum, cùmque literas quoque calleret; se Societati addixit, Iaponice linguæ, ac omnis moris callentissimus; laborum verò ac dolorum fame sanctâ semper auidus, atque insatiabilis. In disputando autem, ingenio scientiâque mirabili cæleste quidpiam præseferebat, ore diserto atque ad persuadendum fortissimo. Vnde plures Ecclesias ipse fundauit Euangelio per ipsos 27. annos isthic longè ac latè propagato, pro quo in lucris æternis posuit quòd ad necem à Bonzijs quæreretur, quòd plagis etiam acciperetur ab Idololatris, à piratis, domi, foriſque. Glorioſum exilium, Cangoximâ ejectus, per annum sustinuit in tugurio deserti littoris delitescens, in quo nonnisi herbis agrestibus vescebatur. Aliàs quoque in vasta deserti spelunca perdiu habitauit. Aliquando comprehensus, spoliatus, malè mulctatus, hianti cymbulæ impositus, & mari alto commissus, æger, cum plagis quibus opertus erat; cum extrema rerum necessariarum penuria, & cum sæuâ maris tempestate ita luctatus est, vt diuinâ ope terram tamen viuus tenuerit. Mortem tandem

Dæmon.

Exercitia. Charitas. Vocatio.

Zelus.

Patientia.

tandem obijt perceptis ritè Ecclesiæ Sacramentis, inter diuinas laudes, & Christianorum preces ac lachrymas, qui heroem illum inuicto ad omnia dura ingenio, & admirabili erga omnes charitate amabilem, primum in Regno Gotto Euangelij seminatorem, Bonziorum plurium in diuinis magistrum, Christianorum longè plurimorum in Christo Patrem, dęmonumque terrorem deplorabant.

P. MICHAEL LÆTAVALLIVS.

Italus Syracusis. 5 Oct. 1590. ætat. 67. Soc. 40.

FVit è primis à S. P. Ignatio in Siciliam destinatis: vbi Syracusis per 36. annos vixit, oratione, assiduoque pro animabus labore, admirabilis, moriturus non priùs voluit cælesti viatico instrui quàm se flagris, de more, viribus quibus adhuc poterat cecidisset. Anno 1576. Syracusis peste afflictis omni curâ seruiuit. Etiam septuagenario ætatæ iam vicinus à P. Generali petiuit in Sinas mitti. Societatis historia ait; anno 1606. jussisse Ioscphum Saladinum Antistitem ritè cognosci de miraculis, & virtutibus P. Michaëlis, adhibitâ fide testium juratorum; & omnia Romam misisse, additis suis & Vrbis literis, quibus à Paulo V. Pontifice postulabant, vt eum in Beatorum numerum cooptaret. Hæc & his plura de illo Societatis historia.

Mortific.

Mort.

Charitas.

anno 1590. n. 75.

Oratio.

Cæterùm Michaël orandi studio apprimè condiebat seueram illam quâ se excruciatum ibat quotidie corporis afflictationem; adeòque noctes integras peruigil quandoque ducebat orando. Visus est inter orandum eleuatus à terra sublimior ad tres palmos. Quicquid infimorum domi officiorũ est, obibat cùm alijs præesset. Per totos 40. quibus in Societate vixit annos aiunt nunquam turpem aliquam cogitationem suæ menti oblatam sensisse. Morientem S. Michael cum Angelis inuisit, & Beatissima V. Mater aiunt, eius tumbam aureo Panno tectam. reliqua in eius vita.

Castitas.

Mors. B.V.

P. BONAVENTVRA PARADINAS.

Hispanus Monarchiæ 5. Octobris 1595. ætat. 62. Soc. 26.

NVnquam per omnem vitam quicquam etiam è quotidianis rebus à superioribus petijt, quod ad commodum ipsius spectare videretur sui planè incurius, & hanc suam velut virginitatem vocans. Nouitijs diu & magnâ exempli, œconomiæ, prudentiæ, ac perpetuæ charitatis laude præfuit. A suis abiturus æger iam vltimum, Nouitijs quinque capita commendauit impensius; 1. Purissimam in singulis intentionem, 2. orationem, & affectionum mortificationem 3. promptum animum ad voluntatem Dei: 4. mutuam charitatem: 5. Præcipuum B. Matris cultum.

Mortific.

Mors.

B.V.

P. NICOLAVS CONDE.

Gallus Dijonæ. 5. Octob. 1654 ætat. 54.

DE hoc in annuis Campaniæ anno 1654. num. 10. ita scripsi. P. Nicolaus de Conde 4. vota professus, genere nobilis è Lotharingia. Societatem anno 1622. amplexus, in ea, humaniora, philosophiamq; perdocuit; & ad populum sacer orator dixit ardenter, per quadragesimam potissimum, & per octo dies à die Deiparæ Matris assumptæ. Aiunt literæ, illum prodigium factum esse multis, ingenij & facultatis imaginatricis vim in eo admirantibus: librum nullum in eius cubiculo visum, præter Biblia, quæ flexis genibus legebat quotidie.

Lectio.

fuisse

Memoria. fuisse illi pro Bibliotheca portatili, culti pectoris sapientiam, plenamque memorię locupletissimę copiam; quâ supellectile instructus, Galliam ferè totam concionibus peragrârit, magnum eximiæ, ac propè plus quàm humanæ indolis exemplar circumferens. Cùm esset (inquit de illo prudens quidam, & cui ille benè erat perspectus) ignei temperamenti, quod eius rapida ac torrens eloquentia prodebat, exquisitę insuper eruditionis, memoriæ quoque supra humanam propemodum, vt qui sinè scripto vllo multorum annorum conciones à se habitas retineret, atque inter summos Societatis concionatores meritò censeretur; vir tamen omnium virtutum fuit. Arctissimam cum Deo coniunctionem testabatur entheum eius pectus, quoties de rebus diuinis verba faceret. Sic ille. Religiosè paupertatis fuit maximè studiosus. Fœminam impudentem, à qua confessionis obtentu ad flagitium inuitabatur, seuerè corripuit; & suæ salutis vehementer admonitam, sed insanabilem, facessere, nec vnquam ad se redire iussit. *Cassitat.* Mira illi manè insurgendo ad signum commune constantia, quicquid præcessisset itinerum aut laborum: mira inter extrarios ad mensam, & vbique abstinentia atque modestia. Vnius tantùm pulmenti genus singulis refectionibus degustabat. Ad anagnostæ officium super mensam, ad infima quæque culinę officia se superiori frequens offerebat; vt quia legum nostrarum erat ad omnem apicem retinentissimus, illam quoque seruaret, quæ iubet ea libentiùs à nobis occupari in quibus exercetur humilitas, & charitas. Iam, ne se his efferret, molestis conscientiæ aculeis agitatus, & malè de se vbique suspectans, quicquid ageret, peccati vmbram subesse verebatur; morem tamen Confessario semper gerens. *Mant. Temperant. Humilit.*

VI. DIE OCTOBRIS.

P. MELCHIOR CONSALVIVS.

6. Octob. Lusitanus Bazaini. 1551. Soc. 5.

HVnc S. Franciscus Xauerius Bazaini Collegio præesse iussit. Multos ibi, & circùm, ad Christi fidem adduxit; nec pauca idola subuertit; erecto diuinæ Matri templo, & ephebio puerorum; ad paruulos fidei Orthodoxæ dogmatibus imbuendos. Xaueriano more, primis tenebris vrbem illam concursans, pulsato ære campano populum admonebat, vt preces funderet pro ijs qui lethalis peccati conscientiâ tenentur æternis inferni pœnis obnoxij, nisi resipiscant; & pro illis animabus quas expiatorius ignis in purgatorio excruciat. Apostolicorum virorum elogio tam bonus eius vineæ operarius fuit, vt verbis id consequi perdifficile sit. Odêre in illo tantum fidei, ac animarum studium timidi iuxta & rabidi idolorum cultores; quare ne porrò Christianæ religionis fines latiùs, vt continuatis laboribus faciebat, extenderet, veneno propinato mortem illi accelerauêre. P. Gaspar Barzæus illac iter tunc habens adfuit morienti. *B.V. Vesperi. Purgat. Fidei.*

P. LV-

P. LVDOVICVS VNGRIA.

Hispanus Meliteç. 6. Oct. 1584. ætat. 60. Soc.

AB ipso S. P. Ignatio ad Societatem cooptatus. Nobili stirpe natus; at adeò auulsus à carne & sanguine, vt per 20. annos nullam epistolam ad suos dare voluerit. Per sex annos à carnium esu omninò abstinuit. Nil priùs respondebat, quàm responso cũ Deo collato. Orabat flexis in medio cubiculi genibus nulli fulcro innixus, etiam senex. Per ipsos 20. annos pro meditandi argumento habuit orationem Dominicam. Mirabili dote pollebat imprimendi cordibus argumenta meditationum. Æger medico signa valetudinis redituræ se in eo comperire dicenti; ego verò, inquit, non cras verùm tertio abhinc die discedam: & tertio die datis ad P. Ioan. Bapt. Carminatum literis; scribo, inquit, Reu. Vestræ hodie, qui est extremus dies vitæ meæ. Et eo ipso die obijt. Mortem deinde aiunt consecuta quædam quæ admirabilitatem habent.

Caſſitas.

Manè.

Temperant.

Humilit.

Mortific.

Oratio.

Mors.

MICHAEL XVCCAN.

Iapon. Scimonoseki. 6. Oct. 1618.

CAtechesis, & concionum assiduitate, vigore, ac spiritu multos è suis Ciuibus ab idolis abduxit. Macai ob fidem exul, & inde redux, nouo ardore se quàm plurimis Euangelio lucrifaciendis per labores, pericula, ærumnas ex asse dedicauit vsque ad morbum, quem quà latendo, quà concursando, in fame, ac tecti aliarumque rerum humano vsui oportunarum inopiâ contraxit; & vitam, quam in flammis volebat, in ærumnis terminauit.

Fidei.

PHILIBERTVS VAN LVYCK.

Belga Duaci. 6. Octob. 1656.

SOlida, & veterano digna virtus in eo laudabatur. Sola Christi patientis memoria lachrymas illi ciebat vbertim. Initio morbi cùm is necdum eo loci esse videretur vt periculum subesse dici posset, affirmatè dixit Superiori se ex eo morbo decessurum, vtpote in Cælum à S. P. Ignatio inuitatum. Toto morbi tempore, vel signis vel verbis explicabat amoris Dei actus, quibus in Deum ferebatur, cantu quoque nonnunquam condimenti quiddam suæ adijciens pietati.

Mors.

S. P. Ignat.

VII. DIE OCTOBRIS.

P. BARTHOLOMÆVS ISLA.

7 Octobris Hispanus Madriti. 1576 ætat. 46. Soc. 14.

ANte initam Societatem, illapso in lectum illius è turris campana prægrandi malleo cùm ille nocte illâ fortè abesset (à quo conterendus erat si istic fuisset &) ad meliorem frugem se recepit. In Societate seueram sensibus, oculis potissimum, custodiam circumdedit, adeò vt cùm XIII. propè

Modestia.

Castit.

annos in aula nobilium fœminarum confessionibus audiendis inpendisset, nullam tamen de facie se nosse Superiori suo dixerit. Manè statim atque surgebat: inuisebat SS. Sacramentum: prolixas etiam interdiu moras coram illo in orando genibus flexis trahens & sacratissimo lateris vulneri ad cor Iesu pietate singulari addictus. In cubiculo coram S.P.Ign. imagine perdiu nixus genibus persistebat: aiebatque se magnâ fiduciâ in quouis vsu ad illum confugisse, ac præsentissimum eius auxilium semper fuisse expertum, Adduci ad extrariorum conuiuia planè non poterat eorum loco ad ægros, calamitosos vinctosque adibat. Pulcherrima illi colloquendi materia erat Deus, cæli gloria, & disserere, audireque alios differentes de *modo Deo quàm perfectissimè seruiendi.*

Oculi.

Eucharist.

S.P Ignat.

IOANNES
FARINA. SCHOL.

Italus in Sicilia Polizzi. 7. Oct. 1577. ætat. Soc. 5.

ILlustribus natus maioribus, vbi Societatem adeptus est, adeò se Deo totum dedit vt nullo humanæ comitatis respectu ductus ne responderit quidem vlli superuacaneum, quidpiam loquenti, nedum vltrò ipse sit locutus. Per sæpè ruminabat illud secum repetens: *In silentio, & spe erit fortitudo tua.* Quàm ex alto diuitiarum descenderat ad religiosam paupertatem, tam tenero ac seuero amore illam arctè complexus est. Idcircò nil nisi omnia deterrima admittebat. Simplicissimæ obedientiæ fuit impensè addictus: & in orandi studio apprimè diligens. Nocte nati Christi, & per totam octauam dulcia meditationis suæ pascua reperit in his tantum verbis. *Natus est Iesus.* Etiam præsens pudicitiæ extra vrbem ab impudente fœmina tentatæ periculum euasit fugâ nobili. Fuit puritatis suæ custos armatus Angelicâ vultus modestia, seueritate in corpus præter consuetam omnibus asperitatem, aquâ etiam feruente in culina se vexans, cùm interea de Purgatorij cruciatibus cogitaret. Mortem illius duæ res memorabilem reddidêre: Altera, quòd illam prædixerit; altera, quòd in illa cantantes Angelos auditos fama sit.

Resp. hum.

Silentium.

Paupertas.

Mortif. Mort.

Angeli.

P. IOANNES
DE PERALTA.

Hispanus Toleti. 7. Oct. 1588. ætat. 46. Soc. 20.

QVicquid agebat, acerrimo studio contendebat, vt id faceret quam exquisitissimè accuratissimeque. Per omnem vitam vehementer attendit ne vnquam silentij tempore loqueretur. Vnde; quantumuis multifariam occupato satis illi erat otij ad orandum & pios libros legendos cum silentium illi esset custos temporis, & instar Nouitij haberet sua tempora distributa. Nouitiis præfuit per 6. annos, ipse forma gregis paruuli factus ex animo, etiam ad labores. Existimatur innocentiam nullâ grauiore noxâ læsisse vnquam. Cum fœminis nonnisi rarò, de rebus spiritûs, grauiter, & breuiter loquebatur. Dicebatur ei, quicunque cum Peralta versaretur, adhærescere pietatem. Carnem tractabat ceu hostem hostis, vt corpus illius non tam mortificatum, quàm ferè mortuum diceretur. Villaregij cum præesset, sæcularium quorundam inuidiâ, (contra quos eius Collegij bona defenderat) infami apud Superiores notâ aspersus, eoque exauthoratus, tacuit nobili quietoque silentio; sed patuit innocentia etiam ab eo non defensa. Incredibilis oculorum dolor adeò illi increuit, vt alter oculorum ei exilierit; illo interea

Silentium.

Patientia.

ea de doloribus nihil questo. Felices aiebat eos, qui paucioribus dotibus præditi sunt, quòd alas non habeant, quibus volent vt capiantur à rapaci accipitre. Æger medico dixit (licèt ipse quoque medicinæ olim Doctor) ageret, quod videretur. Sibi enim in optatis esse obedire potiùs quàm sanari. Nouitij ollas Ægypti repetere meditantis imbecillitate diuinitus inter orandum intellectâ, illi suauissimè quid cogitaret dixit; eumque & in vocatione constabiliuit; & aliis alia plura prædixit.

Humil.

P. PAVLVS HEVTIN.

INdias desiderio complexus, earum loco impetrauit tandem se impendere lue infectis: à quorum contagione moriturus, gaudebat impensè in tali opere se mortem ralem reperire, qualem frustra fortè in transmarinis orbis partibus quæsiuisset. Hic post mortem Patri Ioanni de Kraekere graui mœrore & lachrymis presso noctu apparuit, vt aiunt Annuæ anno 1647. & prædixit; fore vt sibi in cælo breui socius iũgeretur. Et euentus prædictioni respondit, Ioanne Paulum breui secuto.

Belga Dunkerkæ. 7. Oct. 1646. ætat. 39. Soc. 9.

Charitas.

Mors.

VIII. DIE OCTOBRIS.

P. ANTONIVS BOSCHVS.

8. Octobris Hispanus Sassari. 1557. alius ponit 7. Octob.

Euchar.

Vocatio.

HIc auditâ Societatis famâ, quòd crebrior esset in illa S. Synaxis vsus, sanctam illam esse interpretatus, nomen illi dedit, modicâ doctrinæ, sed insigni virtutum, etiam proximorum saluti mirificè idonearum, laude in illa versatus. Ante mortem ingenti lætitiâ gestiens; magnificam, inquit, victoriam consecuta est nostra Classis de classe Turcarum: de parta tunc, sed istuc necdum perlatâ victoria loquebatur. Vnde argumento fuit, illum eam mirabiliter didicisse. Quare ad agendas Deo gratias omnes inuitans, *Te Deum laudamus*, recitauit vnà cum sociis: & biduo post cælestia decantans, lætus intrauit in gaudium Domini sui.

Mors.

P. GASPAR LOARTE.

VIr etiam ante initam Societatem doctus ac probus: quippe magni Ioannis Auilæ discipulus, & iam tum diuinis meditandis quaternas quotidie horas tribuens; Christique cruciatus tam tenere meditatus, vt eos peteret experiri, & locum in quo orabat manantibus vbertim lachrymis latè aspergeret. B. Borgiæ exemplo ad Societatem pellectus, Genuæ cum præesset Rector vehementer re quapiam angebatur. Tum illi Cruci affixus Christus sese ostẽdẽs vt ei videbatur, amanter illum solatus, *Bono animo esto*, inquit: *ego te per omnem tuam vitam nunquam deseram.* Et promissi veritatem dulcissimè est expertus. Orationis tam erat amans vt etiam æger eo tempore, quo matutinâ horâ domi

Hispanus Valentiæ. 8. Oct. 1578. ætat. Soc. 26.

Lachryma.

Oratio. Crucifixus.

orabant Socij, sublatis, & iunctis manibus, quibus poterat viribus orârit. Orationi efficacitatem adiebat quotidianâ sui flagellatione, carduis pro cilicio interdum carni adstrictis. *Mortificat.*

P. IOANNES ACOSTA.

Lusitanus Nangasachi. 8. Oct. 1633. ætat 58 Soc. 42.

A B anno 1604. in Iaponia ærumnosorum laborum plenus ibat, redibat, latebat, esuriebat; vt pusillo Christi gregi prodesset. In profundo latuit aliquando per nouem dies, cùm cibus illi per funem demitteretur: fuit aliàs quoque in specu absconditus per tres menses. Tum 24. Augusti comprehensus, 5. Octobris Nangasachi suspensus in scrobem è pedibus; hoc demum die cursum victoriæ atque fortitudinis expleuit. *Fidei.*

IOANNES DE NEVE COAD.

Belga Mechliniæ. 8. Oct. 1651. ætat. 70. Soc. 42.

PEr annos 39. tyronibus ex arbitrio magistri ducendis præfuit; pias etiam cælitum effigies peritè interdum pingens pro arte quam probè callebat. Orantem in templo vidit è consiliariis curiæ non nemo, & dixit se inde magnoperè ad pietatem accensum: quicquid vesperi in noctem occupationis obuenisset, nunquam tamen meminit se manè vltra quartam à media nocte horam somnum produxisse ne quidem in Collegiis cùm hospes istic diuerteret. Nouitios quo reuerebatur magis, eò magis ad officium incitabat; aperto capite, modestiâ, non imperio. Si potestatem haberet dandi aliquid, egenis petentibus dabat: si nil haberet, illicò, *Aue Maria* pro illis recitabat, velut eleemosynam pro eis petens à Regina cæli. In morte rogatus quid summo illi esset solatio; respondit, quòd in Societate moreretur. Et verò eadem ipse horâ obiit, quâ ille quotidie (præter ordinarium rosarij pensum) aliud Beatissimæ Virginis Rosarium recitare consueuerat, pro fælici morte in Societate (auxilio illius) obtinenda: quam pietatis per totos 40. & amplius annos perseueranter quotidie exercitæ constantiam Deus morte illâ piissimâ voluit honorare. *Oratio. Regulæ. Charitat. B. V. Mors. Vocatio. B. V.*

IX. DIE OCTOBRIS.

P. PETRVS DE FAV.

9 Octobris Hispanus Maioricæ. 1584.

THeologiæ probè peritus, & ouili suo impensè intentus Curatum agebat iuuandarum animarum corporumque vtilitatibus valdè addictum. Societatem demum elegit, in qua, vt aiebat salutem suam in tuto, quoad posset, collocaret. Paupertatis studio deterrima quæque accipiebat: nec vnquam petebat, si quare indigeret. Etiam in mensa in Deo absorptus, cibi obliuiscebatur nonnunquam. *Paupert. Oratio.*

Altero post mortem anno corpus eius integrum est repertum. Et post annos 28. à morte elapsos cuidam suæ olim parochiæ homini apparuit, vt fertur, eique acriùs reprehenso quòd peccata quædam in confessione tacuisset, synceram confessionem persuasit. *Discit à mortuo. Confessio.*

P. XYS-

P. XYSTVS TOCVVM.

Iapon Nāgasachi. 9 Oct. 1633. ætat. 63. Soc. 43.

HVnc etiam suis Iaponibus ad Christum adducendis præstrenuè intentum, abreptumque in vincula ciuem suum æternâ ciuitate donandum in fouea suspendêre, capite deorsum depresso, pedibus verò in altum elatis. Ita hodie (vel vt alius autor est 10. Octobris) diem æternum iniit. Illi socius vt magni zeli, ita religiosæ vitæ mortisque accessit

Fides.

DAMIANVS FVCAYE. COAD.

Iapon. ibid. eodem die.

IApon & ipse, ac simili ferobis suspendiique tormento, in fidei quam propagabat odium, internectus. Cùm per ipsos 20. annos Prouincialem socius comitaretur, Catechesi suos ciues condocefaciebat, & ad baptismi Sacramentum præparabat.

WENCESLAVS KOLOVVRAT.

Bohemus Romæ. 9. Oct. 1659. ætat. 26. Soc. 9.

PRagæ inclytâ Libsteinskiorum Comitum de Kolovvrat domo, 14. Martij natus anno 1634. Leoni Patri suo exercitus Cæsarei Chiliarchæ tanto gaudio fuit vt cùm ille Citzinij tunc apud nos ageret, nuncio accepto, positis humi religiosè genibus, illum (tametsi vnicum) illicò Deo pro Societate Iesu obtulerit. Pragam redux, cùm à nostro à quo inuisebatur, nati nuper primogeniti Wenceslai mentio esset iniecta, Comes Leo, paruulum ita vt erat fascijs inuolutus militariter è cunis eripuit, & gratulabundus in altum (velut in cælum sublimem vibraturus) iecit; quem noster ob viis vlnis excipere, ne in terram decideret, est coactus, Comite hilariter dicente: Hunc ego vobis puerum dono: vobis natus est: vester erit. A Matre quoque Deo per Dei Matrem dedicatus est, & ipso nascentis Deiparæ die Krupnensis Virginis admirabilis aræ impositus, missæ sacrificio celebrato, in quo Wenceslaum pia Mater Deo ac Dei Matri in filium, seruumque perpetuum transcribebat. Quem dedicationis ritum quotannis ibidem repeti voluit, ac tenerum Wenceslaum diuinæ Matri anniuersariâ instauratione, seu velut mancipatione, stitit; ipso etiam istic precari iusso quando per ætatem id licuit. Omitto ea quæ in paruulis laudamus rudimenta teneræ pietatis, quæ in Wenceslao piam indolem luculenter testata sunt. Illud animi firmioris fuit indicium, quòd cùm trimulus tunc adhuc, rogantibus ecquod vitæ genus amplecti vellet, respondere soleret paruulus, velle se fieri Iesuitam, Comes parens ad pertentandam paruuli constantiam, iratum se simulans furenter sclopum illi admouerit, minaciter illi obiectans; Tune vis fieri Iesuita? & ille intrepidè, *Volo* respondent. Nouennis literarum studiis admotus, illicò arripiebat quæ ad singularem cultum Deiparæ faciebant. B.V. Vnde officium de Conceptione B. Virginis tunc memoriæ commendatum, per omnem deinde vitam quotidie recitauit. Vdalricus Franciscus Comes à Kolouurat, Wenceslai patruelis, & Bohemiæ Præfectus, ac pro Rege designatus Burggrauius illum ex asse hęredem scripsit moriens. At ille, ne pertenui quidem lætitiæ dato indicio, dissimulauit, & animo hæc supergressus, breui, Ferd. III. Cæsaris, ac piæ Matris viduæ permissu, ad Societatem Iesu conuolauit; paratus aliàs (vti

cum famulo constituerat) Romam iter arripere ad id impetrandum : & nuncio accepto lætus aiebat identidem : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in Domum Domini ibimus ! Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Mater certè vt se peruinceret, nudipes ad admirabilem Boleslauiensis Deiparæ imaginem peregrinabunda per tres Germanicas leucas adiit ; sacrificijs aliquot istic eâ mente procuratis religiosè interfuit, & diuinâ synaxi refecta, Deiparâ consultricem adhibuit, ac inde redux vnico filio, ipsa iam vidua, facultatem ineundæ Societatis est impertita ; audito verò postea eius mortis Romæ obitæ nuncio, post breues lachrymas quas primus Materni amoris æstus vbertim excusserat, gauisa est illum in Societate diem vltimum obiisse, atque centuplum præmium retulisse. Ingressum enim parantē comitata, & ei pretioso dato annulo, velut sponso, gratulata ac benè precata, deinde minata est, se Matrem illi non futuram, si quando degeneraret à susceptis excelsis his cogitationibus filiorum Dei. Brunæ 22. Octob. anno 1650. tyronum albo adscriptus, pro more, differuit in illa verba : Elegi abiectus esse in domo Dei. Die SS. omnium vestem religiosam tanto animi ardore induit, vt postea scripserit ; malle se in illa veste vitam breuissimam, quàm foris longissimam ; malle in illa veste cum omni afflictione, quàm foris cum omni omnium deliciarum in vnum aggerem exaggeratarum cumulo viuere. Quàm excelsè de sua vocatione sentiret, suo chirographo enucleatiùs declarauit, quod anno postea septimo recognitum confirmauit, se de incomparabili eius excelsitate idem quod aliàs, imò altiora sentire testatus. id quod luculenter factis quoque, non sine tenero atque ad fusas vbertim lachrymas sensu ostendit. Et ipsa huius excelsæ opinionis commemoratio magnus illi erat stimulus ad quicquid etiam difficile, persuadendum. Sui demittendi studio illustre nomen cum alio commutare, numisma aureū quod à Ferdinando III. Imp. pro Cæsareæ gratiæ tessera, & literarij honoris præmio dono acceperat, colliquari volebat : si in libellum quempiam suo nomini dedicatum incideret, inde ingentes titulos & nomen eradebat ; multa palàm se demittendi exempla daturus, nisi ij à quorum pendebat arbitrio vetuissent. Latum illi horridumque quo induebatur cilicium ; & flagrorum inclementer inflictorum vsus tantus, vt somnum vicinis noctu excuteret. Id quod ne fieret, deinceps flagro è filis ferreis contexto vtebatur, maiore dolore quàm strepitu. Si quid arduum animo sese obiiceret, ipse vltrò adibat, & sibi concedi postulabat, vt se peruinceret animo semper excelso. Fastidio illi erat, nec erat exorabilis vt admitteret aut retineret quicquid sanctis paupertatis religioſę oculis minùs probari posse putabat. Cùm patrimonio toto se prorsus euolueret, ac exueret, suggerebat quispiam fieri posse, si vellet, vt bonâ superiorum veniâ ad suos vsus aliquid retineret ; exhorruit, & auertat, inquit, à me istud optimus Deus, qui certè prouidebit vt quocunque in Collegio degere me contingat, non desit mihi frustum panni, quo religiosè tegar. Monitus ne illustrissimos familiæ suæ oculos obsoletiore veste offenderet, B. Aloysij dilemmate rem diluit cùm diceret se vel notum esse ijs à quibus videretur, vel ignotum : ignotos nihil se morari, tanquam ignotum : notis verò id fore non offendiculo sed exemplo. Certè hæretico viro nobili, & amico dixit aliquando cùm de fidei controuersis quæstio moneretur

Humil.

Mortific.

Paupertas.

Fidu. moueretur: Ecquid putas, me, cuius & prudentiam olim amasti, & familiæ splendorem opesque suspexisti, adeò hebetem, aut insanum futurum fuisse, vt ea quæ à me contempta nosti religiosæ huic mendicitati posthaberem, nisi Catholica fides mihi fundamentum præstrueret verum, solidum, ac æternum? Scio cui credidi! Hoc demum argumento vir ille ad tot aliorum aggressiones obstinatus, tandem subactus est, & se ad vitam omnem exomologesi vniuersè perpurgandam promptum ipsi exhibuit. Ægro Wenceslao in Domo Professorum, illustris & eidem sanguine iuncta fœmina edulij quiddam opportuni submiserat. Reiecit, ceu rem nimis delicatam Wenceslaus, cùm diceret id genus delicias Comitē quēdam à Kolourat, qui ipse iam esse desijsset, non verò pauperem religiosum decere. Iussus tamen eleëmosynam illam Domui Professæ missam admittere, obtemperauit. Cùm Societati longè plura dedisset quàm quæ pro implendo fundatoris nomine abundè sufficerent, tamē honorificum illum titulum non admisit, se ac sua dedisse contentus. Initâ cum selectioribus quibusdam pactione conspirauit ad persequendum, quem vocant, spiritum nationalitatis, & ad pia religiosaque serenda colloquia. Ad iaculatorias, quod aiunt, orationes crebram sui victoriam, cum aliarum virtutum frequentatione adhibebat, vt illę harum essent velut vehiculum. Inde illi ad rosarij grana repetiti humilitatis actus, & frequens virtutum Theologicarum vsus, nunc de SSS. Trinitate, nunc de diuino Eucharistiæ Sacramento, quâ industriâ efficiebat, vt quotidie ad plura id genus affectuum millia peruenirent. Incredibili solertiâ cauebat longiorem, & crebriorem cum adolescentibus colloquendi morem; dicebatque multa & grauia sibi rationum momenta suppetere ad id sibi ac alijs totis viribus dissuadendum. Puritatis, non fortis tantùm ac in corpus seuerus, verùm & verecundus, custos, aliquando linquente animo conciderat. Aderat fortè tunc Mater, & aperto modestè filij pectori balsami quiddam illeuit. Id quod vbi postridie audiuit Wenceslaus, dolenter questus est quòd socij Sacerdotis permissu id fœminæ licuisset: adeò quod licuit Matri, voluit fœminæ non licere. Martyrij desiderio Indias optabat, ac flagranter petierat, & idcircò Romam lubens venit, vt id coram facilius obtineret. Certè Illustrissimæ suę Matri disertè aliquando dixit; illam, si Deus votis suis annueret, audituram olim Wenceslaum suum oppetijsse mortem in patibulo glorioſam.

Humil. *Mortific.* *Humil.* *Paupertas.* *Oratio.*

Venerabatur Angelos paruulorum, cùm eis obuius fortè fieret; hortabaturque socios vt illis supplices fierent pro conseruandâ, eorum auxilio innocentiâ paruulorum. Voto tuendæ, quâ licet, Immaculatæ Conceptionis, sanguine suo subscripsit. Donatam sibi à Ferd. III. Cæsare catenam auream cum aureo numismate, S. MARIÆ Maiori Brunensis Tyrocinij Matri donauit. Sabbatum religiosè coluit, cùm plura quæ à Deo die Sabbati acceperat beneficia narraret. Sanguine pennâ hausto de pectore scribere volebat votum quod nuncupare destinabat semper id sectandi quod perfectius videretur; nisi obedientia vetuisset: cui parêre censebat perfectius quàm votum illud concipere. Contentè aspirabat ad eximiam Sanctimoniæ excelsitatem: petebatque fidenter ab amicis pro se orari vt fieret *magnus Sanctus*; ad quod etiam Laureti aiebat se in cælesti illa Deiparæ domo grandia incitamenta sensisse. Cùm in autumno, pro more, S.P. Ignatij *B.V.*

natij exercitia esset aggressus Romæ tunc iam Theologus, morbo correptus, prælegi sibi ea curauit quæ extremo illi tempori opportuna iam inde à tyrocinio exquisitè concinnârat, & in commentariolum retulerat, plena sensu cælesti, neruoque virtutum. Amicum monuerat, vt manè quotidie ab eo viseretur, & moneretur de illius diei doloribus atque molestiis distributè offerendis Die Dominico SSS. Trinitati, fer. 2. pro defunctis patriæ cælesti propinquioribus. & sic dies reliquos partitione sanctâ distribuerat. Vnde nunquam queri, gemereúe auditus est. Semel tamen anxium quoddam suspirium visus est mittere gementi similis, cùm viscera sibi sentiret acerbissimo dolore conuelli. & rogatus ecquid hoc esset, dixit subtimere se delirium. At suggerente illo qui aderat, & mentem, & omnem sui compotis aut impotis mentis vsum in amati Dei manu obedienter deposuit. A percepto viatico prodebat tenera quædam indicia iucundissimæ voluptatis gestiens, & canenti simillimus. Monitus, vt quieti nonnihil indulgeret, respondit: Quies mea tota, & sola IESVS & MARIA est. Vnde gratias Deo se debere aiebat, quòd in corpore cruciatibus pleno animus non destitueretur suis solatiis. Cùm illum adirem, petebat edoceri quomodo optimè mori posset: se enim id nunquam vsu didicisse, nunquam expertum. & eodem tempore missam sibi à P. Gosvvino Nickel Præposito Generali, & postea etiam ab Alexandro VII. Pont. Max. nominatim benedictionem, indulgentiasque plenarias magnâ religiosi animis significatione, me præsente, accepit, plenus magnæ dulcisque fiduciæ tanquam in vocationis suæ thesauro repositæ. In suprema caligine oculorum cùm minus Christi Cruci affixi signum satis videre non posset, maius afferri, ac oti suo identidem admoueri petiit, atque obtinuit. Sacerdoti qui aderat, instar testamenti dictauit se protestari quòd Societatis Iesu seruus minimus perseueranter, ac vt ille aiebat, irrefragabiliter, esse vellet. Nomen manu suâ addere paranti negauit manus extremùm iam languida desideratum officium. Quare signo Crucis X. ducto scribere desit, ac demum, etiam viuere. Corpus in scholasticorum loco sub B. Aloysij tumba & ara, propè Ioannem Berchmannum est conditum; & indicta pro illo non ea tantùm quæ pro aliis indici solent, sed & ea quæ fundatorum propria sunt suffragia per Societatem vniuersam.

Morbus.

X. DIE OCTOBRIS.

P. HONORATVS ABELLA.

10. Octob. Hispanus Cæsaraugustæ. 1593.

HVnc Societati nomen daturum, luculenter, & ex verò prædixit B. Ludouicus Beltramus ex Ord. Prædicatorum vir inclytæ sanctitatis. Si fœminas visere necessitas cogebat, faciebat id pudicæ plenus modestiæ, & sede vnâ semper inter se ac fœminam vacuâ relictâ. Fuêre tamen quæ ausæ sunt offerre illi flagitium: sed ille cælestis cuiusdam verecundiæ plenus, & tunc, & per omnem vitam integrum pudicitiæ florem castè seruauit, cuius disertus interpres erat etiam ipse vultus ad omnes emendatæ modestiæ leges vndequaque compositus. Fama est illum ab omni omni-

Castitas.

Modestia.

nq

Innocentia nō grauiore noxâ semper vixisse.

P. THEODORVS MANTELS.

Belga Malacæ, incerto mense. 1593. ætat. 33. Soc. 15.

IN Iaponia sancto labore per annos aliquot impenso rei Christianæ cōmodi permultum attulit: atque idcircò barbaris odio cùm esset, venenum ab iis propinatum ignarus hausit; & post biennij cruciatus, toxico pharmaca omnia superante, tandem enectus est.

Fides.

10. Octob.

P. Xystum Tocuum aliqui hoc die cæsum aiunt. Nos de illo 9. Octobris egimus.

P. GARCIAS DE ALARCON.

Hispanus Quiedi. 1591. ætat. 63. Soc. 43.

ILlustris & lautæ, tam paternæ, quàm maternæ stirpis hæres, minori natu fratri ac sorori suæ (tum & ipse paruulus) autor erat, vt Christi patientis amore in mensa id quod palato magis arrideret dimitterent, signo quoque ad id præstituto, quod dabat ipse vt eo moniti meminissent. Iam 18. annos natus Patri extincto successerat, & fortunis suis præerat, cùm viso B. Borgia, eius decora imitari ei venit in mentem, & Societatem ab eo impetrauit. In Societate magister Nouitiorum, Rector, Prouincialis, Visitator, & Assistens, incredibili animæ suæ ac officij curâ in omnibus versatus est. Per plures annos vesperi ne bolum quidem admittebat; & sub noctis medium surgebat ad preces: post quas vnâ iterùm horâ quiescebat & surgebat cum cæteris ad orandum. Patribus, quos ad mortualem suum lectulum videbant mœrore affectos; non est, inquit, quod vobis mors mea dolori sit. Nunc enim plus habeo solatij quàm vnquam habuerim. Vallisoleti cuidam eius mortem dolenti adfuit vt fama est, adspectabilis, eique solatij plurimum attulit, cùm dixit; se iam in æterna gloria degere cum bono Deo.

Mortific. Exemplum Mortific. Oratio. Noctu. Mors. Post mortē.

XI. DIE OCTOBRIS.

P. NICOLAVS PASQVALIS.

11. Octobris Hispanus in insula Indica. 1555.

HVius tantùm cognomen prodit Aragoniæ Prouincia. Singularis in illo dexteritas elucebat in educandis orphanis; ibatque cum *P. Andrea Gonzalez*, & *Alphonso Lopez* Vlyssiponâ in Æthiopiam vt seminaria conderet ac gubernaret, cùm nauis in arena hæsit. Qui poterant, eas quas secum in maiore naui gestabant nauiculas conscendere, & Patres magnoperè rogauêre vt vnà inde abirent, seque morti eriperent. At Pasqualis, & Socij cùm in deserta illa insula tot viderent relinqui; ne tot miserabiles omni spirituali præsidio in tantis famis ærumnis destituti morerentur, maluêre cum vitæ iacturâ cum perituris persistere, quàm inuitantium humanitate vti, ac euadere. Ita perstitêre ad nauandam sacram operam iis consolandis quos in deserto illo loco æruminosa mors expectabat, vt ne sine Sacramentis decederent. Et verò, cùm in expectatione illa nulla vitæ sustentandæ adiumenta venirent, cadebant alij post alios fame enecti; vsque dum

Modestia. Charit.

& ipsi alimentorum inopiâ sensim cum aliis elanguêre, & charitati deuotas nobiles animas pro fratribus posuêre, in Dei gloria cùm apparuerit, vt spes est, satiandi, inter heroes sui tam prodigæ charitatis.

P. IOANNES NICOLAVS PEDELONGVS.

Italus Neapoli. 11. Oct. 1579. ætat. Soc.

HVius nobiles origines à Palæologis repetunt nonnulli. Tria in illo notaui præcipua. Quòd cùm Iuris prudentissimus esset, videretque innocentem quempiam contra ius, & fas damnari ad mortem, crudeli seculo nuncium remiserit, & facultates suas in egenos distribuerit Societatem amplexus. Deinde quòd in Societate normæ domesticæ se enixè accommodârit; modestiâ, & singulari cum Deo coniunctione præstans; ad confessiones autem audiendas tàm promptus, atque perpetuus vt antonomastico elogio passim loco nominis *Pater Confessarius* vocaretur. Denique quòd & suum, & alterius cuiusdam de Societate è vita discessum particulatim, & ex verò prædixerit, magnâ patientiæ laude, supremo, & longo in morbo clarus.

Vocatio.

Confessar.

Mors.

XII. DIE OCTOBRIS.

MARCVS ANT. RIDOLPHINVS.

12. Octobr. Italus Romæ. 1597. ætat 22. Soc. 4.

EXpectationis magnæ iuuenis, nec minoris ad virtutem ardoris fuit Ridolfinus Logicæ tunc operam nauans. Huius mortem breui secuturam dixit moriens eius condiscipulus *Celsus Finettus* vt mense superiore meminimus; quem etiam à Deipara Virgine intellexisse aiunt, Ridolphinum in Purgatorio pœnas daturum biennio. Ante initam Societatem, imminente festo SS. Petri, & Pauli, suasu amici, tandem se propelli permisit, vt Sanctorum Apostolorum honori quotannis Romæ fieri consuetum turbinem igneum seu Arborem festis pyrobolis velut in ramos distributis nobile oculis spectaculum, dum illos eiaculatur, exhibentem. ne spectaret, atque hac oculorum voluptate procul habitâ sanctos illos Apostolos honoraret. Iam stabat arbor in S. Angeli Castello erecta, & porrecta in ramos, cùm Ridolphinus cæteris ante hac ad similia spectanda longè propensior, illis ad solarium certatim currentibus, ipse in conclaui sese attinuit. Sed amicis perurgentibus, tandem, & ipse ad solarium vnde sub dio totum illud pyrotechnicum artificium egregiè spectari poterat, ascendit: verum (vt ipse postea id fassus est) quantumuis non sine vi maximâ sese contineret, oculos ad flammeam illam arborem nunquam extulit, illis pertinaci sui victoriâ semper clausis, etiam cùm pyrobolorum ex arbore prorumpentium sibilos, fragorem pulueris pyrij, sociorumque plausum audiret, omnibus heroicæ huius in Ridolfino victoriæ planè inconsciis. Nec impar his postea in eodem Societati adscripto virtus respondit.

Purgator. B.V.

Mortific.

Oculi.

Sui victoria.

P. LV-

Vocatio.

Confessar.

Mors.

Sui victo-ria.

Oculi.

P. LVDOVICVS MOLINA.

Hispanus Madriti 12. Oct. 1600. ætat 65. Soc. 47.

CVm ingenio magno magnum studium & cum hoc magnam domesticæ disciplinæ curam coniunxit cùm ad consueta domus officia primus pronolaret, instar tyronis egregiè accurati. Humilitatem, & paupertatem potissimùm coluit, nullius ætatis, valetudinis, vel studiorum obtentu quicquam admittens, quod super alios videretur, aut quod omnibus non daretur. Cubiculi supellex pauper, imò nulla: quippè vnicâ imagine libriſque contentus, ipsum Breuiarium habuit tam attritum, vt minores horæ foliis vetustate iam exesis legi vix possent. De libris suis imprimendis nihil solicitus, etiam moriens illos obedientiæ arbitratui commisit. Nunquam autem adeò abripi se studiorum æstu permisit quin quotidie legendo Thomæ à Kempis de Imitatione Christi libello otij aliquid assignaret.

Paupertas

Lectio. Spiritualis.

HIERONYMVS ABARCA NOVIT.

Amelius Limæ. 12. Oct. 1601. ætat. 18. Soc 2.

NAtus in America nobili familiâ, è Theologiæ cursu Societatem tandem impetrauit: diuinissimi Sacramenti cultu, & lachrymarum dono clarus; quibus condiebat preces quas attentione summâ fundebat. Beatissimam quoque Virginem, & S. P. Ignatium apprimè coluit: & scrupulis aliquando acerbè vexatus, per hunc apud illam effecit vt liber ab iis euaserit. Per eandem impetrauit desiderium moriendi. A pueritia consueuerat inter bibendum Sanctissima *Iesu*, & *Mariæ* nomina mente implorare.

Oratio. B.V. Scrupult. S.P. Ignat. Mors. Mensa. Iesus Maria.

P. IACOBVS REM.

Germanus Ingolstadij. 12. Octobris 1618 ætat. 72. Soc. 53.

ROmæ Societatem iniit, & in primis (vt appellare mos est) exercitiis, toto triduo inediam silentio tolerauit, cùm cibos illi afferre is cuius muneris id intererat per inconsiderantiam omisisset. Ad ea, quæ in triclinio legebantur attentus, martyrologium non sine lachrymis audiebat. Innocens illi semper virginitas, cibo parcissimo, oculis mirabili modestiâ circumscriptis, & afflictatione corporis custodita. *Aue Maria* illi persæpè in ore ad Virginem Matrem cuius honori, & amori propagando *Colloquij mariani* cœtum, in quo adolescentes de Beatissima Virgine colloquerentur, instituit eique leges condidit. In sacello colloquij optante illo nosse, ecquis titulus Deiparæ placeret quàm maximè; cùm in Litaniis *Mater admirabilis* caneretur, adfuisse illi creditur decoro splendore amicta Deipara, eum certiorem reddens, se illo elogio maximè delectari. Vnde ille voces illas à musicis tertiò ingeminari iussit. Inter sacrificandum visus est non semel à terra sublimis in aëre. Virginem quandam ab impurissimis quas misera patiebatur sordibus, liberauit semel sacris pro ea operatus. Absentia ab illo dicta, prædicta futura plurima, impetratam pro ægris sanitatem; animas Purgatorij ab eo nominatim subsidium flagitantes, eius vita narrabit. Pater Franciscus Astensis illi absenti post mortem spectabilis, rogatusque ab illo semel, ac iterùm vbi esset, ei respondit: *In Gaudio inenarrabili*; ad quæ verba & tunc, & postea sæpiùs Iacobus dulcissimis cæli deliciis replebatur.

Mensa.

Sanctis.

Castitas.

B.V.

Mater admirabilis.

Sacrum.

Cælum.

IOANNES LE FEBVRE COAD.

Belga Valêcenis 12. Oct. 1631. ætat. 86. Soc. 60.

A Prima veste, quam in Societate habuit, nullam deinceps nouam admisit. Ianitoris munus per annos multos obiuit; adeò ad loquendum parcus, ac temporis obseruans, vt quotidie 30. & plures Beatiss. Virginis coronas recitârit. Gaudio gestiebat si qua laboris alicuius causâ suscipiendi se offerret occasio.

B. V. Charitat.

P. IOANNES DE LEDESMA.

Mexicanus Mexici 12. Oct. 1636. ætat. 61. Societ. 48.

HVmaniore, ac diuinâ literaturâ, scribendi dote, dicendi ad populum neruo, & authoritate, docendi felicitate ac ingenio fuit præstans; charitate autem, laboribusque animarum planè mirabilis. Cuidam pro eius scriptis typo vulgandis mille aureos offerenti, malle se aiebat illud aurum pro templo, & Indis egentibus applicari. Parietes cubiculi erant conspersi sanguine P. Ioannis se dirè verberantis. Plura de illo annus 1636.

Charitas. Mortific.

P. IOANNES BAPT. DE CODT.

PRofunda sui demissio ei persuaserat; vt scripto veluti testamento potestatem faceret omnibus (etiam confessarijs) quicquid de illo scirent mali, vulgandi. Fœminæ totum iam mensem lectulo affixæ prædixit fore vt postridie sana de lectulo surgeret; id quod factum, stupente ipsâ, & omnibus. Ad se flagellandum calcaribus chalibeis vtebatur. Frequenter adstringebat pectori crucem triginta tribus aculeis armatam; præter alteram, quam è collo gestabat Christi de cruce pendentis effigiem. Vestitus, ferè vel facco stramineo, vel duro asseri incumbebat ad somnum. id quod Winocibergæ fecit toto triennio cùm præesset, etiâ postquam ad celebrem cencionem dicebat. Dicebat autem contentione magnâ, & omnium approbatione per ipsos nouem & viginti annos. Et tunc vesperi die Concionis habitæ obsonij aliquid admittebat; aliàs minimè, prandio solo contentus. Cancro suo in oui molem iam increscenti eius chirographum admouit ægra, & dixit dolorem sibi omnem, ac mox ipsum etiam carcinoma, euanuisse postridie, nullo sui relicto vestigio.

Belga Brug. 11. Oct. 1657. ætat. 58. Soc. 41. *Humil.*

Mortific.

Concio.

XIII. DIE OCTOBRIS.

P. SEBASTIANVS ROMÆVS.

13. Octobris Italus Romæ. 1574.

PRæfuit annis vndeuiginti Romano Collegio verum prudentiæ, demissionis, obedientiæ exemplum in se exhibens, eoque S. P. Ignatio apprimè charus. Plura de illo dedi in eius vita. Illud hîc non omittendum, quòd cùm plurimas inter occupationes nunquam quieisceret, dicere consueuerit; eos qui sunt de Societate nunquam, nisi ægros, nempe dum

Labores.

dum iacent in lecto, quiescere. Ipse certè P. Iulio Mancinello post mortem in somnis an vigili, non constat, conspectus est sub albo conopæo in lecto longè ornatissimo, Symbolo quietis, quam tot laboribus consecutus est in æternitate.

Calum. Lectus.

P. ALEXANDER DOBOKAY.

Hungarus Zagrabiæ. 13. Octobris 1621. ætat. 56. Soc. 34.

MIrum id in eo fuit, quòd in longa, & varia gubernatione, cùm pro tuenda religiosa disciplina grauis & seuerus esset, nemo tamen ab illo sit acerbiùs reprehensus. In catalogo beneficiorum quæ à Deo accepta conscripsit, posuit etiam, sibi post Communionem hæc ipsa verba ad dextram aurem distinctè illapsa vt ea ipse audire sibi videbat: *Ingredere Societatem*: In Societate ipso die Christi nati, supra P. Alexandri ad concionem dicentis caput vidit vir nobilis rotundum quendam splendorem vt ille aiebat, seu orbem lucidum qui sese in album postea recepit & videri desijt. Homonnę Collegio cùm præesset Rector, & Collegium in quapiam necessitate versaretur, ac ipse Deum impensiùs pro Collegio precaretur, à nostro quodam cubiculum eius tunc ingresso sublimis à terra inter pauimentum tectumque cubiculi repertus est.

Vocatio. Conciones. Oratio.

M. PHILIPPVS FRANC. PENNANT.

Belga Hui. 13. Octobris 1653. ætat. 27. Soc. 9. B.V.

ANte initam Societatem longâ sex mensium paralysi lecto affixus sine vsu manuum, pedumque iacebat. Tum Virgo Deipara impensiùs ab illo implorata Christum paruulum sinu complexa abhinc Francisco Xauerio inde Mastrillo stipata per quietem se illi spectandam obtulit, & Xauerium à quo esset persanandus ostendit. Allatam S. Xauerij Mastrillum sanantis imaginem, vbi manibus paralyticis attigit repentè illas mouit; & sensim conualescens, ad S. Xauerij festum planè consanuit. Verùm cùm id alij aliò traherent; iterùm relapsus in morbum; præmissis precibus, eiusdem S. Xauerij imaginem genibus alijsque partibus affectis admouit & confestim vim in illis vigoremque recepit. In Societate postea modestiâ, docendi dexteritate, ac pietate fuit insignis; & illam S. Xauerij imaginem semper de collo appensam in sinu gestauit.

S. Xauerius. Manus. Paralysis. Imago.

XIV. DIE OCTOBRIS.

SEBASTIANVS DE ONTIVEROS COAD.

14. Octob. Hispanus Salmanticæ 2609.

TOtis triginta annis quibus rem domesticam procurauit, nunquam quicquam in illo aduertit vllus quod contra leges, aut virtutis religiosę disciplinam esse videri posset. Quotidianis flagris cædebat sese, asseri indormiebat. Per iter cùm Oeconomiæ causâ proficisceretur, pane ferè tantùm & caseo vescebatur. Si debiti quidpiam exigendum esset, orabat vt impetraret; ac passim, etiam à pessimis quibusque, pro vero Dei seruo, ac veræ Sanctimoniæ sectatore habebatur famâ communi. Cùm aliquid otij nan-

Mortific. Paupertas. Euchar.

nanciscereturfestis diebus, totas horas flexis coram diuino Eucharistiæ Sacramentò genibus precabatur. Post longum morbum vocem velut è cælo venientem audire sibi visus est quæ dicebat: Iam negotium tuæ animæ peregisti. *Mors.*

P. GVILIELMVS TREBOSIVS.

14 Octob. Gallus Tolosæ. 1621. ætat. 41. Soc. 17.

CVm Collegij esset Minister, summâ charitate prouidebat ne quid socijs deesset; & ne illi legibus disciplinęque deessent. Si quis legi de verrendo cubiculo non fecisset satis ipso absente illo illud verrebat, sordibus ad portam relictis; vt adnerteret se moneri. In missionibus longinquis, & arduis magno labore versatus est. Reficiebatur parcissimè; sæuiebat verò in se asperrimè. Paulò ante morbum extremum ad salutem viri nobilis impetrandam voto concepto promisit per hebdomadam, præter gestatum cilicium, flagellationem vsque ad sanguinem: cui voto licèt satisfacere non potuerit; id tamen, quod petebat obtinuit. *Charitas.* *Charitas.* *Mortific.*

P. GVILIELMVS DE LA RONGERE.

Gallus Rhedonibus. 14. Oct. 1634. ætat. Soc 48. *Vocatio.*

HVic Andegauo Flexiam eunti, vt istic de ineunda Societate tractaret, in via Comitem se obtulit eques formâ spectabilis sed atrâ, qui Guilielmo cur Flexiam iret dissimulanti vltrò id quod erat dixit; & post multa, quibus illi Societatem dissuadebat argumenta, cùm Guilielmus nihil moueretur, adiecit: Iret quò præceps raperetur: cæterùm sciret sibi Cruces inibi præparari peracerbas diuturnasque. Flexiæ, relicto in diuersorio illo equite, ad Collegium abiit, & mox redux illum non reperit; alijs quoque nec equum, nec equitem à se visum istic dicentibus. Admissus, in Rhedonensi peste per menses plures enixè laborauit, & lue ictus conualuit. Alias iterum à quodam luem hausit, quæ illum non extinxit quidem sed quassauit adeò vt morbis ac doloribus varijs multifariam torqueretur: illo interea Christi videndi cupido, & non nisi de Diuinis loqui, vel audire volente. Exequiæ illi à varijs magnâ gloriâ celebratæ. *Charitas.*

HIERONYMVS DE SILVA COAD.

Lusitanus Vlyssiponç. 14 Octob. 1639.

HIc à P. Hieronymo Caruallio didicit vt ante meditationem B.V. coronâ attentè recitaret contra Languorem qui ei obrepebat. Fecit id ille per omnem vitam dum corpore valeret; eâ industriâ id assecutus, vt per horas plures noctu spatia orandi sine tædio vllo extenderet. Ianitor factus, cùm non cænaret, cænæ tempus (hortatu P. Francisci Suarez) orationi dabat, orando nunquam fessus. 21. Nouembris (vt dixi latiùs in Annalibus Marianis num. 867. & 868.) die Præsentationis B. Virginis (cui dici celebrando quotannis decem diebus se parabat) per iter dolebat se diuinâ synaxi refici non posse; cum P. Rectori, quocum erat, nulla sacri celebrandi opportunitas se offerret. Quare proximam Dei Matris ædiculam ingressus est. In qua videre sibi est visus ad aræ latus P. Franciscum Suarez (vitâ iam functum) supplicem iunctis manibus & sursum sublatis, genibus verò humi nixum, vnà cum quinque Angelis eâ quâ Diaconi vti solent sacrâ veste insignibus. Item sextum Angelum qui Hieronymo Eucharistiam porrigebat. *Oratio. B.V.* *Mortif.* *Præsentatio B.V.* *P. Suarez.* *Angeli.* *Eucharist.*

bat. Inde digressus, conscenso iumento, ad locum in quo prandendum erat appulsus, ibidem aliam Deiparæ ædem ad agendas gratias ingressus est. Mirum id visum, quòd Rectore citiùs appulisset. A Rectore ergò templum ingresso, in cælesti quodam æstu deprehensus est, iussusque id quod erat aperuit plenus dulcium lachrymarum postridie vtroque domum appulso, è cœnobio S. Claræ, à Sanctimoniali probatæ virtutis ac tam P. Rectori quàm Hieronymo planè ignotâ missæ literæ ad Rectorem, omnia quæ in via gesta fuerant, adeòque ipsam Hieronymo porrectam ab Angelo Eucharistiam, narrauêre. Hæc in meis illis annalibus Marianis, ac his plura.

XV. DIE OCTOBRIS.

GASPAR PEREZ COAD.

15. Octob. Hispanus Tarraconç. 1586.

FIdelis, diligens, ac religiosæ paupertatis optimique exempli studiosus, œconomus. Cùm latinè legendi atque scribendi peritiâ nonnihil tinctus esset, dæmon eam in tentationis instrumentum vertit; & non iam clam solùm, sed & apertâ fronte, ac voce clarâ disertè Gaspari suasit vt Societatem desereret, doteſque sui animi foris altiùs expoliret, atque perficeret. Sed Gaspar elegit abiectus esse in Domo Dei; adeòque ab omni legendi atque scribendi vsu abstinuit, vt sui etiam nominis charactere idoneo exprimendi propè oblitus fuisse dicatur: quâ ille sui demissione in omnium opinione maior increuit.

Vocatio.

Humilit.

Amor Dei.

stus ille, ac longus, tædioque obnoxius, & ab illo conceptâ voti obligatione ob Dei amorem vltrò quæsitus erudiendorum in scholis infimis paruulorum labor, in quo ille annum iam quartum & vigesimum versabatur, leuior illi esse est visus præ diuini amoris magnitudine. Nempè illa amoris magnitudo illi magnorum laborum fuit felix compendium, & condimentum. Moriens, ad suum in cælo amorem aspirans iucundè cecinit: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi.*

P. IOANNES ALPHONSVS.

Hispanus Madriti. 15. Oct. 1587. Alibi Lego. 14. Octob. 1586.

MOdestissimæ semper lætitiæ, ac diuini amoris vndeunde toto pectore alendi perstudiosus fuit. Atque vt alia de illo egregia, sed plerisque vsitata omittam, do vnum quod haud ita frequens est vbique. Mole-

P. IOANNES XARA.

Hispanus Madriti. 15. Octobris 1608. ætat. 103. Soc. 40.

MEretur huius ad centesimum tertium vsque annum prouecta senectus laudari, quòd post multos annos, quibus Præfectum studiorum egit. In confessionibus audiendis, ad mortem vsque strenuus & communis religiosæ disciplinæ retinens perstiterit, nullo ætatis obtentu ad effugiendos labores, aut ad priuilegij alicuius laxamentum adipiscendum vsus. Vir exempli optimi & fugitans commodorum. Ea propter nullum admisit, qui cubiculi illius curam haberet, etiam in ætate supremâ; ne res illa qualiscunque

Exemplum.

liscunque lexamenti aut vt dicimus singularitatis, vel denique commodi proprij odorem habere videretur.

P. FRANCISCVS VINCENTIVS PVCHE.

Hispanus in Philippinis. 15 Octobris 1650. ætat. 74. Soc. 60.

IN tyrocinio tum licèt adhuc ferè puer, tamen cùm valetudinario seruiret, heroicas de se victorias reportabat. Postea in Philippinis arduas missiones obiuit strenuus Christi operarius: nec rarò flumina ita vt vestitus erat tranabat. Vestes intimæ è frustulis ferè conflatæ, præ vetustate defluebant. Castitatis suæ virgineam integritatem assiduâ & seuerâ pudicissimi corporis afflictatione custodiebat: mendicabat necessaria ostiatim in missione. Domi cùm aliis præesset, nullam sui, plurimam aliorum curam gerebat. Ægrum senem ad suum aliquando conclaue deportauit suâ illum veste contexit, suo cibo refecit, in fide instruxit, baptismo expiauit, morienti seruiuit. Et ille breui mortuo, veste illâ non nisi diebus festis vtebatur in memoriam & gratiarum actionem pro illo Dei beneficio, ac animæ illius lucro.

Mortific.

Charitas.

Oratio.

Michaël Garzetas curatus Arenalensis, & postea Decanus, diluculo ad Collegium nostrum venit cum alijs die quodam, exploraturus, vnde venirent flammæ illæ quas è domo nostra videbat erumpere: vt incendium sopiretur. Sed ignem illum diuini amoris fuisse aiebat & ipse Michaël, & socij, quippe qui dum incendij causam & locum quærerent, reperêre socium P. Vincentij coram prælatâ Cruce prostratum eâ horâ quæ dicitur meditationis: Patrem verò Vincentium orantem in cubiculo, & se diuerberantem inter sancta suspiria. Vnde aiebat Michaël hæc non sine admiratione alijs narrans, se in illa meditationis horâ expertum impletam veritatem illius sententiæ: In meditatione mea exardescet ignis. Orandi dono fuit insignis. Nocturna tempora, quæ ferè vigil ducebat fugiente somno ab oculis, orandi studio transcribebat. Lectulum vesperi Angelorum, ac Sanctorum choris distributè circumdabat, singulos verbis è profundo corde profectis allocutus. Diuinum Sacrificium celebrabat apparatione attentâ, religione attonitâ. *Gloria in excelsis Deo* tanto sensu pietatis pronunciabat, vt eo audito vir locuples percelli se ac cælesti quodam numine ad mundum & opes deserendas permoueri senserit: ac breui Societati nomen dederit. Festis diebus anteprandium occupationibus animarum, post prandium in templo coram sanctissimo Sacramento fundendis precibus dabat. Aiunt, ægros ab illo persanatos non paucos, alios oleo sancto, alios verò baptismo. Cœnobij Xarensis Superior aiebat, Dæmonem esse magnum hostem P. Vincentij, auditum à se noctu in Vincentij conclaui tumultum magnum, deinde verò visum è cubiculo molossum erumpere. Extremis vitæ suæ mensibus totus erat in legendis, ponderandis, exercendis virtutibus Theologicis, quas in charta descriptas habebat præ oculis assiduè, vt sæpiùs lectitaret.

Mortif.

Oratio.

Vesperi.

Sacrum.

Mori.

XVI. DIE

XVI. DIE OCTOBRIS.

RICHARDVS BILER, & IOANNES SOPPIVS NOVITII.

16. Octobris Ad Treuiros 1588.

HOs per iter in silua Treuirensi, pro suo in fidem Carholicam, & Societatem odio, tentos, & nudatos hæretici trucidauêre, corporibus ibidem, vt à feris deuorarentur abiectis. ac licèt frequentes per ea loca grassentur lupi, corpora tamen innoxia post aliquot dies reperta sunt.

Fides.

Anglus.

Anno 1583. *Guilielmum Lacæum* Sacerdotem incerto mense ac die cæsum in fidei odium Eboraci cruentis Societatis heroibus accensent nonnulli. Rayssius ait eum in carcere Societatem petijsse, ac impetrasse. At Societatis epistolę de illo cùm taceant, ego rem in medio relinquo.

P. DIDACVS DAZA.

Hispanus In mari Britanico. 1623. ætat. 44. Soc. 24. *Charitas.*

SCientiâ, modestiâ, & omni religiosæ vitæ exemplo domi, & foris fuit spectabilis. Peruuiani Proregis Confessarius cùm esset, ac in Peruuium veheretur; in longa nauigatione quicquid ad christianâ disciplinam, quicquid ad omnem erga ægros charitatem spectabat officij, adamussim impleuit, vectores expians, ægris seruiẽs cibo quoque illis in os illato. Cum Legato in Britaniam nauigans, longâ & graui tempestate quassatus, confectus est. Cùm se propè à morte abesse

Mors.

videret, conscientiæ iterùm, & iterùm expiandæ ac recognoscendæ biduum impendit. Putant venenum illi ab hęreticis porrectum: certè illos aiunt ab illius obitu visos fuisse solito hilariores.

P. MARTINVS L'HERMITE.

Belga Duaci. 16. Oct. 1652. ætat. 56. Soc. 37.

NIhil tam arduum, vel odio inuidiæue obnoxium illi committebatur à Superioribus, quod ille, citra vllum humani oculi metum obedienter non perfecerit. Maioribus festis ingruentibus palam in triclinio se cædebat; etiam priuatim eximio planè sui afflictandi, & assiduè orandi studio insignis. In hoc tamen singulare quidpiam visus est habuisse, quòd acerba, quibus per aliquorum seu inconsiderantiam, seu malitiam infestabatur verba tranquillè tulerit, adeò vt ab externis atroci aliquo dicto, aut facto læsus, illicò se ad cubiculum receperit, & quicquid erat iniuriæ ad Crucifixi pedes prostratus deposuerit idẽtidem illa ingeminans *Domine, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt. Per viscera, per vulnera, ne tribuas illis, hoc peccatum* Ita diu orantem tam affluenter è cælo suis deliciis recreabat Deus, vt assueueraret, nihil sibi in vita accidere, vnde plus sinceræ voluptatis caperet quàm ex atroci aliqua calumniâ. Visus est Armenteriæ aliquando inter iacentium sub dio militum aceruos per diem integrum reptare ad capita singulorum, & eos expiare, atque solari.

Mortific.

Patientia.

Charitas.

XVII. DIE OCTOBRIS.

P. ALPHONSVS SEV BASILIVS DE AVILA.

17 Octob. Hispanus Granatæ. 1556. ætat. 30. Soc. 6.

ATenera inde ætate doctus Philosophus, atque Theologus, è lautâ domi re, atque ingenti honorum spe, ad Societatem conuolauit. Cumque meminisset moris scholastici, vt rebus disputationum feliciter cedentibus eius qui disputauit nomen per muros hinc atque inde passim affigatur; quemadmodum illi factitatum est non semel hisce verbis *Basilius victor*; ita ille in Breuiario, & in cubiculo pluribus locis affixit hæc verba: *Iesus Christus victor*. atque ab illo, tanquam à victore, leges se accipere debere dicebat, eiusque voluntati subesse: nam se ab illo victum esse. In Societate quâ Sociis præfuit, quâ sacras expeditiones excreuit, quâ ad populum dixit; omnia insignitè planè. Non priùs ad concionem dixit quàm se ad sanguinem vsque cederet. Lectulo non alio vsus est (quamdiu per Superiores id licuit) quàm asserе nudo. Breuis illi somnus; & prolixa. etiam noctu, oratio. Ne quid boni otij vel occasionis benè agendi perderet, illas duas particulas *hic & nunc* tam sibi quàm suis inculcabat. Præstabat dono dicendi, ac laudabatur: & ipse quoque magni faciebat boni concionatoris munus; aiebatque, concionatores Deum verè quærentes esse velut Saluatores mundi, & Christi successores in agendo cum hominibus vt reducantur ad gloriam. Conciones eius erant tuba diuina, tonitru, ignis, fulmen cæleste. Hispali primus, aut è primis vnus fuit de Societate istic ingressis: nec ibi domi suæ verùm in Xenodochio Amoris Dei, diuertit, & victitabat eleemosynis corrogatis. Ad illum audiendum, portis iam occupatis, etiam per tecta ibatur. Odia in amorem conuersa, fœmineus mundus vel abiectus vel ad modestiam accommodatus, iis qui iurabant graues à magistratu pœnæ impositæ. Deinde præfuit Collegio Granatensi primus Rector; vbi quia discentem templa minimè capiebant; sub dio dicebat magnâ vi, magno fructu. Vdeò vt illustrissima etiam & doctissima capita se Societati adiungerent, Madridius, Franciscus Torres, Didacus de Bucamonte, Petrus Bernal &c. In missione quadam cum socio matutinum tempus omne sacris operis impendit: post meridiem sub arbore sedit ieiunus, & canonicas horas recitans. Tunc illis vir ætate venerabilis repentinò adfuit, & corbem in manu atque in illo panem conditum, & alia esculenta deposuit, ac videri desiit. Iniquos quosdam iudices qui religiosum Sacerdotem publico supplicio affecerant, palàm pro concione die Dominico ad tribunal iudicis viuorum, & mortuorum prouocauit. Seque istic compariturum dixit; futurum vt quem hîc audire noluerint monitorem ibi sint habituri (vt ille aiebat) Fiscalem. Paucos post dies æger P. Basilius religiosè diem clausit extremũ; & eadem nocte is qui feralis sententiæ autor erat extinctus est: secutus hunc breui & alter; superstite tantum tertio, qui nolebat sententiæ horum subscribere. Mortuorum illorum Indicum opes omnes petiêre, filij & vxores ad stipem mendicato corrogandam redacti, ministri verò alij alio die,

Obed.

Mortificat.

Hic. & nũc.

Conciones.

Missio.

Mensa.

Angelus.

Ecclesiastica immunitas.

Mors.

Iustitia Dei.

die, breui omnes, interiêre. Morituram, & iam extremis mysteriis comparatum rogauere vt aliquid diceret pro sociorum documento. Tum ille: Vtinam, Patres, lingua hæc quæ Ecclesiastæ munus obiit, in culina potiùs fuisset lacernula, vel pannus ad lebetes defricandos abstergendosúe abiectus. Manus Medici dicentis ei non nisi 4. horas supereſſe in vita, tenerè osculatus est lætus. Vnde Petrus Guerrerus à virtutis eximiæ laude celebris ille Archiepiscopus Granatensis, qui aderat, petenti benedictionem Patri Basilio, eam dedit, & postea dixit: Benè compositas habuit suas cum Deo rationes, qui adeò desiderabat hinc ad reddendam Deo rationem abire.

Mors.

Humil.

P. IOANNES CNAPIVS.

Polonus Calisij. 17. Oct. 1605. ætat 34. Soc 13.

EXquisitus in religiosa disciplina, & animarum studio flagrans fuit: qui ardor illum etiam ad peste ictos egit: quos inter morte heroum extinctus est. Ab eius morte repertum est in eius cubiculo post portam in gypso Græco characterе exaratum id, quod illi non integra ante mortem mense acciderat in hanc sententiam: *Vigesimo Septembris habui somnium. S. Stanislaus* Patronus templi *per puerum suum iussit me paratum esse ad moriendum, quoniam tempus breue est. Inde lachrymans dixi: Recordatus es mei, Domine! experrectus laudaui Deum; precatusque sum, vt omen firmaret euentu.*

Charitas.

Mors.

S. Stanislaus

P. FRANCISCVS BOVTONVS.

Gallus Lugduni. 17. Oct. 1618. ætat. 50. Soc. 31.

VIrginitate, doctrinâ, toleratis Constantinopoli in carcere ærumnis memorabilis, in eodem carcere pro Sociis liberalis, instar pignoris petiit, & impetrauit retineri per menses aliquot. Naufragiũ passus vix euasit mortem in mari quam ferè in Portu reperit, cùm pro pirata naufrago haberetur. Patentes literas pileolo inseruerat cùm nataret. Inde agnitus, & periculo exemptus est. Reliquis 12. annis vitæ, illi stramen lectus, solus panis cum hausto iure modico cibus, potus verò fuit aqua modico vino permista. Silentij erat retinentissimus: non prodibat nisi vrgeret necessitas. In peste Lugdunensi seruiens occubuit, admirabilibus editis charitatis in aliis, in se verò patientiæ documentis. Vnde chirurgum rogabat, vt emplastra non lentè, ac ex arte, verùm ita vt erãt carni agglutinata, vna cum carne auelleret. *O quam suaue, ac bonum est,* aiebat valetudinarij ministro, *semper aliquid pati in corpore, Christi causâ, dum viuimus!* Iam propè aberat à termino vitæ suæ, cùm ad P. Ignatium Pomponium morti proximũ quibus potuit viribus adreptans, illi extremam vnctionem dedit & ibidem in eius lecto vicissim ab eo est vnctus.

Charitas.

Mortific.

Charitas.

Patientia.

Charitas. Mors.

P. MARCELLVS FRANCISCVS MASTRILLVS.

Italus Nãgasachi, 17. Oct. 1637. ætat. 55. Soc. 20.

MArchionum stirpe natus Neapoli, cùm etiam tum puer B. Virginis officium recitaret, identidem in lætas lachrymas soluebatur, quòd barbaros mortem sibi intentantes videre videretur. Taurus illum furenter sublatum in cornua, illicò deposuit nihil læsum, posteaquàm ille conspectâ tunc fortè quæ in domo picta erat B. Virginis imagine, opem illius imploraſſet. Eiusdem Dei Matris patrocinio vitam omnem ab omni lethali noxa duxit immunem. Sacro, quod

B.V.

Vindicta.

quod pro cæso in vindictæ cupiditate sine Sacramentis mortuo famulo celebrabatur, ministranti spectrum ignem spirans apparuit; & ille concidit præ terrore. In horto amœno videre sibi visus est efferri funebri pompâ fœminam candidatam, quæ Marcello nescio quid locuta est. Quicquid hoc rei fuerit, certè Marcello inde accessit perquàm magnus stimulus ad virtutem. Societatem ingressus, Indias vrgebat semper. Inde illi quotidiana in seipsum sæuitia incussis flagellis exercita, & crux ferreis cuspidibus horrida pectori arctè adstricta. Ipsum Deiparæ quo vtebatur rosarium fuit è palo Iaponico, ad quem alligatus quispiam in fidei odium conbustus fuerat. Beatissima Virgo Marcelli Patrem moneri iussit de quadam sua imagine honoratè collocanda, Inuenta illa est in stabulo, & commissa Marcello; qui eam ornauit, & effecit, vt Sacerdotio constituto, locupletaretur à Marchione Patre. In primis exercitiis, per discluſum tam cubiculi fornicem quã domus tectum, apertum cælum, & in eo mira, spectauit; quibus deinde per omnem vitam se succendi ad excelsa persensit. Inter docendum aiunt nunquam iratum vultum præsetulisse. E S. Eustachij imagine prorumpens in illum radius mirâ illum spe impleuit; cùm à Sancto illo diserte moneretur, fore vt Indias impetraret. Quodam de sociis mortuo, diuinitus intellexit, voce perceptâ, alium breui (sed alio longè ac diuerso ab hoc funere) extinguendum. Et nominatim exprimebatur is de quo ea vox dabatur. Et verò diuerso longè funere abiit ille: breui enim, Societate desertâ, desiit esse è numero Sociorum. Anno 1633. Neapoli cùm Dominicâ post festum Immaculatæ Conceptionis, pompâ solemni supplicatio celebraretur immaculato illi mysterio honorando, malleus in laborantis pro festi apparatu Marcelli tempora decidit, & illum prostrauit. Depositò de vitæ spe adfuit specie cultuque peregrini spectabilis S. Franciscus Xauerius; à quo persanatus est, voto è formula votorum Societatis à Xauerio ipso præeunte suggestâ concepto de Indiis adeundis; amabili, longo, vario, suauissimoque spectaculo. Interrogatus fuerat in summo illo vitæ iam fugientis periculo ab Equite candidis vestibus & cruce insigni, ac viatorium scipionem, & cereum ostentante, num scipionem ad iter, an cereum mallet, mortis nempe obeundæ symbolum. Respondit; malle se quod mallet Deus. Aliàs ab eodem, pluribus aliis qui faces accensas manu gestabant, comitato, visitatus, intellexit, illos eius amicos esse, ac pro illo enixè precari: morbum illius animabus purgatorij grauem esse, quòd eius interea ope carerent. Xauerium illum fuisse aiebat Marcellus; qui illi etiam inter vescendum, atque orandum sæpè adfuerit, lectulo assederit, animum erexerit. Allata illi petenti est imago peregrini Xauerij, cuius ope vt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum glutire posset, obtinuit; & se postridie sacrum celebraturum dixit. Iam vix quartâ horæ parte à morte abesse credebatur, cùm blandum sibi adesse Xauerium vidit, nominatim ab illo vocatus. Mox votum, quod dixi, conceptum: admoræ, iussu Xauerij, capiti ægro S. Crucis reliquiæ; quas, Xauerio docente ac verba præeunte, sic salutauit: *Aue, lignum Crucis; aue Crux pretiosissima: me tibi totum dedico in perpetuum, &c.* Post hæc, atque his plura, & Xauerius, & omnis morbus abscessit; & Mastrillus postridie, 4. Ian. 1634. manè sacris est operatus vigens, ac valens. Inde ille S Angelum suum Custodem ad S. Xauerium quot horis ferè, velut nuncium, mittebat. Illius honori

Hortus.
Mort.
Mortific.
B. V.
Exercitia,
S. Eustachius.
Radius.
S. Xauerius.
Faces.
Purgat.
S Xauerius.
S Xauerius.
Crux.

honori contextas ex eius elogiis litanias quotidie recitauit; & ex eius reliquiis vidit lucis radios erumpentes. In India è lęto mœstoúe imaginis Xauerianæ vultu futura læta vel tristia legebat. Illo Goam appulso visa est non vna Crucifixi Christi effigies oculis apertis Iaponiam intueri. Cùm in mari Iaponico periculis iactaretur, cuidam pro Iaponia oranti 21. Iulij visa est è Crucifixo lux fundi, & simul hæ voces auditæ: *Iam Sancti Spiritus lucem mitto.* Deinde ipse quoque Marcellus inclytâ iam morte perfunctus, eidem conspectus est coram Crucifixo de genibus capite inclinato pro Iaponia preces effundere. Captus à barbaris, visus est toto capite collucere; & in carcere inter orandum totus lucidus, ac in alto sublimis conspectus est. Aquis, & igne candentibus instrumentis cruciatus, ad supplicium ductus est cum scripto, quo indicabatur; illum mori, *quòd legem exteram prædicaturus in Iaponiam venisset.* Cum quarto iam die in fouea Iaponico more penderet, capite deorsum verso, nec moreretur; inde extractus, flectens sub gladio bis exclamauit; *Patermi, S. Francisce Xaueri!* Bis iuflixit illi carnifex ensem innoxium. Tandem tertio ictu, cùm IESVM & MARIAM pronunciaret, capite truncatus est: & mox terra contremuit. Et Marcellus eodem tempore Manilæ Petro Corcuerę Gubernatoris è fratre nepoti morti vicino apparuit: Madridij verò oratoris Cæsarei filius macie torridus repentè conualuit, nempe cuius à se in baptismo susceptì memorem se fore Marcellus in Iaponiam inde soluens promiserat: ibidem Comitem Rupis floridæ febris quartana eodem tempore deseruit, fidemque impleuit promissi quo Marcellus promiserat se illi sui memoriam certo indicio testaturum. Angina, febres, calculus, capitis aliique dolores & morbi, eius ope depulsi; oculi, ac membra alia eorumque vsus restitutus; parturientes adiutæ, atque alia id genus, ij narrant qui eius gesta latiùs prosequuntur.

Radij. *S. Xauerius.* *Crucifixus.* *21 Iul.* *Oratio.* *Facet.* *Purgat.* *S Xauerius.* *Fidet.* *S Xauerius.* *Crux.*

XVIII. DIE OCTOBRIS.

P. GASPAR BARZÆVS.

18. Octobris Belga Goæ 1553 ætat. Soc 7.

MAgni semper habitus à S. Xauerio fuitque velut alter Xauerius in animarum cura, & socijs gubernandis. Alias ad seruos; alias ad populum; alias ad infirmos eodem die conciones habebat. Vesperi nolæ pulsu prouocabat Populum ad orandum pro ijs, qui lethali peccato vrgerentur, vel quos Purgatorij flamma exerceat. Laborum tantum sustinuit quanti vel denis hominibus sufficissent. Dicitur concepto voto spopondisse, nulli se opem corporis, vel animi negaturum, quam quidem prę-stare posset: id quod adeò præstitit, vt secundùm Xauerium nemo istic eâ ætate parem laudem tulerit. In medio est eius vita, in qua eius labores fusè percensentur.

Vesperi. *Charitas.*

P. EMMANVEL DE NOBREGA.

HIc primus de Societate Brasiliam adiit, & ibi cum socijs *Mariæ Virgini adiutrici* templum suis ipse manibus extruxit, ipse materiam è

Lusitanus in Brasilia. 18 Octob. 1570 ætat. 53. Soc. 26.

B.V. montibus conuehens; ipse laborans, ipse pro animabus vndequaque satagens, & concursans. Illud quoque de illo fertur; quòd cùm illud B. V. adiutricis templum in edito colle construeretur, & ille locus aquæ inopiâ laboraret; sociorum vni monstrato istic arboris trunco dicenti: *ô si Deipara placeret hinc fontem elicere!* dixerit. Nobrega: *Confido; & huius, & maiorum miraculorum potens est hæc Domina.* Inde itum ad sacrum in eo Deiparæ templo iam ad vsum idoneo celebrandum: & ecce tibi sub sacri medio scatebram aquæ perpetuæ ex illo ipso arboris trunco affluentissimè manantem quæ aqua postea morbis quoque pellendis salutaris fuit atque mirabilis. Tertio ante obitum suum die cùm in sede fluminis Ianuarij per oppidum valediceret, rogatus quô proficisceretur, cùm nulla nauis adesset? *In Cælum*, respondit. Et abiit.

Vide Annales meos, marianos.

Sactum.

Aqua B. V.

Mort.

P. IOANNES RICVS.

Hispanus Vrgellæ. 18. Oct. 1605. ætat. 53. Soc. 31.

ORandi, & sui per calores æstatis, ac hyemis frigora quæsitis modis cruciandi amore singularis fuit Ioannes. Maioricæ Rector cùm esset, ac idiomate Castellano concionaretur præter morem, Alphonsus Rodriguez eius socius à Deo audiuit: *Rector tuus expiabit hanc concionem igne purgatorio.* Quâ re intellectâ Ioannes illo idiomate deinceps loquutus est nunquã. Peccata, confessione quotidianâ sacro præmissâ, expiabat. Mortuum illum à Alphonso Rodriguez pro illo orante pulcherrimum visum ferunt radiis vndique (sed capite nobilius) collucentem, & quasi ijsdem coronatum: sæpe aliàs quoque illum vidit, vt fama est Alphonsus, cùm illi se pietate priuatâ commendaret.

Purgator.

Concio.

Mors. Caput.

P. MELCHIOR DE MORA.

Hispanus in Philippinis. 18. Oct. 1617. ætat. 74. Soc. 47.

NObili domo Carauacæ natus, & bellicis honoribus laudatè functus, animum ad studia, & Societatem applicuit, cùm pro concione rem propè nuperam, quæ Granatæ contigerat, audiret, ab illo quo spectaculo ipse interfuerat. Aiebat Ecclesiastes, Ioannis Auilæ assecla, se à mensa; cui accumbebat, accersitum ad ægrum quendam Carauacensem aduolasse: at illum iam mortuum reperisse. Cùm verò pro mortuo Litaniæ omnium Sanctorum recitarentur, mortuum in lectulo resedisse, ac dixisse lamentabili vocis sono, se deceptum in errore vixisse: *Engañado*, aiebat, *he viuido!* & decubuisse. Infinitam Dei misericordiam ei, sed iam surdo & mortuo, narrabat Ecclesiastes ille, cùmque alter nihil responderet, neque vllum vitæ daret indicium; ad Litanias redijt cum ijs qui aderant. At en iterùm mortuus ille ita vt priùs se erigens ingemiscens dixit: *Engañado he viuido!* iterumque decubuit surdus ad omnia quæ illi de confessione dicebantur. Tertia Litaniarum bis iam interruptarum pars pro illo recitabatur, cùm ille tertiò confidens, ijsdem verbis, testatus est, se deceptum in errore vixisse. Neque plura locutus, omnes reliquit stupore ac sancto timore attonitos. Hæc de Carauacensi mortuo vbi audiuit Carauacensis Melchior, etiam in ætate iam vtcunque matura se studiis, postea Societati addixit. Cùm in Iaponiam mitteretur, in Lusitania m vsque pedibus iter confecit. In Iaponia per annos quadraginta multa tulit fecitque, magno gentis illius fructu: donec in exilium electus, in Philippinis magno religiosæ virtutis exemplo

Vocatio.

Mors.

Litania.

exemplo vixit, paupertatis accuratus amator; certus ad omnem obedientiæ sanctæ nutum; & illud in ore habens identidem; se id vnicè agere, vt in omnibus ad mortem se pararet. nempè ne, ita vt Caravacensis ille, in errore illo moreretur quo deceptus mundus, & eius sequaces, serò tandem clamabunt: *Ergo errauimus.*

Mors.

Hispanus in Philippini s. 18. Oct. 1617. ætat. 74. Soc. 47.

P. GEORGIVS FORRO.

Hungarus Tyrnauiæ 18 Octobris 1641. ætat. 72. Soc. 34.

Vocatio.

Mors.

Fides

Litania.

NObilem sanguinem placidis moribus, decoro vultu, & apto nato ad rectionem ingenio testatus est. Mitto hîc ea, quæ nominatim de illo narrant anni 1609. annuæ Transyluanæ impressæ, quid pro re catholica inter turbamenta illa præstiterit, pietate, authoritate, facundiâ memorabili. Extat prolixum eius elogium missum ab Austriæ Prouincia, quam per annos complures magno spiritu, & suaui authoritate rexit: & de qua (vt ibi scribitur) ille si quis alius, plurimùm sanè meritus est; ipso arguendi modo, eorum quos arguebat sibi illigans voluntates. Tenera planè, ac multis (cùm se solum esse arbitraretur) colloquiis testata fuit illius erga Angelos Custodes pietas, atque propensio. Aiunt eius, tunc Prouincialis, socij; Angelum Custodem, instar iuuenis candido equo vecti per iter adfuisse non semel; ac iter & pericula indicasse; videri denique desisse. Socijs periculis, aliquando mirum in modum incolumes, illum inter preces & lachrymas Deo supplicem reperêre; suamque in præcipiti prolapsione incolumitatem illi acceptam retulêre: vt fusiùs narrant Annuæ Austriæ in Archiuo. Facillimæ illi ad socios, vel ad concionem dicenti, & Sacrum celebranti fuêre lachrymæ; atque accurata pietatis custodia. Vnde cùm Nouitium quendam à mensa surgentem aduerteret signum Crucis obiter, ac properè sibi impressisse, illum suauiter, sed non sine acri doloris sensu, commonuit; vt diligenter ad singula ea, quæ Dei sunt maximoperè accuranda totus aduerteret. Plura de illo in vita.

Mensa.

Ang. Custos.

Charitas.

P. ISAACIVS IOGVES.

Gallus apud Hiroquæos. 18. Oct. 1646. ætat. 40. Soc. 22.

Humil.

Euchar.

Pati. Oratio.

Fides.

PCaroli Spinolæ in fidei odium combusti herois imaginem in sinu circumferebat, & sæpenumero suspirabat desiderio paris mortis. Voti religione spopondit; se, quoad posset, latitare velle despectum atque abiectum. Totam aliquando noctem coram SS. Sacramento humi prostratus orando duxit, multa aspera, & ardua pati flagranter petens. Et responsum accepit: *Exaudita est oratio tua: fiet tibi sicut à me petisti: confortare, & esto robustus.* Apud Hurones in Septentrionis Africa laboranti, Hiroquæi barbari Ethnici, vngues, mordicus auulserunt, indices duos dentibus contriuerunt. Taceo pellem à corpore retorridam, cadentem, aliaque horrenda omninò. Igne, vnguibus, dentibus in illum sæuitum est cùm in carcere teneretur: quo ipso tempore facilè 70. capita Christo genuit in vinculis; & Renatum Nouitium crudelia passum, tandem coram se cæsum vidit, vt dixi 5. Augusti. Pax cum Hiroquæis composita illum inde extorrem eò postliminio pellexit; & ille diserte scripsit, se inde minimè redituru. Interuersa est pax; & P. Isaaco decreta mors. Ferrum illi in caput illisum; præcisa ceruix.

Inter cælestia illa quæ diuina patiens vidit, fuit mirabilis Ciuitas, & in

in illa scriptum : *Laudent nomen eius.* Vbi pro tribunali se verberatum ait; sed recreatum simul à Iudice amplexu & lætitiâ, quam non poterat explicare, sentiens amoris diuini æstu accendi se magis ac magis ; adeò vt velut in extasi exclamaret: *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt* PP. Iacobum Bertric, Stephanum Binet, Petrum Cotonum aliàs intueri sibi visus, petiit ab ijs commendari Cruci, vt eius ciuem atque discipulum. Aliàs in officinâ Crucibus coopertâ mirè sibi obiectâ librum sibi præberi vidit qui contineret *Illustres pietate viros, & fortia bello pectora*; quæ verba tunc audita, eius animo altiùs hæsêre infixa, ad imitationem Crucis. Inde illi amor Crucis, & Litaniæ è Crucis titulis concinnatæ, ac ea ipsa quæ patiebatur tormenta pro illorum, à quibus patiebatur, salute oblata. *Liber.* *Imitatio.*

XIX. DIE OCTOBRIS.

FRANCISCVS MORENVS COAD.

Hispanus diei incerto, 1606. ætat. 72. Soc. 46. B.V.

CVm ab ordine religioso alienus esset, rogauit aliquando Deipatam vt ei cor mutaret: postridie eadem quâ pridiè orarat horâ cor ex alio aliud, id est, ad religionem aliquam capessendam inclinatum, sensit. Semel atque iterùm sine veste nostrâ foras in plateas prodire petiit, vt se peruinceret; impetrauit, stipem corrogauit, & stulti nomen atque cachinnos retulit. Post has victorias Deipara cordi eius se sistere atque ita loqui ei est visa: *Ego ero Mater tua, & protegam te.* Atque ab eo temporis articulo se tenerrimè propensum erga illam sensit. Tota eius industria in eo versabatur, quomodo se totum Deo vnicè deberet dare ac vndequaqi transcribere. Aiebat se esse in paradiso, neque sibi oneri esse tot officia quibus distinebatur. Manè tantum sibi de somno decerpebat, vt sæpè 4. horas orandi studio daret; cuius magno desiderio & veluti fame tenebatur. Exultabat inter labores, & cum Deo sermones inflammatos miscebat, magno de Dei Majestate lumine, magnâ diuinarum rerum peritiâ imbutus, & ad ea quæ imperabantur volans incredibili cordis ardore, vt sibi aliquando velut in tertium cælum abreptus videretur, cùm in re quadam difficili hilarè paruisset. Cùm ei onera oneribus adderentur, & plecteretur quòd currere aliquando visus esset (vt ægris quatuordecim quibus seruiebat vnicus satisfaceret) gestiebat, & hunc sibi rosarum esse lectulum gloriabatur. Ardebat toto pectore amore Dei, aiebatque Superiori, se vri; adeòque vexari se petebat vt illi amori ac patiendi desiderio pabulum præberetur. Eas vlcerum sordes quas maximoperè horrent stomachi etiam minimè delicati, ex ægris haustas, manu, & ore tractabat, fel palato, dorso aculeos, corpori reliquo cruciatus alios multifariam adhibebat. Inter plantas oculeis molestas, adeòque inter spinas cum S. Benedicto se nudum aliquando versabat. Respirare sibi videbatur si insigne quodpiam se affligendi genus à Superiore obtineret. Cùm scrupulis, & capitis dolore è laboribus quibusdam concepto afflictus orare non posset; post exercitia sine vllo spiritus solatio absoluta, misericordiam postulabat & peccatorum veniam

Obedient. *Amor Dei.* *Mortific.* *Crucifixus.*

Oratio.

veniam à Crucifixo. Et tunc dulcissimè illi (vt ei videbatur) respondens Christus: Et cur ego cruci huic affigi me volui, nisi vt te amarem, tibique ignoscerem, Aliàs, dolores illi omnes abstulit Crucifixus. Ad B. V. de penna peregrè profectus, arcto silentio vsus est per iter vnà cum socio honori Virginis. Morbis licèt ingraueſcentibus, tamen cum docendis paruulis adhiberetur vires vtcunque recepit, & fuit ad illud munus mirum planè in modum idoneus. Docebat illos coram B. V. imagine quotidie in conscientiâ diligenter inquirere, atq; Dei Matrē vnicè colere. Vnde mira ac tenera in paruulis visa sunt huius pietatis exempla. SS. Sacramentum quinquies quotidie visitabat, & pro se ac Sociis donum perseuerantiæ postulabat. Labore quopiam perpetrato, *Salue Regina* recitans perseuerantiam, & mortem felicem petebat. Si quando otium pinguius nanciscereturr, etiam octo rosaria exequebatur recitando. Sæpè se introspiciebat, an & quantum in hac erga Dei Matrem pietate proficeret. Si qua illum, vel alium necessitas vrgeret, nouendialibus obsequiis in honorem Deiparæ institutis opem illius implorabat. Quacunque horâ excitari à somno vellet, custodem Angelum sic alloquebatur: Angele mi, tali horâ me excites oportet, amore quo flagras erga Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Et verè excitabatur: & quidem aliquando tantùm strepitu, nonnunquam verò nominatim vt ei videbatur, ab eo vocatus. Quin etiam noctu aliquando ei Angelus lucernam accendit, vt ferunt. Animabus purgatorij integrum indulgentiarum conscriptum catalogum applicabat; & omnia quæ agebat, iis donabat; exceptis illis quæ ad obedientiæ intentionem imperantur. Nec semel illas se illi spectandas, cum ei gratias agerent, fama est præbuisse.

B.V.

Silentium.

Eucharist.

B.V.

Angelus custos.

Vt se emendatè perficeret, sexies conscientiam examinabat quotidie; cui rei sua tempora assignabat. Dei præsentis vnicè atque assiduè memor, oculum aliquando miro modo sibi ostensum vidit tam vigilem, vt eum nihil omninò latere potuerit. Silentij tam fuit retinens, vt diceret; si quando res sesqui verbulo expediri possit, non esse duo verba adhibenda. Et quò minus torquebatur, eò diuina facilius percipiebat. Aiunt illum cum Deipara per semi horam aliquando, locutum, & odoribus fragrasse conclaue. Per biennium in orando nihil suauitatis perceperat, & ecce à Christi coram æterno Patre orantis imagine dulcissimam in corde vocem audiuit quæ aiebat: Huius causâ quem vides tua tibi æternus Pater peccata ignoscet. Inde illi suauissimæ in animo coortæ deliciæ diebus pluribus durauêre. Plura de illo in vita ad annum 1606.

Examen.

Præs. Dei.

Silentium.

B.V.

Oratio.

GONSALVVS IVSTE. COAD.

PRæter magnas paupertatis, ac se vexandi artes, fuit pietatis in Deiparam, & patientiæ singularis. Ingens plaga carnem illi magna ex parte in tabum conuerterat, adeò vt Indus qui eum curabat diceret os quoque illi sensim putrescere. Quare Gonsaluus præcepit os eâ parte quâ erat putridum malleolo contundi, ac eam partem tolli. Sed ne id ampliùs fieret vetuit Patrum quispiam qui tam inusitatum & medendi & patiendi genus obstupuit eò tunc appulsus cùm Indus ossis putridi partem raderet, atque contunderet. Hostiliter tractabat corpus in omnibus, orans inter labores, ac semper. Iussus est aliquando con-

Hispanus in Paraquaria incerto mense ac die anno 1638. ætat. 60. Soc. 21.

Patientia.

B V. Iter.

fessario suo, sibi Christum & eius Matrem sanctissimam per dies plures inquiete spectabiles adfuisse. Aliàs benè manè cum Patre quopiam foras ibat, & cælum admirabili pulchritudine amabile vidit, & vocem inde venientem audiuit: Hìc semper cum Sanctissima Virgine habitabis.

P. PETRVS VENVSTVS.

Italus ad Biuonam. 19. Octobris 1564. ætat. 41. Soc. 18.

A Sancto P. Ignatio in Siciliam missus, Nouitios istic religiosè instituit; ac digna egit Apostolico viro pro sanis & ægris, & probis & improbis. Inter alios Rogerium quendam Sacerdotem (hominem ob flagitiosam vitam nomine illo sacro indignum) suauiter, acriterque non semel quà monuerat quà rogârat, vt offendiculo probis oculis auribusque tandem esse desineret; eundemque optima promittentem, Duci eius loci commendârat. Porrò ad aleas iterùm, aliaque probra relapsum, iterùm commonefecit, vt saperet. Sed ille monitoris impatiens, & timens ne Duci quoque importunus hìc monitor aliquid fortè suggesserit, suggeratùe consilij, monitorem de medio tollere constituit; atque hoc die ruri, domum ex agro redeuntem in itinere, à tergo tertiò in capite vulnerauit. Repertus Petrus à Biuonensibus, cùm volutaretur in sanguine, atque num facinoris autorem nosset rogatus, affirmauit, sed vt proderet induci non potuit, cùm diceret: Sinite illum: Deus ei ignoscat. Simulque breui IESV nomen ingeminans expirauit; magno sanctimoniæ nomine post se relicto. *Charitas.*

XX. DIE OCTOBRIS.

P. BERNARDVS VENEGAS.

20 Octob. Hispanus Montillæ. 1571. ætat. 72. Soc. 14.

HIc olim infans in puteum profundum ceciderat: sed illum diuina Mater seruauit illæsum. Cùm summæ quædam authoritates illo arbitro vterentur ad conscientias expiandas, nihil idcircò remisit de ardore quosuis inopes libentissimè audiendi, labore longo, atque difficili. Quare cùm è graui quodam morbo audiendi facultatem perdidisset, dolebat suas vices quòd pauperibus opem ferre non posset. Semper tamen tenerâ quadam fiduciâ confidebat fore vt id per Dei Matrem à Deo impetraret. Nec sua illum fefellit fiducia. Pridie Immaculatæ Conceptionis Matris Dei plenam audiendi facultatem recepit. Et vt gratus esset; decreuit deinceps diuinis inspirationibus impensè parere; quòd eam pœnam suo in diuinis languore se commeruisse putaret. *Inspirat.*

Humil.

B V.

P. GEORGIVS SCHORICHIVS.

Germanus Badenæ. 20. Oct. 1573.

AS. P. Ignatio Societati adscriptus, à culinæ officijs ad literas ingenium transferre est iussus. In Germania postea pro fidei Orthodoxæ sanctimonia fidelis operarius multa gessit; ideòque Dux Albertus pro populis inferioris Bauariæ ad fidei Catholicæ veritatem reducendis illum delegit: id quod ille fecit feliciter, *Fides.*

citer, cùm eius ac Socij operâ, plus quàm tria millia veteris ac sanæ religionis lucem agnouissent. Submoti corruptores; instituti in suis officiis Sacerdotes; nihil non actum pro constabilienda Catholicâ veritate. Inde Badenæ similia patrare iussus, & eò idcircò profectus; ne id posset, ab hæreticis veneno, & morte inde secutâ est prohibitus.

P. IACOBVS DEI COAD.

Belga Basnæ. 1615.

ILlustribus Toparchis natus, at breui orphanus, Europam peragrauit, per iter in templo castitate voto firmatâ: post quod votum nullo molesto carnis sensu tentatus est, etiam inter occasiones lubricæ aulæ Parisiis: vbi formam suam petulantibus oculis malè placere dùm videret, vino sibi per omnem vitam interdixit, seque in ediâ castigauit. In Italia nomen Societati inter Coadiutores dedit, mox missus in Corsicam: vbi mirum quantum laborum tenui, aut nullo ferè cibo refectus, exhauserit. Siti se longissimâ in summis caloribus affligebat: corpus flagellis, & vncis exarabat. Romam ad Generalem missus pedes & mendicato profectus est: eoque appulsus defecit, virium ac sui factus impos: & repertus est catenis vndequaque circumdatus, cum lamina ferrea, quæ lateri adhærebat. Manifestam Angeli Custodis opem in Oeconomia expertus est aliquando. Vita illi vniuersa, fuit oratio: anni omnes, innocentes ab omni labe mortali. In montis cuiusdam fastigio B.V. imaginem collocauit. Ad hanc ire iussit affines quorundam à Turcis captorum; promisitque fore vt illâ auspice suos breui reciperent. Præstitêre id illi: & suis receptis, eo loco Deiparæ à Monteserrato sacellum posuêre. Reliqua in vita.

Castitas. Mortif.

B.V.

P. STANISLAVS WOYSZA.

Polonus Posnaniæ. 21. Octobris 1655. ætat. 43. Soc. 26.

FVit in animarum studio fortis, & constans, vsque ad pulchræ ac heroicæ apud pestiferos mortis decus. Natum aiunt ferè sine vertice cranij, sed B. Stanislao nostro in templo oblatum & persanatum, cranium recepisse. Tantâ integritate versatus est in iuuentute, vt Magister Nouitiorum de illo dixerit, animam illam ab impuro dæmonio ne quidem afflatam fuisse. Putant per omnem vitam nullius mortalis noxæ reum fuisse. Per annos plures quothebdomadis preces & afflictiones corporis offerebat pro quodam nominatim, à quo insigni quadam iniuriâ (non sine probro) fuerat affectus. Plura de illo dixi in Heroibus Charitatis.

B. Stanislaus

Patientia & Charitas.

XXI. DIE OCTOBRIS.

P. EMMANVEL DE ORTEGA.

21. Octobris Lusitanus in Peru. 1622. ætat. 69. Soc. 50.

IN Lusitania, Brasilia, Paraquaria, Peruanaque Prouincia multa cummessis, & ærumnarum vbertate versatus est inde à iuuentute. Ad Indos quosdam baptizandos noctu in magna quadam exundatione per horam natauit, manifesto vitæ discrimine: illi lustrati mox in aquas ex arboribus

Charitas.

cecidêre submersi : Etiam in lecto, in quo febribus æstuaris tenebatur, catechismo, & baptismo administrandis occupabatur. Admiranda gessit, & passus est, constanter, ac fortiter in obsequiis animarum ; quarum ille plurimas paulò ante quàm hinc demigrarent, Christo lucratus est. Cùm esset spiritualis formatus Coadiutor, oblatam sibi 4. votorum professionem non admisit ; ne quid in instituto laxamenti fieret sui causâ.

Humilit.

P. IVLIANVS
NACAVRA, & DVO NOVITII.

Iapon Nãgasachi. 21. Oct. 1633. ætat. 66. Soc. 43.

PRincipe Iaponiæ stirpe natus, Nangasachi à 18. Octobris ad hunc vsque glorioſæ mortis diem pependit toto corpore in scrobem inuersus. Fuerat hic vnus è trium illorum numero qui Romam inde missi fuêre legati à Rege Bungi ad celebratissimũ illum Greg. XIII. Boncompagnum, summum Pontificem. Româ redux, in Societatem adscriptus est, in eaque relatus in censum spiritualium adiutorum. Studijs ac laboribus apprimè deditus, totus in Deo erat, in animarum salute quærenda totus. Cùm illi aliquando vires ærumnæ variæ exhausissent, portari debuit ad succurrendum indigentibus animabus. Dum iret damnatus ad mortem, dicebat suis Iaponibus ; illum se, illum Iulianum esse missum olim Romam è Iaponia mitiore : pro illâ Romana, & vera fide se nunc vitam deponere.

Zelus.

Hoc etiam die scrobis tormento enecti sunt.

Petrus, & Matthæus, Nouitij.

Patrum Socij Iapones, ad Societatem in carcere aggregati.

P. ALOYSIVS LANVZZA.

Italus Panormi. 21. Oct. 1656. ætat. 65. Soc. 47.

HVnc Sicilia velut Angelum suum, Apostolicumque virum suspexit. Ecclesiastæ munus per annos ferè 40. persanctè gessit non tam studio exquisita dicendi, quàm se atque alios ad cælestia totis viribus incitandi. Vnde domi disciplinæ cura, continua sui afflictatio, profunda inter omnes ac infra omnes demissio ; foris autem impigra erga omnes charitas, ac mirabilis ad animos permouendos efficacitas in eo mirificè eluxêre. Cùm domi in Bibliotheca veteri Panormi facie humi prostratus noctu oraret, visus est torâ facie collucere, splendore longè ac latè effuso. Multi dicunt se expertos illi arcana cordium, & absentia multa fuisse perspecta, & ea quæ futura prædixerat ; eueniſſe. Bernardus à Colle & Campo Abbas chirographo suo ac iure iurando testatur, conspectum à se fuisse radium qui è fronte P. Aloysij ad populum dicentis tanto cum splendore vibrabatur, vt stellæ instar illi sit visus. Idem à se in eo visum luculẽtisunt testes Matrona quædam illustris, & Franciscus de Mello Prorex Regni Siciliæ. Quidam ad eum audiendum ab amico adductus, tædio victus abiuit. Vix pedem è templo extulerat cùm se velut retrahi manu sensit, videreque sibi visus est P. Aloysium seuero vultu ac voce vt redeat imperantem. Miratus videri à se illum quem in pulpito reliquerat, redijt, & P. Aloysium reperit adhuc ad concionem dicere ac tonare. Tum illum maior admiratio incessit. Nec pœnituit rediisse veluti diuinitus eò pertractum. Etenim ea concio illum in vberes lachrymas breui coortas effudit, ac post concionem ad P. Francisci Amorelli pedes abiecit

Oratio.

Concio.

abiecit dolenter peccata fatentem, & ea quæ diximus enarrantem. Aliàs visus est ad concionem dicenti spectabilis Angelus adesse; aliàs ex ore precantis illustris quidam ac cælos penetrans radius emicare. Pro iuuene lethaliter saucio; neque sui compote, vt expiari posset, se abiecit in genua, &aliis quoque, qui permulti aderant, vnà comprecari iussit, *Aue Maria* recitauit. Vix expleuerat, cùm iuuenis sibi redditus *Confessionem* impensè postulauit; ac expiatus, alterà post horâ viuere desiit. Audiui à viro fidei exploratæ qui Aloysium studiis adhuc operam dantem, tunc & ipse iuuenis, nouit; communi omnium ore celebrari, neminem omninò fuisse inuentum siue domi, siue foris, qui Aloysium non insignitè suspexerit, tanquam singulari summæ virtutis famâ passim vbique laudatum quod certè rarum esse nemo non videt, cùm etiam de Sanctissimis quibusque variæ cooriantur sententiæ variorum variè sentientium atque loquentium. Paulò ante mortem, petiuit sibi ostendi Dei Matris imaginem; & in eam sibi exhibitam defixis piè oculis hæsit attento silentio; ac expirauit Sabbato, id est die Deiparæ ipsi sacro. Post mortem, cuidam (vt alios taceam) visus dicitur per quietem in veste candidâ hilaris cum S.P. Iguatio qui Sacrificali, & Xauerio qui lineâ concionali, veste, induti videbantur; multis aliis vnà spectatis in veste candidâ; quorum aliqui palmas gestabant in manibus; venerantque P. Aloysij animam deducturi. Constabat verò glorioſa illa cohors ex ijs qui è Societate in cælum recepti iam sunt: item ex ijs quos per P. Aloysij labores ad felicem æternitatem adeundam adiuuit bonus Deus.

Italus Pa. normi. 11. Oct. 1656. ætat. 65. Soc. 47.

B.V.

Oratio.

Concio.

B.V. Mors. Sabbat. S.P Ignat & S Xauerius. Mors.

XXII. DIE OCTOBRIS.

P. FERDINANDVS MELCHIORIVS.

21. Octobris Germanus in Danubio. 1614. ætat. 37. Soc. 19.

A Bingeniô, modestia, obedientiâ, & potissimùm à Sodalium Partheniorum rectione, ad quam aptus natus videbatur, eximiè commendatur P. Ferdinandus Rhetoricam & diu & perbenè docuerat, cùm se ad infimam obtulit Præposito Prouinciali. Diuinæ Matris honori cùm aliàs, tum Sabbatino ieiunio constanter seruando addictus, nullo, quale demumcumque illud obuenerit, impedimento interuerti suam illam pietatem patiebatur. Ratisbonam defluebat Superiorum missu, secundo Danubio cùm, præfectò ad naulum exigendum magis quàm in nauim gubernandam intento, nauis ad pontem sublicium allisa interiit & vnà plerique; ac etiam Ferdinandus, magno animo socios ad casum illum apparatè excipiendum in periculo cohortatus. P. Iacobus Rem de illius morte mirabiliter edoctus videtur. Etenim necdum perlato naufragij nuncio, Ingolstadij pro defuncto sacris est operatus. Ecquis ille esset rogatus: respondit esse socium in Danubio demersum. Et breui post compertum est P. Ferdinandum eo naufragio interijsse.

B.V.

Mors.

P. IOANNES MATTHÆVS ADAMVS.

Italus Nãgasachi. 22. Oct. 1633.

ANno 1602. in Indiam, biennio post in Iaponiam profectus est. Ibi ærumnas quàm plurimas, laboresq; grauissimos, animarum causâ perpessus, fame cruciatus, extremos quinque vitæ dies in tormento Iaponico egit, de furca in fossam suspensus è pedibus; & felix vixit.

Fides.

P. BLASIVS PLOZZYNIVS.

Polonus Calisij. 22. Oct. 1634. ætat. 46. Soc. 27.

CVm adhuc adolescens eximiâ virtute præstaret, iussus est ab eo, cui erat in obsequiis pluuiam à Deo flagitare. Paruit Blasius: & haud longâ oratione fusâ, sudum hactenus Cælum in pluuias mox affluenter solutum est. Non diù (ne molestus esset domesticis) verùm accerrimè ægrotare, ac mori petiit à Deo: & dixit se obtinuisse vtrumque; die quoque, qui illi supremus fuit postea, nominatim expresso: Moriente P. Blasio duo Patres insignem quendam de peccatis doloris sensum petiêre à Deo: & vterque sensu doloris magno lachrymisque perfusus exauditum se esse gauisus est, ac testatus.

Oratio.

Mors.

P. SAMVEL RICHTER.

Morauus Brunæ. 22. Oct. 1648. ætat. 36. Soc. 18.

HVius elogium dedi inter heroës & victimas charitatis in hæc ferè verba: Postea quàm in Brunensi Collegio duobus Coadiutoribus lue internectis assiduitatem omnem enixè nauasset, eandem postea foris indiscriminatim omnibus ferè per tirmestre transcripsit hilarè apud ciues, quòquò eum accersebat dira necessitas; cui seruiebat indesinenter tam voluntariæ spontis instinctu, quàm obedientię ductu atque oraculo. Duodeuiginti annos foris, totidem in Societate vixit, inter professos nuper adlectus. Verbo, exemplo, fusâ multâ prece, plures ad Christum flexit. Nulla illum de Christi cruciatibus commentandi, nulla Deiparæ lectissimis artibus percolendæ, nulla perstudiosè orandi satietas capiebat. Dotes egregias ingenij atque doctrinæ, profundâ sui demissio; ad plures pro concione dicendi gratiam, labor industrius; tristia, excelsus animus; omnia denique, obedientia firmabat, perpoliebat, animabat. A quæstuoso in animarum lucris labore aliquando fessum sitis immodica exercebat; illamque iam lenaturo, nuncius ad ægrum eum euocans appulsus est. Samuel, ne tantum quidem morę interposuit, vt libaret. Abiit sitiens, peruincente sitim hanc maiore animarum siti. Adamantinâ quadam lege se obstrinxerat; nullam accurationis partem circa miserrimos quosque iuuandos omittendi. Quo in officio, tanquam diuinâ voce sibi dictum agnoscebat, ac ingeminabat illud: *Tibi* derelictus est pauper: orphano *Tu* eris adiutor.

Charitas.

Mortific. Zelus.

Singulis supremæ ac sacræ illius expeditionis diebus, tanquam terminalibus vltimi diei prodromis, sese (non minùs quàm peste ictos) ad diem vltimum comparabat per quotidianam conscientiæ expiationem, perque sacrificalem hostiam, cum qua, velut vltimum sacris operans, & se vnà immolans, charâ vitæ ac mortis cum Christo consociatione impensè flagitabat, vt siue moreretur, siue viueret, Dei esset. Peste saucio ater carbo maxil-

Confessio. quotid.

maxillam insedit, latèque illam occupauit, & intra biduum illum extinxit, plus quàm centies hæc vltima iterantem: *Domine, fiat voluntas tua!*

XXIII. DIE OCTOBRIS.

P. MICHAEL TORRES.

23. Octobris Hispanus 1593. ætat. 85. Societ.

HIc à S. P. Ignatio cùm esset animo alieno, paucis cùm illo vix egit, & mox ad eius pedes prouolutus, illi se regendum dedit. Societatem in grauissimis perturbationibus præclarè defendit. In Lusitania Visitator, Prouincialis, & Reginæ Catharinæ à confessionibus fuit. Singulis noctibus surgebat ad orandum; & tum demum posteaquam vnius horæ spatio orauit, se acriter verberabat, etiam octogenario maior. Totis Aduentus hebdomadis, item à die Ascensionis vsque ad Pentecosten, in B. V. vigiliis & sextâ quauis feriâ ieiunabat. Cùm è cubiculo ad portam, vel aliò vocaretur, coronam Deiparę manu tenebat, & recitabat vsque dum ad id ad quod vocabatur appelleret: eâ re peractâ iterùm redux coronam Deiparæ pertexebat. Per 40. & plures annos nunquam se orationem omisisse, & nunquam se vllum dulciorem sensum in ea percepisse dixit. Audierat B. Borgiam à Deo multum obtinere celebratis tribus Sacrificiis de SSS. Trinitate. Ergò illum impensè rogauit, vt id pro se præstaret. Vrebatur tunc Michaël curâ prædestinationis suæ; ac à B. Borgia (cui nihil de illa sua solicitudine dixerat) intellexit se esse in numero electorum, vt in B. Borgiæ vita dixi. Cùm in extremis esset 23. Octob. Sabbato ad eum lucidus quidâ globus velut è nube ac luce compositus aliquibus visus est descendisse.

Mortific. Zelus.

Oratio. Mortific.

B V.

Oratio.

Confessio. quotid.

SSS. Trinit.

Prædestin.

Mors.

P. LVDOVICVS FLOCCARDVS.

IAm ad metas Theologiæ peruenerat acri & auido ad studendum ingenio: sed cùm valetudine minus firmâ vteretur, breui ereptus est, B. Virginis ope ad mortem egregiè comparatus. Quâ de re sic scribit Collegium Lugdunense: Liberis scholarum cessationibus, cum aliis, vt fit in prioratum Collegij, cui sancti Iuliani nomen est, missus est Lugduno ad quindecim milliaria dissitum; quò ipse toto pectore anhelabat, tentandi illius Cæli gratiâ. Eò tandem venit commodâ satis valetudine, nec se ibi moriturum putabat, donec septimo idus Octobris, ipso die Sanctis Dionysio, eiusque Sociis sacro, ad Beatissimæ Virginis ædem, duobus inde distantem lapidibus (cui nomen à Florida valle inditum) miraculis clarissimam, & magnâ morbosorum frequentiâ celebratam, equo perrexit, vt ibi rem diuinam faceret. Inter operandum sacris in mentem ipsi venit, se puerum sanctissimæ Deiparæ Valfloridanæ deprecatione, votoque à parentibus concepto, dùm ingraueścente morbo, exiguâ extremaque in spe vita penderet, prorsus ab ægritudine recreatum, atque deportatum insuper illuc fuisse. Quare eandem ipsam Virginem rerum cælestium cupiditate inflammatior solito, atque ærumnosæ huius vitæ pertæsus obnixè orare instituit, vt magnum beneficium maiori cumularet, quos vitæ annos non petenti sibi pro-

Gallus ad S Iulianum. 23 Octobris 1608 ætat. 33. Soc. 18.

B. V.

Mors.

B. V.

prorogauisset, eosdem sibi supplicanti, si ita Deo videretur, bonâ & citâ morte præcideret: Nec vanæ preces: vix enim ad sanctum Iulianum redierat, cùm deteriùs illi esse cœpit. Admouentur de more remedia; ille verò nullum iam curationi esse locum monet; se vitam quam à Deo precariò acceperat, eidem reddere velle. Aduocatur Lugduno Pater Rector. Illicò aduolat, moribundum inuenit. Ille vbi Patrem conspicatus est, eius inopino exhilaratus aduentu, visus est quodam modo reuixisse, cùm rem quam pridem in votis habuerat, tandem in sinum sibi à Deo delatum esse significauit nempè importatam ex huius vitæ militia missionem, multa alia de Religiosæ vocationis bono, & de beatitate Sanctorum adiecit: quæ taceo ne sim nimius: sed hæc duo omittere nefas esse duxi: Alterum; Persentiscebat animo non leuem in hærere scrupulum, quòd litterarum occupationum vi, se à solitis pietatis studiis abduci aliquando passus est; quã pietatis iacturam (etsi alioquin pius esset) ægrè ipse ferebat: se tamen dicebat confessionum generalium ac semestrium potissimum conscientiâ sustentari. Alterum, se ab eo tempore, quo se penè depositâ salute vidit, nullius virtutis internæ palestram, ac exercitationem, quam vel Theologia, vel religiosa disciplina docuerit missam feciisse, vt se ad supremum vitæ diem appararet. Denique generali peccatorum expiatione perfunctus, fratres nostros, qui aderant rogat, sacros Ecclesiæ hymnos cantarent: quibus audiendis tam liquidis voluptatibus affluebat, vt se iam in beatorum spirituum concilio cælestes delibare delicias testaretur: Et verò tanta erat diuinæ gratiæ in eius se pectus superfundentis vis, vt cum aliis ipse concineret, ac bis terúe versiculos quosdam (quò animum magis afficerent) repeti iuberet: ipse verò interea quasi in alta meditatione demersus hæreret.

Mort.

RODVLPHVS RVSSELLVS SCHOL.

MAgnis passibus contendebat ad ornandam illam quam sine graiore noxâ immaculatam seruauit innocentiam, seu primam gratiam à Baptismi fonte vsque ad extremum. Particulatim duo præter innocentiam illam in eo fuêre digna memoriâ: alterum quòd nullam temporis particulam elabi sine fructu sibi sit passus; alterum quòd adeò firmum decretum stabiliuerit de piis rebus loquendi, vt illam destinationem nunquam omninò prudens, & sciens violârit.

Anglus Leodij. 23. Oct. 1634. ætat. 21. Socie. 4.

Tempus. Coilegnia.

P. IOANNES ANDREAS MANCONIVS.

PRæstans virtute doctrinâque tam in scholis Philosophiæ Theologiæque magister, quàm in rectione Pater, ac in pulpitis Ecclesiastes. Consuetam in Paschate (quæ de Christi & Matris occursu celeberrima haberi solet) concionem inchoaturus, cùm sibi omnia è memoria excidisse videret; Deiparæ imaginem intuitus, opem ab illa petiit, & ab eadem vocem audiuisse fertur: *Incipe prout potes, quia ego tibi non deero* Mox dixit *surrexit, non est hic.* Et adiecit Iesum sine MARIA non reperiri, tenerè postea flagranterque locutus. Aliàs quoque non semel memoriâ lapsus dicebat ad Virginem: Domina, iuua me; nec enim scio quid debeo dicere. illa verò interius respondebat: Nunquam tibi defui, nec deero. Cùm aliquando sentiret se esse animo rentato perturbatoque, ac peteret

Sardus Sassari. 23. Oct. 1635. ætat. 60. Soc. 40.

B. V.

Concionet.

ret cordis pacem, quò coram Deo meliùs compareret, audiuit nomine Dei dicentis: Dic illi; mihi ita placere: neque ideò putet se mihi minùs benè seruire. A Deipara verò illi per aliam quandam nunciatum: Nihil ei detrimenti inde eueniet; sicut nec Paulo id damno fuit, Aliàs cùm illi importuna fœminæ cuiuspiam forma obuersaretur, & ille anxius animi totus in eo esset vt vinceret, vidisse dicitur Deiparam admirabili pulchritudine gloriosam cum SS. Catharina atque Cæcilia, & inter alia hæc etiam audiuisse: Vide an pulchritudo quæ corrumpitur cum hac possit vllâ ex parte conferri. Flagris, ac variis è laniena, ferro, aliisque ciliciis se quotidie cruciabat. Is qui adfuit cùm in morbo nescio quo curaretur, dixit se vidisse ferri particulas eius carni immersas. Cùm Professorum Domui præesset, multas industrias excogitabat ad populum ad Sacramenta pertrahendum, ipse quoque impigritate ad labores par cuilibet, ac multis superior. Pro cuiusdam, cuius conscientiam gubernabat, difficultatibus expediendis apud Deum vnicè dum satageret, illi pro cuius bono tunc laborabat in quiete ostensus est à Sãctis Augustino & Francisco de Paula dicentibus: Vide Confessarium tuum quomodo eat perrũpendo difficultates ac peruincendo. Fama fuit, & id narrat, eius vita Hispanicè typis data, visum ab illo Christum è cruce qui Deiparã suo sanguine aspergebat. De Beatissima Virgine è Sanctorum dictis plurima adnorauit. Per annum integrum de cultu & imitatione Deiparæ dixit ad Nouitios; vt cum Instituti amore atque virtute hanc etiam pietatem imbiberent. Domum aliquando reuersus, & fessus cùm pro quotidiano suo more rosarium recitare cogitaret, magno tædio se deiectum sensit: peruicit se tamen. Et mox Virginem Deiparam sub Cruce stantem incredibili animi sui sensu vidisse, fertur quasi præmium relatæ de se tædioque illo suo victoriæ. Et aiebat illam sibi ferè sub Cruce apparere consuesse. Pro religiosæ cuiusdam in vocatione constantia oranti Virgo illam sub pallio suo ostendens visa est, ac dicens: Ego semper illius curam geram. Sed vide, Domina, inquiebat Ioannes, ne referat pedem; Non referet, respondit Virgo. Aliam quampiam, cuius conscientiam gubernabat, videre sibi est visus visitatam à Deipara illi Iesum paruulum offerente. Quidam qui à Societate deficere meditabatur loquebatur cum P. Ioanne spiritus tunc præfecto; sed alia omnia. De hoc Deipara paruulum sinu gerens ex imagine Ioannem signis datis certiorem fecit, ne ficto illi fidem adhiberet. Nec multò post ille à Societate abiunctus est. Mortuæ, pro qua celebrabat, animam fertur vidisse cælum subire lucidiorem sole: pro alia ægra oranti aiunt Deiparam respondisse: Morietur, sed mecum viuet. Cuidam pro Societate oranti ostensus est ingens numerus sociorũ (velut militum in exercitu) quos in tenebris lux è cælo in eorum medium affusa ducebat: eorum alij procul à luce, alij vicini magis, alij in ipsa luce visebantur. Atque hos voce de cælo lapsâ intellexit feruentes esse, ac cælestibus impulsibus regi: quos inter vidit P. Manconium, super cuius caput pulcher è cælo suauissimæ lucis radius mittebatur. Aliàs visus est velut volando ire per viam periculi & laqueorum plenam, duobus molossis teterrimis se illi nequicquam opponentibus. Aliàs inter dicendum ad concionem cõspectus est toto vultu collucere, at ex oculis potissimum lucis radios emibrare; nempe ex illis oculis quorum pudica modestia & lachrymæ erant in deliciis boni Dei. Epi-

Tentatio. *Pulchritudo.* *B.V. Cultitat.* *Mortific.* *Confessar.* *Crucifixus. B.V.* *Tentatio.* *Feruenter. Tepidi.* *Oculi.*

piscopi fratris sui mortem se absente futuram decimo ante illam anno intellexit: & Romam iter ingressurus, eidem prædixit fore vt deinceps non nisi in cælis alter alterum sit visurus. *B.V.* Nec aliter euenit. Quidam adolescens elarguerat in desiderio ineundæ Societatis, id quod vbi P. Manconius intellexit, securum esse iussit eius confessarium, eique vnam B. Virginis imaginem (adolescenti illi dandam) dedit: quam vt primum accepit adolescens, illicò se toto corde alium sensit; ac Societatem flagranter flagitauit, & impetrauit. Cuidam absenti & vehementer afflictæ præsens adesse visus est vultu Angelico, & inter alia dicere: Quoties tibi dixi, vt tandem te à creaturis expedias? Et illa quieuit. *Morti.* Triduo luctatus est in agone difficili, dæmone illi auso etiam suggerere vt spem de æterna salute deponeret: sed ille editis altis suspiriis, ad Deum, ad Deum aspirabat. Ante agonem illum rogatus ecquid illi maximo esset solatio in illo articulo: Quòd, inquit, *Mortifie.* nullam consolationem ipse mihi vnquam indulserim. Post mortem pluribus argumentis ostensam eius in morte luctam, & victoriam aiunt plures; quæ omnia cum aliis non paucis hic omissis dabit eius vita in annum 1635

IOANNES
DE SORIA COAD.

Hispanus Hispali. 23. Oct. 1647. ætat. 72. Societ. 47. *Vocatio.*

CVm P. Ferdinandi Nunnez concionem audisset die S. Petro sacrâ, permotus animo, mercaturam & sponsam (de qua ducenda tunc deliberabat) deseruit, post noctem vnam insomnem ductam inter preces & lachrymas, vt lumen à Deo impetraret in quo videret quò & quâ iter ad æternitatem arriperet. Sponsa se Sanctimonialium cœnobio ac disciplinæ, ipse Societati se addixit; & tametsi laudatè semper nobiscum vixerit, tamen in alium planè virum mutatus viderur atq; ad sublimiora charismata mirè accensus anno 1617. quo S.P.Ignatius illum àmorbo grauissimo reddidit sanitati. Manè ante alios abrumpebat somnum, & duas horas, tertiam cum aliis, orando ducebat semper de genibus: & si vesperi otium suppeteret, duas alias horas adiiciebat. Nullum diem præterfluere sinebat quin regulis bis quotidie legendis aliquid temporis impenderet. Seuero examine introspiciebat in cor. ecquid proficeret; neque dissimulabat si quid laxamenti in se deprehendisset, quin plecteret inclementer. Voto se obligauit, nunquam se deliberato studio consensurum vt aliquid, faceret quod sciret esse vel veniale peccatum Sacramento pœnitentiæ conscientiam expiabat quotidie; Sabbato verò peccata totius hebdomadæ ad aures confessarij deponebat, Christi sanguine abluenda, vt eo magis mundo corde amaret ac videret Deum. Vnde & perfrequens erat in SS. Eucharistiæ vsu, & aliquando illam quotidie vsurpabat. Deiparæ Virginis solido cultu amandæ perstudiosus, & sabbatinâ illâ sui expiatione ac ieiunio feriæ sextæ atque Sabbati non contentus, ad eius festa se arcto panis & aquæ ieiunio, plurimisque precibus præparabat; quotidiano rosario & officio, flagra item ter quotidie repetita adiiciens, atque his preces armans, & commendans ad maiorem impetrandi efficacitatem. Variis ciliciis coopertus vexabat corpus, idque nullo die omisso. Aliæ quoque virtutes solidæ atque ad Nouitiorum, apud quos degebat, exemplum perinsignes, in eo eluxêre quas omnes eximia patientiæ documenta præclarè coronabant.

S.P.Ignat. *Oratio.* *Lectio.* *Confessar. quotid.* *Sabbat. B.V.* *Mortific.*

XXIV. DIE

XXIV. DIE OCTOBRIS.

P. HIERONYMVS CARVALIVS.

14. Octob. Lusitanus Conimbricæ 1604. ætat. 60. Iter.

ANte initam Societatem cùm Tago aduerso nauigaret, ac venti nauem & omnia permiscerent, in summa carina solus ille se locari sensit incolumem, aliis inter vortices laborantibus. Vitam ergò sic seruatam Deo in Societate transcripsit. Oratio. Orationi sex horas dabat quotidie: quotidie item bis, terue secedens, ternis ciliciis circumdatus, ac genua centies vsque submittens. Quendam ad B. Virginis amorem hortatus, dixit; illam etiam Purgatorij breuiandi potestatem habere, suarum apud Deum precum compendio: idque sibi ab ea ipsâ dictum adstruebat. Mœsto enim apparuisse ferunt aliquando B.V. & purgatorij supplicium formidanti, dixisse, metum poneret; se enim non solum in hac vita, sed etiam in purgatorio gementium aduocatum esse. In eius veste numerati 90. centones ab illo assuti. Cùm 45. esset annorum scripsit, sibi adhuc vitæ annos quindecim superesse: cùm quinquagesimum ætatis annum ageret, scripsit se adhuc victurum decennio. Et vixit. Per annos 25. præfuit spiritualibus rebus Conimbricæ, peritiâ & exemplo singulari. Eum Stratius hoc die extinctum affirmat.

Oratio. Mortific. B.V. Purgator. Paupertas. Confessar. quotid. Sabbat. B.V. Mortific. Lectio. S.P. Ignat. Oratio. Mors.

P. IOANNES LE SEC.

CHaritate, ac zelo præstanti, suum caput bis in luis discrimen dedit inter infectos. Silentium, & Christi Crucem amabat tenerè, deque Christi cruciatibus non sine voluptate, nec sine vberibus lachrymis loquebatur, & audiebat. Deiparam studiosè colebat: frequentissimè illam orabat, vt cui ipsa ad Societatem aditum aperuisset, illa eidem perseuerantiam obtineret. Exercitia inchoaturus, & sibi suprema fore illa dixit; & illorum finis extremi morbi illius fuit initium. In morbo toto nihil vnquam recusauit, nihil petiit. Obiit hoc die; quem ante triduum sibi extremum fore dixerat.

Gallus Rhotomagi 24. Oct. 1626 ætat. 65. Soc. 47. Crucifixus. B.V. Morbus.

XXV. DIE OCTOBRIS.

MAGNVS ANGERER COAD.

25. Octobris Germanus Landspergæ. 1636 ætat. 66. Soc. 38.

LAndspergæ per 22. annos magno impigritatis exemplo, pistor, hortulanus, & omnia, citra vllum laborum tædium, citra vllum pietatis detrimentum, sudorem orationi coniunxit. Scribunt Landspergenses, illum pietati sic studuisse, vt cùm manus laboribus occuparentur, Rosarium mordicus ore tenuerit, dentibus versauerit, linguâ Deiparam salutârit rarâ industriâ.

B.V. Labores.

P. MICHAEL MONTALTVS.

Italus Neti. 25. Octobris 1637. ætati 39. Soc. 25. B.V.

HVic tum 14. annos nato in mariano Caltanissettensis nostri templi sacello post communionem, videndam sese obiecit, vt fama est Beatissima Virgo, eique imminentes ærumnas prædixit; adiecit: *ne dubites.*

Pati.

In Societate postea patiendi & paupertatis amore fuit præcipuus; & semper in id intentus, quomodo proficeret, quomodo se ab omni rerum omnium affectu expediret. Ad quod vsus est ope Deiparæ: cuius festis venturis proximos dies, pane, & aquâ definito ieiunio, noctes piâ peruigilatione colebat, orationi, & lectioni piæ intentus, quo facto dixit Superiori, se à Beatissima Virgine impetrasse libertatem à quibusdam fluxarum rerum velut laqueolis, quibus illigatum se sentiebat ne acriùs ad perfectionem contenderet. In ipsis B. V. festis eam, quam è charta in cubiculo habebat B.V. imaginem floribus adornabat: vota Societatis, & se illi deuouendi formulam instaurabat. Atque Panormi quidem cùm esset socius magistri, nouitios illo cultu mirum in modum accendit, de illa ita flagranter locutus est vt lachrymæ vocem illi abruperint. Per totam æstatem quotidie, cùm flores in horto essent, sertum ex illis texebat, & illo imaginem B. Virginis in sacello coronabat. Orando fuit potens, & assiduus. A Beato Aloysio persanatus aliquando, mox à scrupulis quoque liber mansit in religiosa, sed non timida, conscientiæ teneritate. Dilectus dicebatur Deo & hominibus; tametsi cum his modicum versaretur, amans cubiculi. Certè in Netensi Collegio vbi per 9. menses concionatus est, non erat videre Michaëlem nisi ad Altare, vel in pulpito. A carnibus abstinebat; pane cibario sæpè, & aquâ contentus; catenis interea se onerans, & flagro ferreo quotidie humeros lacerans; ac breuis somni captandi causâ non in lecto iacens, verùm in sella pallio obuolutus. Patri qui ægro permultum adstiterat, moriturus ferreum flagellum donauit; negans quicquam thesaurorum aliud se habere.

Mortific. Festis.

Proficere.

Oratio. B. Aloysium.

Scrupuli.

Silentium.

Mortific.

P. ANTONIVS DE MATTOS.

Lusitanus in Brasilia. 25. Octobris. 1645 ætat. 87. Soc. 71.

HVnc alterum Brasiliæ Anchietam dixêre à morum integritate. In Hollandico carcere per biennium ærumnas passus est, non sine opinione sanctitatis. Cùm valeret, noctu somnum capiebat stans, & baculo innixus vt faciliùs excitaretur ad inflammatas preces. Sæpè noctu ab infenso Dæmone percussus, aliàs ab eodem per scalas, seu gradus præceps actus est, sed illæsus. Nunquam extra cubiculum est visus, nisi eum inde necessitas extraxisset. Cùm Prouinciam, vel socios aliàs regeret, responsum ad interrogata non priùs dabat quàm coniectis in Crucifixum, vel defixis humi oculis tacuisset. Quibusdam preces illius expetentibus, recepit se facturum; sed monuit, vt ad id quod peterent obtinendum ab hoc & illo peccato abstinerent: cuius peccati arcani hactenus, illum fuisse conscium stupuêre. Quendam piratas timentem, & se mari credere non ausum, monuit, vt quædam pietatis officia obiret; peccata occulta hæc ac illa expiaret, atque caueret; tùm verò securum nauigaturum: atque ita euenit. Iam 86. annos licèt natus, nihil tamen omninò admisit in cibo, vel potu aliud, vel aliter quàm ita vt aliis omnibus præbebatur; nullo etiam ad verrendum cubiculum, aut lectulum componendum adiutore admisso, ipse se ipso contentus.

Mortific.

Oratio.

Oratio.

XXVI. DIE

XXVI. DIE OCTOBRIS.

P. LEONARDVS KESSELIVS.

26 Octobris Belga Colonix, 1574.

VIr Zeli magni, prudentiæque etiam in aduersis, quæ animarum causâ sustinuit, vt dixi in eius vita. Colonienſe Collegium regebat; cùm illum in horto quidpiam legentem stultus quidam repentè cultro escario interfecit: & mox ibidem P. Nicolaum Fabrum, & P. Ioannem Rhetium confecit. Hic est ille P. Leonardus Kesselius in S. P. Ignatij vita celebratus, cui Romam ad S. P. Ignatium videndum, & alloquendum venire petenti, se, superstes tunc adhuc, spectandum dedit S. P. Ignatius. Reliqua vide in vita ad annum 1574.

Mort.

P. FRANCISCVS STRADA.

Hispanus Toleti, 26. Oct. 1584.

ADolescens à S. P. Ignatio susceptus, anno 1538. mirabilis planè efficacitatis Ecclesiastes fuit. Plena est illo Societatis historia. Ipsæ vrbes illius concionibus, & plurium exercitiis illo dante obitis, alias se ex aliis vidêre. Brixiæ facilè centum adolescentes ad Dei seruitutem pellexit.

Consisnator.

Nouit illum Italia, Belgium, Gallia, Lusitania, Hispania. Obsessæ sunt aliquando viæ dum è loco alio in alium commigraret. Salmanticæ grauem tempestatem sedauit, & supra centum capita permouit ad Christi vestigia in religiosis familiis consectanda. Modicum dormiebat: & expertus est sibi dormienti à Deo infusam tantam homiliarum S. Ioannis Chrysostomi peritiam, vt illo licet antea nunquam lecto ita concionaretur, atque si illum diligentissimè peruolutasset. Ioannes Correra totam illius concionem semel ab illo auditam, ad verbum repetiit, & sic Societatem obtinuit, in illa postea Custodis Angeli familiaritate insignis. Destinatis temporibus, ter se quotidie flagello inclementer accipiebat; primò pro illis animabus quæ in Purgatorio pœnas luunt; deinde pro ijs qui in mortali peccato hærent; denique pro Ecclesia vniuersa. Inde illi puram semper Virginitatis gloriam constitisse firma opinio est. Quidam à Deipara vt creditur, ad illum sunt missi, & iussi agere id quod ille suaderet. Roganti P. Ribadeneira, vnde illi esset ea vis in dicendo, ingenuè respondit; sibi inter dicendum radium quendam & impulsum illabi cælitùs, quo totus præcordiis intimis commoueretur.

Concioner.

Mortif.

B. V.

P. ANTONIVS DE SOVSA.

ANno 1609. in Indiam profectus, Malacæ pro Iaponia procuratorem egit; exilium quoque perpessus. Aquæ in os infusæ, postea fossæ suspendiique tormento cruciatus, pependit capite deorsum prono in odiũ fidei appensus 18. Octobris: & ab illo die legitimè certauit fortis in fide; atque hoc demum die agonis felicis gloriam consummauit.

Lusitanus Nangasachi. 26. Oct. 1633. ætat. 45. Soc. 30.

Fides.

XXVII. DIE OCTOBRIS.

P. PETRVS BELLIDVS.

27 Octobris Hispanus Valentiæ. 1615. ætat. 73. Soc. 55.

IN Aragonia natus, loco cui Ebro est nomen, celebraturque à campana mirabili quæ suo impulsu ipsa vltrò sonum edens calamitatum plurium vates fuit. In ætate adhuc tenera templi fornicem conscendebat, & ad singulas quibus tectum fulcitur columnas vnam Sancti cuiuspiam imaginem affigebat. Mox nudatus, istic Stationes, quas vocant, celebrabat, sese flagellans ad singulas. In Societate, nunquam cilicium dimisit, etiam 70. annos natus: cædebat verò se vsque ad sanguinem. Cibis aquam, salem; vel cinerem aspergebat, vt gulam vexaret. Potus illius fuit ferè aqua: & ieiuniorum diebus vesperi nulla collatio. Oculos nunquā erexit, nisi necessitas imperaret: ad focum vt accederet, nullo frigore adigi potuit. Morbis pluribus obnoxius, mortuo fuit quàm viuo similior; altero oculo illi semper humido, & fluente. Nunquam ab æquali suo tenore discedebat, quicquid mali, etiam inopinanter, accideret. Duabus horis orabat ante alios manè; vnâ cum aliis: Vesperi verò tot horis quot poterat, saluâ obedientiæ lege atque officij. Orationem à Christi cruciatibus inchoabat, mox ad attributa Deitatis mentem erigens, & voluntatem suam diuinæ voluntati mactans in holocaustum. Etiam interdiu in oratione absorptus aliquando cubiculum non inueniebat. Ad quemcunque in Sacramento pœnitentiæ audiendum vocaretur, ibat non minùs quàm si ab Angelo, Dei nomine, vocaretur. Visus est aliquando ab oratione prodire ore toto radiis illustri. Mirâ circa fidei mysteria luce in corde perfundebatur. Fiduciâ in orando fuit insigni. Cæsaraugustæ cùm ægræ obstinatæ confessionem suaderet, nec persuaderet, cum socio se in preces dedit semel ac iterum; adeòque noctem illam totam peruigilatione solicitâ egit orans vsque ad diluculum. Ægra mox confessa, consanuit, & SS. Sacramento in templo refecta est. Pro nobili quodam viro dùm oraret, videre sibi visus est nigrum quendam, cuius manus altera descendebat ad terram, altera surrigebatur ad cælum. Et vox aiebat: Admone hominem pro quo oras, vt se ex sua parte disponat per emendationem vitæ, & faciendo aliquid Dei causâ, si vult obtinere quod petit. Monitus ille à Petro paruit, & obtinuit plus quàm optârat. Maria Montero benè licèt inchoârit, desciuit tamen postea, seducta à spiritu vanitatis. Dicebat se habere campanam à S. Antonio sibi datam contra dæmones à quibus affligi se querebatur. Fingebat se rapi: ficto sanguine velut è capite manante, dicebat sudore sanguineo se madere: bombycem odoratis succis implebas, & ori imponebat; vt odor ille de ore illius fragrare videretur. Mentiebatur & Christi, ac S. Francisci stigmata, è quibus arte malâ sanguis manans credulis imponebat. P. Bellidus, Archiepiscopi iussu illam diu examinauit, fraudes detexit eam conuertit. P. Augustinum Bernal quodam die vesperi monuit, vt B. V. rosarium recitaret; meminissetque se illo die illius recitandi fuisse oblitum.

Campana.

Mortific.

Oratio.

Crucifixus.

Oratio.

Charitas.

B V.

id

id quod ita se habere fassus est Augustinus. Alium Patrem dimidiâ post octauam vespertinam horâ monuit vt Completorium recitaret eo die obliuione omissum. Ita esse rem deprehendit lætus alter, & Officium executus, rogauit Petrum, vnde id haberet. at ille sermonem aliò vertit. Ex vero prædixit fœminæ cuidam, filios parituram, quorum tres Societati nomen essent daturi: discedenti 8. Augusti anno 1615. ægro Coadiutori Ludouico Puyol disertè affirmauit statim ac Barcinonem appelleret, conualiturum. Vtrumque euenit. Eundem rogauit vt vbi primùm per iter Marianum Serrati montem videret, illius nomine ter *Salue Regina* pronunciaret pro felici morte. Sibi enim perpaucos vitæ dies adhuc superesse: & post trimestre decessit. Coadiutorum quidam vidit illum è lecto extractum, raptatum, pessimè habitum; cui respondit Petrus: Nihil id esse: optare quidem dæmones ne illo die sacris operaretur; sed nihil euicturos. Aliàs ijdem illum suffocare tentabant, vestigiis quoque in collo inclinato & nonnihil obtorto relictis. Bis à procacissimis fœminis oblatum sibi turpe facinus fugâ euasit; & ingenuo rubore fassus est, nihil se tunc, aut aliàs persensisse quod esset à renerrimæ integritatis legibus alienum. Ministri, ac Procuratoris officia diligenter exercuit, sancti nomine appellatus. Et erant qui eius nomen aliud ignorabant hoc solo contenti. Nullius vnquam legis violatæ reum illum vidit vllus. Triduo ante mortem Crucifixi imaginem coram se collocari petiit, & dixit se ab illa dona singularia consecutum; eamque sibi locutam fuisse in varia occasione non semel. Dolores ingentes tanto animo, quiete, ac lætitiâ tolerauit, vt cœperit subtimere, ne quid illusionis eâ in re fortè lateret. Sub mortem dicente quodam: *Sursum corda* respondit: Iam est ibi. Fuit in Hispania tunc persona virtutis eximiæ famâ nobilis, cui S. P. Ignatius visus est Angelis cinctus sæpiùs, & quadam vice cum SS. IESV nomine intra pectus in corde aureis literis exarato. Hæc in octaua SS. Sacramenti in templo Deum supplex rogauit; num nostri omnes, qui istic essent, salui futuri essent, & audiuisse ferunt: Omnes qui hìc sunt saluabuntur. Interroganti; an cum purgatorio? Respondit Deus: Aliquos ituros ad breue purgatorium: tres tamen (quos inter nominabat P Bellidum) se sinè vllo purgatorio ad gloriam deducturum. Hæc sibi Bellidus cùm sub mortem audiret à Superiore narrari, respondit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, &c. Et demum decessit felix.

Oratio.

Charitas.

B. V.

Sacrum.

Castit.

Crux.

B. V.

P. GVILIELMVS BAILIVS.

CVm domi esset hilaris, atque suauissimus, nunquam tamen vllo ioco quenquam perstrinxit: & foris totus fuit compositus ad seria. Cum hæreticis vi, & efficacitate mirabili conferebat, adeò vt eos quibus cum ageret, vel omnes vel ferè omnes ad fidem adduceret. Santonas in fide orthodoxa ita iuuit, vt iam inde à S. Eutropio illorum Apostolo vix vllus illo impensiùs id feliciùsque præstiterit. Vnde nonnulli illi aeceptum referunt Collegium Santonense, imò & Pictauense. Ad aliquos ad bonam mortem comparandos exiturus domo, pro felici rei successu priùs inclementer se cædebat, idemque agebat priùs quàm è pulpitô diceret ad concionem: ad quam non ascendebat nisi cinctus cilicio & linguâ per aquam lustralem

Gallus Burdegalæ. 17. Oct. 1610. ætat. 63. Societ. 43.

Fides.

Zelus.

Mortific.

Concio. ſtralem expiatâ. In Sacro manu diuinam Hoſtiam tenens; Da mihi, aiebat, Domine IESV, animas pro quibus victima factus es ſalutaris.

P. IACOBVS BOSGRAVIVS.

Anglus Caliſij 27. Oct. 1613 ætat. 70. Soc 50.

REligionis Catholicæ odio ab Anglis captus quæſtioni ſubiectus, in cataſta extenſus, & cruciatus, ac in exilium pulſus eſt. In Polonia mirum zeli documentum edidit, quòd per ipſos 20. annos ad pauperes in Xenodochio Polonicè dicturus, conciones ad verbum memoriæ mandârit è ſcripto. Feriâ ſextâ à 20. annis ab omni penitus cibo potuque abſtinuit vſque ad mortem, quam obiit feriâ ſextâ, quam inediæ illius conſtantiâ tàm perſeueranter honorauerat amore Crucifixi.

Zelus. *Fer. VI.* *Mortific.*

XXVIII. DIE OCTOBRIS.

P. FRANCISCVS LOPEZ.

28 Octobris Luſitanus ad Goam. 1568.

ANno 1556. Indiam ingreſſus, ibi ad annum vſque 1568. impigritate inſigni ſudauit pro Euangelio Chriſti: quo demum anno cùm Cocino Goam nauigaret, à Mauris Chriſtianæ fidei perinfenſis comprehenſus, & pro Chriſtianorum Sacerdote agnitus, rogatuſque *num Mahometum ſequi vellet*, cùm id magno animo ac voce negans execraretur, poſtea quàm cum illo multis tam blandè quàm minaciter eſt actum, ille luculenter iterùm vitam priùs & potiùs quàm fidem à ſe deſerendam teſtatus, eſt: atque eapropter haſta illi altè in pectus, & ilia adacta eſt; tum acinace fiſſum caput, & corpus in mare proiectum. Fuit Franciſcus, vir ab animarum in ſalutem aſſerendarum deſiderio planè impigro, ac diſciplinæ religioſæ curatiùs obſeruandæ amore inſignitè laudatus.

Fides.

P. FRANCISCVS BAZANVS.

Hiſpanus Mexici. 18. Oct. 1571. Societ. 14.

HIc è clara Marchionum S. Crucis Domo natus Philoſophiæ, ac poſtea biennio Pontificio iuri operam dedit. Verùm & familiæ ſplendorem, & ingenium, ac ſtudia in Societate occulens, ſub Franciſci Aranæ nomine delituit per quinque annos inter labores domeſticos, ſedulus, & modeſtiſſimus Coadiutor. Re poſtea compertâ ſtudiis reſtitutus, benè multùm profecit. B. Borgiæ ſuaſu Sanctiſſimâ Synaxim per anni vnius interuallum quoties percipiebat eò referebat, vt voluntatem Dei exquireret in Indijs adeundis. In naui quâ in Indiam vehebatur ſuâ fame alebat egenos: ægris aſſiduus miniſtrabat, rudes erudiebat, denique inter 300. milites ac reliquos vectores religioſæ cuiuſdam tranquillitatis pietatiſque ſpeciem induxit. Semper de ſe infimè ſentiebat, in id intentus, vt ſeſe planè ſe ipſo exueret. Indos verò ſe petere aiebat, vt experimento tentaret num arbor inutilis eo tranſpoſita aliquid fortè allatura ſit boni fructus.

Humil. *Euchar.* *Charitas.*

P. GEOR-

P. GEORGIVS VALIER, & P. FRANCISCVS ROSILLVS.

Hispani in mari. 28. Oct. 1596.

CVm exercitu Martini de Padilla in Angliam nauigare iussi, coortâ noctu horridâ tempestate dum pro sua & sociorum salute omnia agunt quæ præsens mortis certæ periculum poscebat, dum omnes expiant, dum Crucifixi Christi simulacrũ ostentant, circumferunt, & animarum saluti consulunt, inter sacra IESV MARIÆ nomina, naufragio hauriuntur. Testati sunt qui è naufragio illo variâ industriâ euasêre, quòd cùm nox illa tam densis tenebris fuerit cæca, vt alter alterum videre nequaquam potuerit, Patrum tamen Georgij & Francisci facies, & crucifixos quos manibus gestabant veluti salutis æternæ tesseras, tam distinctè, tam clarè ab omnibus fuisse visos, quasi res in meridie geretur, vtriusque vultu, & vtraque Crucifixi effigie velut ad solis affusi radios inter cæcas illas tenebras collucente. Ita ij qui tristi naufragio superstites id se oculis vsurpasse persanctè affirmauêre.

Crucifixus.

Lux.

ALPHONSVS DE LA BARRERA COAD.

Hispanus Mexici. 18. Oct. 1572. Societ. 14.

Humil.

Hispanus Cordubæ. 18. Octobris 1611. ætat. 84 Soc. 1.

SEruiuit Societati variis in domicilijs in veste Donati, vt vocant, per annos plus quàm quinquaginta, perinsigni virtutum exemplo; ob quas Societate receptus est extremâ ætate in Syncerus illi animus, & charitas effusa in omnes. Christi cruciatus erant pascua cordis illius, inter torrentes lachrymarum vi magnâ manantium. Nocte intempestâ ingenti cruce in humeros sublatâ stationes obibat spinis coronatus. Nihil sibi parcebat, quin assiduè oraret, nihil tamen interea laboris omitteret.

Euchar.

Charitas.

Passio Christi.

P. LÆVINVS WOVTERS.

Belga Antuerpiæ. 28. Oct. 1625. ætat. 55. Societ. 36.

IN Hollandia cùm præclarè ageret, Ministelli hæretici fraude in carcerem ac ergastulum fœdum detrusus, biennio istic ærumnas, calumnias, & scommata perpessus est. Inde liber plenus charitate satagebat pro omnibus vsque ad mortem quam obiit in obsequiis pestè tactorum: inter quos illum dum refert Alegambe, ait; illum tam familiari Deiparam studio venerari consuesse, vt imbrem aliquando in itinere suo suique comitis Nouitij capitibus imminentem, recitatis B. V. Litaniis tantisper suspendisse, dùm viæ metam tetigissent, fama sit.

Fides B. V.

IOANNES BAPTISTA COAD.

Hibernus Manilæ. 28. Oct. 1630. ætat. 48.

EDiuite in India mercatore, humilis Christi seruus factus, mirificè se subigebat vt iram peruinceret; id quòd felicissimè perfecit. Etiam cùm alia foris ageret, intus habitabat in conspectu Dei. Videbat in triclinio, cùm mensæ inter alios accumberet, Christum cum 12. Apostolis velut in cœna vltima. Si quid tenuissimæ noxæ committeret, Christus illum eo solatio mox priuabat, sese abscondens, iterumque more consueto reuersus post vnam, & alteram sui victoriam in occasione luculenta, vbi verbis, imò & pugnis incessebatur,

De alio Ioãne Bapt. Vide 4. Dec. Oratio.

Mensa.

Venialia.

& pedibus calcabatur, per plures dies liquidâ è cælo voluptate se perfundi sensit; & integro triduo Christi aspectu est recreatus, ac incredibili pietate accensus. Quotidie se, & quidem nonnunquam iteratò, flagellabat, linguæ quoque custodiendæ permultùm attentus. Cum singulari quadam laude silentij.

Humil.

Mortific.

Lingua.

MAG. GVILIELMVS ASSELIERS.

Belga Alosti. 18. Oct. 1632. ætat. 26. Soc. 6.

HIc maluit mori quàm Deo offenso viuere imò quàm vel esse in periculo Dei offendendi. Etenim cùm duos è Societate inter se conferret ægrum alterum è variolis, miserè laborantem, & alterum qui è Societate discessum moliebatur, repentino æstu animi sese ad SS. Eucharistiæ Sacramentum contulit, & ibi supplex impensè flagitauit morbum hunc, & ex illo mortem potiùs quàm vt vnquam à Societate discederet. Impetrauit: etenim breui variolis obrutus, eo morbo è medio sublatus est morte optatâ.

Vocatio. Eucharist.

P. MATTHÆVS COVROS.

Lusitanus in Iaponia. 28. Octobris 1633. ætat. 61. Soc. 50.

ANno 1586. Indiam cum lachrymis à moderatoribus impetrauit, & sudore magno coluit. Præfuit in Iaponia domiciliis, atque Prouinciæ; ac miris modis exploratores non semel euasit, velut perpetuo quodam martyrij rudimento in syluis, in stabulo, ac vbi vbi latebræ dabantur, latens; vt animarum saluti adesset. Aliquando in specu sub terra per octo menses delituit. Aliàs per arctum elapsus est: & ne deprehenderetur, repetito S. Felicis Nolani miraculo fecit Deus telam suam repente istic prætexente araneo. Propè fuximam in quodam tugurio in pace obdormiuit, ærumnis confectus, & mortem flammis illustrem desiderio solo complexus.

Fides.

Aranei tela.

XXX. DIE OCTOBRIS.

P. IOANNES SYLVORSTIVS.

30. Octobris Belga Moguntiæ. 1610 ætat. 35. Soc. 18.

GRoeningæ Catholicis operam præclaram præstitit magnis laboribus, concursationibus, fructu. Ab hæreticis in vincula eapropter rapiebatur, cùm viso eminus carcere humi proiectus in genua gratias Deo retulit pro tanto honore. In carcere Commentariensis vxorem, & filiam orthodoxis adiunxit; & pro tribunali egregiè respondit se non minùs ausum istuc venire ad hæreticos conuertendos, quàm sint ausi Antuerpiam ire hæreticiad Catholicos seducendos. In periculis dicebat Deo magnà fiduciâ. *Tuus sum ego: saluum me fac.*

Fides.

P. FRANCISCVS FARSIA.

Italus Caltagironæ. 30 Octob. 1622.

LIcenter foris viuentem Franciscum obuius è SS. Sacramento (quod forte portabatur) erumpens radius penetrauit, ac alium ex alio fecit; vnde suo exemplo ad frugem plures, reduxit. Perpetuus fuit postea in communione spirituali quotidie sæpissimè frequentanda. Sapor quidam odorque

Euchar.

dorque cælestis è SS. Sacramento, & iis, quæ circa illud sunt ac ex ore communicantium erumpens illum recreabant. Coram eodem Sacramento gemmis vndique adornato cùm oraret, Christum rogauit, vt suas lachrymas instar ornamenti accipere dignaretur: semihoræ spacio vidisse fertur Sacramentum crystallino quodam splendore circumdatum. Cùm diuina hostià à Sacerdote eleuaretur, vidit illam ad cælum vsque porrectam: vbi SSS. Trinitas in ea se collocabat instar trium ramorum vno trunco hærentium. Itinera pedes faciebat. Extremâ febri æstuans & ab itinere tunc recens, repertus est cinctus ciliciis, & catenis.

Lachryma. Sacrum.

SSS. Trinit. Mortific.

P. GEORGIVS KALDI.

Hungarus Posonij. 30. Oct. 1634. ætat. 62. Soc. 36.

ACris eloquentiæ, ac virtutis vir, Latinè Viennæ ad Academicos, aliquando Italicè, tum Hungaricè passim in Hungaria doctrinâ, spiritu, efficacitate magnâ dixit intrepidus, & negligens respectuum humanorum. Nouitiorum magister cùm esset, Brunâ primus Leobium duxit Nouitiorum coloniam. Et vixit semper ita vt magistrum Nouitiorum decet accuratione disciplinæ quàm maximâ curâ silentij legumque singularum: adeò vt passim diceretur; illum manè omninò nunquam in lecto, vesperi nunquam extra lectum repertum à visitatoribus ad id more solito destinatis. Circa Biblia mirum est quantum laboris impenderit ne Hungari hæretica legere cogerentur. Et alia plura scripsit. Gabrielem Betlehemum Transyluaniæ Principem tunc victoriis insolentem palàm Tyrnauiæ corripuerat quòd tot millia Christianorum Turcis prodidisset. Eapropter extrema illi timebantur. At ex eâ libertate honorem ab eo retulit & subsidium ad suos libros typis edendos. Petrus Cardin. Pazmanus affirmatè dixit; ex omni ordine Ecclesiastico, Religioso que, illum nulli secundum toto Hungariæ Regno esse: parem illi haud facilè repertum iri. Quàm magno exemplo, tam forti, nec parcere, vel dissimulare volente acrimoniâ, pro regulis tuendis erat totus cum Rector præesset. Cùm Posonienses in Vngaria Collegij Fabrica surgeret, miro & demissionis, & impigritatis exemplo se ad labores demittebat. Semper in se fuit durissimus, & nullius vel spei vel metus obtentu rectus, ardens, ac serius. Magnâ lectione, insignem assecutus eruditionem præter labores Bibliis impensos edidit etiam alia, de quibus in Bibliotheca scriptorum.

Fides.

XXXI. DIE OCTOBRIS.

P. IOANNES AGVERRI.

31. Octobris Hispanus Barcinone. 591. *Fides.*

MAurum mancipium Christus, & augustissima Christi Mater ad P. Ioannem Aguerrium ire iussêre, ab eo instruendum, & Sacramento Baptismi lustrandum. Cùm anxius animi scrupulis miserè vexaretur, Christus in Sacro illum benigno amplexu solatus est. Scrupulis angebatur. Mors tamen quieta excepit vitam ductam in anxietate perpetuâ, tranquillumque in pace bona composuit.

Christus. B.V.

Scrupuli. Sacrum.

DOMINICVS COLINVS COAD.

Hibernus Corcagiæ. 31. Octobris 1604. ætat. 35. Soc. 4.

CLaro apud Hibernos ortu natus, contra sectarios centurio in Gallia militauit, factus in Hispania postea dux classiarius per amos octo; semper & miles bonus, & vir frugi. In Societatem receptus, ex Hispania in Hiberniam proficiscí iussus, ibi ab hæreticis captus, pro tribunali in veste Societatis comparuit, nil spes minasque moratus, quibus *vt à fide Catholica deficeret* vrgebatur: ac illos etiam execratus, qui submissi clam suadebant *vt fidem Catholicam tantisper dissimulanter obtegeret*. Ad suspendium damnandus, in carcere dira subiit tormenta, quibus in illum sæuitum est; donec 31. Octobris in veste Societatis, reuinctis post tergum manibus, laqueo è collo pendente ductus, sub patibulo se demisit in genua & orauit. E scalis Catholicis author fuit, grauissimè admonens, ne se spe, metu, alijsúe hæreticorum fraudibus interuerti, atque à recto seduci sinerent. *Suspicite, inquiebat, in cælum; & priscam fidem quam præclari maiores vestri sunt professi, non degeneres, perseueranter conseruate; pro quæ & ego nunc, vt videtis, mortem oppeto.* Mox deturbatus pependit, & carnificatus est. Aiebant Catholici, eum à Deo etiam miraculis honoratum.

Fides.

Cælum.

ALPHONSVS RODRIGVEZ COAD.

Hispanus Maioricæ. 31 Octobris 1617. ætat. 86 Soc. 47. *B. V.*

ANte initam Societatem cùm B. V. Rosarium recitaret, videbatur sibi ad singulas orationes Dominicas offerre Deiparæ rosam rubram, ad angelicas rosam albam. Die B. V. assumptæ mysterij illius triumphum in Cælo spectare sibi visus est, seque à B. Virgine (quam Angelus Custos, & S. Franciscus stipabant) æterno Patri amanter sisti. Vidit alias aues teterrimas à Columba Iesv nomine insignitâ profligatas: vnde intellexit se in Societate aduersa omnia Iesv nomine superaturum, id quod in Societate luculenter est expertus. Audiuisse dicitur aliquando dicentem Deiparam: Ego te amo, fili mi Alphonse. Ianitor factus Christum sæpè cum B. Virgine & Angelis venientem accepit. P. Ioannem Aguirre, cùm scrupulis angeretur, vidit à Christo suauissimis amplexibus & osculis recreari. Post communionem nunc Christum nunc B. Virginem sibi adstantem videre sibi videbatur. Timenti ne hisce deciperetur, Beatissima Virgo adfuit, & dixit: quin mihi credis, fili? Super aspidem, & basiliscum ambulabis &c. & Angelos cantare iussit; *Quoniam in me speranit, liberabo eum.* Aliquando Beatissima Virgo cum illo agens, cùm interea signum domesticum ad examen daretur, illum ad examen faciendum dimisit. In examine singularum horarum, Sanctos ad illarum examen benè instituendum inuocabat; nec vllam horam abire sinebat quâ, non aliquid in honorem B. Virginis præstitisset: si tunc non licebat, horâ proximâ compensabat. Ad mensam dixit B. Virgini aliquando: ô si ego dignus essem videre te aliquando in cælo! Et illa illi mox præsens; Alphonse, ait, videbis me in Cælo. Eius ope spinam gulæ aliquando hærentem excussit. Aliquando illi summis doloribus cruciato, seque Deo deuouenti, adfuit Christus & B. V. vt fama est, vultu totum cubiculum illustrantes. Hi ad pedes lectuli consedêre eumque solati, persanuêre; sed euanuêre cùm cubiculum quispiam aperiret, vt videres

Ang. Custos. S. Francisc.

Tentationes. B. V.

B. V.

B. V. Examen.

Sanctis.

B. V.

Hora.

B. V.

Mensa.

Morbus.

videret quocum ille tunc loqueretur. Sic illi tentationes, etiam acerbissimæ, postea in cælestes delicias sunt commutatæ. Anno 1614. initio Ianuarij per dies aliquot videbatur sibi inter IESVM, & MARIAM habitare in splendoribus Sanctorum; quorum choros in Cælo diu spectauit, adeò vt Sanctos alios ab aliis discerneret. Mœstus aliquando inter recitandum Rosarium, *Sancta* MARIA, inquit, *Mater Dei, memento mei*! Et ecce venientem illam è Cælo visam à se dixit, quæ omnem illi mœrorem absterserit. aliàs inter rosarium recitandum videre sibi visus est Christum in suo corde, Matrem verò Christi propè se assistentem. Dirè se flagellabat; ieiunabat, cruciabat, paupertatem & patientiã, ac vtriusque exercendæ occasiones quærebat. Per annos 30. salem cibo non adhibuit. Piâ simplicitate dixit aliquando: ô Mater Dei, si tantum me amares quantum ego te amo, quàm fœlix essem! Respondisse aiunt tunc Beatissimam Virginem: Falleris, mi Alphonse: nam ego te plus amo quàm tu me ames. Aliàs: *Quàm te amo, Alphonse fili mi! Ne time: Ego rerum tuarum singularem curam & patrocinium habeo.* Aliàs, foris, cùm Patris cuiuspiam comes esset ac sudore lachrymisque inter orandum perflueret, B. Virgo adfuisse illi creditur, & sudorem lachrymasque absterfisse. Quos Deiparæ commendabat, illis multa ab ea obtinebat. Quæ prædixit, & alia de illo mira dabuntur in vita.

B.V. Sancti. B.V. Mortif. B.V. B.V. Examen. Sancti. B.V. Hora. B V. Mensa. Morbus.

P. ANTONIVS HVRTADVS.

Hispanus Granatæ. 31. Octobris 1630. ætat. 46. Soc. 29.

A Primo rationis vsu, seu lumine semper in omnes diuinæ gratiæ conseruandæ artes feliciter intentus, septimo ætatis anno Mexici (natali solo) fuit virtutis exemplum ætatis cuiusuis. In Societate, suauissimos cælestis flammæ ignes fouebat pectore diuini amoris pleno, ita vt etiam in eo Adam visus fuerit non peccasse. Adeò immaculata illi semper fuit mens à sordibus, ne quidem cogitationi obiectis. Precandi studio flagrabat vnicè, atque illud ad duas tresúe horas extendebat, eo ferè orandi modo vsus quo affectum in Deum inflammaret, atque ad illumardore igneo suspiraret per allocutiones perpetuas. Inde illi ad opitulandum aliis calor suauis, ac efficax; & vix alias ferè sermo, nisi de artibus plurimos ad Deum adducendi. Si quem in statu non bono esse resciscerет, non dabat quietem oculis suis, etiam nocte intempestâ pro illo lachrymis precibusque fundendis intentus. Vnde plures Deo miris modis lucratus est. Fœmina quæpiam à perdito vitæ genere ad castam frugem rediit, cùm videret sibi ea euenisse quæ minatus illi prædixerat P. Antonius. De sua morte, tanquam de re sibi vndequaque exploratâ & felicissimâ, loquebatur. Ipso quo tumulatus est die, cuidam, vt fama est, videri est visus, & gratias amplissimas reddere pro ijs quæ ipsi diu ægro impenderat officiis Charitatis.

Castitas. Amor Dei. Oratio. Zelus. Mors. Charitas.

P. RAPHAEL DE PEREIRA.

Hispanus Hispali. 31. Oct. 1650. ætat. 56. Soc. 40.

HIspali, nobili & opibus lautâ domo natus, pueritiam insigni cum exemplo egit, auditus identidem dicere: *Fierine potest, quòd sit quisquam mortalium qui offendat Deum?* Per Nuncium Apostolicum, & per omnes quas reperire poterant artes egêre parentes vt ne se Societati addiceret: at ille peruicit cuncta constanter. In Societate totum se humilitati dedit:

Vocatio. Humil.

Scholas Grammaticæ docuit per annos 36. & quidem Hispali natali vrbe per annos 34. Vnde ex illius disciplina tot Religiosi, tot Ecclesiastici, tot clari Proceres, ac ciues se profectos gloriantur. Onera humeris circumferre, de se abiectè loqui, infra omnes haberi velle, stipem ad subleuandam egestatem domesticam corrogare, in cubiculo, veste, omnibus paupertati quàm religiosissimè studere illi perpetuum fuit. Vnde illi magna apud omnes authoritas; & magna omnium liberalitas erga illum. Aiunt ab illo quotannis pro Collegio multis aduersis presso facilè mille ducatos, vt vocant, mendicato collectos. A suorum splendore ostentando tam fuit alienus, vt cùm soror aliquando per vrbem illi fortè obuia loqui cuperet, currumque sisteret; ipse præterierit, cùm diceret; exempli interesse ita facere: cùm non totâ vrbe sit notum, fratrem cum sorore colloqui in platea. Fœminas enim quantum poterat fugiebat, etiam confitentes. *Castitas.*



MENSIS NOVEMBER.

PRIMO DIE.

P. IOANNES DE ATIENCA.

1. Nouemb. Hispanus Limæ. 1592. ætat. 50. Societ. 32.

ENter orandum ardentiùs Vallisoleti indum suis humeris insidentem sentire sibi est visus (sicut olim Xauerius) qui Ioanni dicebat identidem: *Veni, & iuua me; Veni, & iuua me,* id quod apud Peruanos fecit postea vtiliter, magno animo, charitate, prudentiâ, quâ difficillima quæque ad optatum finem vrgebat, Deiparâ insignitè cultâ fortior, atque felicior. Sociis prædixit, multos eorum superstites fore cùm P. Ignatius ab Ecclesiâ Beati, & postea Sancti titulo glorioſus coletur. Ita factum.

Inspirationes.

Zelus.

S. P. Ignat.

P. PETRVS PAVLVS NAVARRVS, & DVÒ SOCII.

Italus Ximabaræ. 1. Nouemb. 1622. ætat. 62.

ANno 1584. in Indiam, inde in Iaponiam penetrauit: vbi cùm pro fide libris & concionibus multùm, varieque satageret, extorris è Iaponia, eodem clam rediit ignotâ veste, nudipes; noctu ad Christianos adiuuandos tacitè cuncta perreptans. In fouea latuit per plures dies, à Deo istic mirificè recreatus. Socios rexit charitate morem communem supergressâ. Pro morte (quam flammis absumptus obiit glorioſam) se parans, generalem confessionem, & S. P. Ignatij Exercitia ei præmisit: orandi assiduitatem intendit, eique alterum tantum adiecit: cilicium nunquam deposuit, singulis noctibus acerrimè se verberans, hebdomadâ totâ ieiunans, & in ipsis quoque carceribus Christum prædicans, pluresque baptizans. Totas aliquâdo noctes dedit MARIANO P. Spinelli throno, seu libro in linguam vernaculam transferendo, quem etiam feliciter deduxit ad finem: vt istic Deiparæ gloria propagaretur. Primo die Nouembris (tum adhuc inconscius eum diem sibi supremum esse in hac vita) sacrificauit lachrymis affluenter effusis, & ad 26. Christianos tanto sensu dixit, vt omnes largo fletu maduerint. Allata mortis sententia hæc erat: *Xocun Imperator Iaponiæ Patrem damnatum iubet viuum comburi, quòd remanserit in Iaponia, iussus excedere; & contra Regia edicta, quæ prohibent Christi legem vulgari, eam disseminauit.* Rosario è collo pendente, velut torquatus, lætus ibat ad mortem, Sociis præcinens litanias. Palo alligatus, cùm inter flammas IESVM & MARIAM ingeminare audiretur, concidit. Cilicium etiam in corpore mortui est repertum. Organtinus Tanxu in carcere odio fidei vinctus, biennio postea P. Petrum Paulum vidit in amœno loco splendentem; & se quoque ad illum locum breui peruenturum audiuit: id quod factum, cùm haud multò post eadem de causa combustus est.

Præparatio ad mortem.

B. V.

Sacrum. vltimum.

B. V.

Litaniæ.

Calum.

Dionysius Fugixima, &
Petrus Onizucca.

Hi duo Iapones de Societate, cum tertio

tertio quodam externo, Patris Petri Pauli Socij fuêre vsque ad mortem in flammis adeptam. Cumque ad illam animo hilari irent, litanias cum eo cecinêre.

P. CLAVDIVS A S. COLVMBA.

Gallus ad Biterras. 1. Nou. 1619.

ÆTas senectutis, vita immaculata etiam in adolescente Claudio enitescens pudicos oculos delectabat. Aliis enim oculis placere quàm nollet, ostendit, quando impudentis mulierculæ illecebras repulit casto contemptu. Societati adscriptus, vt conceptum in tyrocinio calorem seruaret in studiis, Christum consulebat, ad eum de singulis referebat. Inde illi mirum, & mansuetum silentium, etiam conuitiis aliquando lacessito: inde lingua in fræno; vt nunquam, præsentem aut absentem vllum vel verbulo vllo læderet.

Consulter. Christus.

Eucharist.

Sacris initiatus, singulis propè horis visebat Christum in sacello domestico: etiam noctes ibi magnâ ex parte nonnunquam ducebat insomnes. Quis det, aiebat cum Iobo de carnibus eius vt saturemur? Et cum S. Chrysostomo: Vnus sit nobis dolor hac esca priuari. Vnde cùm aliquando se sacris operari non posse videret, eo die communione (quâ spiritualem vocant) centies repetitâ damnum compensare conatus est. Vt suo ardori aliquando indulgeret, cum pio quopiam ministro in sacellum domesticum secedebat, & ibi diuino sacrificio celebrando horam vnam & alteram impendebat. Ad illas verò Christi delicias animum præparabat, exomologesi quotidianâ, eâque aliquando iterum, ac tertiò, non sine lachrymis, repetitâ; & egregiâ corporis afflictatione.

Sacrum.

Confessar.

Ignitum erat eius eloquium vehementer. paucis verbis lachrymas eliciebat ex illorum oculis quos confitentes audiebat. Vnde nõ defuêre qui pio furto resecta m ab eius veste laciniam asseruarent. Humaniora, Philosophiam, ac Theologiam docuit non minore cum fructu quàm plausu. Monitus vt quatuor Professorum vota nuncuparet, enixè petiit, in inferiore gradu consistere. Pro adolescente (qui à tyrocinio ad Philosophiam mittebatur, & miserabili torpore elanguerat, iamque postridie à Societate dimittendus erat id flagitans) in sacello Deiparæ non priùs fecit finem orandi Claudius, quàm ille, quid pro se ageretur ignarus, & hilaris, repentino doloris æstu flagrans, ad superioris pedes prouolutus, in Societate retineri fusis vbertim lachrymis impetrauit. Turnonense Collegium cùm regeret, amabat omnes, & ab omnibus amabatur. Tolosæ dicebatur esse Ecclesiastes omnium horarum, si de diuino amore dicendum esset, inflammabat clerum, & populum, adeò vt è clero quidam quotidie sacris operarentur, qui aliquando à diuino illo sacrificio in mensem tertium abstinebant. Cum Biterris peste afflictis, magistratui suam operam ad seruiendum offerret, repulsam passus, & ad Lespinianum pagum amandatus, pago paulò post peste correpto assiduitate mirabili operam dedit; & in illo gloriæ agone, morte pridem optatâ felix occubuit.

Humilit.

Oratio B.V.

Amor Dei.

Charitas.

II. DIE

II. DIE NOVEMBRIS.

P. GEORGIVS COLIBRANT.

1. Nouemb. Belga Duaci. 1609. ætat. 70. Societ. 40.

QVotidie à nonâ ad 10. noctis de 4. nouissimis constanter meditabatur. Quotidie, vel cilicium gestabat, vel per quartam horæ partem se cædebat, idque pro se, ac iis, quos confitentes audiebat. Si quando aliquid consuetæ afflictationis omisit, aut ad aliquod animi laxamentum est missus, eueniebat illi aliquid quod illum acerbiùs affligebat quàm vlla sponte susceptâ sui vexatio. Modum ponere tot suis mortificationibus iussus, parere quidem se velle respondit, sed prædixit Deum id suppleturum. Et verò diros calculi dolores mox persensit. Sæpè illi in ore familiare illud acroama: *Ad vitam æternam.* quibus verbis omnia condiebat, incipiebat absoluebat. In morbo semper id agebat, vt dolores suos Deo assiduè consecraret, aliquam misericordiæ particulam petens à Deo sibi etiam reseruari, ac iudicia Dei timens. Si ei negotij quidpiam commendaretur, ad preces etiam afflictationes corporis adiungebat, & benè de negotio sperare iubebat. Bono euentu idem agebat, si quem Deo lucrifacere niteretur. Quidam iuris studiosus Duaci cùm effrænatè viueret, bis per quietem vidit se diuino tribunali fisti, ac dici sibi audiuit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Itidem consilium illi datum, vt ea quæ viderat, cum quodam de Societate (quem istic videbat) conferret. Aduolauit ad templum Societatis vt primum à somno est experrectus, & ignotum hactenus P. Georgium Colibrant, vt vidit, eundem ipsum esse agnouit quem viderat per quietem: ac ita eius ope suis rebus consuluit.

Confessar. *Humilit.* *Constantia.* *Oratio B.V.* *Somnus.* *Nouissima.* *Amor Dei.* *Mortificat. Morbum.* *Zelus.* *Charitas.*

P. ALOYSIVS PONCE.

Hispanus Granatæ. 2. Nouemb. 1611. ætat. 46. Soc. 30.

RODerici Ponce Ducis de Arcos filius: & tamen in Societate tam infra omnes abiectus atque si omnium seruus esset, non frater. Vnde amabilis omnibus, omnium obsequiis promptam voluntatem, & manus offerebat, ac dabat. Emicabat in eius vestibus, & in conclaui singularis quædam indoles amatæ ab eo paupertatis; à qua ne vel in minimo recederet, nihil omninò adeò tenue erat quod accipere vel dare auderet, nisi petitâ priùs id faciendi facultate. Vt orationi mortificationem coniungeret, non nisi de genibus orabat. Confessionali sedi tam diligenter aderat, atque si hoc (vt aiunt) mensæ titulo in Societate aleretur, alias pane indignus. idque perseueranter agebat etiam cùm vel præesset Collegiis, vel ad populum dicendi officium sustineret. Libenter illum audiebant externi; libenter ab illo regebantur nostri. Morbum extremum è laboribus inter sacras expeditiones exantlatis traxit. Mortis nuncium à medicò cum tanta exultatione accepit, vt se de lectulo proripere ad eius pedes osculo honorandos voluerit gestiens gaudio, quod etiam tunc luculenter testatus est, quando sub extremum in hæc verba erupit: Benedictus Deus, qui me beneficio tanto dignatus est, vt desideratam illam ho-

Humil. *Paupertas.* *Oratio.* *Mortis.*

ram vicinam videam quâ moriar in eius domo.

P. IACOBVS FRANCISCVS.

Gallus. 2. Nou. 1639. ætat. 63. Societ. 44.

HVnc virum cælestis Theologiæ apprimè peritum, & ingenio iuxta, virtuteque præstantem, morbus inuenit in ea lucubratione, quâ rhythmicam paraphrasim scribebat in illa cantici Ezechiæ. *Præcisa est, velut à texente vita mea.* Optauerat, petieratque à Deo sæpiùs, atque impensiùs iampridem verum desiderium moriendi; quod etiam impetrauit. Quare mortis vicinæ gaudiis plenus centies Deo se obtulit, verbis illis centies repetitis. *Suscipe me, Domine secundum eloquium tuum, & viuam.* Ita decessit, vt iis qui morientem videbant dicatur moriendi desiderium iniecisse.

Mors.

Mortis desiderium.

P. LAVRENTIVS PASSOKIVS.

Silesius in Castris. 2. Nou. 1642. ætat. 42. Societ. 18.

PRæclaræ in castris operæ vtiliter positæ veluti pretium tulit nobilem mortem Laurentius. Etenim cùm tribuni in Lipsiensi pugna vulnerati confessionem exciperet, ab hoste hæretico victore deprehensus, & quis esset interrogatus, ac MARIAM Deiparam execrari iussus, se Sacerdotem Orthodoxum professus, MARIAM verò non tantùm nolens execrari, sed & summis quibus poterat laudibus extollens, ab exacerbato per eam audaciam hoste, gladio percussus, & glande plumbeâ eodem in loco peremptus est. In Societate Ministri ac Rectoris muniis laudatè functus, non semel etiam ob fidem extortis, eiusdem amore non pauca & tulit, & fecit.

B V.

Fides.

P. MATTHÆVS CRAMERVS.

Bohemus ibid. eodem die.

IDem dies eodem loco causâ non dispari extinctum vidit P. Matthæũ Cramerum, cùm ex equo desiliens aures præberet peccata confitenti tribuno Catholico eadem in pugna saucio & mortem opperienti.

PETRVS DE ARTIAGA COAD.

Hilpanus Vallisoletis. 2. Nouemb.

CVm ætate iam prouectior, & nobilitate ac virtute spectabilis Societatem expeteret, oblatum sibi Sacerdotum gradum non admisit, impiger ad labores. Et licèt foris mensæ lautiori ac somno fuisset assuetus; non nisi post alios mensam adibat: & ante alios è lecto surgebat; quò plus otij posset orando Deo impendere. Etiam 60. iam annos natus, quotidie se flagro cædebat, tum quoque cùm febri quartanâ laboraret. Pro vnico quem foris è matrimonio susceperat filio Deum enixè orauit vt Societatem iniret, & obtinuit. Is fuit P. Manuel de Roxas vir literis & rectione inter nos insignis. Erga animas purgatorij liberalis fuit quantâ poterat industriâ, variis, & quotidianis erga illas officiis. Vita per dies plures absq; vllo arteriæ pulsu (qui quidem notari potuerit) stupentibus, & causam variè disquirentibus medicis, illi producta est vsque ad noctem quæ inter Sanctorum omnium & mortuorum dies media est. Maurus illius olim seruus, cùm dominum suum in culina Christi mancipium factum videret, flebat præ tenero sensu lætitiæ, magnâ & ipse virtute laudatus. Ferunt Patrum cuipiam in eodem Collegio indicatum diui-

Humil.

Oratio.

Mortifica.

Mors.

diuinitùs, Petro id animas purgatarij obtinuisse à Deo, vt nocte illâ de vita migraret, quasi pro præmio suæ beneficentiæ erga illas.

Purgator.

III. DIE NOVEMBRIS.

P. ANTONIVS PINAS.

3. Nouemb. Lusitanus Eboræ. 1608. ætat. 71. Soc. 48.

GRacili nimirùm erat corpore, ac idcircò ad Societatem non admittebatur. Ille verò constanter negabat se alio instituto viuere velle. Medicis tres, vel summum quatuor annos victurum dicentibus; At ego, inquit Antonius, & in Societate viuam, & vobis omnibus ero superstes. Et dixit ex vero. Ter se ad obsequia peste tactorum in periculum dedit; & subiit labores longè grauissimos. Iam illi obrepebat extremus morbus; quo pridie quàm prosterneretur cùm se fractum aduerteret, à Ministro petiit facultatem cubitum ante alios concedendi; sed id P. Rectori negauit indicandum; ne, inquit, si quis æger hac fortè nocte ad confitenda peccata quempiam de nostris deposcat, relicto me per speciem ægritudinis, deligat alium. Impuram fœminam ausam quiddam petere quod non decet; ipso vultu conterruit, fregitque petulans illud consilium. Fratris germani literas, itaut venerant obsignatas per tres annos in cubiculo habuit, ijs pro atramentario tegendo vsus.

Vocatio.

Charitas.

Humil.

Oratio.

Mortific.

Zelus.

Operarius.

Castitas.

Mortific. erga cõsang.

Mors.

P. MELCHIOR DE SANIVAN.

Hispanus Hispali. 3. Nou. 1609. ætat. 67. Societ. 46.

INnocens illi iam inde à puero integritas, quam nobilis, & ad pietatem propensa indoles exornabat. Quatuordecim annos natus iam duas horas dabat quotidie orandi studio: & quartâ qualibet ac sextâ feriâ, pane tantùm frigidâque reficiebatur; ciliciolis quoque, catenulis ferreis, ac flagris in se plus quàm pro ætate illa seuerus. E tyrocinia suis reddi debuit, vt furens parentis, viri nobilis, animus tranquillaretur: at ille voto concepto se obligauit ad redeundum. id quod & præstitit. Multis illum dæmon appetiit, etiam vocibus eum territans: at ille orauit, & vicit. Inde Philosophiæ ac Theologiæ docendæ, tum gubernandis Collegiis, & Domui Professæ Hispalensi, ac Vice-Prouinciæ Sardiniæ admotus, vbique præstantis viri partes impleuit. Boëticam quoque rexit Prouincialis, & mirâ suauitate vindex optimæ disciplinæ. Nullum diem sinè linea, id est sine sui afflictatione insigni, præterire passus, quotidie se verberibus accipiebat: quotidie conscientiam expiabat: & diuino sacrificio profusis lachrymis operabatur. Vesperi verò claudebat diem quotidianâ mortis velut iam iam imminentis, eumque ad immortales vel pœnas vel præmia translaturæ memoriâ.

Oratio. Mortific.

Vocatio.

Mortific.

Confessar. quotid.

Mors.

P. GEORGIVS COMBES.

IVuentuti ad litteras erudiendas, missionibus habendis, pietati vbique seminandæ valdè idoneo erat ingenio. Sanis, ægrisque militibus dum operam omnem præstaret, morbo correptus, & extinctus est. Tutellæ, San-

Gallus in opp. Pontis de Ciroy. 3. Nou. 1621. ætat. 39. Societ. 15.

Charitas.

ctimonialis, omnem fidem permagnâ virtute commerita, cùm paulò post eius obitum perceptâ diuinâ Synaxi pro eius anima Deum impensiùs precaretur, sibi videre visa est eius animam è flammis piatricibus ad cælestis Patriæ gloriam euolare. *Purgator.*

cietatem optauit, & in illa paucis annis brauium apprehendit. In eius exequiis illud singulare aliqui affirmant accidisse, quòd cum cerei pro eo condendo accepti per integras 24. horas arsissent, è cera, (vt patuit illam ponderantibus) ne vnicâ quidem vnciâ minus sit repertum quàm quantum erat antequ amcuissent accensi *Mors.* *Sepultura.*

P. FRANCISCVS SABOYA.

Hispanus Tortosæ in certo mense & die anno 1550.

PRæerat filiis B. Francisci Borgiæ, cùm eiusdem Ducis exemplo So-

IV. DIE NOVEMBRIS.

P. PETRVS DE FONSECA.

4. Nou. Lusitanus Vlyssipponę. 1599. ætat. 73. Soc. 50.

HVnc literæ Lusitanæ Patrem & Columnam Societatis Lusitanicæ vocant, tum ob ingenium ac doctrinam libris quoque testatam; tum ob religiosam prudentiam cùm Rector Conimbricę, Vlyssipponę Præpositus, ac demum Romæ Assistens rebus præesset. Philippus II. Rex voluit illum adesse tribunali illi quod pro publico Regni Lusitaniæ bono curando erexerat: item supremis tabulis Infantis Mariæ de vita migrantis: denique primo loco illum pro Episcopo Iaponiæ nominauit. Omnis eius vitæ series horologij instar fuit, cùm licet multa ageret, ageret tamen omnia distributè, adeoque nunquam illi otium ad diuina deesset. Miræ fuit modestiæ in opinione suâ submittendâ sententiæ aliorum; miræ efficacitatis in tranquillandis mentibus perturbatis; miræ tranquillitatis in rebus afflictis, vultu animoque sibi semper constantibus. Si à quopiam offensus fuisset; Ego verò, aiebat, benè illi faciam, velit, nolit. Domum Orphanarum, Domum item Catechumenorum erexit, & constabiliuit cùm ære annuo ac stabili, tum statutis quæ condidit. Atque hi instituuntur, & postea in S. Rochi templo apud Professos Baptismo expiantur. Ille etiam pars non postrema fuit eius operæ quâ istic Domus Conuersarum est inchoata. Illo adnitente erecta est domus Vlyssipponæ pro educandis filia bus militum Hispanorum; accersit ex Hispania fratres à B. Ioanne Dei Lusitano fundati; institutum Vlyssipponæ Seminarium Hibernorum; accommodatæ res Xenodochiorum; proscriptæ exitiales moribus scenæ; quo de argumento plura etiam lucubrauit. Et alia plura instituit bono publico peridonea, ætatemque latura. Totum morbi tempus illi erat oratio, patientia, obedientia; ne aquæ quidem guttâ nisi obedienter admissâ. *Tempus.* *Humil.* *Charitas.* *Zelus.* *Morbus.*

P. IACO-

P. IACOBVS DE MESQVITA.

Lusitanus in Iaponia. 4 Nou. vel 14 1614. ætat. 61. Societ. 39.

NObili domo natus, & P. Franciſci Pacieci auunculus. Per annos duodequinquaginta Iaponiam excoluit. Duxit ad Greg. XIII. Boncompagnum, magnum illum & Apoſtolicâ ſuâ illâ beneficentiâ orbi terrarum notum Pontificem, in Europam trium Iaponicorum Principum Oratores. Virtute, ac labore quàm doctrinâ maior, magna planè ac mira perpeſſus eſt. Duo in ſilua armati illum iam adoriebantur, teſſerario ſigno aliis quoque ad idem faciendum dato: ille interea ſe ad orandum compoſuit, & illæſus permiſſus eſt. In celebri illa Iaponiæ tempeſtate contra Chriſti ſectatores coortâ, cùm Chriſtiani vrgerentur ad venerandum idola, & templa diruerentur, etiam Iacobus eiectus in exilium, ærumnis confectus, per iter in tenui piſcatoris caſa, felici morte lætus contabuit.

Oratio.

Fides.

MICHAEL FLORIVS COAD.

Italus Syracuſis. 4. Nou. 1621. ætat. 81. Societ. 62.

MAgnum virtutis nomen vulgo nacta eſt pietas Michaëlis. Ipsâ illius mortis horâ viſus eſt ad portam Collegij homo ignotus, plures iſtic faces accendens, atque illa ædium pars circa id quo Michael migrabat tempus lumine miro colluxiſſe conſpecta eſt. Ad extremam vſque ſenectam veſperi ſe ad ſanguinem vſque cædebat quotidie. A labore illum, nec ætas caduca, nec valetudinis imbecillitas auellebat, ſemper conantem aliquid pro viribus, vel etiam ſupra vires. Primos fructus Deo ſemper offerens non guſtabat. In eleganti horto, quem ipſe præclarè operâ longâ excoluit, nullum fructum delibauit vnquam, inſigni ſui victoriâ.

Mortifio.

P. DOMINICVS SIMON.

Hiſpanus Tarragonæ anno méſe, die incerto.

SOcietatem anno 1559. inierat: & in ea præclarè liborârat pro ſacro tribunali, pulpitoque aſſiduus. E Sanctorum viſis inſignia quædam ad mores exempla in volumen redegit, qui labor Nouitijs eximiè profuit ad plures vſus. Proximo ante mortem die cùm valetudinarij Miniſter Petrus Valpueſta eum manus eleuantem videret, parabat accedere vt iuuaret ſi quid vellet. Sed ſacro quodam horrore ſe percelli ſenſit adeò vt accedere non auderet. Tum P. Simon capite manibuſque ſublatis veluti S. P. Ignatium coram aſpiceret, dicebat: ô verè nunc, ô verè nunc aio verum eſſe te eſſe in magna gloria. Ne diſcede à me, ne diſcede à me, S. P. Ignati; accipe me tecum. Hæc Petrus ex ægro audiuit pleno reuerentiæ timore attonitus.

Lectio. S. P. Ignat.

Mors.

V. DIE NOVEMBRIS.

P. MARTINVS DE BANNOS.

5 Nouemb. Hispanus anno. ætat. 40. Soc. 15.

CVm Societatem flagitaret, aiebat, se duabus potissimùm de causis illam expetere: primò, quòd singularis quædam animorum, charitatisque coniunctio in illa vigeret, deinde quòd mortes sociorum audisset esse felices. Madriti Collegij Minister, deinde Nouitijs Magister præfuit Naualcarneri. Effusa charitas illum infimis quibusque laboribus, ac officiis onerabat. Si quis ad ægros noctu euocaretur, ibat ipse ne alij excitarentur. Singulis mensibus, cum rei vestiariæ Ministro obibat cubicula, & introspiciebat, submistrabatque, si quid deesset. Nouitios amanter ducebat ad aspera, mirabili significatione suauissimæ charitatis, ac exemplis. Assiduè se quà in triclinio, quà in cubiculo afflictabat. Atque, vt de flagellis nil dicam, thorax illius intimus deprehensus est fuisse ex aculeis, spinisque consertus. Per iter sinè viatico, pedes, mendicus, exemplum erat paupertatis. Cùm alios regeret, vestis illius erat omnium reliquorum Sociorum vestibus magis vetusta, magis trita. Indusio quoque non alio, quàm omnium crassissimo, ac frustis assutis oppleto est vsus. Inter verrendum, id faciebat scopis breuibus, vt se magis affligeret. Manè aliis à somno experrectus, iam ille vnam horam in oratione posuerat. Orabat positis humi genibus, iunctis ad pectus manibus, oculis humi fixis, aperto capite ac inclinato, idque frequentissimè corã sanctissimo Sacramento, die, ac nocte. Nullam exhortationem habuit ad alios, ad quam se non parasset oratione trium, vel quatuor horarum. Inde illi flammæ ab ore, ac viua quædam verborum copia exundabat.

Vocatio. Charitas.

Mortific.

Paupertas.

Manè.

Oratio.

P. MICHAEL LÆTAVALLE.

HVnc Pater Octauius Caietanus Martyrologij sui pag. 136. 5. Octobris ponit, aitque ab illo moriente visos Angelos. Alij 5. Nouembris illum collocant. Ego de illo scripsi ad quintum Octobris.

Italus Syracusis. vid 5. Oct.

Mors. Angeli.

P. FRANCISCVS DE PETRIS.

CVm Legatis à Pontifice in Indiam reducibus eò penetrauit; & in Sinis præstantes vtilitates peperit Christianis. Xaucei ab armatis Latronibus domum inuadentibus, noctu securi in capite vulnus accepit. Coadiutori in Societate firmando, affirmatè dixit se à B. Virgine ad Societatem (vt ei videbatur) inuitatum, disertis verbis dicente: *Ingredere, agedum Filij mei Societatem, & in ea vocatione perseuera.* Nec aliud videre potuisse vnde vox veniret, quàm imaginem Dei Matris ad se loquentis. Extremo in morbo hymnum Beatissimæ Virginis ad alterum lecti latus appendi iussit, vt eum iteraret. Mortem suam sanus tum adhuc non semel prædixit, euentu ita secuto.

Italus Xaucei. 5. Nou. 1594.

Fides.

Vocatio.

B. V.

Mors.

P. STE-

P. STEPHANVS PAEZ.

Hispanus Limæ. 5 Nou. 1613. ætat 67. Societ. 50.

AD animarum salutem vsus est cultu Deiparæ singulari; cuius Sabbata, panis, & aquæ leuamento contentus, absque cibo alio traducebat, à Deipara multifariam sæpè adiutus. Ad perfectionem per heroicas de se ipso relatas victorias, humilitate, ac se afflictandi contentione maximâ nitebatur. In rectione fuit haud remissus, verùm vigore charitatis plenus, efficax, atque ad omnem disciplinæ domesticæ apicem curatè seruandam attentus. Erga ægros charitatis tantæ vt ipse sociorum vlcera suis manibus curaret. Semper anhelabat ad Deum; apud quem paratum sibi inter sanctos Patriarchas locum diuinitus vidisse fama est. Adfuit mortui exequiis fœmina famâ eximię probitatis celebris, & sibi videre est visa sanctum P. Ignatium, qui ab ara Stephano obuiam veniebat, eum gratulatione summâ excipiens.

B.V. — *Superiore* — *Charitas* — *Prædestin.* — *S.P Ignat* — *Mort.*

VI. DIE NOVEMBRIS.

ALPHONSVS OVANDVS NOVITIVS.

6. Nouemb. Hispanus Limæ 1614. ætat. 17. Societ. 1.

HVius virginitas cùm egregio erga Dei Matrem studio coniuncta illum sui corporis tyrannum fecit. Septem aliquando cilicijs innocens corpusculum vndequaque circumdabat, & assiduâ verberatione adeò lacerabat, vt fuerit vnum vulnus. In nullam legem nostram peccare est visus, nec vnquam otiosum verbum loqui auditus. Per Beatissimam Virginem insigni orationis dono excelluit; & solâ Deiparæ cogitatione obiectâ, fluebat in cordis tenerrimam voluptatem. Quicquid verò agebat, offerebat manibus Deiparæ, vt ei seruiret in omnibus, & placeret. Tabulis nudis indormiebat, ad orandum nocte consurgens.

B.V. Mortific. — Oratio. — Mortific. Oratio.

P. IOANNES AMIEV.

IN Syrię missionibus per annos duodeuiginti magno impendio laborauit. Matrem expiraturam ad Ecclesiæ complexum iam, antequam illuc proficisceretur adduxerat. Alepi Sodalitia duo Maronitarum erexit; tertium Armenorum: Francorum verò cœtum restituit. Missionem Damascenam, ac Tripolitanam instituit; Sidoniam constabiliuit: ibique Francorum Sodalitium posuit; permulta perpessus. Familias, integras, quà à Mahometho quà à Græco Schismate, item Apostatas ab exitio, ad fidem adduxit. Vnicus illi domi erat, isque necessarius nummus argenteus. illum ille pauperi dedit, & eodem die sex argenteos nummos vltrò sibi datos accepit. Vestis illi è nigra tela, citra vllum respectum humanum: somnus parcus, isque in storea, sine linteis in æstate: fortis contra linguas innocentia; pedes, vel offendiculo, vel spinis, per itinera sæpius cruentati. Turca illius

Gallus in Syria. 6. Nou. 1553. ætat. 67. Societ. 46. — *Fides.* — *Zelus.* — *Misericord.* — *Mortific.*

Italus Syracusis. vid 5. Oct. *Mort. Angeli.*

Italus Xanthi. 5 Nou. 1594. — *Fides.* — *Vocatio.* — *B.V.* — *Mort.*

illius pectori scłopum furenter admouerat. Rogatus, num timuisset; respondit: se non plus suæ, quàm pulicis vitæ tunc timuisse. Carceres læ- *SSS. Trinit.* tus perpessus est. SSS. Trinitatem sacrificiis crebris, & variâ industriâ, magnâque fiduciâ coluit. Maronitici cam tempestatē prudenter tranquillauit, & pro Romano Maronitarum Collegio vtiliter laborauit. Hæc, atque his plura de illo annuæ.

VII. DIE NOVEMBRIS.

IOANNES DE AGVILAR. COAD.

7. Nouemb. Hispanus in Boetica. 1621. ætat. 61. Soc 35.

CVm Rhetoricæ studeret, maluit Societati se dare, Coadiutor futurus, quàm nobili cuidam, ad quem inuitabatur, ordini, sacris initiandus. Extra singularem erga SS. Eucharistiam, & B. Virginem affectum aiebat religiosum cor esse extra suum centrum. S. Synaxim aditurus; præter, alias afflictationes, se flagellabat. Duas horas, antequam alij surgerent in oratione ponebat, modico pane contentus, ipse granum excutiebat, ipse seminabat, ruscolebat; idque per 30. annos, quo toto tempore non prius ad cœnam ibat quàm B. V. Rosarium recitasset. Domum à laboribus redux, rogabat, vt ieiunare sibi liceret; à vino, ac deliciis omnibus vel gustandis alienus prorsus. A quacumque occupatione illum superior auocaret, statim illam abrumpebat nullo verbo adiecto, & nihil omninò turbatus. Acerbam vlcerum curationem persanctâ patientiâ sustinuit.

Vocatio.

Eucharist.

Mortific.

B. V.

Mortific.

Obedient.

Patientia

P. CÆSAR COSSVS.

Italus Messanæ. 7. Nou. 1622. ætat. 76. Soc. 38.

APrus, natus ad religiosam rectionem, piamque prudentiam, quâ Nouitios, & Socios reliquos gubernabat. E Domo non nisi rarò admodum, eoque religiosiùs, prodibat. Si cui domi vestium quidpiam deesse aduerteret, sibi detractum, illi dabat. Somno quatuor tantùm horas, reliquum orationi dabat. 15. diebus ante festum sancti Michaëlis & aliis 15. ante festum Assumptæ B. V. ieiunabat. Disciplinæ religiosæ perquam accuratè retinens fuit; etiam in minimis quibusque quicquid calore vrgeretur, ac siti, nunquam extra consueta triclinij tempora quicquam bibit: nunquam vllis cibis oleum salemue adhibuit. Sabbato, in B. V. honorem, nil omninò cibi cocti admisit. In extremo senio, cùm per bienium nil videret, cęcitatem illam tulit maximâ humilitatis, & patientiæ significatione; magno pietatis, & perfecti Religiosi exemplo. Omitto quædam quæ admirabilitatem habent.

Superior.

Mortif.

Oratio.

B. V.

Sabbat.

Cæcus

Patientia.

P. AVGVSTINVS CENTVRIONIVS.

Italus Genuæ. 7. Nou. 1657. ætat. 73. Societ. 44

CVm à Republica Genuensi ad coronas missus, ardua, varia, & assiduè tractaret; cùm supremum in Republicâ Magistratum gereret Dux creatus; illud in eo laude ac ferè admiratione dignum fuit quòd etiam tunc sine intermissione oraret, mente in Deum ita defixâ vt nec rebus benè ac pro dignitate gerendis, nec teneræ ac

Oratio.

ac solidæ in Deum pietati vlla ex parte deesset. Per annos 30. ante quam Societati nomen daret, citra voti obligationem quidem sed tamen ita sua omnia è Patris spiritualis nutu disponebat, vt nihil ageret suo arbitratu æquè atque si fuisset ad id solenni voti religione obstrictus. Aiunt illum cùm Ducis munus gereret, quotidie pane Angelico vesci solitum, ad vires dignas eo munere à cibo illo fortium capiendas. Societatem ingressus est iam Sacerdos, ac septuagenario maior, annuente Præposito Generali. Malebat vel horâ vndecimâ venire quàm non venire: aiebatque sibi id è re fore non tam ad diu viuendum quàm ad apparatè moriendum. Et verò tota ferè illius familia religiosa videri potest; cùm illius Pater, Mater, fratres, sorores, filij, filiæ, alij aliis religiosis ordinibus sese addixerint, raro exemplo. Sui demissione perinsigni, se infra omnes demittebat toto eo duodeuiginti mensium spatio quo in Societate vixit. Vnde optabat Coadiutorum albo inscribi. Aiebat se esse instar formicæ in medio vasti maris quæ nihil possit nisi iuuetur. Ita se pendere à Deo, aliàs mergendum inter tot seculi tempestates. Christi Crucifixi, & Matris Beatissimæ sub cruce stantis memoriam quotidie instaurabat hymno illo *Stabat Mater dolorosa iuxta Crucem lachrymosa* quotidie recitato. Cùm Genuæ pestis vndequaque sæuiret, aiebat maiorem esse vel vnius peccati, etiam venialis, stragem quàm quicquid quælibet pestis potest calamitatis afferre. De Deo suauiter, scitè, nec sine lachrymis loquebatur, magno virorum etiam primæ notæ à quibus visebatur, & sensu, & fructu. Atroces calculi dolores, & morbum extremum solidæ patientiæ, ac tenerrimæ pietatis adminiculis adiutus sapienter ac religiosè tulit vsque ad mortem.

Eucharist. *Humil.* *B V.* *Peccatum.*

VIII. DIE NOVEMBRIS.

P. HENRICVS DIONYSIVS.

8. Nouemb. Belga Traiecti. 1571. ætat. 51. Societ. 17.

IN scholis, & in pulpito præstans, ad disputandum, mouendum, docendum. Inter alios Nicolaus Stratius Decanus Traiectensis à vita liberiore ad arctiorem hoc Magistro se adductum lætatus, non nisi in eodem, in quo ille conditus est tumulo voluit tumulari. Biennio post, eâ ipsâ, quâ Nicolaus Decanus moriebatur nocte, Henrici tumulus ad locum Nicolao præbendũ apertus repertus est. Puellæ quoque à natiuitate mutæ, quæ ægro Henrico caprinum lac afferre consueuerat, post mortem apparuisse ac illi mitè opitulatum ferunt.

Zelus. Mors. *Sepulcrum.*

P. BERNARDINVS PICCINVS.

NEgabat suo corpori voluptatem omnem, quam bonâ conscientiâ negare poterat; infligebat pœnas omnes, quas poterat; singulis sensibus singulas afflictandi formulas præscribebat. In mensa ciborũ saporem effusâ aquâ corrumpebat. Catenulâ ferreâ se cædebat, ferro cingebat. In oratione assiduus, aiebat hominem os esse omnium Creaturarum; debereque Deum ab illo, earum vice laudari. Si quando sacro per valetudinem operari se non posse videret, coronam B. Virginis recitabat, & vires pro sacro per eam impetrabat.

Italus Romæ. 8. Nou. 1612. Soc. 46. *Mortific.* *Oratio.* *B V.*

petrabat. Fœminæ lachrymarum donum optanti author fuit vt B. Virginis lachrymas meditaretur, Filioque offerret. Paruit illa, & impetrauit. Oratio. Organs à terra sublimis in cubiculo aliquando conspectus est, audito interea vt fertur cælestis harmoniæ concentu. Plura de illo in vita.

P. ORGANTINVS BRIXIENSIS.

Italus Nãgãsachi mẽse ac die incerto. 1609. ætat. 79. Societ. 56. B. V.

CElebre in historiis Indiæ Orientalis nomen. Aiebat eius Mater; multa illum olim pro Christo perpessurum. Ab herniâ voto ad B. V. Lauretanam edito repentè sanatus cùm illam viseret, nostri cuiuspiam comitate captus est: & Societatem Ferrariæ iniit, duobus fratribus suis ad illam vnà secum adductis. Tusculi primus domicilium Societati fixit anno 1559. Laureti Rector cum esset, Indias impetrauit; vbi, Meaci potissimum, ferè Sociis præfuit, multa ibi aduersa perpessus, magni, vir animi, ac Deo sanctè fidentis. Aiunt dæmonem quoque de illius in fide propaganda ardore fuisse conquestum, maximè cùm quadam vice quadringentos baptismo expiasset, ac ij ad fanum certatim conuolassent, ac idola omnia euertissent. Reliqua ex annuis, & historia Soc. peti possunt. Fides

P. NICOLAVS IAMOT.

Belga Gandaui. 8. Nou. 1634. ætat. 34. Societ. 16.

APhilosophico cursu cum acris inter docendum ingenij laude consummato in Bredanum præsidium ad operam militibus curandis dandam vltrò prodiit. deinde, proximo post ediram quatuor votorum professionem die sese heroico charitatis munere apud Gandenses in peste addixit, quâ in administratione obsequij, præter alia communia, illud in eo illustre visum, quòd (vt refert in Heroibus Alegambe) cùm fortè aliquando ab ægroto rediens, iacere iuuenem extrema in vrbe sub dio ex ædibus ab hero eiectum audisset, eoque protinus occurrisset, expiasset, pane vitæ refecisset oleo sacro vnxisset; humeris sublatum, viâ longissimâ, ad Nosocomium asportârit, vt eius corpori quoque consuleret. Hæc, ac plura his agentem mors nobilis occupauit. Charitas.

P. IOANNES HAVSBRANDT.

Germanus Hildesij. 8. Nou. 1659. ætat. 71. Societ. 50.

QVicquid officij gereret, siue præesset siue subesset, erat totus ad omnem præclari coram extrariis, ac domesticis exempli normam compositus; vir in quo dolus non erat, vel artificium. Nec ætatis, nec alio quouis obtentu volebat quicquam quod omnibus non dabatur: nihil ex iis quæ leges, ac maiorum scita præscribunt omittebat, perquisitè attentus ad singula. Illud in eo singulare diuinæ prouidentiæ argumentum eluxit, quòd tribus ante mortem hebdomadis cùm de festo Sanctorum omnium solicitè quæreret, rogatus à confessario eccur id faceret, responderit: Quandoquidem iam mundo inutilis sum, id vnicè opto vt in octaua illius festi quâ olim prima Deo vota obtuli, mori mũdo, cælo viuere mihi concedatur. id quod euenit, licèt ipso Sanctorum omnium die migraturus putaretur, adeoque omnibus ad mortem piè obeundam instrueretur. Nempe piis fidelis sui serui votis velut obsecundare voluit bonus Deus. Regula. Mors. Oo SS. Vocatio.

P. AL-

IX. DIE NOVEMBRIS.

ALPHONSVS VASIVS SCHOL.

9. Nouemb. Lusitanus Conimbric. æt. 1553. ætat. 20. Societ. 3.

Mite, placidum, & propensum ad omnem pietatem, ac virtutem ingenium attulit, cùm Societati adscriptus est. In illa præcipuum illi, & felix planè studium fuit, vt coram Deo versaretur vbique: iamque vsu ipso rem sibi facilem reddiderat, vt Christum reuereretur in Superiore; Apostolos, in Patribus; in alijs, Christi Discipulos. Horæ plures oranti suauiter effluebant, lachrymis quoque affluenter manantibus, quæ aliquando tantæ illi exundabant, vt se abscondere cogeretur; ac tunc etiam præ singultu latere non posset, quin agnosceretur. Noctu quoque, silentio se in lectulo in genua erigebat, & diutius precabatur. Per quinque menses morbo lecto affixus, nullo die omisit matutinæ orationis horam; vesperi aliâ quoque adiectâ, duplicique examine. Mortis desiderio dulcissimo tenebatur; & cùm Medicus illi de vita deposito apponi vellet quicquid æger cuperet; ille vetuit aliud dari, quàm quod omnibus in triclinio apponeretur: imò instar mancipij se haberi optabat, cùm diceret, nullo operæ pretio fieri quicquid in se fieret expensarum. Eius Pater ad illum salutandum appulsus, ab illo aptè diuina locuto in alium planè ab eo, qui venerat mutatus est.

Præs. Dei.

Oratio.

Morbus.

Mortis desid.

P. IOANNES DE GVADARRAMA.

Hispanus Madriti. 9. Nou. 1656. ætat. 56. Societ. 20.

Ante initam Societatem Philosophiæ ac Theologiæ curriculum Toleti emensus, valebat ingenio: in Societate tamen malebat scholis infimis, & animabus operam dare. Grammaticam per continuos 17. annos docuit; & laborauit, effecitque ne in 4. vota professorum numerum referretur. Non linguâ, non gestu, non vllo modo visus est vnquam legem vllam infringere. Cùm æger siti arderet, cuidam aquam offerenti, *Non*, inquit: *quia est contra regulam: & volo esse fidelis Deo, etiam in minimo* Oculi eius Angelici: fœminas multas confitentes audiebat, quarum tamen nullam vnquam vidit. Catenam latam plenam aculeis diu noctuque gestabat, etiam in morbo, & in longis missionibus, quas sine viatico pedibus exantlabat. Quotidie se flagellando mediam horam dabat, atque ad sanguinem largè profusum. Per horas integras orabat expansis brachiis, vel prostratus, ac sæpè odore miro fragrans. Orationi benè manè tres horas dabat: diuinum officium, & B. V. coronam positis humi genibus quotidie recitabat. Cardinalis Toletanus tanti eum faciebat, vt ijs qui illi confiterentur 80. dies indulgentiarum concesserit. Per iter apud pium virum hospitabatur, & noctu repentè se proripiens exiit ad quartam ferè leucæ partem, instinctu quodam cælesti actus: ibi Pastorem animam agentem reperit, expiauit: & ille mox obiit. Redux hospiti suo comiti dixit: *Procul dubio bonus hic pastor fuit pius erga animas purgatorij.*

Humilit.

Obed.

Oculi.

Mortif.

Oratio.

B. V.

Purgat.

X. DIE NOVEMBRIS.

P. LAVRENTIVS DE S. IOANNE.

10. Nou. Hispanus Valentiæ. 1617.

MAgnâ planè, ac plus quàm ordinariâ dicendi dote præditus, per annos 45. permagno fructu, nec sinè admiratione ad concionem dixit. Visus est aliquando super concionantis Laurentij caput globus igneus collucere, atque inde ad audientes descendere. Deus illum in extremo vitæ per morbos ad magnam eximiæ patientiæ laudem exercuit.

Concioner.

Patientia.

P. ANTONIVS SVFFRENVS.

Gallus Cãberij 10. Nou. 1623.

ET Domicilia, & Prouincias gratus domi forisque rexit approbatione magnâ. Pro eo Lugduni grauiter ægrotante indictis precibus, Coadiutor Deiparam impensiùs orans, illam sibi coram adstantem vidisse fertur, quæ promittebat, ex eo morbo, Antonium minimè moriturum. Et verò conualuit. Aliquot post annis pro P. Ioanne Suffreno germano suo grauissimâ ægritudine conflictato se obtulit ad mortem; quippe qui diceret, in Ioanne multùm, in se nihil amittendum idque inter sacrificandum ad S. Radegundis ædem fecit, atque ab ara redux febri correptus est, quæ illi postea pertinax hæsit vsque ad mortem, quam priùs quàm obiret, intento in Crucifixum digito; *Ad illum, ad illum conteudendum* esse dicebat.

B. V.

Oratio. Charitas.

Crucifixus.

P. GVILIELMVS DE PRETERE.

PVdicitiæ suæ obsequentes habuit oculos, nunquam fœminas (etiam illas, quibuscum illi agendum erat frequentiùs) intueri visus; & illos, ac omnia, quæ ageret Beatissimæ Virgini Matri suæ dedicans; cuius honori proferendo, aiebat paratum se diutiùs viuere, dilatâ etiam æternitate beatâ. Eiusdem amori officium ex voto quotidie recitabat. Per ipsos 20. annos tria Beatissimæ Virginis Sodalitia omni studio gubernauit; quibus quartum deinde adiunxit. Inter milites labore, ac successu magno, nec sinè capitis periculo, laborauit. Multi, & quidem aliqui primæ notæ, orthodoxam fidem, multi Religiosos ordines, illo adnitente, amplexi sunt.

Belga Antuerpiæ. 10. Nou. 1626. ætat. 48. Societ. 27. *B. V.*

Zelus.

P. MARCELLINVS ALBERGOTTVS.

CVm Rector præesset Collegio Florentino, in exercitijs S. P. Ignatij, de peccatis venialibus meditatus, cùm ea omnia diu vitari in hac vita non posse videret, moriendi eum cupido cœpit, ne peccare iam posset mortuus; quare, vt peste afflatis ministrare posset impetrauit. Et in obsequio illo præclarè occubuit. Lineorum soccorum loco cilicinis vsum aiunt: flagris adeò se vbique contuderat, vt vix locum iam reperiret quem verberibus non hebetasset. Itinera sæpè sine curru, sinè iumento obita; peractum anagnostæ munus per menses

Italus Florentiæ. 10. Nou. 1630. ætat Soc.

Amor Dei.

Mortific.

Itinera.

menses plures, cùm Rector Collegia gubernaret, ac alia quædam de illo fusiùs narrantur in Heroibus charitatis. Cùm id Collegium ad extremam egestatem redactum esset, illo apud ægros interea satagente, rogatus à P. Ministro; Ecquid capiendum esset consilij; respondit, quærendum esse in oratorio genuali. Sed cùm ibi nil repertum esset, id de oratione interpretari libuit: quâ coram sanctissimo SACRAMENTO fusâ postridie lautum ex insperato auxilium Collegio est allatum. Nempè hoc erat Marcellini consilium, vt orarent.

Oratio.

P. FRANCISCVS DE OCANNA.

Hispanus Carmonæ. 10. Nouēb. 1646 ætat. 31. Soc 17.

CArnem suam odio habuit vt Deū amaret ardentiùs. In meridie modicum cibi, & id quod erat deterrimum, vesperi nihil quo se reficeret admittebat. Breuem, ac durum capiebat somnum, saxo vsus pro lectuli appa-

Belga Antuerpiæ. 10. Nou. 1616. ætat. 48. Socien. 17. B.V.

Zelus.

Mensa.

ratu. Recreationum loco erat illi cubiculum, atque silentium; ibi memor Dei delectabatur. Nulla illi supellex nisi quâ carnem affligebat, cruentum flagrum, catenula, & cilicia quibus cingebatur. Cùm curaretur, ænea illi videbatur caro, adeò fortiter ferebat dolores acerrimos. Orandi assiduitati horas integras, noctu etiam, transcribebat: & cùm alij manè surgerent ad orandum, iam ille duas tresue horas orando impenderat, & communem illam cum alijs addebat. Quotidie duas alias horas dabat conscientiæ Sacramento expiandæ, diuino sacrificio celebrando, & gratiis Deo reddendis. Rosarium Deiparæ quotidie recitabat; mortis autem, vt vocant, coronam seu rosarium diebus festis; vt se natali suo seu festo æterno festis diebus singulis præpararet. Impetrasse verò videtur insignem apparationem. Sacro enim exercitiorum spiritualium secessu flagranter vsus, in morbum incidit qui ei extremus fuit.

Ieiunia. Mortific. Paupertas. Oratio. Confessio. Mors. Festa.

XI. DIE NOVEMBRIS.

P. ALPHONSVS SANDOVALIVS.

11. Nouēb. Hispanus 1586. ætat. 49. Soc. 31.

ILlustri stirpe, Ioanne Stephano Naiaræ Duce natus magnam indolem ad Societatem attulit, eamque virtute haud minore expleuit. Pluribus Collegiis Rector præfectus est, quæ insigni felicitate rexit; ac natalium splendore vsus est semper pro incitamento disciplinæ nullo planè obtentu priuilegioúe laxandæ.

Superior.

P. BENEDICTVS MARTELLANGÆVS.

QVotidie duas horas è somno destinatis horis decerptas orationi dabat. Totus in Dei cultu, totus in pietatis officiis religiosè, attentè, impigrè versabatur; vnde illi Sancti quoque nomen vulgo adhæsit. Erga Dei Matrē studio incenso ferebatur, quippe à qua olim puer è puteo, in quem erat prolapsus repentè in altum elatus: in sublimi putei crepidine, saluus à suis repertus est. Angeli quoque custodis conspectu, illum frui, opinio

Gallus Lugduni. 31. Nou. 1619.

Oratio.

B.V.

Angelus.

fuit. Inde illi admirabilis ad singulas regulas perquisitè seruandas contentio, & mores digni opinione, quæ de illo percrebuit.

IOANNES PAVEGEAV COAD.

Gallus Turnone. 11. Nou. 1624. ætat. 91. Soc. 69.

HVmilitate, pietate, patientiâ præstitit. Rogabat etiam de genibus aliquando Superiores, vt se tamquam inutilem ad Xenodochium mitterent; quò istic precariò inter mendicabula victitaret. 30. extremis vitæ annis à dæmonibus miserè vexabatur, è lectulo extrahebatur, vapulabat; eo tempore sæpè Beatissimæ Virginis, ac sancti Antonij opem implorare auditus. Diuinâ Synaxi reficiebatur diebus alternis; confitebatur autem quotidie. Inde haud ea vis fuit in illum Dæmonibus, quam ipsi optassent. Æger aliquando eâ nocte, quâ Gregorius XIII. Pont. Max. Romæ obiit (vt postea est obseruatum) repentè dixit: Iam, iam Ecclesiæ columna corruit.

Humil.

B.V.

Confess. quotid.

P. IOANNES ARNOLDI.

Germanus VVesselhofdæ. 11. Nou. 1631.

IMpiger operarius Dei. Cùm diuinis operatus à sacro & concione rediret, eius calix & sacrificales vestes ab hæreticis rusticis direptæ, ac per contumeliam impiè tractatæ: ipse ab ijsdem, posteaquam fudibus pessimè vapulauit, deinde ascià perfracto capite arbori est alligatus. Iugulum illi præscindens dirus rusticus: *I nunc*, inquiebat, *& hoc ore, si potes, tuum illud Dominus vobiscum repetito.*

Fides.

P. VINCENTIVS DAMIANVS.

ANno 1641. Philippinas obtinuit. In ipsis Indijs Indias magis reconditas, & arduas perscrutatus. Fuit inconditæ illius turbæ ad mitia studia suauis ductor. Apud Iubigenses, & Bacerenses barbaros heroë digna gessit pro fide, & passus est; vsque dum in Crucifixi amplexu (pro quo, & cui animam deuouebat) lanceâ confixus, vitæ finem impleuit: & eam quam ab infantia incorruptam ab omni grauiore noxâ seruârat innocentiam, deuotâ puri sanguinis purpurâ cumulatam nobilitauit; religiosorum iuxta, & secularium ore dictus *magnus Euangelij vindex*, & ipsâ morte assertor. Sic moti decebat virum in primâ ætate Angelicum, heroëm in robusta. Nox illi persæpè vigil ducta in deliciis Dei; quem vbiq; præsentem perpetuâ consuetudine ad opem suæ tenuitati ferendam religiosè vocabat. Vnde illi vis animi vegeta, & vires corporis, ac dulcis de fideli Deo fiducia, illis etiam quas de diuinæ perfectionis excelsitate particulatim in Deo sæpè mente tractabat commentationibus validissimè confirmata.

Italus in Philippinis. 11. Nouëb. 1649. ætat. 34. Soc. 18.

Fides.

Oratio.

P. THEODORVS MASSIMANVS.

PErpetuâ cùm aliàs, tum coram sanctissimo Eucharistię Sacramento perdiu orandi assiduitate, ac suaui diuinarum rerum commentatione per Calabriam celebris, non sinè eximiæ virtutis fama impensiùs amabatur. Vnde faciliorem fidem inuenit piæ, atque à singulari solidaque virtute commendatæ cuiusdam Sanctimonialis

Italus Consentiæ. 11. Nou. 1633.

Oratio.

lis narratio, quâ dicebat; sibi per quietem visum lectulum holoserico, aureo, floridoque paratu pretiosè instructum; cumque interrogaret cuinam sponso cælestis ille thalamus pararetur; audiuit, parari cuidam virtute insigni tunc è vita migranti. Hoc responso accepto experrecta, illicò ęris nostri campani mortuale signum pro mortuo quopiam, de more dari audiuit; cumque Patris Theodori vitâ tunc functi signum illud esse certior esset facta, facilè interpretata est, requiem æternam in aurei ac floridi illius lectuli symbolo Patri Theodoro esse paratam. Neque alienum id esse à vero credidêre ij quibus tam Sanctimonialis illius quàm Patris Theodori virtus perspecta est.

Lectus.

Mors.

XII DIE NOVEMBRIS.

P. FRANCISCVS PARVVS IOANNES seu NICOLAVS ODOENVS. COAD.

11. Nouēb. Hispanus Hispali. 1600. ætat. 66. Soc. 27.

NObilitate, eruditione, atque armis in Africa & India (vbi suis expensis militem duxit) illustris cùm esset, Limæ anno ætatis vndequadragesimo se Iesu antesignano addixit in Societate in qua tam flagranter rem gessit, vt inuidus & immundus genius illum variè ab ardore illo abducere molitus sit; & cùm nil posset, inflictis etiam plagis malè illum habuerit. At ille animo semper sibi præsentissimo, atque imperterrito nihil de flagrantia sua omisit. Orantem aliquando aggressus, eum pilæ instar in angulum sui conclauis abiecit. At ille vincendi, atque plus in eo proficiendi occasione inde acceptâ quò exercebatur magis, eò se magis orandi ac virtutum studio addicebat. Ab Anglis hæreticis aliquando multa tulit, etiam verbera; eò quòd è Societate esset heterodoxis adeò inimicâ. Postea in peste Hispalensi anno 1599. heroicam operam nauauit Deo & charitati.

Oratio.

Feruor.

Oratio.

Charitas.

HIc in Anglia sub adscito Ioannis Parui nomine latuit, & in pusillo corpore magnam animi vim ostendit. Excelluit ingenio ad inueniendum, accommodandumque latebras in quibus delitescerent Patres, & sacer apparatus. Non semel in carcere, catenâ grauis, colaphos, inediam, & alia perpessus est quæ hæreticus furor in Catholicos exercet cùm rerum potiuntur hæretici. Cilicium tamen, idque persanè asperum, nunquam à corpore deponebat. Per tres ipsas horas tortus, pependit ferro onustus; sed nihil quod fidei, nihil quod fidelibus noxæ foret dixit, aut admisit. Eâ fuit modestiâ, vt velut indignus Coadiutoris nomine, semper se pro Patrum famulo potiùs quàm Coadiutore haberi optaret. Cùm iterum captiuus teneretur; scireturque quàm nobilis cæcarum latebrarum artifex esset, miris, longis, inusitatis per septem horas ipsas tormentis excarnificatus est per continuatos plures dies, viscеribus ipsis fluentibus. Ita fortissima, & innocentiâ

Anglus Lõdini. 12. Nou. 1606.

Fides.

Mortificat.

Humil.

centiâ magnisque virtutibus dives illa anima lacerum corpus memorabili fine deseruit.

P. FABIVS

DE FABIIS.

Italus Romæ. 12. Nou. 1615. ætat. 74. Societ. 48.

DIligentissimus fuit in omni disciplinæ communis accuratione perfectè numeris omnibus, vbique, ac semper implendâ. inde illi singulare probitatis excelsæ nomen, siue regeret, siue regeretur. Semper erat Fabius quocumque, quacumque ad maiorem, minorem, vel nullam rectionem adhiberetur. Eius mortui gloriam sibi videre est visus P. Iulius Mancinellus instar cæli sereni, sed stellis pretiosè distincti, ac hæreditatis opulentæ, quam in Deo acquisiuerit. Mirabile in eo studium fuit humilitatis, cui forma pusilli corporis contemptioni peridonea vt seruiret, faciebat id ipse studiosè. Pro Coadiutore haberi ab ignotis gaudebat. Nunquam à seipso alius est visus in vllo casu improuiso seu lætò, seu tristi. Particulatim in singulis sibi attentus, adeò se totum peruicerat, vt nihil iam superesset, in quo se vinceret. Verborum tam parcus fuit, vt vix fuerit, qui cum illo ea in virtute conferri posset, silentij adminiculo. Vnde dicebatur; iis quæ ille diceret detrahi nihil posse, vel addi: adeò castigatè singula iam ante expenderat. Magister Nouitiorum Rector Prouincialis, Secretarius, Assistens, vbique ac semper Societatis vua lex dicebatur, tam altè regulas moribus totis combiberat, ne per inconsiderantiam quidem vllius oblæsæ reus; circa minimas tamen maiore studio erat attentus, vtpote negligentiæ magis obnoxias. Tyronem à blasphemiæ spiritu repentè liberasse fama est cùm flectere iusso signum crucis impressit. A tauro ferbeciente cornibus malè acceptus, cùm moneretur ad sancti Xauerij brachium tunc allatum votum conciperet, negauit se valetudinem miraculo quæsitam velle: malle, quod malit Deus.

Vita communis. Mors.

Humil.

Mortific.

Lingua.

Regula.

P. ANTONIVS

FERNANDEZ.

Lusitanus Goæ. 12. Nou. 1641. ætat. 71. Societ. 51.

ALphonsi Mendez Æthiopiæ Patriarchæ Vicarius Generalis, qui illum prolixè laudat ab eximio cultu Deiparæ: quem ille amorem & cultum ornabat insigni corporis vexatione. Tertiâ post mediam noctem horâ surgebat à somno, & se flagris inclementer verberans, animum ad orationem præparabat. Totos quindecim dies ante festum S. Michaëlis in Septembri, totidem ante diem Assumptæ in cælum Deiparæ ieiunio dedicabat. Fama est illum in oratione repertum duobus cubitis à terra sublimem.

B.V. Mortific.

Oratio.

B.V.

Ieiun.

Oratio.

P. PHILIPPVS

STREIDT.

Bohemus Brunæ. 12. Nou. 1641. ætat. 44. Societ. 19.

TOtam mentem linguam, tempus Deo consecrârat, vbique Diuinis intentus, vsque ad Sancti nomen vulgo illi datum. P. Martinus Stredonius Prouincialis, vir eximiæ probitatis, famâ notus, de illo inter plura ita scribit: *Nullam diei horam quâ non totam animam in Deum reflecteret, ipsi vnquam elapsam esse exploratissimum est.* Altè sibi impresserat eo die, quo examen particulare negligeret, se nec dignum pane religioso, nec filium Societatis esse; sed salutis & perfectionis suæ incurium secularem. Beatissimam Virginem ingeniosis pietatis industriis venerabatur; cuius præsidio vitæ innocentiam

Examen. partic.

B.V.

centiam creditur conseruasse. Plus quàm virginalis illi modestia, & pro lectulo ab annis aliquot nihil aliud nisi stramen. Hæc ibi, & his plura, quæ in accuratissimæ disciplinæ quà superiore, qua subdito laudari solent, de P. Philippo adfert Stredonius.

Mortificat.

P. IOANNES WEYER.

Germanus Noueſij 12. Nou. 1658.

OBedientia, & charitas illum ad omnia, licèt humilia, & difficilia, promptum reddebant ad nutum cuiuslibet, quicquid rogaretur aut iuberetur. idque animo pacato vbique ac semper sibi simillimo. Duo. vel tria sacra audiebat quotidie: à mensa Christum priùs inuisebat & alloquebatur, ac sua ei verba & facta omnia offerebat priùs quàm ad colloquendam cum aliis pro more accederet. Preces insigni demissi animi specie, non nisi fixis humi genibus exequebatur; in cubiculo quoque piis libris legendis cum reuerentia & pietate tanta operam dare notatus, vt pium ac sacrum quidpiam legens vel scribens id flexis genibus faceret coram Deo suo supplex; ac pius. Vt corde mundiore oraret, legeret, scriberet, ac diuina tractaret, conscientiam confessione quotidianâ perpurgabat. Bis terue in hebdomadâ (nonnunquam quotidie sæpiùs) ferreâ catenulâ in se perdiu & inclementer sæuiebat: & si quid in mensa palato magis arrideret, vix libabat. Sabbato à cœna abstinebat, vt Deiparæ obsequio illo placeret. Ingruente iam morbo, se victimam obtulit coram Crucifixo positis genibus humi supplex capite ad terram vsque depresso. Quicquid potionis porrigebatur à medico, detecto capite, obedienter, cruce se primùm signans accipiebat, obediens vsque ad mortem.

Charitas. *Lectio.* *Confessio. quotid.* *Mortific.* *Mensa.* *B.V.* *Morbus.*

XIII. DIE NOVEMBRIS.

PAVLVS KOSTKA.

13. Nouēb. Polonus Petricouiæ. 1607.

HOc die hunc ponit Stratius; cuius memoriam nec ego censeo prætermittendam: quippe quem ad Societatem, post diuturnam flagitationem à P. Claudio Aquauiua susceptum affirmet Societatis Historia. Fuit Paulus B. Stanislai Kostkæ germanus, natu maior, & illi Viennæ haud satis æquus, nec multum pius: at postea totus ad Diuina conuersus, cùm parem sibi quæ vndequaque placeret, coniugem minimè reperiret. Inde quippe argumentabatur, Deo id minime probari. Sancti Francisci Patribus auri tantum dedit, quantum cœnobio, ac templo erigendis opus erat Prasnisij. ibidem templum oppidi locupletauit annuo vectigali. Ibidem amplas ædes erexit, quas Societati istic sedem figere haud è re videretur, eas ille Xenodochio donauit; totus orandi studio, ieiuniis, ac fortunis in pauperes effundendis intentus. Per ipsos 10. annos nullo die omisit recitare Diuinum, & Beatissimæ Virginis Matris officium. Dum tyrocinio iam impetrato pedem pararet imponere, auocatus est ad Collegium Beatorum.

Vocatio. *Eleemosyn.* *Oratio.* *B.V.*

P. FERDINANDVS GVILLEN.

Hispanus Trigueri incerto mense, ac die. 1574.

IN hoc, id iam inde ab incunabulis tyrocinij laudatè commendatur, quòd licèt maturus iam Theologiæ Doctor, Sacerdos, & 41. annos natus nomen Societati dederit; adeò tamen se vndequaque legibus nostris ac moribus accommodârit, vt (quod rarum est) ne illis quidem cesserit qui à teneris annis Societatis disciplinæ assueuere. Quatuor vota professis adscribendus erupit in lachrymas, & Heu! inquit, quorsum deuenit Societas, quòd ego quoque professis adscribar! Ministrè cùm esset, coquo, vel aliis aliquem sibi adiungi pro auxilio ad labores petentibus, ipse suam operam addixit. Paupertatem suam voluit non superfluis tantum, sed sæpè necessariis quoque carere. Cubiculum illius erat sine scamno, sine mensa. Libri non nisi pauci, & qui ei quotidie fuerint vsui. In Missione corrogati panis cibarij frustulis victitabat, neque suam tantùm, sed & Socij sarcinulam gestabat. Iussus iumentum admittere quo ad locum quempiam veheretur tandem paruit quidem, sed cùm rediret, illud Socio Coadiutori dedit, eumque pedes secutus est, quòd diceret; sibi id de itione non de reditione fuisse imperatum. Domi coci officium tam seriò petiit, vt Superior illud ei tantisper concedendum iudicârit. Morti vicinus, rogatus à Rectore, num diuina iudicia (ita vt hactenus formidârat) adeò anxio animo metueret; respondit, sibi metum illum in amorem iam esse diuinâ ope conuersum.

Humil.

Mors.

Humil.

Paupertas.

XIV. DIE NOVEMBRIS.

P. GONSALVVS GOMEZ.

14. Nouemb. Hispanus Caravacæ. 1581.

SIngulos hebdomadæ dies in alia & alia corporis afflictandi genera distribuebat; vt iam cilicium gestaret, iam se flagris exciperet, iam somnum vestitus in assere caperet, iam exutus cilicio indormiret. Cùm præesset, ac aliàs, interrogatus, non prius respondebat quàm dulcissima Iesu & Mariæ nomina silentio pronunciaret, pro consilio ab iis postulando. Quatuor horis orabat quotidiè. Caravacæ Rector cùm alios gubernaret, ita hebdomadam distribuit, vt nec ipsi, nec Patrum vlli dies vnus deesset in hebdomada quo (citra vllam munerum nostrorum iniuriam) sibi attentè vacaret hoc die alius, alius alio die. Eâ industriâ factum vt Collegium illud sanctæ alicui Probationis Domui simillimum videretur. Et perstitit mos ille in illo Collegio, etiam Gonsaluo iam mortuo. Pati dolores flagrantissimè flagitauit à Christo in sacro, & impetrauit, sanguinis vomitu acerbissimè cruciatus. Mortem illius fœmina probitatis eximiæ nomine celebrata ex vero prædixit; & pro mortuo postea orans mirâ dulcedine, ac æternæ salutis ab illo iam aditæ fiduciâ se perfundi persensit. Nostri quoque, doloris loco, tenero quodam gaudio hilares gestiebant, clero & magistratu exequias celebrante.

Mortific. Lingua.

Oratio. B. V.

Pati.

P. PE-

P. PETRVS SANCHEZ.

Hispanus 14. Nouēb. 1581. ætat. 62 Soc. 18.

AD Societatem ætate, doctrinâ, virtute maturus venit. Cùm esset puer, seu adolescens, ne Deum offenderet, quædam voto concepto promisit se viraturum, rixas, iuramenta &c. Crucifixum aliquando intentè aspiciens incredibili dolore tactus lachrymas fudit, ob tempus in Dei offensâ malè consumptum. Christi Passionem à S. Ioanne conscriptam recitare in more habebat aliis diebus, Sabbato verò quouis atque Dominico, Deiparæ V. Matris officium. Manè, meridie, & sub noctem mediam, prolixiùs orabat, & ferè multis perfusus lachrymis. Vniuersa illius vita erat spiritus mortificationis, cùm suum Israëlem (ita corpus appellabat) variè cruciaret. Aragoniæ Prouincia hoc mense *Francisci Hernandez* Coadiutoris, extincti meminit, aitque illum cùm puer pastoritiam ageret, à Beatissimâ Virgine illi conspectâ eique loquente ad Societatem inuitatum. Vixit in Societate magno virtutis, at inter extremos dolores patientiæ potissimum, documento. Vide 25. Ian.

Humil.

Crucifixus.

Passio.

Mors.

B V.

Oratio.

Mortif.

Gandiæ anno 1570.

B.V. Vocatio.

Pati.

De *P. Iacobo Mesquita* vide 4. Nou. aliqui eum hoc die collocant.

P. BENEDICTVS PALMIVS.

Italus Ferrariæ. 14. Nou. 1598. ætat. 72. Societ. 52.

BOnoniæ P. Hieronymi Domenechi concionibus ad Societatem permotus, exercitiis excultus, Romæ à Sancto Patre Ignatio susceptus; & regendo, & potissimum dicendo excelluit, adeò vt dicenti aliquando fuerit acclamatum: Beatus venter qui te portauit. Videbatur in lingua circumferre omnium voluntates: adeò illâ, ceu gubernaculo, corda regebat, impellebat, lachrymas ciebat. Primus inter Iralos quatuor vota professus, & primus Pontificis Concionator fuit de Societate. Venetiis contubernium periclitantium puellarum illo adnitente erectum, ab illo legibus firmatum. In orando, in sacro, in dicendo lachrymis affluentissimè abundabat. Et dicentis fulmina erant lachrymæ, ac rerum, quas è SS. Patribus promebat solidum pondus, facundâ, & vocis dignitate spirituque ardore ac religiosis moribus mirè conditum.

Concioner.

P. FRANCISCVS FERNANDIVS.

Lusitanus apud Chatiganos. 14. Nou. 1602.

COcino Bengalanum in Regnum anno 1598. missus, ibi linguam perdidicit; & quâ dicendo, quâ scribendo ad fidem Christi plures adduxit. Pacem Lusitanos inter ac Barbaros fortè rixantes dum conciliaret, à turba probris & pugnis pessimè acceptus, ad carcerem abreptus, in ferro & ærumnis diem extremum obiit, si non fidei victima, certè virtutis. id est pacis, & charitatis. P. Iacobum de Mesquita hoc die putant aliqui diem vltimum morte confeciſſe: nos de illo 4. Nouembris.

XV. DIE NOVEMBRIS.

P. ROCHVS GONZALEZ DE S. CRVCE.

15 Nouēb. Indus in Paraquar. 1628, ætat. 52. Soc. 19.

HIspano quidem ortu, sed natali solo in Paraquaria natus, & educatus est in Reductione Beatiss. Virg. Assumptæ, vt vocant. Varios istic populos mitigauit, & Christo subegit. In Vrugaicam Prouinciam primus Christum intulit anno 1620. & primæ ibi coloniæ, seu Reductioni, Immaculatę Conceptionis nomen dedit. Ipse barbaris mapalia concinnabat, Rempublicam, & magistratus distinguebat; leges & agros dabat; communis omnium rusticus, agrariæ œconomiæ præfectus, Pater, magister, omnia. Quæsitus est aliquando ad necem; cùm autem non reperiretur, templum & crux diruta est. Etiam terrâm. Tapè lustrauit. Post sacrum celebratum, ab irruentibus coniuratis bicubitali clauâ ligneâ silice armatâ in P. Rochi caput vibratâ, eius cerebrum humi dispersum est, aliis alia vulnera certatim exaggerantibus & mox barbaro plausu orto. Inde ita vt erat quassatum caput resectum est. Quinquaginta tres barbari testes affirmant auditas cordis è pectore P. Rochi has voces: *Occidistis eum qui vos diligit: occidistis corpus meum; & ossa mea contriuistis: at non animam, quæ iam inter Beatos versatur in Cælo. Multa vobis calamitates euenient ob mortem meam: quia venient filij mei pœnas repetituri, ob violatam Dei Matris imaginem.* At illi: Hem præstigiator ille adhuc loquitur? Mox euulsum illi cor è pectore loqui desiit. Cor in ignem vnà cum teli cuspide iniectum, combusto telo, integrum inuentum, & anno 1633. Romam perlatum est. Omitto ea quæ de iumento illius perscribuntur.

Fidei.

Cor.

Charitas.

B. V.

P. ALPHONSVS RODRIGVEZ.

INnocens illi ad mortem vsque fuit conscientiæ sanctæ nitor; ingenium literaturâ multâ instructum: sed oculi hebetes, à fusis crebrò lachrymis, cogitatis potissimùm cruciatibus amantissimi Crucifixi. Cæso P. Rocho, ignarus quid rerum turbaretur, Alphonsus prodiit; & non vno Indico acinace in capite saucius, in limine templi concidit victima fortunata. Et huius, & P. Rochi cadauera vulneribus cooperta, circa templum raptata, truncata, igni bis iniecta, vnà cum eburneo altero & altero plumbeo Crucifixo. Sed tam corpora quàm Cruci affixi Christi simulachra postridie integra inter cineres templi reperta sunt. Sacrificalis liber, & Beatissimæ Virginis Matris imago frustatim discerpta; ob quam cor P. Rochi eis, vti dixi, minitabundâ voce loqui auditum est.

Hispanus ibid. Soc. 14.

Oratio.

Fides.

Crucifixus.

B. V.

P. ADRIANVS MANGOTIVS.

IN Deiparæ cultum, & animarum studium effusè propensus fuit verbo, calamo, & exemplo. In extremâ, quâ memoriæ impos premebatur obliuione, patientia illius, pietas, charitas eluxêre: id quod Antuerpiensis Domus de illo sic narrat in annuis:

Belga Antuerpiæ. 14. Nou. 1614. ætat. 76.

Mirum

Oblinio. Mirum ei hoc accidit. Cùm animo præsentissimus sibi esset, verborum adeò non meminerat, vt ne nomen quidem proprium, nisi ab altero suggestum, proferre posset. In hac tanta tamen obliuione, ad solatium partim, partim ad exercitium virtutis Deo ita moderante obliuionis molestiâ mordicus tenuit, & in promptu semper habuit ferè hæc. Quoties rerum à se cum laude gestarum, aut librorum scriptorum mentionem facientes audiebat, ingeminabat; *miser sum*, quò gloriolæ se insinuantis titillationem excutiebat; quoties ęgritudinem quâ attinebatur miserantes, in signum voluntatis suæ cum diuina concordantis opponebat; *Dominus est*: quoties contentiosiùs inter se nostros disputantes, ne limites transilirent charitatis, admonebat, *Fratres sumus.* Præter hæc vix audire verbum ex afflicto sene fuit, sed videre verba compensantem insigni sensu: soluebatur in lachrymas gaudij testes, si de populi concursu ad nos facto perceptisque à pluribus diuinis mysteriis audiebat memorantes: si lædi charitatem vel in minimo aduertebat contrahebatur mœrore. Eundem suscipiebat, & prodebat pro paupertatis integritate sensum; eundem pro aliis virtutibus: sed mutus, vt dixi, & quasi elinguis memoriâ pertinaciter ei verba negante.

XVI. DIE NOVEMBRIS.

P. FERDINANDVS DE TOVAR.

16. Nouēb. Indus apud Tepeguanos. 1616. ætat. 35. Societ. 18. *B.V.*

CVliacanæ in Hispania noua claris natalibus, & beneficâ erga Societatem stirpe ortus, ingenio ad omnem literariam disciplinam, & ad Ecclesiastæ dotes ac munus prompto Societatem ornauit. Beatissimam Virginem precibus variè coluit; sed imitatione potissimùm virginitatis, & humilitatis. Mater illius, pia, & locuples vidua, vnà cum nepte, sanctimonialibus se adiunxit. Apud Tepeguanos dum pro re Christiana satageret, contra illum, & socios, ac religionem denique Christianam, barbaros illos concitauit homo veneficus: cuius verbis efficacitatem addidit adspectabilis palàm dæmon, tristia illis minatus omnia, ni venefico illi parerent. Ergo P. Fernandius humi profligatus, & in pectore lanceâ confossus est; aliis barbaris interea exprobrantibus, dicentibusque: Itane peracta iam vobis videntur omnia cum vestro illo carmine: *Pater noster, Aue* MARIA? Videbimus quomodo Deus ille quem prædicant hunc suum mortuum suscitabit. P. Ferdinandus cùm olim, tunc adhuc puer, videret matrem suam occupatam in scrinio paruulo præparando, vt in illo P. Gundisalui Tapię in odium fidei tunc cæsi caput reconderet, dixit: Nimis angustus est loculus iste pro illo capite. Serua hoc scrinium capiti meo, Mater: nam & ego sic cædar. P. Franciscus Aristæ Missionis Superior, persanctè testatus est, Patrem Ferdinandum illicò ab obitu sibi conspectum pallidum, specie mortuali; mirantique sibi, ac perenti ecquid cum illo ageretur, mox vultu hilari respondisse: *Benè, feliciter! In Cælo bona omnia mihi abundè sunt: in Deo omnia bona possideo: nec quicquam aliud mihi desiderandum est* Et videri desijsse. Matri quoque illius, Mexici venerabili specie vir de Societate quispiam

Fides. *Mors.* *Cælum.*

per quietem dixit; Eius filium odio fidei cæsum esse: ac paulò post, appulso istuc mortis nuncio, veritas dicti apparuit; mirâ cum ijs consensione quæ matri iam olim puer de se à barbaris cædendo, vt retuli, prædixerat Ferdinandus. P. Petrus Ortigosa, eius olim magister, per quietem vidit agmen aduolantium ad se in candida nubecula pulcherrimarum columbarum, quæ cantu quodam eum ad Deũ laudandum inuitabant, canentes: *communem omnium Dominum laudibus efferamus.* Inter hæc alis blandè plaudebant; & Petri brachio insidebant. Dux aliarum se Patris Ferdinandi specie præbuit agnoscendam è columba velut mox homo. Et hæc Petrus iureiurando affirmauit.

Columbæ.

P. FRANCISCVS RIBERIVS.

Lusitanus in Africa incerto mése. 1620. æt. 35. Soc. 21.

GOæ ad Societatem aggregatus, Mozambico postea ad Cafres in extrema zona torrida sitos profectus est, missu maiorum; & cum Rege non parùm profecit pro Christi lege prædicanda, erigendâ Cruce, templis excitandis. Ea res Saracenorum pro lege Mahometi contra Christi legem satagentium odia excitauit: quare illum ad aras diuino sacrificio intentum hastis transfixum interemêre, hostiam gloriosam.

Fides.

Sacrum.

P. GASPAR SANCTIVS.

Hispanus Madriti. 16. Nou. 1618. ætat. 75. Societ. 58.

HVmaniorem literaturam docuit per annos triginta: & quidem per annos duodecim, antequam, vel altiora audiret vel sacris initiaretur. Post Theologiam verò iam Sacerdos idem fecit per annos 18. cursu nunquã interrupto, etiam per illud triennium, quo fuit Rector Collegij. Deinde Cõpluti sacras literas explicuit, nunquam irasci visum, nunquam vocem altiùs extulisse, nunquam in omni vita mentitum, nunquam vllius lethalis peccati fuisse reum aiunt. Humilitate, ac simplicitate fuit insigni, citra vllas vrbanæ vanitatis formas. Commendabat humilitatem horrendo iræ diuinæ in superbum nobilem demonstratæ exemplo, cui ipse testis interfuit, & P. Ioanni Nierembergio narrauit, hic autem Manuali Principum c. 32. §. 6. inseruit. Cùm cadauer superbi illius viri magno apparatu ferretur ad templum, tempestas tanta coorta est vt omnibus dilapsis, cadauer in platea fuerit relictum. Ne verò tempestas duraret diutiùs, duo tresue de pauperum turbâ viri illud funibus tumbæ iniectis ad templum, atque ad sacellum eiusdem superbi nobilis apparatè instructum pertraxêre. Demisso in sepulchrum cadauere, fulmen in sacellum sese penetrans, quicquid illic splendidorum insignium ac pompæ fuit, combussit; tum in sepulchrum descendit, ac superbi illius nobilis cadauer in cineres redegit. Tranquillatâ iam tempestate, cùm ad sepulchrum descendere nemo auderet, descendit P. Gaspar; & superbi illius cadaueris loco nil nisi funestos cineres istic vidit. Cæterùm, Gaspar noster ad omnes humilitatis artes attentus, ferè ad extremam vsque ætatem & constantiâ, & demissione insigni, nullo non die suam operâ triclinio componendo addixit. Hueti dæmon ab exorcista iussus in templo omnium humillimi pedes osculari, P. Sanctij pedes est osculatus, Gaspare illum vt Patrem mendacij arguente. Dæmon ibidem de illo proclamauit. O quàm mundam, & puram animam habet iste! Nullam fœminam ab alia discernebat

Modestia.

Humilit.

Castitas.

cernebat in facie; quia nullius faciem aspiciebat. Paupertas ab illo tenerè amata in omnibus. Compluti dixit in exhortatione sibi ita persuasum esse se à Dæmone mox inuadendum, si vel vnam vuam passam, sine acceptâ priùs facultate acciperet. In cubiculo hærebat, illo velut carcere se damnans. Cilicium ad meridiem vsque gestabat quotidie; flagellis quoque singulis diebus se cædens. Aiebat, Concionatores, qui student flosculis esse magnos persecutores sanctæ Dei Ecclesiæ. Inter orandum visus est ore toto, aliquando pulchrâ luce perfusus. Æger vidit Christum, vt aiunt, & B. Virginem in vestibus candidis, & cælesti luce; deinde SS. Ignatium, & Xauerium, denique lumina quædam in conclaui mirè lucentia. Promissa illi felix mors & alia plura, de quibus in vita.

Paupertas. *Modestia.* *Mortific.* *Humilit.* *Concionator. vani.* *Oratio. B. V. Morbus. S. P. Ignat.*

P. DANIEL STVLLIVS.

FRisiæ Apostolico suo spiritu perquam vtilis fuit ad fructum animarum, quo nomine latè celebratur in annuis. Inter arduos labores ille se stimulo excitabat: *Bono animo esto, Daniel! Benè tibi erit. Magna illa gloria paruo labore non emitur.* Illius sanguine flagris excusso & parietes perspersi, & vestes imbutæ piam illius sęuitiem ostentebant. Vino nunquam vsus, nisi hospitum causâ, id charitas imperasset. Eucharistiam ab ægro nauseante vomitu iectam, hausit intrepidus. Cùm ægro malè de se merito impensius ministraret, mortis sementem hausit, quæ illum nullius vnquam lethalis culpæ conscium, æternæ, vt bona spes est, vitæ transcripsit.

Belga in Iauria. 16. Nou. 1651. ætat. 42. *Spu.* *Mortifie.* *Charitas.*

XVII. DIE NOVEMBRIS.

P. ALPHONSVS CORTES.

17. Nouēb. Hispanus Platæ. 16. 6. ætat 47. Societ. 16.

HVmilitate conabatur obruere doctrinæ opinionem quam habebat. Orandi studio excelluit, & amore in sanctissimum Sacramentum, in quo instar solis, aut globi lucidi vidisse fertur Christum nonsemel splendentem; qui etiam aliàs ei comes adesse est visus. His tamen vt ne extolleretur, scrupulis illum exerceri permisit Deus: quâ in re aliquando apud Beatissimam Virginem opem petenti; Beatissima Virgo suggessit consilium; *vt esset animabus Purgatorij adiuuandis magis addictus.* Eidem sollicito, & num benè rem suæ salutis ageret petenti, respondisse dicitur eadem Virgo Mater; Benè illum, benè res agere: adiecit tamen, vt ea, quæ ageret maiore perfectione exequi niteretur. Adfuit eadem etiam morienti, & læto, vt aiunt.

Euchar. *Christus.* *Oratio. Consilium B. V.* *Purgator.* *Mors.*

P. IOANNES DE CASTILLO.

IN Paraquaria præclaris perfunctus laboribus cum P. Rochò, de quo heri dixi, Caciquij diuinitatem sibi arroganti iussu, dum officio diuino recitando intendit, fustibus verberatus, iaculis confixus, ense tribus vulneribus saucius, nudus per aspera perque aquas fune raptatus, orabat Deum.

Castitas. Hispanus in Paraquaria. 17. Nou. 1628 ætat. 33. Soc. 14.

Amor Dei. Deum latinè; ac vernaculo idiomate ingeminabat identidem : *Tupare*; id est; *Sint hæc Dei amore.* Expansis deinde in crucem brachiis, arbori alligatus, percussus, duobus saxis capiti illisis interemptus est. Cadauer à tigridibus intactum, flammis abolitum: Crucifixi effigies in templo contrita: & ille diuinitatis affectator, sacris per ludibrium indutus baptizatos coadunauit, eorumque vertices aquâ calidâ abluit chrismati abolendo; linguas testâ rasit, sali baptismatis eradendo.

Patientia.

Fides.

PETRVS ANGELVS
BONCHRISTIANVS SCHOL.

Italus Romæ. 17. Nou. 1638. ætat. 20. Societ. 3. *B.V.*

PRimum in vtero vitæ signum dedit, matre in Lauretana Domo flagranter orante. Puer à Matre vestes clericales obtinuit, quò propiùs ad Deum accederet, ac Sacro receptui caneret. Lectitabat vitas B. Aloysij, ac Berchmanni & imitabatur modestiam, silentium, sui afflictationem. B. Aloysij vitam gestabat in sinu; & ante, ac post acceptam sacram Synaxim, ex ea caput vnum legebat. In mensa semper aliquid sibi detrahebat quod Palato videbat præ aliis arridere, vnde vltimo illo ante cineres triduo à carnibus omninò abstinuit. Romæ ad Societatem admissus, cùm in horto inambulans oraret, suauissimâ quadam teneritate oculos defigebat in cœlo, ceu scopo desideriorum. Quicquid ad rem suam faciebat, quod à Magistro, quod à Sociis audiebat inter colloquendum, in commentariolum referebat. Pro felici morte elegit præsides sanctum Iosephum, bonũ Latronem crucifixum, SS. Vrsulam, & Socias, Barbaram, Augustinum, Martinum, Hilarionem. Votorum formulam Beatissimæ Virginis imagini inscribi, Lectuloque oppendi curauit æger, vt eam sæpiùs regustaret. Certas quasdam virtutes sibi destinarat: & pro adeptione illarum nominatim Sanctos quosdam delegerat, quorum exemplo, & ope iuuaretur. Morti vicinus sæpè silentio dicere est auditus: *Gaudeo, Domine, quod sis immensus, infinitus, omnipotens, misericors, & summum bonum. Volo quod vis. Exulto quòd Maiestas tua sit tam grandis, tam bona, & amabilis.* Mortuus est cum opinione plus quàm ordinariæ innocentiæ, ac virtutis.

Lectio spirit.

B. Aloysius. Euchar.

Mortific.

Colloquia

Mors.

Sancti.

XVIII. DIE NOVEMBRIS.

P. IACOBVS
DE LEDESMA.

18 Nouemb. Hispanus Romæ. 1575. ætat. 55. Soc. 35.

IN Hispania, Gallia, Flandria ingenium disciplinis solidis expoliuit. Romam ad Societatem contendenti fertur Augustæ Christus conspiciendum se dedisse, & bono eum animo esse iussisse, promisisseque futurum, vt castè, ac perseueranter in obsequio Dei in Societate persisteret. Brixiæ Deipara sole pulchrior illi conspecta (vt credit) eadem ad promisit, & se illi morienti adfuturam adiecit. Adfuêre etiam cum illa sanctæ Maria Magdalena, Catharina Virgo Martyr, atque Catharina Senensis, quæ in recessu cantabant cælesti voce donum, & præmia castitatis; cùm dicerent, *quantum est donum castitatis quod confert Deus pietatis! Diuina res est castitas,*

Christus.

Vocatio. B.V. Mors. Castitas. S. Cath. Sen. S. Magdal.

Diuina

Diuina sunt & præmia, quæ continenti dat Deus. Romæ postea magno virtutis, ac doctrinæ exemplo studiis præfuit, vt est latiùs in eius vita ad annum 1575.

EDVARDVS TROGMORTONVS NOVIT.

Anglus Romæ 18. Nou. 1582. Soc. 1.

HIc in extremo vitæ impetratâ Societate Nouitiorum vota nuncupauit. Nobili domo natus post puritiam Angelico more exactam, Rothomagum, & inde pedes Romam contendit, in Anglicano Collegio magnâ virtutis selectissimæ laude versatus.

Euchar.

A sacra Synaxi perceptâ duas, eoque aliquando ampliùs horas dabat gratiis hospiti tanto reddendis, lachrymisque fundendis. Solebat vesperi benedictionem à B V. petere; vt in Anglia boni filij solent à suis parentibus. In morbo extremo cùm de genibus id facere haud posset, iunctis manibus aiebat: O gloriosa, Mater, benedicta, digneris pro tua benignitate respicere me miserum, & recipere in filium tuũ, tuamque mihi benedictionem impertiri. S. Odo illi pro Nouembri mense tutelaris datus. Hic Eduardum suum ægrum inuisit, vt illi videbatur, multa ei locutus: & eius die mortem oppetiit felix cliens. Societatem hactenus expetitam, tunc demum cùm æger esset impetrauit, votis quoque religiosè conceptis; ad quæ religiosa vota retractanda spectris nocturnis vrgebatur, sed vicit; & mox Iesum è Cruce pendentem vidisse dicitur spectris eo spectaculo vltrò illicò dilapsis. Decimo post eius excessum die ibidem eius amicorum quispiam noctu à quopiam excitari sibi visus, mox Eduardi meminit, & cubiculum illustri luce splendidum, ac splendidam in alto stellam aspexit.

B.V.

S. Odo.

Mors.

Crucifixus.

P. DIDACVS DE OROSCO.

ILlustri ortu, Marchionis Mortaræ nepos, cùm puer adhuc esset, aiebat se Societati daturum nomen; in Indiam transmissurum; ibique cædendum in odium fidei Christianæ. Apud Tepeguanos passus licèt durissima, tamen corpus tenerum flagris ac ciliciis atterebat, seruando virginitatis thesauro; quem & seruauit. Extremo die, prædixit Christianis; eo die sibi moriendum esse: id quod factum. Etenim cùm Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portaret, visi sunt illud impij barbari adorare. Aiebat ille; præsentem istic esse Deum, qui bonis præmia, malis verò supplicia esset redditurus. At illi, mentiri eum dicebant; Deum enim Christianorum non loqui. Irruitur in sacram pyxidem (quam custodiam & ciborium vocant) sparguntur sacræ particulæ: imago Beatissimæ Virginis (quam nobilis vir ponè gestabat) discerpitur; Christiani cæduntur. P. Didacum barbari octo corripiunt, & eo in altum sublato clamant id quod ab eo in sacro sæpè audierant: *Dominus vobiscum.* Respondent alij: *Et cum Spiritu tuo.* Interea vnus quispiam dorsum illi, ac pectus iaculo eminus, transuerberat. Humi prostrato in crucis modum explicant brachia, illo dicente: *Agerent; sibi mori pro Deo certum esse.* Tum securi sæuiens in eum quispiam, illum à tergo à vertice ad imum vsque diuisit. In femore inuentum cilicium quod profundè in carnem penetrârat.

Hispanus apud Tepeguanos. 18. Nou. 1616.

Mors prædicta.

Eucharist.

Fides.

B.V.

Mors.

Cilicium.

P. BERNARDVS DE CISNEROS.

Hispanus ibid. 18. Nou 1616. ætat. 34. Societ. 17.

ANno 1605. in nouam Hispaniam nauigauit: vbi labores, verbera, vulnera plura perpessus est, ob idolum euersum. Indus quidam illum tribus plagis pectori inflictis prostrauit: sed Bernardus curatus est; nec autorem prodidit. Postea lanceâ confixus, extremum in capite vulnus accepit, & obiit.

Eiden.

P. LVDOVICVS DE ALABES.

Indus ibid. 18. Noueb. 1616. ætat. 17. Soc. 9.

CLaro in noua Hispania genere orti Ludouici nomen cùm in album baptizatorum referret Parochus è S. Dominici familia religiosus, quadam præclaræ illius mortis vaticinatione, solius illius nomen, præter morem, grandi & rubro charactere in librum retulit. Putatur baptismalis, quam vocamus, gratiæ iacturam fecisse nunquam per aliquam grauem noxam. Perspicax conscientiæ suæ custos, in illa, velut in radio, etiam atomos peruidebat. Modestus illi vultus, & oculi sæpenumero in cælum sublati, cùm eas preces vibraret voce vel suspirio, quas iaculatorias appellamus. Ad mortem cruētam se multâ sui afflictatione parabat, frequenter tres quatuorúe horas orasse animaduersus, & Beatissimæ Christi Matris omni studio colendæ perstudiosus: à qua etiam certior factus est, fore vt in odium fidei cæderetur die quoque nominatim præstituto quo id futurum esset. Aiunt illam ter ei locutam. Et verò coram B. V. imagine orantem vidit quispiam, vocemque humanâ longè augustiorem audiuit quæ illi mortem illam gloriosam promittebat; Ludouico gratias impensè agente, ac annuente. In sacro auditus est dicere: Itane, Domine, tali morte cademus? Et omnes? Fiat voluntas tua. Vnde & F. Sebastiano Montano Ord. Præd. disertè prædixit fore vt vterque in fidei odium trucidetur. id quod euenit.

Innocent. *Oculi.* *Oratio.* *Calum.* *B. V.* *Mort.* *Sacrum.*

P. IOANNES DE VALLE.

INdos industriâ continuatâ mirum in modum iuuabat, excolebat. Ipse quoque arabat, vt illos arare doceret; ipse illis coquus, Pater, frater, minister, omnia. Multa probra (etiam à Christianis Europæis diuitibus) perpessus est, & falsas calumnias. A sacrificio reuertentem, sacrificali adhuc apparatu indutum colapho percussit barbarus: & causam rogatus; *causam esse dixit ipsum sacrificium quod celebrasset.* At hæc illi valdè crebra & vsitata fuêre. Ipse vt seipsum ad sanguinem vsque cæderet, foras in agrum secedebat. Pacificatoriis verbis, & artibus mirè præstabat. vnde illi *P Ioannes à Pace* nomen adhæsit. In cubiculo in quo eum esse constabat quæsitus ad necem à barbaro, videri non potuit, licèt barbaro compertum esset Ioannem istic esse. Gloriosæ cæli Reginæ supra quàm explicari satis possit fuit addictus. Audito MARIÆ nomine erubescebat, oculis colliquescebat, ardebat. Voto quotidie instaurato promittebat, se nil negaturum quod illius nomine peteretur, si suæ conditioni esset consentaneum id præstare. Chirographum suo sanguine conscripsit, quo se illi in mancipium dedicauit. Rosarium ei erat loco catenæ mancipij, quod ille flexis genibus quotidie recitabat. Clientelæ pretium, tessera,

Hispanus in vico S. Ignatij. 18. Nou. 1616. ætat. 40. Societ. 15. *Charitas.* *Fides.* *Mortific.* *B V.* *Mancipium*

Festa. B V.

Litania.

Sabbat.

tessera, tributum erat, quicquid cogitaret, loqueretur, aut ageret, Virgini Beatissimæ dedicare. A festis B. Virginis per octo dies Litanias illius septies quotidie recitabat. Familiare illi erat, Sabbato & B. V. festis, atque vigiliis illud rosarij genus, quo ei centies & quinquagies, loco salutationis Angelicæ, gratulabatur de tantâ gloriâ maternitatis cum virginitate coniunctæ. Celebrem quandam Deiparæ augustæ imaginem interdiu quotidie, ac noctu sæpiùs, visitabat; quæ postea, eodem tempore quo ille trucidatus est, telis confixa est. Nihil aggrediebatur vnquam nisi priùs consilio & auxilio Deiparæ implorato. Trimestri ante mortem scripsit; se ante trimestre in fidei odium occidendum à Tepeguanis. Aliqui in inclytæ illius mortis omen vertêre, quòd in caput P. Ioannis Missæ sacrificium celebrantis palma è S. Agnetis statuæ manibus sit delapsa. Virginem semper vixisse, ac eò etiam Deiparæ charissimum fuisse, compertum est. In eius collo pendens lipsanotheca repertaest cum particula S. Crucis, & chirographo quo se Beatissimæ Virgini in mancipium dedicârat. Petierat ab illo Guadaniæ Gubernator particulam Crucis Christi. Respondit Ioannes; habiturum, sed alibi. Respondit promisso euentus. Etenim inuenta de eius collo pendens illa Crucis particula eidem Gubernatori cessit, memori promissi à Ioannes seruati.

B V. Mancipium.

XIX. DIE NOVEMBRIS.

P. IOANNES FONTE.

19 Nouēb. Hispanus apud Tepeguanos. 1616 ætat. 41. Soc. 23.

VIr vndequaque impiger ad labores magnis etiam ac multis ærumnis graues, cùm sitis illum non rarò ad lacunas ipsas bibendas compelleret. Ipse laterculos Indis conficiebat, vt domos extruerent; ipse aratra fabricabat, agrosque colebat; ipse infirmis coquus, medicus, mediastinus, cibum in os inferebat: omnes blandè, se verò longè seueriſſimè, habebat. Linguas feliciter memoriæ commendauit; Tepeguanam arti etiam illigauit vt disceretur. Multos Christo lucratus, idcircò in carcerem aliquando ad mortem fame istic obeundam coniectus est. Eius cadauer inuentum cinctum cilicio. Tertio post mense tam huius quàm PP. *Ioannis de Valle, Ludouici de Alabes, & Hieronymi de Moranta* corpora humi nuda, planeque recentia reperta sunt, duobus canibus illa custodientibus. Integer item manipulus concionum, nil corruptus inter tot imbres, ac niues.

Charitas.

Zelus.

Mortifc.

Mancipium

P. HIERONYMVS MORANTA.

FVit socius P. Ioannis in vita, & morte. Deprehensus est aliquando in loco ab arbitris remoto, Cruci affixi Christi effigiem renens manu alterâ, alterâ se flagellans, & plorans vbertim, oransque pro salute Indorum, ac pro efficacitate concionum, vt eæ in corda profundissimè penetrarent. Inde concione quadam vnicâ facilè quingentos conuertit. Hispani illum Sancti nomine appellabant ab excelsâ existimatione virtutis. Columba circa illum

Hispanus ibid. ætat. 41.

Mortif. Crucifixus.

Oratio.

Sacrum.

illum sacrificantem volare visa est non semel, sanguinis fundendi index. Cædendum in fidei odium prædixit Alphonsus Rodriguez; id quod hoc demum die patratum est. In huius quoque cadauere cilicium est repertum. *Mortific.*

P. BERNARDVS CRESCENTIVS.

Italus Drepani. 19. Nouemb. 1617. ætat. 56. Soc. 40.

DRepanitanis peste afflictis, magnâ assiduitate seruiuit; vir liberalis ad omnia charitatis. Per ipsos 35. annos molesto & occulto ac diro quopiam morbi genere laborauit, nil sibi parcens interea, nil corpori etiam ita vt erat semienecto indulgens, vel cibi, vel otij, magno fructu, magnâ opinione probitatis singularis. *Mortific.* *Charitas.*

XX. DIE NOVEMBRIS.

P. DIDACVS BORRASA.

20 Nouemb. Hispanus Valenciæ vel Gadiæ. 1581.

ROmæ, Dilingæ, Parisijs tanto nomine ac frequentiâ docuit, vt nescio vbi *Philosophi* cognomentum tulerit, à quingentis auditus. Simplicitate ac obedientiâ excellebat. Hirundinem in arbore sedentem accipere iussus, cæco obsequio paruit, iuit; & Deo eius obedientiam ita honorante auiculam facilè cepit, atque ad Superiorem tulit; ijs qui spectabant ad obedientiæ documentum, & rei admirabilitatem attonitis. *ed.*

P. PETRVS PRADVS.

Hispanus Cęsaraugustæ. 20. Nou. 1596.

CÆsaraugustanum Collegium ægebat cùm illum mors rapuit è vita multis præclaris dotibus inclytâ, sed maximè dicendi efficacitate insigni. Vt in se ardorem cælestem excitaret, antequàm pulpitum conscenderet, in se flagris acriter animaduertebat. Alicui visus est in cælo mirabili gloriâ illustris posteaquam per horas aliquot in flammis Purgatorij pœnas eorum dedisset quæ in vita necdum penitus expiârat. *Concione.* *Mortific.* *Mort.*

P. FERDINANDVS DE SANTAREN.

PEr annos 23. in missionibus Indiæ versatus, virginitate, ac sanctimoniæ laude illustris asperrima multa perpessus est. Supra 40. noua templa istic erexit: & vt minimùm quinquaginta millia capitum suâ manu baptizauit. Aliquando à duobus Indis petiit arbori alligari, & dorso toto flagris concidi. Magna in illo eminuit custodia oculorum, suauis placido in ore verborum vis ac robur, & dulcissimæ in tot periculis ac rebus asperrimis è cælo voluptates. Aiebat; quòd *velle ærumnis carere sit idem ac velle Christo tergum obuertere, atque illum solum sub Cruce relinquere.* Finem ærumnarum reperit in morte, quam illi Tepeguani odio fidei, quæ latius se porrigebat, accensi intulêre. Cùm cæderetur humi abiectus, rogabat; ecce cur Hispanus in Tenerapa. 20. Nou. 1616. *Fides.* *Mortific.* *Oculi.* *Patientia.*

Fides. cur occideretur. Respondêre barbari: Satis superque esse causæ ad cædem *quòd Sacerdos Christianus esset*. Ita illi clauâ confractum caput, cerebrumque dispersum est.

P. IOANNES DE LA BRETESCHE.

Gallus Parisiis 20. Nouembris 1614 ætat. 55 Soc. 32. *B.V. Vocatio.*

HIc animi anxius, & deliberabundus quem religiosum ordinem complecti deberet, visus sibi est de manu Beatissimæ Virginis vestes omnes, quibus Societas vtitur accipere, atque ijs esse indutus. Hoc viso animum hactenus ancipitem ad Societatem adiecit; in qua, miti, & forti ad patiendum indole, in se verò aspero semper fuit ingenio. Somnum illi, ac noctes interrumpebant oratio, & flagella, quibus corpus pessimè accipiebat. Cilicium illi tam frequens, tam asperum, vt caro illi callum ab illo induxerit. Duabus antè alios, horis ad orandum abrumpebat somnum: & postquam bis Nouitios gubernârat, petiit mitti ad paruulos in infima classe docendos. Nouitium vehementi cogitatione de repetendo sęculo agitatum, & iam tertiò id explicantem, charo amplexu strinxit, & post fusas vbertim lachrymas quieto animo esse iussit, ac eo facto penitùs tranquillauit. *Mortific.* *Oratio.* *Tentatio.*

XXI DIE NOVEMBRIS.

P. FRANCISCVS TVRRIANVS.

21. Nouēb. Hispanus Romę 1584. Societ. 17.

GRæcorum, reconditorumque authorum, & omnis antiquitatis peritus, magnâ doctrinæ opinione, atque authoritate interfuit Concilio Tridentino, à summo Pontifice istuc missus. Societatem amplexus est ætate iam grauis, at senectâ vtili adhuc, & viridi, magno planè humilitatis documento inter tyrones versatus. Illud autem nobilissimæ in Bibliothecis peruolutandis positæ operæ pretium tulit eruditus hic senex, quòd cùm Pius V. Pont. Max. festum *Præsentationis* B. V. è Breuiario, ceu minùs vetus, expungi passus fuisset; Turrianus omnem eruditionis suæ neruum atque industriam præclaro labore impenderit honori Virginis, & è vetustissimis authoritatibus ostenderit, eius festi celebritatem antiquiorem esse, quàm vt ea propter omitti deberet. Perfecitque, vt Beatissima Virgo in templo præsentata 21. Nouembris ab Ecclesiâ diuino etiam officio restituta celebraretur; cuius tam solidæ, tam latè in futura tempora porrectæ pietatis præmium fuisse videri potuit mors, quâ hoc ipso Præsentatæ Deiparæ die Franciscus in templo gloriæ, vt speramus, à defensa tunc Deiparâ est præsentatus.

Hispanus in Tenerapa. 20. Nou. 1616. *Fides.* *Mortific.* *Oculi.* *Patientia.* *B.V. Præsentatio.*

NICOLAVS MARTIVS SCHOL.

Germanus Ingolstadij 21. Nouēb. 1634. ætat. 21. Soc. 5.

MOrum innocentiâ, & magno Indiarum Zelo, sed morte potissimùm ex charitate profectâ fuit illustris. Tertium Philosophiæ annum agens, cùm pestem latè grassari videret, velletque Indicam suam profectionem (quam necdum impetrabat) nobili quopiam, heroicoque facinore

Zelus.

Charitas. Mors.

compensare; vitam ipse suam (ita de illo literæ) Superiore annuente, Deo solemnibus verbis pro salute sociorum deuouit; & biduo post suffocatus catarrho, Deo purissimam animam reddidit.

P. GASPAR DE AZEVEDO.

Hispanus Burgis. 1565 mense, ao d e incerto. *Mortifis.*

DIu præfuit, & semper gratus cum neruo disciplinæ. Manè quatuor, vesperi duas horas dabat orationi. Cilicino sacro, eoque horrido totus indutus, & ferreâ catenâ circumdatus. Breuissimum somnum, eumque non nisi super asserem, capiebat. Quotidie diu se atque inclementer verberabat. Feriis verò sextis, factâ ad nostros exhortatione domesticâ præcedebat illos ad templum, vbi omnes per 7. Psalmorum Pœnitentialium, & Litaniarum Sanctorum omnium spatium se cædebant. Iisdem ferijs ieiunio se macerabat, pane & aquâ contentus. Nam vinum ad potum nunquam admisit. Burgis obijt in obsequio peste tactorum. *Oratio. Mors.*

XXII. DIE NOVEMBRIS.

P. ARNOLDVS PROCVRERIVS.

21 Nouēb. Belga Traiecti 1595. ætat. 74.

CVm ante initam Societatem Sanctimonialibus quibusdam præesset, ac cœnobij præfecta quosdam hospitio accipere destinaret, quos Arnoldus minimè probabat; affirmatè dixit, se nocte illâ stationem deserturum, si illa id faceret. Vnde illa prudens abstitit, ne virum tam probatæ virtutis amitteret. Erga Societatem fuit beneficus; & in illam admissus, pauperes confitentes, libentiùs, quàm diuites audiebat. Orationi, & quieti addictus illud crebrò vsurpabat: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Deiparæ Virginis fuit perstudiosus. Subnatum ei fuerat (inquit Stratius, qui illum nouit) in naribus os & post varia frustra adhibita remedia vocati erant Medici, qui illud tentarent extrahere: qui dum expectantur P. Arnoldus Sacrosanctæ Deiparæ ope imploratâ, ipse illud nullo suo dolore extraxit; atque eo ipso pituitæ fœtidæ fluxum in momento stitit.

Castitas.

Ex.

P. PETRVS BERNAL.

Hispanus Guadixij. 22. Nouēb. 1601. ætat. 72. Soc 43. *Mortific.*

COrpus suum hostiliter habuit vario cruciatu sponte sibi inflicto, asperis etiam crebro aculeo laminis carni adstrictis: idque pro erratis tam suis, quàm eorum quibus præerat magno planè omnium exemplo, ac stimulo ad virtutem in Superiore persanctè lucentem, seu Collegiis, seu Prouinciæ esset Præpositus. Supplebat Magistrorum vices in scholis infimis, ægrorum curam suscipiebat, dicebat ad populum flagrantiâ mirabili; & quicquid ab aliis erraretur, à sua illâ animi æquabilitate nihil penitus discedebat. Noctis partem magnam orando ducebat: vnde illi præclara lumina illuxêre. Contra iurandi consuetudinem tantâ efficacitate dicebat vt etiam paruuli dictitarent; se iurare nolle, ne P. Bernal habeat cur indigne-

Superior. Oratio.

tur.

netur. De ægro viro illustri (de quo obnunciantes Medici iam vitæ spem abiecerant) prædixit, fore, vt ex eo morbo minimè abiret è vita. Mox ad sacrum pro illo celebrandum profectus, inde ad sacrarium redux nuncium accepit quòd æger ille ad pristinam sanitatem redierit. Ægri Matri, & auiæ gratias agentibus respondit; gratias deberi sanctissimo Sacramento, à quo id beneficij accepissent. Eædem paruulum alium filium perdiderant, & dolenter querebantur: at Pater illum câ nocte domi dormiturum ex verò prædixit: & vbi reuertisset se moneri iussit. Ipse domi orationes ad vnam & dimidiam vsque horam produxit: & paruulus domum redux Matri dixit, se cùm erasset, ab homine ignoto reductum domum vsque. Apud Xerenses Euangelium super virum illustrem febri æstuantem recitauit: nec priùs finijt quàm febris abscessisset, magnâ Ecclesiæ rituum efficacitate tum hoc tum aliis exemplis contestatâ, vt quando P. Antonij de Cardenas doloribus afflicti, atque id petentis capiti manus imposuit, ac dixit: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*: & omnis dolor confestim abstersus est. Vxori medici, atque aliis, sanitatem in morbo periculis pleno prædixit; & euentus prædictioni respondit. Sub extremum, omnibus pro morte ritè peractis, voce iam fessâ dixit: In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.

Oratio. Sacrum. Mors. Oratio. Fides. Mors. Superior. Oratio.

P. FERDINANDVS DE ALAMO.

Hispanus in Monte frigido. 22. Nouembris 1607. ætat. 58. Soc. 48.

GOnzalum germanum suum ad Societatem secutus, mirabili semper animi corporisq; innocentiâ emicuit, adeò vt dæmon aliquando dicere sit auditus, Alamellum (ita eum contemptim appellabat) esse vnum ex ijs quos haberet maximè inimicos. A Deo miris modis adiutus est ad animas quasdam ab exitio liberandas. In sacris expeditionibus Apostolico spiritu versatus, felicissimâ facundiâ omnia concursabat. Et verò in ea occupatione inter acerrimos laterum dolores viuendi finem fecit magnis omnium laudibus commẽdatus. Corpus Granatam translatum est. Accensus verò est ad missiones maiore ardore, quòd aliquando ad eas à Prouinciæ Præposito inuitatus, obtentu valetudinis ac dolorum detrectasset. At postea inter ascetica commentationes apertum Christi latus intuitus, atque illac in Christi viscera corde penetrans, se peruicit, & Missionem cum lachrymis impetrauit.

Zelus. Obedientia.

IOANNES SCHELLÆVS COAD.

Anglus Leodij 12. Nouembris 1621 ætat. 70. Soc. 6.

SVpra ætatem, & ferè supra vires in ministeriis domesticis assiduè ardens fuit, labore insigni, licèt nobili Domo natus, & Philosophiâ benè instructus. Eius Pater vir nobilis inter primos in odium fidei Catholicæ expulsus ex Anglia diem finiit in exilio glorioso. Ioannes ante initam Societatem è matrimonio liberos susceperat, & persanctè educârat. Vnde omnes sacris initiati sunt, & ex iis duo etiam Societatem amplexi; duæ verò filiæ Sanctimonialium cœnobium ingressæ ac Deo dicatæ. Elizabethâ Reginâ furente passus est iacturam non mediocrem fortunarum: ne omnia perderet per tres annos hæreticis conciliabulis interfuit. Sed conscientiâ illum perpetuò flagellante, cùm nec precibus, nec sui afflictatione posset illam compescere tandem resipuit repentè sulphureo odore in loco quodam longè amœnissimo

Humilit. Fides.

inœniſſimo circumfuſus, & illum odorem inferni prodromum eſſe interpetratus. Ergò ſuis diſtractis, in Galliam conceſſit. In Societatem admitti petenti cùm aliqui ſuaderent, vt ſacris ordinibus prius initiaretur, conſtanter abnuit felicem ſe fore affirmans, ſi infima quæque obiret. Ianitoris munus geſſit diligenter; libenter reprehendebatur, petebatque infra omnes haberi. Auditâ Alphonſi Rodriguez vitâ, in domus angulum ſeceſſit, & plures iſtic horas duxit plorans, quod ab illa virtute tanto interuallo abeſſet. Etiam filios ſuos in Societate, quòd Sacerdotes eſſent, incredibili cum reuerentia alloquebatur, tamquam illorum, & Patrum omnium ſeruus; & ſi quâ pluribus ſacrificiis ſeruiendi ſe daret occaſio plenus lætitiæ, ac pietatis illam arripiebat.

Humil.

Exempla.

P. NICOLAVS NVGENTIVS.

Hibernus Porti. 22. Nou. 1656. ætat. 71.

Pia Colloquia.

HIc tum adhuc paruulus cùm germanum ſuum natu maiorem de execrabili peccati lethalis fœditate loquentem audiſſet, adeò profundè omnia demiſit in pectus, vt per omnem vitam nullâ grauiore noxâ vt fama eſt, conſcientiam maculârit; primâ illâ tam tetrâ depicti tunc a fratre peccati mortalis imagine ſemper ei horrorem incutiente, ne quid contra Deum auderet. In Hibernia magnus Eccleſiaſtes cùm eſſet, licèt ſub aliâ veſte lateret, agnitus eſt pro eo qui erat; ac in ergaſtulum detruſus Angli Præſidis iuſſu, quatuor annorum æruminas iſtic exhauſit: & pios quoſdam ac paſſim poſtea cantatos hymnos ibi perſcitè compoſuit; nec paucis Catholicis eò aduentantibus profuit; ac fortis perſtitit cùm contra fœminam, à qua eius pudicitia tentabatur, tum poſtea contra Proregem, eiuſque coniugem, quæ illius ſpecie delectata eum ad hæreſim prolectabat. Inde liber, in campis paſſim pro pulpito arboribus vtebatur, aure auidâ ſemper auditus. Ita per annos facilè 40. multa iſtic tulit fecitque; donec iugo Britannico ſubiectâ Hiberniâ in exilium ire iuſſus, Luſitaniam repetiit; ibi quoque operarius perinſignis. Sociis adeò inuiſus præfuit, vt poſtea, poſito magiſtratu, nunquam ſine lachrymis fecerit mentionem obitæ rectionis.

Fides.

Humil.

Vt verò diuini ſacrificij, & rituum Eccleſiæ quibus apud ægros vti conſueuit, cùm piè adhibentur, vim aduertas, Portuenſis Conſul Senatorque teſtantur, ſe à deploratâ valetudine conſanuiſſe P. Nicolai benedictione ac Euangelio recitato. Ciuium etiam quiſpiam ibidem ſacrificium ab eo ad aram pro ægra ſuâ coniuge impetrauit, & domum redux incolumem reperit quam ægram reliquerat.

Oratio.

XXIII. DIE NOVEMBRIS.

P. MARCVS ANTONIVS SOLDANVS.

23. Nouēb. Italus Pragæ. 1613. ætat. 60. Societ. 21.

HVius vitam in heroibus charitatis proſequitur Alegambe, aitque illum ægrorum obſequiis peſte immortuum. Pragæ Italorum noſocomia inſtituit, magno *pauperum patris* nomine appellatus. Paucis ante obitum diebus, iucundiſſimâ Sociorum è cælo coronâ ſeptus S. P. Ignatius, & Xauerius

Charitas. Cælum.

S. P. Ignat. & Xauerius Mors.

Xauerius illi sese dedêre spectandos vt dicitur, & nunciauêre, hinc breui ad superos migraturum: id quod hoc ipso die adeptus est.

P. HECTOR LVPATINVS.

Italus Cartilionæ. 23. Nou. 1611. ætat. 38.

VT primum rationis vsum adeptus est paruulus, nullum fœminæ vllius ministerium familiaritatemúe admisit. Patauij Philosophiæ studentis Hectoris in lectulo fœminam collocârant impudentes quidam: quod ille vbi domum redux vidit, confestim fugâse de illa domo eripuit; nec in illam deinceps pedem vnquam intulit. In Societate cùm fœminas confitentes audiret, aures illi tantùm dabat, non item oculos; quos velut à facie colubri auertebat; easque castissimus auditor expediebat breuiter atque feliciter. Charitate, patientiâ, obedientiâ præstans, & ægèr, & sanus nil vnquam aggrediebatur, nisi habito superioris ita volentis nutu, qui nutus etiam sufficiebat ad inchoatum quidlibet omittendum.

Castitas.

Oculi.

Obedient.

P. ÆGIDIVS DE ABREV.

Lusitanus Iacatræ incerto mense. 1622.

IN India Orientis, cùm in Iaponiam proficisceretur, ab hæreticis Batauis tentus, biennio in carcere salutariter instruxit Catholicos ibidem vinctos, & expiauit, atque in fide firmauit; ne illam sub hæretico iugo spe aut metu inducti desererent. Eapropter ab hæreticis contumeliis, inediâ, & vario crudelitatis inhumanæ ingenio cruciatus, cognomentum apud illos habebat ferè *diaboli*, & *Papistæ*. Demum plagis quoque adiectis confectus, victor animam edidit.

Fides.

XXIV. DIE NOVEMBRIS.

P. FRANCISCVS RIBRRA.

24. Nouēb. Hispanus Salmāticæ. 1591. ætat. 34. Soc. 21.

PIetate, Doctrinâ, sacrarum linguarum peritiâ, lectione Patrum præstans, diuinarum literarum interpres, & Ecclesiastes Societati se addixit, cùm à P. Martino Guttierrez audisset consecrandum esse Deo *id quod in nobis est optimum*, voluntatem. Magistrum tyro habuit magnum illum P. Balthassarem Aluarez. Regulas toto studio adeò curatè amplexus est, vt nullo studiorum, nullo vllius negotij pondere perpelli se sit passus ad vllam legem, vel minimâ ex parte laxandam; hinc nulla sitis illum adegit, vt vel semel biberet, nisi approbante superiore. Nulla hebdomas illi transibat, quâ non bis cubiculum perpurgasset. S. Theresia illum ad populum dicentem vidit ingenti circum splendore micare, & Christum eius humeris vultu sereno insidentem, & eum amplexu fouêtem, dicentemque. Hic est, ô Anima, qui sensu germano scripturas meas, eâ veritate, quam ego ipsi infundo, explicat. Nouit ipsum pretium earum expendere, quas ego mortalibus mei sanguinis effusione comparaui. Gratulare tibi, quòd eum habeas à confessionibus; obtempera dictis ipsius: ita meæ voluntati feceris satis. Tertio post mortem die propè Dei solium in cælo visus est glo-

Optimū Deo.

Obed.

Regula

Concio.

Recta intentio.

rioſus pectore lucis radium accipiens à Dei pectore prodeuntem, à quo pulchritudine mirabili, & gaudio perfundebatur quod fuit rectæ intentionis præmium, id eſt non vanitatis, verùm Diuinæ gloriæ quæſitæ in omnibus, quæ agebat, & docebat.

P. BARTHOLOMÆVS PEREZ.

Hiſpanus Villagartiæ. 24. Nou. 1611. ætat. Societ. 24. alij ponunt 29 Nouemb.

ETiam ante initam Societatem fuit Bartholomæus vir verè timens Deum: vnde opinio eſt, illum nunquam vllius lethalis peccati reum fuiſſe. Ingenio, in diſciplinis Theologiæ humanioribuſque licèt præſtaret; diſſimulanter tamen ceu ignarus perſæpè interrogabat quædam. In libello particularis examinis adſcripſit latinè hæc verba: *Materia examinis particularis; præuenire ſingula opera oratione, &*

Examen. partic.

probatione diuinæ voluntatis bonæ, beneplacentis, & perfectæ, cum intentione puriſſima eam cognoſcendi, & exequendi Horas, canonicas non aliter, quàm flexis genibus recitabat. Iam morti proximus, & feſſus, interrogabat, poſſetne bonâ conſcientiâ omittere conſueta puncta in examine adnotandi exercitationem, ob lapſa brachia & fractas vires? Aſſueuerat, vt nihil ageret, reſponderetúe, niſi breui oratione præmiſsâ nec ferè de conclaui ſuo exibat, quin Sanctiſſimum Sacramentum piè inuiſeret. Sub mortem totus ibat in lachrymas quòd exiſtimaret, ſe tempus in Societate non ſecundùm Societatis genium optimè collocaſſe. Regulas ſemper ſecum habebat in ſinu, memor vbique ne in vllam impingeret; ac earum iuſſu in id vbique intentus, vt quæreret continuam ſui mortificationem.

Oratio.

Tempus.

Regula.

Mortific.

XXV. DIE NOVEMBRIS.

P. LVDOVICVS ALVAREZ.

25. Nouemb. Luſitanus Auiſij 1590.

COncionator tantus fuit, vt ſummus Pontifex Præpoſito Generali dixerit; ſe auditione accepiſſe, eſſe in Luſitania Eccleſiaſtæ cuiuſdam de Societate facundiam tam ſanctam, nomenque tam inclytum, vt *Paulus* audiat à dicendi vi ſingulari. Penetrabat aures, & corda: idque vt faceret, arte illâ vtebatur, vt ad concionem dicturus ſe acerrimè verberaret, ac fleret coram Deo, oraretque flagranter. Etiam in ætate prouectâ pedes obibat miſſiones trans Tagum, libros ipſe baiulans & cibi aliquid; vt nobilium conuiuia euitaret. Si nihil ſecum attuliſſet, precario victitabat, Xenodochio diuerſorij vice vſus. Mundum muliebrem inſectatus eſt Apoſtolico ſpiritu plenus, citra humanas ſpes aut metum: & prædixit; breui fore, vt vanum petulantemque illum ſplendorem barbaris darent fœminæ, ad maritos è vinculis redimendos; id quod poſt Africanam Sebaſtiani, Regis amabilis, clàdem factum. Societatem tanti faciebat, vt diceret; ſe à porta noſtra non receſſurum, etiam ſi è Sociorum numero pelleretur. In Chriſti Cruci affixi cogitatione mentem ita defigebat, cùm aliàs, tum verò quando enata illi neſcio vbi caro ter à chirurgo ſecabatur; vt nihil doloris perſenſerit, certè fortiſſimè diſſimulârit. A quodam, qui prauos ſuos

Concionat.

Concionet.

Vanitas fœminarum.

Vocatio.

Mortif.

Crucifixus. Patientia.

mores

mores ab eo corripi ægrè ferebat, venenum illi in missione porrectum haud vana opinio est. Vbi virus in venas grassari aduertit, in Xenodochium (non autem ad nobiles inuitantes) deferri voluit, gratias Deo agens, quòd in loco pauperum moreretur. Corpus Eboram illatum est, pompâ omnium ordinum rarò ibi spectatâ.

P. PETRVS FOVCARDVS.

Gallus Burdegalæ. 25. Nou. 1620. ætat. 46. Societ. 30.

AIebat, meminisse se quòd primo rationis radio illucescente Deo sua omnia dedicasset: pueroque docebat persæpè, vt se Deo totos darent, atque Angelos suos amicos, & custodes vnicè amarent. Virginitatis suæ gloriam dirâ in corpus seueritate, ceu custodiâ sanciebat, ieiunans, & cilicio etiam die vacationis cinctus, ac sæpè noctes quoque duris in asseriribus ducens duro in somno, & breui, quin aliquando totas noctes pernoctans in oratione Dei. Tyronibus præfuit exemplo verbis suis haud minor, Cœna illi breuis, & sæpè nulla. Prandio quoque pauperibus dato, cùm ipse pane secundario esset contentus. Ad animarum lucra plures expeditiones pedes suscepit, peregit feliciter stupente Vazatensi Antistite, ab homine vno tantos labores posse exantlari.

Amor Dei. *Mortific.* *Charitas.*

XXVI. DIE NOVEMBRIS.

P. IOANNES BAPTISTA SANCHEZ.

16 Nouēb. Hispanus Romę 1572.

HVius vita latè perscripta est ad annum 1572. in qua laudatur ab admirabilitate diuina suadendi, & granditate non minoris exempli, quàm concionalis facundiæ. Sed vt erat exempli optimi, ita erat opinionis non bonæ in eo quòd quædam errata Sociorum quorumdam ad ipsam Societatem transferret, putaretque labi Societatem in deterius. Verum postea Romam accitus, & obedienter venit, licèt à morbo fractus, & meliùs de Societate sentire didicit; & non ignotum sibi diem extremum felix oppetiit, nescio quo splendore ab ore mortui emicante. Diuinus amor in illo tantus ardebat, vt P. Balthasari Aluarez aliquando dixerit, sibi ad mortem præ dolore oppetendum, satisfore si sciret, se vno adhuc integro die victurum, id est Deo suo adhuc tamdiu carituram; sed in Breuiario diem sui obitus, horamque diu ante mortem seu scripsit ipse, seu scriptam inuenit in hæc verba: *Tali die, & tali horâ morieris; vide quomodo viuas.*

Concionator. *Vanitas famarum.* *Vocatio.* *Mors.* *olloquia Spirit.* *Amor Dei.*

P. IOANNES ARGENTVS.

IN Transyluania, in Polonia, in Austriâ, in Italia, præclarum constantis, religiosi, & in Deo fixi ingenij documentum dedit in rebus turbidis, & pacatis. Certè à Comitiis generalibus extincto Claudio, licèt abesset, 29. tamen suffragia illum Generalem Præpositum optabant. Regularum normam in se ostendit meliùs exemplo vrgeri, ac exigi à subditis; qui eas commendare verbo audiunt quidem, sed Superioris exemplo magis obediunt. Extrema in illo pau-

Italus Mutinæ. 26. Nou. 1629. ætat. Soc.

Crucifixus. *Patientia.* *Superior.*

pertas; nullus elegantiæ vllius fucus; pro lectulo vrsina pellis; non nisi vna quotidie refectio; magna honoris omnis contempsio; paterna erga omnes facilitas; pietas erga Deiparam eximia. Creditum est, illi Pragæ Beatissimam Virginem, & Sanctum Patrem Ignatium spectabiles adfuisse. Pro quodam, qui in religiosa vocatione nutabat flagris se non semel dirè accepit, ac ei plagas ostendit quibus illius causâ sese conciderat.

Mortific. *B.V. S.P.Ignat.* *Charitas.*

XXVII. DIE NOVEMBRIS.

P. IACOBVS HERRERA.

27. Nouēb. Hispanus Mexici. 1595

HVmilitate, pietate, animarum studio assiduo magnum operæ sanctæ pretium ad eximię probitatis vsque famam tulit Iacobus, totus ad orandum Deum se abdens, cùm illi aliquid otij à templo, & proximorum salute supererat. Ad confessiones audiendas magni erat exempli, quòd assiduus, quòd in modo agendi castissimus, cautissimus, adeòque sanctâ de Diuinis agendi suauitate, ac efficacitate præstans fuerit, vt præter cætera, trecentæ Virgines, illius institutione, ad cęlestem in variis cœnobiis vitam degendam abierint.

Confessar.

P. PETRVS FONTANVS.

Hispanus Hispali. 27. Nou. 1611. ætat. 35. Societ. 19.

ATeneris Diuinæ Eucharistiæ, & Beatissimæ Virginis cultui fuit apprimè addictus. Hinc illi mirus erga pudicitiam & Societatem amor, vnde nobilissimum, & à lautâ dote magnoperè suasum coniugium Societati posthabuit; in qua modestiæ, charitatis, & omnibus quotquot boni Ministri, Confessariique munus commendant virtutibus excelluit. Ingenti moriēdi desiderio tenebatur. Ea propter ad mortem à Deo certius obtinendam nouendiale Beat. Virginis sacrum peregit, & cùm se necdum id obtinere crederet, adeòque Diuinæ voluntati se dederet, morbo mox deductus est ad mortem à Deo Deiparæ auxilio impetratam.

Mors. B.V.

MATTHIAS DE LA SAVLX COAD.

Belga Duci. 27. Nou. 1617. ætat. 35. Soc. 14.

MAgnâ ægrorum curandorum peritiâ, nec minore charitate præstabat, alacritate simul insigni. Verùm à veteratore propè ad exitium adductus est; quippe qui sacris initiari cùm temerè præoptaret, neque id in Societate vllis precibus impetraret quantumuis ad id sibi maximè idoneus videretur, præpostero illo desiderio ad extremum deductus postridie iam erat è Societate dimittendus; ne Coadiutores alij exemplo tetro in errorem & ipsi prolaberentur. Verùm eâ nocte S. P. Ignatius secundùm quietem ad pedes lectuli factus Mathiæ spectabilis, manu illi exitium comminatus est, ni perseueranter in Societate persisteret. Tum ille lachrymarum plenus manè ad Superiorem aduolauit, & in Societate manendi potestatem flagitauit, suo illo desiderio millies, millieſque damnato, ceu stimulo arcanæ superbiæ, manifestiq; erroris; impetrauit; & ita perstitit, vt omnibus charus esset; mortem postea gloriosam consecutus in obsequio infectorum.

Tentatio. *S.P.Ignat.* *Vocatio.*

XXVIII. DIE

XXVIII. DIE NOVEMBRIS.

P. ANTONIVS FRANCISCVS CRITANA.

18. Noueb. Hispanus in Iaponia, 1614. ætat. 64, Soc. 43.

Anno 1584. in Indiam, inde in Iaponiam penetrauit, zelo, & religione erga SSS. Trinitatem ac Deiparam Virginem prorsus conspicuâ. Post felices ærumnas, & Euangelium totis viribus propagatum, proscripto, & in exilium nauiganti, mors grauissimis ærumnis accelerata vitæ finem attulit.

P. OLIVERIVS MANARÆVS.

Belga Tornaci. 28. Nou. 1614. ætat. 91. Societ. 64.

Ab ipso S.P. Ignatio hausit primitias spiritus Societatis. Romanum Collegium primùm, deinde Lauretanum rexit, vbi lectâ in cubiculo lemuribus perturbato S.P. Ignatij epistolâ Lemures exegit. Beatissimæ Virginis opem ibidem quà in esculentis, quà in pecunia admirabilem, & manifestam expertus est, id quod ad annum 1557. latè habet Societatis historia, & annuæ 1614. vbi cùm non nisi quinque panes perexigui domi essent, sexaginta quinque Socij singuli in mensa panes singulos reperére, quos nullus mortalium ad mensam intulerat. Addit hic Iacobus Stratius; illum ab Euerardo Mercuriano in exercitiis per 30. dies Parisiis eruditum, cùm de vitæ statu deliberaret, & supplex opem Dei deposceret, hanc vocem sæpius noctu illi allapsam: *Hic bene es: hic mane vbi es.* Inde illi absterso omnis dubitatio, quin à Deo ad Societatem accerseretur. In Societate gessit summa quoque munia magnâ felicitate Collegiorum, & Prouinciarum; neque tamen vllum vnquam etiam Nouitium passus est, aperto capite diutiùs coram se esse; ne quid haud religiosæ authoritatis oleret ille honor tam parùm decens Socios humilis Iesv. Vide Societatis historiam.

LEONARDVS KIMVRA COAD.

Iapon. Nagasachi. 28. Nou. 1619. ætat. 44. Societ. 17.

Maiores habuit quorum vnus ab ipso S. Francisco Xauerio fuerat baptizatus. Licèt Nangasachi nobilis esset, ac literis perbenè operam nauasset, tamen maluit Coadiutorum albo adscribi, insigni exemplo. Aliis è Iaponia extorribus, ipse, Superiorum iussu, latuit Nangasachi; vbi in carcerem coniectus, in eo vnà cum aliis vixit velut in religiosâ domo. Manè horæ duæ comprecationi datæ, altera ei quæ mente, altera ei quæ voce fit. Inde recitatæ Sanctorum omnium Litaniæ. Reliquum otium piis libellis lectitandis impensum vsque ad prandium. Post meridiem vnâ iterùm horâ oratum. Inde horæ quatuor legendo, scribendoque transmissæ, iterumque secuta per horam oratio. Feria quarta, sexta, & Sabbatum ieiunio, ac flagellationi dedicabantur. Feria VI. in honorem quinque vulnerum Crucifixi, perquinque horas oratum. Vno anno, cùm sine Socijs hæreret in carcere peranguste, nihil de consueta animi hilaritate dimisit, inediâ se & quotidianâ verberatione afflictans.

Octuaginta sex capita ibidem Christo addixit, & abluit. An Iesuita esset rogatus; affirmauit: cur in Iaponia perstitisset contra decretum; respondit: *vt Christi Euangelium prædicarem.* Tum Iudex bis repetitâ voce dixit: *Idcirco igne absumendum esse.* Mox actis gratiis Leonardus testes voluit adhiberi; se Euangelij causâ damnari. Stipiti alligatus, igne iam in flammas gliscente ac erumpente, nullam doloris significationem dedit; aiebatque sibi nihil dolere: suaue esse dulce illud incendium. Ambustis vinculis, liberâ vtraque manu prunas collegit, & illis caput, veluti rosis, coronans, cecinit: *Laudate Dominum, omnes gentes*; Christianis interea IESVM & MARIAM clamantibus.

Fides.

Lata patientia.

Mors.

Oratio.

Rosa.

eundis regionibus Campestribus Armoricorum, & in addiscenda eorum linguâ perdifficili circa annum ætatis 55. quam assecutus, rusticanorum ingentes myriades cum altero Patre eruditiuit, ad pœnitentiam per annos 14. non parcens operæ, nec ætati vsque ad obitum. Hoc etiam de illo constans fama vulgauit. Anno 1639. periculosa pestis Corisopitentes depopulata est; pro qua amolienda Pater orans in conclaui vocem hanc audire sibi visus est: *Vade, & excita ciues ad votum solemne concipiendum sancto Correntino.* Quam vocem à Deo profectam fuisse probauit euentus. Statim enim, ac votum conceptum est in æde Principe ab vrbis primoribus; cessauit pestis, & cultus S. Correntini creuit in populis, qui ante penè obsoleuerat.

Zelus.

Oratio.

S Correntinus.

P. PETRVS BERNARDVS.

Gallus Corisopiti. 28. Nou. 1654. ætat. 71. Societ. 51.

DE hoc sic literæ Corisopitenses. Probauit industriam suam in ob-

XXIX. DIE NOVEMBRIS.

P. ANTONIVS DE PADILLA.

29. Nouēb. Hispanus Vallisoleti. 1611. Soc. 39.

MAgnis procerum titulis se exuit vt Christum pauper indueret. Cùm se à multis in turbando negotio vocationis vrgeri peruideret; coram illis omnibus genua humi fixit, & voto religionis palàm concepto, promisit Deo, se quicquid posset virium & operæ adhibiturum ad Societatem ineundam. Obmutuêre ad inexpectatum spectaculum omnes qui aderant: & ipse tandem vicit, licèt haud vnicus illustrissimæ Domus hæres vnicus, ac magna spes. P. Balthasar Aluarez, eius Magister in tyrocinio, illum repentè aliquando à mensa ad portam mittebat; vt ibi cum pauperibus mendicis cibum caperet. Diebus Sabbati exibat cum emptore; & emptas pro die Dominico carnes humeris domum deportabat. Humilitas illi pro primo spiritualis vitæ lacte erat. Vnde sagax futuri, cùm ei Burgensis Archiepiscopatus offerretur, sapienter dixit: *Sibi pro morte lectulum vnicum, eumq; rudem, ac vetustum sufficere.* Ingenium illi erat excelsum, & felix calamus ad nodos enucleatè soluendos. Pro pulpito audiebatur se-

Vocatio

Mortific.

Humil.

Mors.

cundissi-

cundissimis auribus, dicente Philippo II. Rege; *Satis esse ad permouendam conctionem, videre in pulpito P. Antonium tantâ mundi despicientiâ gloriosum.* Cùm regeret, disciplinam adstringebat exempli efficacitate. Moriens, Christum testatus est, se nil fecisse in tota rectione in quo maiorem Dei gloriam non quæsiuisset. Timor extremi iudicij mox illi in dulcem fiduciam est conuersus accepto viatico. *Quid*, aiebat, *timere debeo, Domine mi, cùm mihi dixeris quòd me clausum in tuo corde gestes? Cùm ita sit; eamus quò vis: non est quod pertimescam.* Et obiit eo ipso tempore quo prædixerat, animam suam ituram ad cælum ad matutinum ibi cantandum Deo.

Euchar. Mors.

P. AYMARVS GVERINVS.

Gallus Lugduni. 29. Nou. 1618. ætat. 26. Societ. 8.

IN faucibus Æthiopiæ proditus, & captus quòd obtentu aliorum Turcas ad Christianam fidem velle adducere diceretur per 40. dies in expectatione mortis hæsit, quam illi minabantur Turcæ odio religionis Christianæ inflammati: tandem post ærumnas peregrinationis fusiùs narrari dignas, mortem Lugduni quietam inuenit.

Fides.

P. PETRVS XIMENEZ.

Hispanus Millistadij. 29 Nouēb. 1633. ætat. 81. Soc. 59.

NOtum Græcij, Viennæ, per Austriam, & Boëmiam, ac in historia P. Ioannis Argenti heroicum hoc nomen. Græcij primus Academiæ Cancellarius fuit contra hæreticos vi disputandi magnâ, & vtili. Græcium certè totum deinde Catholicum lætus vidit. Olomucij cùm esset Rector, magnâ ingentis animi fortitudine se gessit contra hæreticos, à quibus Societas pellebatur. Verecundia in illo modestissima elucebat, in castis illis canis, & oculis, nec in scena, nec alibi quicquam ferentibus quod puritati quoquo modo posset officere. Viennæ quosdam qui cum fœminis nutibus colloquebantur prehensa manu è templo eduxit, dicens; locum illum Deo, non his sordibus sacrum esse. Optabat, & laborabat apprimè, ne quid è sancti Ignatij spiritu in Societate desideraretur. Hinc agebat de Diuinis, exhortabatur, colloquebatur efficacitate accensâ. Oratio illi prolixa, & suauissimis lachrymis irrigata, quæ illum aliquando à sensuum officio abstrahebat. Certè in sacro debuit aliquando moram aliquam admittere, cùm pergere præ Diuinæ suauitatis torrente se illi infundente non posset. Fundatrix Nouodomensis semel diuinis operantem vbi vidit, sanctum eum virum quisquis esset, dixit. Post sacrum celebratum duobus aliis aderat, vt gratias redderet charo suo hospiti bono IESV, quem in sanctissimo Sacramento persæpè visebat. Miram quamdam Sanctimoniæ illius perspicientiam habebat, quam à nobis exigit forma nostra, & leges iuxta mentem sanctissimi Fundatoris, ad quam se, suosque accuratione omni formabat.

Verecund. *Zelus.* *Templum.* *Oratio.* *Sacrum.* *Euchar.*

XXX. DIE

XXX. DIE NOVEMBRIS.

P. MILAN (Æmilianus) GARCIA.

30 Nouēb Hiſpanus Compluti. 1597. ætat. 37. Soc. 34.

DE vitæ ſtatu deliberans, præter preces, & afflictationes varias in honorem Beatiſſimæ Virginis, diebus Sabbati herbis, vel pane tantùm, & aquâ contentus ieiunabat; vt illâ Conſultrice poneret bona conſilia in anima ſua. Ita poſt ſemeſtre illi lux oborta eſt, quâ deſtinauit Societatem amplecti. Firmauit decretum illud imago illi per ſomnum oblata. Somniabat contra ſe prægrandem canem venire rictu aperto, & auido. Hunc vt effugeret, ad varia cœnobia fugiebat. Sed cùm portæ vbique eſſent clauſæ, viſus eſt ſibi Templum Collegij noſtri videre apertum, ad quod vbi (ceu ad aſylum) confugit, canis illum inſequi tum demum deſiit. Ad Societatem admiſſus, cùm amici ſuaſu moras necteret, vidit Chriſtum per quietem, qui ei, ſi adhuc morari pergeret, haſtam minaciter intentabat. In Societate dicendi authoritate, ac neruo emicuit, viſus inter dicendum non ſemel facie totâ ſplendere; alias in feſtis Pentecoſtes columbam habere capiti imminentem. Miſſionum exemplar ſanctum fuit, mirâ in ſe ipſum ſeueritate, oratione, exemplo, domi, & foris præbito: ſolidis ſenſibus ad dicendum delectis, non vanis. Vnde & moriens rogauit impensè Patres, vt prædicarent Chriſtū. Plura de illo in vita.

B V. Vocatio.

Templum.

Ne differ.

Concionator.

Pentecoſte.

Mors.

P. ANTONIVS MORALEZ.

Lusitanus Conimbric. 30. Nou. 1616. ætat. 58. Soc. 41.

CÆcus fuit per annos 18. grandi, & ſancto patientiæ conſtantis exemplo. Quotidie ſe cædebat vſque ad ſanguinem: atque vt ne audiretur, flagellum habebat ex ære conſertum. Cœna illi ieiunanti ſimilior, quàm cœnanti. In Bacchanalibus, vt ſe filiis ſeculi huius opponeret, non niſi pane (idque tantùm ſub veſperam) veſcebatur. Confeſſiones tum domi, tum in templo audiebat aſſiduè. optabatque à catello, vt cæci ſolent, duci ad pagos, vbi ruſticam plebem inſtitueret Chriſtianę Doctrinæ rudimentis. Tres noctu, tres interdiu horas orationi vacabat, ſenſibus planè abſorptis, ac lachrymarum plenus. Mortem obiit eâ die, ac horâ, quam ipſe ante prædixerat, & magnum ſui poſt ſe deſiderium reliquit.

Cæcus. Mortificat.

Oratio.

Mors.

P. IOANNES TEINTZERVS.

Germanus Oſnaburgi. 30. Nou. 1630. ætat. Soc.

MVltos ad Catholicam Religionem, & ad religioſam vitam non paucos adduxit ſuâ illâ de diuinis dicendi facultate, quâ apprimè pollebat. Oſnaburgenſis Domicilij Procurator ac aliquando Superior fuit; quo tempore, vt è difficilibus quibuſdam anguſtiis inter hæreticos iſtic noſtri emergerent, author fuit vt poſt meridiem horâ ferè 12. à Sociis Lauretanæ Beatiſſimæ Virginis Litaniæ dicerentur qui mos etiam deinde perſtitit præſentiſſimâ ope Deiparæ manifeſtè Socios

B V.

Socios adiuuantis. A Caluinistis captiuus Padebornæ, exporrecto semper vultu hostium iram blandè molliuit, & imminentes iugulis nostrorum mucrones, laqueosque auertit.

FRANCISCVS BIANCHETTVS SCHOL.

Italus Placentiæ. 30. Nou 1631. ætat. 19. Societ. 3.

COmitis Caroli Bianchetti primogenitus, longo licèt morbo tabesceret, in eo tamen totus fuit, vt à communi disciplinæ ordine obtentu valetudinis sese minimè subduceret. neúe temporis punctum vllum amitteret. Ad cælum tenerrimè aspirabat, cùm decretoriam medici sententiam de sua morte lætus audisset. Quotidie orabat pro iis, à quibus in morbo aliquid obsequij accipiebat, idque recipiebat se facturum in cælo. Cubiculum suum, & lectuli partes sanctis suis particulatim assignauit, qui sibi adessent in illo articulo. Accepto Sanctissimo viatico gratias egit, & pro itineribus æternitatis patentes petiit: id quod indulgenter eius pietati vt concederet P. Minister, patentes consuetâ formulâ, paucis pro re præsente mutatis, scripsit: quas ille postquam legi audiit, incredibili voluptate accepit, & exosculatus pectori imposuit, vbi iam ante habebat Crucifixi, & Sancti P. Ignatij effigiem.

Morbus.

Oratio.

Mors.

Sancti.

Mors.

P. ADAMVS CIECIERSKI.

AD pietatem, & lachrymas fuit apprimè promptus, ac tener. Dæmon in illum concitatus est aliquando, quòd à thoro quodam tenebrionem nescio quem abegisset: sed facilè reiectus infelix genius abiit, carbone post se relicto. Triennio ante mortem paralysis illum extremis admouisse est visa: sed B. Iosaphat Martyr Archiepiscopus olim Polocensis, vt referunt illi se spectandum exhibuit, solatus est, & prædixit non nisi triennio post migraturum è vita. Ergo ille se ad mortem sic prædictam quàm studiosissimè comparauit; & exeunte anno tertio, ingraueſcente morbo ad extrema deductus, manantes piis lachrymis oculos persæpè in eam lectuli partē conuertit, vbi B. Martyrem triennio antè conspexerat; & præparatum ad migrandum spiritum feliciter exhalauit.

Polonus Polociæ. 30. Nou. 1650. ætat 65 Societ 42.

Castitas.

Sancti.

MENSIS DECEMBER.

PRIMO DIE.

P. IGNATIVS DE FONSECA.

1. Decemb. Hispanus obiit Hispali anno initæ Soc. 19.

FRanciscum Toletum (postea Cardinalem) Septimancę audiebat noctu se flagellantem cui & ipse, tum necdum nostrâ veste indutus in prima probatione, strenuè se ipsum cædens respondit. Sic certamen, Toleto vicissim respondente, iterùm ac tertiò integratum. Futura quædam ex vero prædixit; de quibus in eius vita. Plures fassi sunt; se illius precibus mirè adiutos. P. Garzia Rodericius, pro quo sacrificabat Ignatius, aiebat se plus semper conualescere quò in sacro magis pergebat Ignatius; adeòque sub illo sacrificio planè consanuit.

Mortific.

Oratio.

Sacrum.

P. EDMVNDVS CAMPIANVS.

Anglus Lõdini 1. Decemb 1581. ætat. 41 Societ. 8.

ROmâBrunam ad tyrocinium missus, in Bohemia postea Rhetoricam, Dialecticam, Physicam docuit. Romam redire iussus, missu Pontificis in Angliam profectus est pedes cum P. Roberto Personio anno 1580. Audiebatur cum lachrymis à Catholicis, etiam quando *Missificantes*, vt ipsi Sacerdotes vocant, decreto proscripti sunt. Tunc decem rationes pro religione Catholica scripsit solidè, & latinè, quas nemo sapiens legit qui non laudauerit. Multis ille libellus ad orthodoxam veritatem lux fuit, & firmamentum. Iudas Eliottus proditor infamis Edmundum tandem comprehensum 17. Iulij tradidit tribunali, adeò hilarem, vt in eo innocens illa lætitia, & facundiæ suauitas vel ipsis hostibus lachrymas excusserit. Disputationes acres, & clarâ Campiani vincentis gloriâ peractæ. Auditâ capitis sententiâ, *Te Deum laudamus* pronunciauit, & populo palàm ostendit quanta sibi à Senatu & aliis promissa essent præmia, si à Catholica religione desciscceret. Vimineis cratibus ad patibulum raptatus, de plaustro ad populum, spectaculum facti sumus, inquit, mundo, Angelis, & hominibus. Appensus furcæ, & mox in quatuor partes sectus est, more Angliæ iam recepto. Fuit Campianus vir magnis ingenij, magnis virtutis, magnis tam glorioſæ mortis laudibus celebratus. Aiunt, Alephi iudicis ijs audiendis quæ contra Campianum dicebantur intenti chirothecam vltrò copioso sanguine manasse; nullo in manu vulnere, dolore nullo, sanguinarij signum iudicij. Tamesis Londinum interfluens, tempore quo enecabatur Campianus, torpentibus vndis, præter morem immotus stetit. Græcij anno 1606. pro salute vxoris in partu laborantis, Campianum, suum olim magistrum, implorauit vir nobilis; & coniux mox paruulum salua enixa est ac nato Campiani nomen datum. Baronius in notis Martyrologij Romani

Fides.

ni 29. Decemb. de Anglicanis fidei heroibus præclarè loquitur, & particulatim de illis, *quos*, inquit, *nuper Sancta Societas Iesu velut agnos innoxios, in sacris septis, sanctis eruditionibus, acceptissimas Deo hostias saginauit*. Videri potest laudatus locus.

P. ALEXANDER IOANNES BRIANTVS.

Anglus eodem die ib.

ANgelici oris, & eloquentiæ, Apostolici spiritus vir, post biennium Londini sacris laboribus impensum, anno 1581. 28. Aprilis in carcerem datus est, ibique fame incredibili, siti, equuleo deinde sæpiùs ac dirè vexatus. Scripsit in carcere epistolam, in qua dicit se ante biennium de Societate ineundâ cogitasse, nunc verò Sacramento spopondisse id se facturum. Ante tormenta, recitato Beatissimæ Virginis rosario, se deliciis cælestibus mirificè perfundi persensit: id quod ipse testatus est: & adiecit; in torturâ vltimâ se quietum, solatij plenum, doloris expertem fuisse. Admitti ad Societatem petiit, & est admissus, votis quoque mox editis. Hæc ille scribens, adiunxit: Testis dies iste, testis & hoc Chirographum manus meæ in die iudicij. Cùm crucem gestans ad tribunal prodiret, iussus est illam abiicere. Sed ille; Nolo, inquiebat, nolo vsque ad mortem vexillum meum, Crucifixi miles, deserere. Ibo vt moriar pro illo qui pro me mortuus est prior. Ita post Campianum pari morte damnatus est, & interfectus. Remundus, & alij quidam, aiunt eum de furca deiectum in pedes constitisse.

Vocatio.

B.V.

Crucifixus.

P. RICHARDVS COMBÆVS.

Hibernus Hispali. 2. Dec. 1626. ætat. 53. Societ. 34.

MAgnus Hibernicæ iuuentutis educandæ in Hispania Pater fuit, animo ad labores & ad ardua peruincenda constanti. ac pio. Ne negotiis obrueretur spiritus, vnum diem illi peculiari studio singulis mensibus assignabat. Latrones in via deprehensum arbori alligârant. Sed B. V. & Angelo custode in opem vocatis, vincula illicò soluta illum liberum reliquêre. Morienti Christus apparuit vt fertur & amœna Beatorum loca ostendens, illum ad audienda cæli arcana induxit, mox postea vitâ functum.

B V. Angelus.

Christus

Mors.

II. DIE DECEMBRIS.

S. FRANCISCVS XAVERIVS.

2 Decemb. Hispanus in Sanciano. 1552. ætat 55. Societ. 18.

HVnc Regio Nauarræ sanguine natum scribunt nonnulli qui antiquiores nobilissimæ illius Domûs origines altiùs repetunt. Natus est anno 1497. quo eodem anno Petrus de Couillam Ord. SSS. Trinitatis, cùm in fidei odium ab Indis sagittarum imbre perimeretur, prædixit, vnum de primæuis Patribus Ordinis Clericorum Iesv, in remotissimas Orientis Indias penetraturum, vt habet eius Ordinis Chronicon à Ioane Figueroa conscriptum. Licèt autem alacri, ad lætiora propenso, & viuido esset ingenio, tamen à puero ita est educatus, vt Virginitatem seruauerit illibatam vsque ad mortem. Parisiis operam litteris dantem ne domum reuocaret pater.

Castit.

pater, Sanctimonialis, Franciſci ſoror, interceſſit, ſcribens illum Orientis ac gentium fore Apoſtolum. Admirabili Ignatij conſuetudine Pariſiis peruictus, generoſam mentem tranſtulit ad diuina, & ſe illi ſocium inter primos fundandæ Societatis Ieſu lapides adiunxit. Poſtea Vicentiæ ægrum *S. Hieronym.* Xauerium S. Hieronymus, ei ſe ſpectandum præbens, inuiſit; valiturum, & Bononiæ laboraturum aliaque plura prædixit, ac monuit vt ad magnam crucem humeros præpararet. Romæ deinde ab Ignatio vt in Orientis Indias penetraret delectus, à Paulo III. Pont. Max. Legati Apoſtolici authoritate ornatus eſt. Tranſiuit zonam torridam; in Iaponiam, & vſque ad Sinarum aditum appulſus eſt. Morientem fœminam in partu baptiſmo luſtrauit: & illa confeſtim fœtum incolumis enixa eſt. Inito eorum quos luſtrauit numero, quâ quidem licuit, *Baptiſmus.* aiunt eius manu baptizatorum numerum decies centenorum millium; adiectis ducentis adhuc millibus, id eſt vniuersè duodecim myriades, exceſ- *Mortui ſuſcit.* ſiſſe. Punicali adoleſcentem mortuum manu prehenſum in Chriſti nomine iuſſum ſurgere, à mortuis ſuſcitauit. Deinde puerum ac puellam vitæ reſtituit. Viginti quinque mortuos ad vitam ab eo reuocatos aiunt iurati teſtes. Quadraginta vehetiam 50. vniuersè à mortuis reſurrexiſſe Deo per *Mortui.* Xauerium eos ad vitam reuocante affirmant litteræ antiquæ ac nouæ: & inter hos dicunt fuiſſe quinque quos ille per pueros ad cadauera illa miſſos *Roſarium.* vitæ reddiderit. Familiare illi fuit roſario ſuo per pueros miſſo, vel aliàs per nuncium, dæmones morboſque fugare. In ora Piſcaria illiquefactis cordi cæleſti deliciarum æternarum torrentibus perfuſus geſtiebat; maximè cùm cogitaret plus quàm mille infantes à ſe aquâ ſalutati per Sacramentum luſtratos è vita ad ſuperos abiiſſe. Sæpiùs tabem ex vlceribus manantem ore auido ſuxit, quâ ſui odio, quâ proximi charitate, certè Dei amore. Pro quodam in ſylua ſe inclementer adeo *Mortifi.* cæcidit, vt ille ſtrepitu excitatus accurrerit, eumque vndique cruentum viderit, illachrymatus, animo ad morem illi gerendum vndequaque iam facillimo. Alibi ſæpiùs interdiu ſe cæcidiſſe deprehenſus eſt; idque vi tantâ, vt elangueſcentibus viribus planè deficeret. Lapidibus non ſemel; calumniis & linguarum dicacium petulantiâ ſæpiùs, aliquando & ſagittis, appetitus, pro ſtulto à Bonziis habitus, ſemel, iterum ac tertiò naufragus, eò ſemper magis ardebat amore diuino & animarum, quo plura tolerabat. Ad S. Thomæ ſepulchrum peregri- *Sanctit.* nans, ſeptem dierum inediâ ſe macerauit; aliàs quoque non rarò per tres, 4. aut 5. dies ieiunus. Nocte intempeſtâ orans in templo coram ara Dei- *B.V.* paræ, dæmonum cantu variè obſtrepentium turbamentis nil motus, aliàs ibidem ab illis etiam dirè verberatus, Diuinæ Matris opem implorans eos *Oratio.* vicit: & orandi conſuetudinem non intermiſit, vbi à plagis illis conualuit. Malacæ noctu ſomno duas horas, reliquas precibus tranſcribebat. Orantis in ſylua Xauerij vultus aliquando radijs illuſtris conſpectus eſt. Cùm ſacro fonte permultos ablueret, inſtar gigantis excelſo corpore eminere, cùm diuinam Euchariſtiam flexis ge- *Euchariſt.* nibus populo diſtribueret, ſublimis in aëre circumferri eſt viſus. Fertur ſe ali- *Amor Dei.* quando in flumen merſiſſe vt æſtuantis à Deo pectoris calorem quoquomodo temperaret. Eius literas, quibus ſua pericula & ærumnas & ſimu cæli delicias quibus recreabatur deſcribebat, legens Ignatius, lachrymas tenere non poterat. Aliquando ſub dio totis oculis in cælum intentus, &

æſtuans

æstuans deductâ hinc atque inde veste à pectore intus conflagrante, auditus est amanter queri, ac dicere: *satis est, Domine, satis est!* Aliàs Romæ in Xenodochio quiescens noctu vidit se in amplexu crucis, ac etiam cruces ex alto affluenter exundare alias ex aliis, post alias varias, ac plurimas; symbola earum, quæ illum adhuc exantlandæ manebant ærumnarum; & cælesti siti accensus erupit in illas voces: *Amplius, Domine, amplius, amplius!* Absentia & futura ex vero vates dixit, idque variis, miris, manifestis modis. In duobus procul ab inuicē dissitis locis, eodem tempore conspectus est à testibus pluribus ac luculentis. Ad animas conuertendas vsus est plurimâ virginei sui corporis afflictatione, ingenio, miraculis, minis, & impigritate mirabili, adeò vt dicatur facilè centum millia leucarum ideò confeciſſe. Ter naufragus, aliquando tabulæ vni adhæsit per tres dies ac noctes in mari. Euertit plusquam quadraginta millia Idolorum, pueris etiam Idola certatim diruentibus. In Iaponia *magister mirabilium* dicebatur. Visus est vel illustris, vel in aëre sublimis, vel à mentis ac sensuum vsu in diuinis absorptus facilè centies; aliàs inter sacrificandum stans, lucidus, & eleuatus, aliàs in horto Goano stans item & sublimis, atque cum Deo loquens conspectus est. Hospitio amanter acceptus est à quodam paupere: & illi fortunæ creuêre, Deo hospitalitatem coronante liberalitate maiori.

Mortific. Pati. Crucet. Sanctit. B.V. Oratio. Oratio. Charitas. Eucharist. Amor Dei. Eleemosyn.

Petrus Vellius vir locuples, Xauerio non paruâ auri vi in vsum quempiam repentinum indigenti, clauem arcæ suæ dederat, vt inde tantum auri caperet, quantum vellet. Acceptis ex arca trecentis scutis aureis Xauerius clauem restituit; & Petrus arcâ postea introspectâ questus est Xauerio, se ab illo delusum; nihil enim auri omnino decerptum ex arca: se verò è 30. millibus aureorum illi quindecim millia destinasse, idque animo verè syncero. Placuit Xauerio animus adeò generosus; & post modicum silentium, sublatis in cælum oculis; Et ego, inquit, Petre Velli, pro præmio huius tuæ tam liberalis & promptæ voluntatis, tibi Dei nomine promitto; tuam arcam tibi semper tantum subministraturam, fauente tibi bono Deo, quanto egebis: & tum requiescès in pace, mortis tuæ, quando ventura sit, non inconscius, vt illa te melius paratum reperiat. Ita exitus prædictionem approbauit. Nam Petro, licèt multis variè iactaretur, tamen subsidium nunquam defuit, idque luculentum pro domo vniuersa. Et vbi mortis suæ tempus imminere aduertit amicis valedixit, valens tunc adhuc ac integer: die verò ipso quo discessurus erat è vita, se in feretro in templo eomposuit, ac tegi tapete iussit, vt mortui solent. Cantatum inde mortuale Sacrum: & reducto tapete, Petrus in feretro mortuus est repertus.

Parisijs Ignatius illum ad cælestia pertraxit cum alijs, tum verò sæpè inculcato, & in cor altè illi defixo illo Christi axiomate: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ea res adeò illi cordi fuit semper, vt in Indiis quoque postea, pluribus, & Ioanni etiam Lusitaniæ Regi, per literas, persæpè suggereret, vt quotidie aliquid temporis pro illa sententia meditatè reguſtanda seponerent, ac à Deo perspicacem eius penetrandæ intelligentiam flagranter nullo non die postularent. Olyssippone P. Simonem Rodericium quartanâ pertinaci afflictum, amplexu persanauit. Equitem aliquando nudipes secutus est, vt itineris ducem ne amitteret, pedibus ad spinas, vel alio offendiculo cruentatis.

Pia colloquia.

Cùm in domiciliis noſtris eſſet, omnes accendebat exemplo, inſtar flammæ ſpirantis. Incredibili accuratione ad leges omnes erat perquiſitè attentus, ne quam omitteret. Nullo die omittebat conſcientiam expiare pœnitentiæ Sacramento, vt ad altare DEI mundior accederet. Certè ad primum Sacrificium Vicentiæ celebrandum, ſe per 40. ipſos dies aſperrimo vitæ genere ac ſummo in ſilentio præparauit. Conſcientiæ arcana bis introſpiciebat quotidie examine diligenti. Vt ſe ad horas Canonicas flagrantiùs recitandas accenderet, hymnum *Veni creator Spiritus* inflammato animi ſenſu recitabat: & ſæpè interdiu, itemque noctu ardentiſſimis ſuſpiriis breues preces vibrabat in cælum, nunc IESVM nunc MARIAM appellans, aut ſelectas quaſdem è diuinis litteris ſcintillas depromens, & vultu inſtar Seraphini ardente amabilis atque admirabilis. Fœminas non niſi aliis præſentibus audiebat, etiam confitentes. Domi cùm inter ſocios verſaretur, ea quibus egebat, mendicato ſibi præberi volebat, ceu eleemoſynam pauperi erogatam.

Conf quot. *Sacrum.* *Examen.* *Oratio.* *Paupertas.*

De Ignatio non aliter loquebatur quàm de Sancto: addebatque illi ſemper Sancti Patris nomen. A diuerſis Nationibus intellectus eſt in concione, quam vnico idiomate faciebat. Aiunt aliqui, eum facilè 30. linguis diuerſis loqui auditum. Maris aquam terigit, & dulcem reddidit, tempeſtate quoque ſedatâ modo mirabili, ac repente. Aiunt etiam tigrides mortalibus infeſtas è Sanciano Inſula abiuiſſe, cum eò appuliſſet Xauerius.

Chriſti cruci affixi ſimulachrum, quod ſecum geſtabat ſemper, in mare aliquando delapſum cancer marinus chelis prehenſum illi è mari velut manu porrexit, id quod Xauerius fuſis ante ad DEVM precibus impetrârat.

Crucifixus.

Xauerio in India grauius quidpiam tolerante, Crucifixus in natali Xauerij Domo in Hiſpania ſudabat: & anno 1552. (quo Xauerius 2. Decembris feriâ VI. deceſſit è vita) ſingulis hebdomadis feriâ ſextâ viſus eſt idem Crucifixus ſanguineo ſudore perfundi. Corpus illius etiam in calce incorruptum ac odore fragrans, erecta eius nomine templa, vetera & noua quot annis prodigia paſſim increbreſcentia dabit fortaſſe alius annorum ſerie diſtincta.

Iacobus Boſius in ſignis Eccleſiæ Dei; Vniuerſi, inquit, hæretici ab Eccleſię Chriſtianę conſtitutione per tot ſecula, per annos mille quingentos, & amplius, haud traduxêre ad hæreſes ſuas tot gentes, aut idololatras, aut alioquin à Chriſti cultu alienas, quot vnus Xauerius ad cultum Chriſti annis vndecim. Vnus Xauerius plures gentes, plures homines annis vndecim Chriſto adiunxit, quàm innumera hæreticorum millia ex omni gente & natione è toto orbe terrarum, per annos mille quingentos. Ita ille. At hæc vetera. Nouum iſtud quod in India nuper accidiſſe ſcribit Oliuerius Bonartius, id quod plures teſtes iureiurando affirmarunt. Nauis Malacâ Goam tendens, inter ſyrtes & noctem imminentem hærens, ope S. Xauerij voto lampadis argenteæ ad eius tumulum appendendæ implorati emerſit: cùm *Sol qui ad occaſum vergebat, & aditus ita latebat vt conſpici non poſſet, ſubitò effulſit, & eodem loco ſtetit quinque & ampliùs horas, quanto tempore egebant vt ex anguſtiſſimo & longiſſimo freto enauigare poſſent.* Ita Bonartius.

Sign. 10.

Lib 6.

In c. 46. Eccleſiaſtici n. 5.

Vincentius Carrafa Præp. Generalis Societatis Ieſu in ea quam ad Societatem ſcripſit epiſtola, ait S. Xauerio fuiſſe ſolemne perpetuumque conſilium quod ſuis dabat: *Vince te ipſum:*

&

& eius toties itérati causam rogatum respondisse id ferè quod olim in alio argumento B. Ioannes: *Quia hoc tantùm didici ex optimo parente nostro Ignatio.* Cultus S. Xauerij ob stupenda, & noua Neapoli, Potamij, Græcij, Leobij, Posonij, in Belgio, alibique miracula est magnus. Colit illum cnixè Viennæ aula Cæsarea. Multi hebdomadam Xauerianam celebrant: multi nouendiali cultu eum honorant. Etiam templa illius increbrescunt. Dum ista scribo, Georgius Lippai Archiepiscopus Strigonienſis Trencinij in Hungaria, Collegio suo, & Domui probationis quam fundauit, templum erexit S. Xauerij nomine perinsigne. Vidi eiusdem ac S.P. Ignatij templum Viennæ in Austria. In Italia eiusdem templa visuntur Neapoli, Genuæ, Arimini; Brugis in Belgio, Tridenti in Tyroli, in Spital in Carinthia, Chiqualij in Salsettis Indiæ orientalis. Nec dubito his plura esse: quæ, vt dixi, alius fortasse daturus est.

Multa hìc de illo passim leges in variis erga quos cælestem suam beneficentiam exhibuit Xauerius. Non paucæ Vrbes illum Patronum habent vt Neapolis, ac aliæ. Non paucæ Congregationes sub eius auspiciis erectæ. Sunt & qui assumpto Xauerij nomine se incitent ad Apostolicam virtutem: quos inter fuit is qui post annum 1650. die incertum quo, cæsus à Tartaris est in Sinarum Regno P. Andreas Xauerius, olim Koffler, Austriacus. Is interrogatus à barbaro quid doceret, respondit, se legem diuinam docere cuius breuissimum compendium esset signum Crucis: quod exhibere iussus, fronti, ori, pectori impressit: mox ductâ à fronte ad pectus, & inde ad sinistrum ac deinde ad dextrum humerum manu (vt fieri mos est) idem exprimens addidit idiomate Sinico hæc verba: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Ita P. Onuphrius Borges ex Metropoli Tonquiensis Regni anno 1659. 20. Octob. ad P. Gosuinum Nickel Præpositum Generalem. Hisce auditis Tartarus stricto acinace *P. Xauerium* medium in Crucis formam concidit ducto profundo vulnere à capite ad pectus, & ad dextrum humerum à sinistro. Matrem Imperatoris, eius operâ conuersam, & alia plura de illo particularim scribenda expectamus.

PETRVS OCHOA NOVITIVS.

VT ad Societatem penetraret, arduas difficultates peruicit. Moriturus, impetrauit vt tria Societatis vota conciperet. Mox cum dæmone colluctari visus, eo certamine superato, Christum cum Cruce in humeris, & S.P. Ignatium cum ijs de Societate qui in fidei odium cæsi mortem gloriosam oppetiuêre videre sibi est visus, eosque habuit in extremo agone præclarissimos adiutores. Vide Annuas 1604. pag. 245. Hispanus Limæ. 2. Dec. 1604. *Christus.* *S P. Ignat.* *Mors.*

III. DIE

III. DIE DECEMBRIS.

ANTONIVS ROMERVS COAD.

Decemb. Hispanus Calari. 1626. ætat. 67. Societ. 14. *Ang. Custos. Humil.*

EMilite, Christi vexillo adscriptus, putatur à Custode Angelo secundâ post mediam noctem horâ fuisse excitatus ad orationem; ad quam se componebat vt reus in angulo cubiculi collo in funem inserto, & manibus velut iunctis. Ita orabat, & flebat, veniam à Deo petens magnâ cordi suborta fiduciâ. Sæpius auditâ Dei voce accensus est ad virtutem. Optabat videre magnum quempiam sanctæ, ac seuerioris vitæ virum. Responsum illi dicitur è Cælo; *illum debere aliis tali exemplo esse, atque spectaculo, quale ipse in illo, quem desiderabat viro percuperet.* Secundâ post mediam noctem horâ pro more surgere cunctantem vox quædam in hæc verba corripuit: *Christus nudus flagellis laceratus, sub dio, frigido insidens lapidi; tu verò in lecto?* Illicò surrexit: neque vnquam deinceps tergiuersatus est in surgendo. Aliàs SS. Eucharistiam sumpturo occurrit cogitatio; eccur non videret bona thesauros que illos, quos species illa panis occuleret? Mox audiit: non aspicies nisi lacerato amoris tui velo. Cogitanti, quòd non sentiret ea quæ istic alios sensisse audisset; responsum: *Nec senties, nisi sensus collegeris.* Paruit: & per 7 annos inter communicandũ diuinâ quadam voluptate perfusus est. Sollicitum num fuisset Sacramento confirmationis instructus, quiescere iussit Superior: adhuc anxio adfuit, vt fertur, B. Virgo cum paruulo, qui Antonij fronti crucem impressit. Aliàs IESVM & MARIAM quasi in naui aspexisse dicitur; ad quos ipse lintre contendebat monebaturque à Christo vt se sisteret Beatissimæ Virgini Matri: tunc didicit per hanc esse quærendam gratiam apud Christum. P. Balthasar Saquellus Nouitiorum Magister è Purgatorio in Cælum tendens illi apparuisse fertur, & promisisse pro adiumento libertatis se gratiam redditurum. Reliqua de illo in vita.

Oratio. Mortific.

Noctu.

Crucifixus.

Manè.

Euchar.

Amor propr.

Mortific. sensuum.

B. V.

B. V. Purgat.

P. IOANNES DEL CARPIO.

IN Philippinis (à Philippo II. Rege Catholico sic dictis Oceani insulis) magnoperè laborauit, iuxta votum illud quo se conceptis Sacramenti verbis Deo in animarum salutem deuouerat. Apud Pictos Indos, qui cutem punctim pingunt, perquàm strenuè in aliorum salutem incubuit; sed ita vt suæ quoque intentus, nullam omninò è legibus instituto nostro præscriptis laxarit. Mindanai Insulæ Regulus æger Mahometo vouerat, se, si conualescceret, omnium quos nanciscì posset Christum prædicantium Patrum capita illi sacrificaturum. Comprehensus Ioannes cæsus est acinace altè in caput impresso, cùm se Deo victimam, positis humi genibus, dedicaret.

Hispanus Ogmutij 3. Dec. 1634. ætat. 51. Societ. 10. *Zelus.*

Fides.

P. GEORGIVS IVSTINIANVS.

HVius imago, documenta, exequiæ, in charta explicata, & libro, æri inciſæ, ac typis vulgatæ sunt Bononiæ

Græcus Bononiæ. 3. Decembris 1649 ætat. 73. Soc. 61.

Bononiæ: vbi in elogio dicitur quòd quartum decimum ætatis agens annum, admirandâ vocatione perculsus Societati nomen dederit, Byzantij rem christianum adiuuerit, Asculani Collegij primordia inchoârit, Bononiæ per annos 40. Congregationes varias & varia pietatis opera condiderit. Exequialis moles (dicta Castrum doloris aliquibus) excelsa P. Georgio erecta à Bononiensibus, simulacrum illius habebat in fastigio, omnis ea pompa æri deinde incisa est. In oratione typis vulgata dicitur, illum in Græcia Constantinopoli cum suis Christianis obsessum à barbaris, cùm ignis domui subiectus extrema omnia minaretur, inserto in pectus pane angelico se per funem ex alto demisisse, ac fune fortè abrupto, fusis ad Deum precibus deorsum incolumem peruenisse. Deinde, Georgium Bononiensium fuisse Apostolum.

B V. Purgat.

Euchar.

P. FRANCISCVS DE BENAVIDES.

FIlius Comitis S. Stephani. Deiparæ, ac S. P. Ignatio fuit vnicè addictus. Plures horas coram eius imagine ducebat orando, eidemque multa obsequia offerebat cùm aliquid vellet à Deo impetrare. Quantis foris opibus affluebat tanto paupertatis amore tenebatur in Societate, atque in hoc præ multis aliis excellnit, vt ferè solent ij qui Societatem magis diuites ac nobiles inière. Amabiles, ac variæ in illo se demittendi artes elucebant, etiam cùm præesset, eoque regebat melius, & magis amabatur. Corpus morbis aliàs fractum, voluntariis cruciatibus adeò atterebat, vt P. Hieronymus de Florentia diceret, se neque corpus peius, nec meliorem animam nouisse vnquam quàm sit corpus & anima Patris Benauides. Roma Toletanæ Prouinciæ Præpositus, cùm è Congregatione rediret, Senis obiit.

Hispanus Senis initio Dec. 1608. Societ. 19. *S. P. Ignat. Paupertas.*

Superior.

Mors.

IV. DIE DECEMBRIS.

PETRVS DE SALAZAR.

4. Decemb. Hispanus Limæ. 1613. ætat. 80. *Calum.*

SAlazarij ad orandum studium, & erga Sanctos Angelos ac S. Barbaram pietatem commendat eximiè illud, quòd ei flagranter precanti & de cæli voluptatibus dulcissimè cogitanti Angeli fidibus musicis præclarè ludentes, vt illi videbatur cælestem gloriam aliqua ex parte delibandam præbuerint quos, inquiunt Limenses literæ, augustâ specie secutæ Virgines, quæ rogabant, numquid vellet? *Estne cordi* (inquit Barbara quam de facie, ac nomine illicò nouit) *in cælum proficisci, vbi placidissima quies, & vita viget sempiterna?* Est sanè cordi, respondit Petrus & nihil magis, tantis scilicet huius ærumnosæ vitæ defungi periculis. Addunt literæ, illum paulò post in morbum incidisse; diu ægrotasse, ac die S. Barbaræ Virgini sacro (vt ipsa Virgo sancta fore promiserat) fœliciter occubuisse.

Oratio. Angeli.

Fidit.

Græci Bononiæ. 3. Decembris 1649 ætat. 71. Soc. 61.

S. Barbara.

Mors.

Calum.

P. HIERONYMVS DE ANGELIS, ET SIMON YEMPO IAPON NOV.

Italus Iendi in Iapon. 4. Dec. 1623. ætat. 56. Societ. 38.

IN tyrocinio fræno eguit, ne fortè inediâ corpus conficeret. Cum P. Carolo Spinola in Indiam soluit; ab Anglis postea captus, & acerba multa perpessus. Illud mirum; quòd è naui in mare prolapsus, nullius ope adiutus, sub naui, à puppi ad proram delatus emerserit, naui plenis velis velocissimè volante. Anno 1602. in Iaponiam appulsus, istic etiam Sociis præfuit: in plures Prouincias intulit fidem primus. Aliis in exilium abactis, ipse diu latuit. In Regno Cami cùm vix mille Christianos reperisset, ipse breui decem millia capitum captizauit. Labores, ærumnasque tantas sustinuit, vt macie torridus vix iam agnosci posset, essetque planè alius à seipso. In carcere ipso captiuus alios quadraginta captiuos ad Christum conuertit. Damnatus capitis, cùm ad supplicium vnà cum aliis duceretur, causa mortis illius descripta, & palàm affixa est in hæc verba: *Homines isti tam grandi supplicio mactantur, quia Christiani sunt.* Ita exustus est, post pulcherrimam ad populum allocutionem, humi flectens. *Simon Yempo* è Bonzij cuiusdam discipulo factus eius Socius, & laborum comes, optabat in Societatem admitti, & in odium fidei Christianæ occidi: vtrumque est consecutus.

P. GONZALVS MARINVS.

Hispanus Madriti, 4. Dec. 1626. ætat. 64. Societ. 43.

MAdriti totos 31. annos Grammaticæ paruulisque docendis dedit, humilitatis laude vsque ad Sancti appellationem domi forisque porrectâ. Ad Indos proficisci cùm vellet, nec posset; ea, quæ illuc profectis vtilia esse posse videbat exempla virtutum describebat & submittebat: vt in ore illorum Indos eruderet ad fidem & virtutem. Aliquot mensibus ante mortem adfuisse illi Fertur è cælo spectabilis S. Xauerius, & monuisse vt modico eo vitæ tempore, quod illi adhuc supereset, se arctiùs cum Deo coniungeret. Rogauit Gonzalus; nunc æternam salutem consecuturus esset? Respondit Xauerius: instaret labori vti fecerat vsque ad illum diem; & Deo fideret. Ità ad mortem è cælo monitus se optimè comparauit.

Humilit.

Charitas. Zelus.

S. Xauerius

Mors.

Labor.

PETRVS HACCE COAD.

DE hoc in Annuis Flandrobelgicæ ita scripsi: Mortem in peste contactorum obsequiis non semel quæsitam felix obiit Paulus Hacce; qui consularis suæ familiæ salutariter oblitus, in Societate sutoriam artem condidicit. Nostros quatuordecim glorioso apud pestiferos charitatis obsequio immortuos partim suis ipse humeris ad tumulum deportauit, partim suis manibus condidit. Domi, templum, ianua, culina, triclinium religiosè accuratum Pauli operam cumulatè probauêre: sed expertus id est potissimùm noster ille Scholasticus, cui à sensibus alieno, maternâ & fraternâ indulgentiâ, diligentiâ, patientiâque per annos omninò quindecim, ad omnem virtutis tædio nunquam fessæ amussim seruauit. A vino, & cœna, non in quadragesima tantùm, sed & in sacris Aduentus feriis abstinebat; semper hilaris, & imperturbatâ septem annorum fortitudine inter acutissimos animi dolores non parùm mirabilis.

Belga Antuerp. 4. Dec. 1653.

Humil.

Charitas.

Mortific.

Patientia.

V. DIE

V. DIE DECEMBRIS.

P. ANDREAS GVALDANES.

5. Decemb. Lusitanus Mazuæ. 1596.

HVnc hoc die collocat Iacobus Stratius in suo menologio. Fuit P. Andreæ Ouiedo Patriarchæ superstes, olim socius, vir sine dolo, ac in Abyssinorum salutem totâ contentione intentus. Vnde intra quinque mensium interuallum, eorum linguam perdidicit, & institutiones ac documenta fidei Christianæ Abyssinorum idiomate scitè descripsit, ad Schismaticorum reductionem. In Mazua deinde Arabici sinus insula, cùm Christianum, & quidem Sacerdotem, eum esse agnoscerent barbari; à Turcis Christiani nominis odio incitatis tentus, & hastis transfixus est.

SIMON COVROVBLE COAD.

Belga Brugis. 5. Dec. 1616. ætat. 46. Soc. 23.

PEleutherij Pontani sororis filius, à paupertate, assiduitate ac pietate apprimè laudatus. Cùm Patris cuiuspiam confessionem foris audientis esset socius, impudens fœmina clauso repentè ostio ausa est à Simone impuritates nescio quas postulare: sed, Bernardi exemplo, castissimo clamore in ruborem, ac fugam data est. Ad æs campanum domesticum in ipso sonantis horologij articulo confestim pulsandum, erat apprimè attentus; vt& domi disciplinæ ordo seruaretur ad punctum, & foris apud externos ad signa nostra perattentos bonum Collegij exemplum perseueraret. Magnâ & suaui industriâ iuuabat eos, qui fidei Christianæ rudimenta variis locis tradebant, & paruuli ad illum patrem confertim præ aliis affluebant, cuius socius erat Simon. Eius colloquia cum exteriùs intra sui status conditionem erant sancta, & idonea cordibus molliendis. Cùm in Burgensi Collegio habitaret, duo Coadiutores erant (vt alios alibi plures taceam) qui, secundùm Deum, illi referebant acceptam vocationem suam. Nomen verò illius apud ætatem teneram, ac alios tam erat gratum ac celebre, vt Coadiutores nostros passim *Simones* dicerent, ac si Coadiutor quispiam adesset, Simonem adesse nunciarent.

Pia colloquia

P. OCTAVIVS BONINVS.

SI quid ambiguum incideret, expensis vtriusque partis momentis introspiciebat, ecquid è maiore Dei gloria videretur, ac illud constantiâ & reuerentiâ mirabili amplectebatur; semper in ea quæ Dei sunt magis accuratè agenda intentus. Nouitiis cùm præesset, magnam noctis partem orando ducebat, & concepta istic bona desideria & proposita sæpiùs interdiu regustabat, in sacro potissimùm ac in diuino officio recitando. Sæpè illi in ore illud Christi: *Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur!* Hoc, & his similia æternitatis apophthegmata vesperi relegebat, & cùm vestes deponeret cubitum concessurus, identidem repetebat, ad æterna principia & aptè deducendas ex iis practicas conclusiones continenter attentus.

Italus Romæ. 5. Dec. 1651.

Oratio.

Quicquid agendum erat, circumspectabat omnia quæ rem illam circumstant, & quicquid ad meriti maioris accessionem spectat industriæ, adhibebat; ne quid boni lucri omitteret. Cùm in mensæ lectione anagnostes legisset quanti momenti, meritique sit *Sacrum.* diuino sacrificio interesse, nitebatur plura sacra audire. Indulgentias nullas, quas quidem sciret, negligebat. *B.V.* Paruulam è collo corollam sub veste gestabat, cuius granis adnumerabat actus virtutum quos ipse sibi præfixerat: & corollam illam *panem* suum *quotidianum* vocabat. Etiam scripto ro- *Humilit.* gauit Superiores, vt quicquid in illo aduerterent, admonerent. Nullum vllius obsequium circa cubiculi curam admisit. Ad ignem nullo frigore perpelli potuit vt manus, licèt perfrigidâ *Oculi.* hyeme tumidas, calefaceret. Cùm alia excusaret, si quid tamen contra Superiores dici audiebat, coarguebat. Oculos habuit planè in potestate, maximè vbi cum fœminis erat agendum. Cum nobili quadam fœmina per annos plures persæpè locutus, illam in facie nunquam vidit, solâ voce illam nosse contentus. Aliam quâpiam cuius ille conscientiam virtutemque singularè pernôrat, rogauit vt ei lumen à Deo impetraret. Paruit illa: & P. Octauio scripsit, illum à Deo ad Societatem non tantùm communi omnibus aliis fine vocatum esse, verùm etiam vt animas, & particulatim eorum qui sunt de Societate, rectis itineribus ad Deũ dirigeret. Atque hoc in eo elucebat seu Nouitios, seu tertiæ Probationis Patres, seu Collegia regeret. Vnde nobili Rectoris exemplo alij etiam facilè ducebantur, nullo cuiusuis authoritatis obtentu. Exhortationes quas ad Socios domi dicere parabat, P. Spirituali suo primùm ostendebat, rogabatque vt calamo quoque admoto expungeret ex iis quicquid vellet: id quod vbi factum videbat, tum verò eas eò libentiùs pronunciabat, tanquã diuino iam calculo approbatas. Cuidam è sociis adolescenti scrupulis agi- *Scrupuli.* tato, & ad dies aliquot abituro, idque ægrè ferenti quòd à Patre Spirituali abesse deberet, ac viuere anxius in suis illis curis & spinis, eam pectoris partem qua cor est cruce signauit, & bono animo ire iussit: nec enim quicquam à consuetis illis suis tricis molestiæ habiturum. Abiit alter; & per eos dies tranquillus vixit. Eidem à tot conscientię terriculamentis postea libero dixit P. Octauius; magni faceret illas molestias à Deo sibi datas, quò ipse quoque opem ferre posset aliis illum in illo genere consulturis: id quod etiam euenit. Nobilem virum in secreto conclaui adiit, & depromptâ è sinu Crucifixi Christi effigie supplex *Zelus anim.* proiectus in genua, ea illi dixit, vt cum licenter hactenus viuentem ad frugem reduxerit. Quadam in vrbe cùm fœminæ se vanè seu impudenter nudarent in pectore, varios diuersæ conditionis homines clam, & dextrè interrogauit an obscæno illo spectaculo ad impudicas cogitationes &c. se magnoperè commoueri sentirent; cumque omnes ita se commoueri respondèrent, egregiâ Patrum eius Collegij conspiratione illo adnitente, factum est vt illud scandalum tolleretur; maximè cùm Confessarij in id vnanimitate sanctâ conspirassent vt parùm pudicè nudatas id genus fœminas (tanquam grauia & perpetua scandala oculorum,) à peccatis nemo absolueret. Et industriæ felix euentus ex voto respondit. In Romano Collegio Præfecti Spiritus munus obibat Octauius, cùm sanus tum adhuc, & valens rogauit quendam, vt in cubiculo suo libros componeret: atque subridens; *Mors.* volo me, inquit, præparare ad mortem: & meo successori composita omnia

nia relinquere. Breui post æger ad valetudinarium abiit, vbi morti iam vicinus à socio illo rogatus num tunc de sua morte aliquid sciuisset, cùm de componendo cubiculo suo loqueretur respondit: Aliquid se sciuisse. 5. Decembris extremis iam mysteriis procuratus cùm minorem scholarum campanam audiret, Patri qui ei aderat, adhuc, inquit, mihi superest media hora in vita. Et verò mediâ horâ post placatè migrauit è vita, nullius vnquam grauioris peccati reus; vt firma opinio est.

P. STEPHANVS STAROSCIRISKI.

FVit P. Stephanus cùm inter mortales ageret Ecclesiastes, ac excursor ad animarum quæstum percelebris. Hic post mortem peste obitam, secundùm quietem cuidam Patri in Suecici carceris squalore iacenti apparuit, vt fama est; monuitque vt æternam vitam per patientiæ lucra cõtenderet adipisci. Adeò ille ne post mortem quidem desiit diserti Ecclesiastæ fungi officio.

Polonus Choynecij. 5. Decemb. 1656. ætat. 50. Soc. 19.

Discе à mortuo. Patientia.

VI. DIE DECEMBRIS.

P. IOANNES METELLA. & P. LVDOVICVS MATTHÆVS POLINGOTTVS.

6. Decemb. Lusitanus Metteigãmæ. 1616. ætat. 32. Soc. 18. Alter Italus ætat. 38. Soc. 13.

CVm in Matteigammensi Ceilani Regni oppido laborarent fideles hi Euangelij satores, Gandiani milites amore suæ sectæ ac suorum sacrificulorum (quibus horum præsentia officiebat quàm plurimum) odioque fidei, & illorum qui eam fidem prædicabant accensi, eos lanceis confixêre, ac recisa eorum capita palàm hastilibus affixa proposuêre spectanda: cadauera verò ad Crucis pedem abiecêre.

P. FRANCISCVS COSTERVS.

Belga Bruxellæ. 6. Dec. 1699. ætat. 88. Soc. 67.

A Matre in ipso partu Deiparæ dedicatus, illius honorem, & amorem libris, concionibus, Congregationibus, cultu priuato & publico propagauit. Rogatus quis cultus Dei matri esset gratissimus, respondit: *Constans, quantumuis exiguus.* Ipse per illum à Deo in Societate constantiam petebat rosario quotidie recitato. Ille primus in Prouinciis, quas gubernauit B. V. sodalitates erexit; & Colossi prophani loco Antuerpiæ Deiparæ statuam in curia poni curauit. Vbi, vbi eius videbat imaginem, aperto capite *Aue Maria* dicebat: id quod fecit, & moriens eius miracula libentissimè narrabat, & audiebat. S. P. Ignatio Romæ charus, ab illo *humilitatem, obedientiam, & perpetuam quandam lætitiam,* sibi commendatam fuisse aiebat: & verò seruabat. Per 67. annos in Societate vltra communem præscriptam omnibus surgendi horam somnum protraxit nunquam. Æger nunquam fuit, nisi extremo in morbo. Virginitatem perpetuam perpetuâ corpusculi afflictatione seruabat cautus, & seuerus in se; licèt fassus aliquando sit, se nullâ fœdâ cogitatione vnquam tentatum.

Zelus. anim.

Mors.

B. V.

Vocatio.

Mund.

Castitas.

Mortific.

Pia colloquia.

Itinera pedes conficiebat: armatus cilicio dicebat ad populum, & confessiones audiebat. S.P. Ignatium tenerrimè amabat & de illo non sine lachrymis loquebatur. Desertores Societatis volebat abesse à consortione nostrorum. Colloquiis cælestibus delectabatur: si alia insererentur, obdormiscebat. Animus illi ad orandum tener atque assiduus, eoque ardentior quò purior, quippe quotidianâ pœnitentiæ exhomologesi perpurgatus. Carolum Grobendonque anno 1617. vlt. Septembris Mechliniam ad tyrocinium comitatus, per iter in curru illi dixit, sibi ea quæ à S.P. Ignatio commendata erant, à B. Virgine petenti, ac sollicito quomodo lętus esse posset, si podagrâ aliisque doloribus premeretur, illam hafuisse, ac diserte dixisse. Franciscе, promittas mihi quòd semper sis futurus obediens, & humilis; & ego vicissim tibi promitto quòd nunquam sis æger futurus, & retinere semper possis lætitiam quam Pater tuus tibi commendauit. Promisit ille, & seruauit, atque vicissim ope Virginis sanus fuit semper. Et adiecit ad iuuenem: si quis tibi dixerit, P. Costerum ægrotare, scias fore mendacium iniuriosum B. Virgini, quæ in suis promissis fidelis est: adeoque idem erit Costerum ægrotare, ac mori. Ita factum. Cùm ad mortem extremis Sacramentis munireturaiebat identidem: *ô quanta consolatio!* quopiam psalmum *qui habitat* recitante, ad singulos propè versus aiebat id se iam à Deo accepisse: nunc verò illud vltimum expectare: *Ostendam illi salutare meum. ô quantum erit gaudium cum Domino esse*, inquiebat. Num lubens moreretur interrogatus, dixit illud S. Ambrosij: Ita vixi, vt me vixisse non pudeat: mori autem non timeo quia bonum Dominum habeo.

P. HIERONYMVS DE MONTESINOS.

Hispanus Limæ. 6. Dec. 1619. ætat. 63. Soc. 44.

FAcundi oris, & animi candidi, atque ad omnium domi virtutes attenti fuit cùm studeret: quo tempore quicquid in Collegio virtutis selectioris videbat in quopiam, in commentariolum referebat pro enchiridio imitationis. Concionabatur admirabili spiritu, ac dote facundiæ: corrigi optabat; & libentissimè præbebat aures monentibus. Ex honoratiore loco ad obscuriorem lubens descendebat, percepto quocumque Superiorum nutu. Nec in prædio aut foris extra Collegio degens sibi parcebat quin quotidie acriter in se animadverteret flagris sibi inflictis; dicens non debere corpus suo demenso etiam ibi fraudari, debere hoc illi tributum pendi. Hinc illi puritas etiam in lubrico periculo intemerata.

Imitatio.

Mortific.

Corpus.

VII. DIE DECEMBRIS.

P. PETRVS CODACIVS.

7. Decemb. Italus Romæ. 1549. Societ. 16.

EPontificia familia Sacerdos honoratus & locuples, primus ex Italis nomen Societati dedit: cui suâ eximiâ humilitate, ac paupertate, magno exemplo; & domesticis in rebus tanto fuit subsidio, vt à multis Societas, *Codacij Societas* diceretur. Illo extincto cùm repentina quędam auxilia nostris affulsissent, obsonatori nostro

ſtro ab homine ignoto aureis ferè cẽtum vltrò oblatis, & repertâ recentiſſimâ præter omnem ſpem à P. Polanco pecuniâ in loco, vbi antea nihil omninò repererat, Archintus Vrbis Vicarius aiebat non dubitandum hæc nobis in Cælo à Codacio ſubſidia procurari. Illius cura domum, templumque Romæ primùm accepit Societas illius alumna induſtriæ. Vltimo vitæ die inuſitatâ cum pietate ſacris fuerat operatus, quadam velut mortis præſagitione; & ecce tibi eo ipſo die dum ad S. P. Ignatium adiret, in ipſo ferè limine cubiculi concidit; & mox animam egit. S. P. Ignatium amabat ſuauiſſimè etiam acriùs ab illo reprehenſus: quo tempore, dulci quodam gaudio aiebat: *O ſuauem Patrem!* Societatis verò adeò fuit amans, vt ne verberibus quidem illum pelli è Societate poſſe diceret S. Ignatius. Qui Codacij beneficiorum memor, fundatorum honores illi decreuit, id eſt vnam quotannis candelam dum vixit; Sacrificia; & ad hæc primum in confeſſu ante profeſſos locum: mortuo autem, præter conſueta fundatoribus ſuffragia, lapidem, ac ephigraphen poni iuſſit, ſtudio gratiam referendi: quippe quem Cyprianus meritò vtilem, ac fructuoſam Petram vocat quam Deus ad fundamenta parârit Ignatio.

Sacrum. *Mors.* *Humil.* *Vocatio.* *Imitatio.* *Mortific.* *Corpus.*

IGNATIVS DE RASSINGHEM COAD.

Belga Tornaci. 7. Dec. 1621. ætat. 58. Soc. 19.

LIcèt ex Illuſtriſſima Iſenghenio-rum Comitum familia natus, & latinæ linguæ non ignarus (vt eſt de illo pag. 204. in pretioſis occupationibus morientium in Societate) elegit abiectus eſſe in Domo Dei ad omnia ſemper infima munia obedienter, ac libenter abiectus: à quibus æger rimè auellebatur, etiam cùm à Tornacenſium Antiſtite, germano ſuo, aliiſque primæ notæ viris, viſeretur. Sed obedientia illi omnium inſtar erat. Nam, & per omnem vitam nihil, quod maius momentum haberet aggrediebatur, niſi à Superiore abtentâ (quàm poſitis humi genibus petebat, & accipiebat) benedictione; & moriturus paucis ante ſupremam horis, eandem pro fęlici exitu benedictionem, atque vt ſic dicam, obedienter moriendi facultatem ſupplex petiuit, câque obtentâ obedientem animam dedit.

Obedient. *Mors.*

P. ANTONIVS BARISONVS.

PAtauij loco nobili natus. Romæ è Collegio Germanico ad Societatem cum fratre ſuo eodem die profectus eſt, cùm hactenus alter de altero ad illum vſque diem eius conſilij eſſet planè inconſcius. Prudentiâ, & charitate vrgente ad extrema deuenit, cùm ſuam vitam Deo, pro ſalute religioſarum, & grauiſſimè afflictarum Virginum deuouiſſet. Do verba literarum Senenſis Collegij, cui Rector præfuit vſque ad extremum diem. Morbi, inquiunt illæ, mortiſque ea cauſa fuit. Volaterras accitus ab Epiſcopo, vt nobile Parthenopæum à dęmone turbatum inuiſeret, quatuor obſeſſas offendit, duas moleſtiſſimè vexatas; alias quibus iam ex multo tempore fœdiſſimus caſtitatis hoſtis ſub amaſij laruâ turpiter abutebatur. Cæteris ritè expiatis, vbi ad obſeſſas ventum eſt; Dæmon eas deterrere, vocem intercipere, interque confitendum longiùs interdum à Sacerdote proiicere. Cùm de more adiurationibus vrgeretur, abdita Sanctorum Lipſana in thecis deſignabar, ſed nomina proferre exhorrebat. B. Aloyſij, & S. Xauerij

Italus Senis. 7. Dec. 1623. ætat. 63. Societ. 48.

Charitas. *Charitas.* *Mors.* *S. Xauerius.* *B. Aloyſij.*

Xauerij recordatione maximè torquebatur; & illum quidem puerum vocitabat; hunc verò tanquam à longinquo, & remotissimo, gestu notabat. Iussus aliquando dicere (*Deus charitas est*) vix tandem adigi potuit: & se peculiarem deinde charitatis hostem confessus est; quam vt eliminarer ab eo Gynecæo, se illam familiam inuasisse. Vox ea vehementer omnes mouit, & ad retinendam gratiam nuper reconciliatam mirè inflammauit. Tandem abactis inuasoribus rediit Parthenopeo tranquillitas. Acta sunt hæc per caniculares dies: tenebatq; quotidie labor octonas horas. Ergo Senas reuersus P. Antonius, exeunte Augusto malignâ correptus febri, nono post die sublatus est. Sciscitanti sæpiùs Sacerdoti, qui decumbenti assidebat, num se pro salute illarum Virginum deuouisset; aliquid profectò huiusmodi se fecisse modestè respõdit.

Charitas.

P. CAROLVS GARNIER.

Gallus apud Hiroquæos. 7. Dec. 1649. ætat. 44. Societ. 25.

Aiebat se à B. Virgine collocatum in Societate. Anno 1636. in nouam Franciam vela fecit: atque vt lex Domini immaculata, illius ore feliciùs seminaretur, pœnitentiæ Sacramento se quotidie perluebat, tenerâ claritate. Oratio illi felix fuit citra vlla turbamenta interpellantium cogitationum. Non nisi *Supernaturalibus* (vt loquimur) *principiis*, ac *maximis* nitebatur, nullâ curâ respectuum humanorum. Nullum istic ærumnarum, aut expeditionum genus fuit in quo Carolus non fuerit apprimè versatus.

Confessio. quotid.

Oratio.

Eorum quos morti proximos iuuabat Angelis custodibus omne illud negotium impensiùs commendabat, & visus illi adesse aliquando fuit Angelus, cùm ægro ipse adesset, id quod æger de illo narrans: *Vidi*, aiebat, *iuuenem pellucentem, lateris P. Caroli stipatorem: hic mihi hortator fuit, vt P. Caroli monitis parerem promptus; atque illius ductu proficere impensè contenderem.* Somnum breuem carpebat; nec aliter quàm cincto ferreo, & stellulis aspero ad lumbos accinctus: quo eodem cingulo ad cruentam sui verberationem vtebatur. Hoc die cùm Hurones Christianos ab Ethnicis Hiroqueis vexatos in tumultu, alios pœnitentiâ expiaret, alios igni iam iniectos baptismo abluceret, duobus tribulúe globis traiectus est. Iacebat ille iam propinquæ morti vicinus, cùm conspecto Hurone Christiano (qui decem ferè pedum interuallo ab illo dissitus animam agebat) ad eum reptauit, & eum expiauit; mox penes illum triumphalem animam edidit, cùm tunc illicò eius caput iratus Hiroquæus barbarus securi gemino ictu impressâ ita confregit, vt cerebrum quoque illi eliserit.

Charitas.

Angelus.

Morbus.

Mortificat.

Charitas.

P. *Natalis Chabanel*, eius socius, breui post illum, in certum quâ morte, interiit. Dedi de illo plura in mortibus illustribus. Aliqui ab apostata quodam fuisse trucidatum haud ex vano produnt. Argumentari licet è spoliis, & occasione planè idoneâ; denique è minis illis quæ ex eius ore auditæ sunt dicentis; breui quempiam è Sacerdotibus Christianis manu suâ cædendum.

VIII. DIE

VIII. DIE DECEMBRIS.

ALPHONSVS DE PRATO COAD.

8. Decemb. Hispanus Salmanticę. 1559.

TRiginta iam, & amplius annos natus tametsi Salmanticæ in literis ingenio felici operam haud mediocrem posuisset, tamen auditâ B. Borgiæ Sanctimoniæ, ac particulatim humilitatis famâ, in Societate Coadiutoris statum amplexus est, sacrorum ordinum ne mentione quidem admissâ, qui tamen illi offerebantur, quippe cui parùm deerat ad scientiam quâ vel inter professos censeri posset. solebant vesperi post cœnam Coadiutores in choro visitare sanctissimum Sacramentum: & tum demum inde digressi de diuinis inter se conferre. Alphonsus Deiparæ Virgini Matri apprimè addictus, Immaculatæ illius Conceptionis festum exquisitis modis celebrabat: & post cœnam ad Coadiutores de illo mysterio aliquid in medium afferebat. Anno 1559. 8. Decemb. expectabatur ex choro idem facturus: cum præter morem ibi hæsit diutiùs, ac tandem ad fratres prodiit vultu alacri, & inflammato. Iam confederat, vt dicere ordiretur, cùm repentè inclinato ad vicinum qui assidebat capite felicem animam edidit.

Humil.

Post cœnam.

B V.

Mort.

P. PETRVS SPIGA.

Sardus Calari. 8. Dec. 1594 ætat. 74. Soc. 43.

PAuperum, & paupertatis amantissimus, afflictatione sui, sensuum custodiâ, humilitate, orandi studio propè mirabilis. Pro Apostolo Sardiniæ habebatur, cùm sibi nihil parceret aliorum exquisitis industriis adiuuandorum causâ. Zelus ille animarum, quo mirificè flagrabat, nihil de domesticæ disciplinæ reuerentia, diligentiâque in illo decerpsit: in qua quia quosdam laxiores videbat; è Societate amandandos verè prædixit: & particulatim de vno pronunciauit, nono post anno è Sociorum albo delendum; id quod ita euenit. Corpore fuit adeò pusillus, vt de illo ad Societatem admittendo S. P. Ignatius sit consultus, missâ quoque ad illum longitudinis eius mensurâ. sed annuit Sanctus Pater: & P. Petrus primus è Sardis ad Societatem admissus, factus est Societatis in Sardinia inter primores lapides fundamentum. Orandi studio mirabilis fuit, impetratione opportunâ, & mirâ. Thoracem vnum lineum per ipsos 24. annos gestauit. mortem suam vno antequàm illam obiret mense prædixit: & mortuus insertum manibus calicem æquè ac si viueret arctè strinxit. Reliqua de illo in vita.

Mort.

Regula.

Prædicta.

Oratio.

Paupertas.

Mort.

P. BERNARDINVS STEPHONIVS.

ANno 1560. die immaculatæ Conceptionis B. V. natus, è Romano Seminario ad Societatem aduenit anno 1581, die Purificationis eiusdem B. Virginis Matris: & eodem die anno 1602. 4. vota professus est: denique anno 1620. 8. Decemb. id est anniuersario sui natalis die viuere desiit, vitâ omni velut per stationes nobiliores festis Marianis distinctâ, & circumscriptâ. Memoriâ fuit ad capiendum celeri, ad retinendum ita firmâ, vt quic-

Italus Mutinæ. 8. Dec. 1620. ætat. 60. Soc. 39.

B V.

quid legerat meminisset; ingenio autem ad eloquentiam, & virtutem nato, ac supra quàm dici potest sui demissione mirabili, quicquid illi plausuum daret Roma, Principes, & summa ingenia. Enixè petiit igne aboleri quæ scripserat, ne aliam lucem viderent; licèt pietate, stylóque sint laudatissima. Scripto publicè in triclinio ad legendum pro priuato nostro more dato dicit sui animi statum, instar Iob, esse calamitosissimam illuuiem, maciem, tabem, sterquilinium, inquinatissimum, & cœnosam perenitatem in conflictu seditiosissimo. suâ se confessione damnatissimum esse, atque contaminatissimum luculentissimis ærumnis, panegyrim malorum omnium & reum longanimitatis Dei: nudum, cæcum, surdum, mutum, ac luculentam suem in amaraco, ac rosa, in sanctissimorum hominum religiosissimo conuictu. Hæc ipsius calamo, & his plura in illius elogio prosis eius Romę editis præfixo latè recenset Valentinus Mangionius Italiæ Assistens. quo eodem teste paupertatem vnicè coluit, quotidie se flagris piè seuerus cædebat: præscriptas diuinarum contemplationi rerum horas in medio conclaui transigebat citra fulcrum vni dilecto Deo acclinis & innixus. Supremùm æger dixit; sperare se, fore vt proximo Beatissimæ Virginis die de vita decederet, cuius festa fœlicia fuisset expertus nascens, Societatis tyro, ac demùm professis adscriptus.

Humil.

Humil.

Mortific.

Oratio.

Mors.

P. BENEDICTVS FERNANDIVS.

IN confusibilis operarij eruditi, atque assidui magistri, integerrimi religiosi nomen tulit. Beatissimæ Virginis perstudiosus scripta sua in Genesim Marianis laudibus vndequaque distinxit, singulas lectiones illius nomine condiens eruditè, ac piè: eaque illi vni omnia dedicauit, luculentâ ad illam datâ, & vtrique tomo præfixâ dedicatione. Alterum tomum scribebat, cùm graui morbo prostratus orauit Virginem, & valetudinem illicò impetrauit.

Lusitanus Vlyssiponæ. 8. Dec. 1630. ætat. 64. *B V.*

P. IVLIVS CÆSAR MARGICVS.

PSertorius Caputus (vir ille sanctimoniæ laude vsque ad admirabilitatem celebratus) illi in Philosophia literarum simul & eximiæ virtutis magister fuit. Optabat Societatem, vt Indias & martyrij gloriam istic adipisceretur; cùm tam fœcundas earum palmarum Indias esse literæ nunciarent. In India, post alia, Siamensium saluti nauauit operam. ibi ab interprete suo perfido per calumniam accusatus, & occulto veneno fructibus illito peremptus est. Eius corpus ignoti & Angelico vultu ac maiestate conspicui adolescentes circumstare conspecti sunt.

Italus in Siam incert. to mense. 1630. ætat. 44. Soc. 16.

Angeli

IX. DIE

IX. DIE DECEMBRIS.

P. FRANCISCVS ORLANDINVS.

9. Decemb. Italus Recineti. 1586.

HIc alios non paucos multis virtutibus, & ipsas suas virtutes maximâ sui despicientiâ supergressus, in magna virtutis excelsæ laude fuit, adeò vt extrarij quidam gloriam migrantis in Cælum eius animæ se vidisse putent, atque affirment.

Humilit. Mort.

P. IOANNES IGNATIVS.

Hispanus 9. Dec 1587.

SEruantissimus legum: sed excellebat singulari planè cultu augustissimæ Dei Matris; cuius præcipuè in honorem se Societati dedicauit. quod ipsum illi aureum calcar fuit ad accuratissimam legum amussim vbique integrè obseruandam. Vbi legis cuiuspiam laxandæ sese offerebat occasio, mox illi conscientia, velut vigil in corde monitor Theologus dicebat: *Istud contra legem est; abstine.* Et illicò abstinebat; hac etiam arte suam erga Dei Matrem obseruantiam contestatus, vt cuius amore Societatem capessiuerat, eiusdem ope illius institutum perdiligenter seruaret.

B. V. Regula.

P. FRANCISCVS CALDERON.

Hispanus Manilæ 9. Dec. 1618. ætat. 71. Societ. 48.

IN Iaponia per annos 30. strenuo sudore profuit reipublicæ Christianæ inde eiectus, in Philippinis per annos 4. domi, & foris exemplo magno præluxit, etiam Visitator factus. Episcopus Iaponiæ dicebat; in illo verè primitias spiritus relucere. Maximoperè laborabat ne vllâ omninò in re quicquam accuratissimo disciplinæ communis ordini deesset. à missionibus redeuntium pedes abluebat ipse, suauissimè illud ingeminans: quàm speciosi pedes euangelizantium pacem? Cupientibus dabat omnia, quæ habebat. Vnde alieno etiam Breuiario vtebatur, gratias Deo agens pro ea paupertate. Sanctorum per menses singulos acceptorum, & eorum, quorum memoria quotidie agitur, memor, quotidie illos colere, particulatim colebat. Examen particulare ad mortem vsque constanter fecit: vnde illius rationes notatæ sub eius ceruicali repertæ sunt ab eius morte. Quinque annis ante mortem singula conscripsit quomodo vellet se morti accingere. Sanctus pro mense illi afferebatur. Tum ille schedâ necdum acceptâ, ergo S. Leucadiam habebo, inquit, adiutricem: & illius die extinctus est morte dulcissimis verbis optatâ, vocatâ. Franciscus Colin Prouincialis, in historia Philippinarum lib. 4. cap. 26. à num. 271. de Calderone multa narrat. Ait eum inter agendum persæpè in ore habuisse hæc verba: *Ad laudem, & gloriam Dei*: fuisse à confessionibus cuidam de Sodalitio, cuius animam postea multâ luce illustrem in cælum ferri aspexit. Id verò quod nos de S. Leucadia retulimus, ait de S. Barbara contigisse, ac illum 4. Decembris diem obiisse. Si quis morientem interpellabat, petebat relinqui suæ quieti. Putantne, aiebat, parui monenti occupationem esse, in extremo agone versari? V-

Humilit. *Charitas.* *Sancti.* *Exam. part.* *Mort.* *S. Mensis.* *Intent.* *Sodalit.* *S. Barb.* *Mort.*

num è maximis negotiis est, se ad mortem disponere. Irent porrò illi ad sua quiuis munia. Se enim ab Angelis Dei circumdari.

P. IVLIVS VRSINVS.

Italus Florentiæ, 9 Dec. 1620. ætat. 46. Societ. 26.

ROmæ ex inclyto Comitum Petilianorum sanguine natus, Angelicâ in Societate modestiâ suique contemptione, ac orandi assiduitate spectabilis fuit: adeò vt non desint fidem omnem commeriti testes, qui affirment se illum vidisse inter orandum aliquot cubitis à terra sublimem. Ante mortem Patri Spirituali affirmatè dixit, sibi adolescenti Beatissimam Virginem visam dixisse voce manifestâ; quòd ipsa illius puritatis curam susceperit. Cùm Florentiæ Rector esset, illam Collegio suo præfecit vt Matrem, Dominam, Educatricem, Magistram, omnia; eoque quicquid erat ardui negotij tenerrimâ quadam fiduciæ securitate in manibus B. Virginis deponebat; vt ab ea dirigerentur, & curarentur, ac ex animi planè sententia res illæ omnes felicem exitum sortiebantur. Plurium virtutis magnæ opinione illustrium testimonio dicitur, illum in cælo paulò post mortem conspectum esse in magna gloriæ Majestate. Cuidam pro illo ægro oranti apparuisse dicitur manus lilium quoddam decerpens: vnde intellexit vitæ spem omnem præcisam esse. Eidem illo iam mortuo scire desideranti, quâ in virtute potissimùm eminuisset Vrsinus, vox manifesta dixit; illum vixisse mortuum.

Oratio.

B. V.

Cassit.

B. V.

Mort.

Lilium.

Mortif.

X. DIE DECEMBRIS.

P. PETRVS SCHMIDT COAD.

10. Decemb. Germanus monasterij VVestphaliæ. 1655. ætat. 63.

ANnuæ domesticæ illum vocant Coadiutorem fidelem, prudentem, sedulum, modestum, præstantem œconomum, laboris, & charitatis, artibus dilectum omnibus, & nunquam turbari visum, etiam cùm quàm maximè occupatus importunè vrgeretur. De acribus vel herniæ, vel capitis, quos patiebatur doloribus queri auditus est nunquam. Orandi & laborandi studium ita vsu assiduo coniunxerat, vt laborantem iuuaret oratio, non turbaret orantem labor. Nunquam domo prodiisse Petrum aduertêre externi, quin sub pallio coronam Deiparæ gestaret in manu. Noctu, iteratâ sui Custodis Angeli (vt arbitrabatur, & quem ille impensè colebat) voce, eâque altiore atque vrgente, nominatim ad vinariam cellã ire iussus, paruit; & vini vas ruptis aliquot vinculis seu circulis propè dissolutum, vinumque omne iam effusioni proximum inuenit. SS. Sacramenti, & Matris Virginis cultui ex asse addictus fuit.

Ang. cust.

P. ANDREAS ASENSIVS.

Hispanus Palentiæ incerto anno mens. ac die.

HVnc Ludouicus Valdiuia scribit eminuisse in erudiendis ijs qui ad ascetica S. P. Ignatij secedebant. Mira in clero, ac nobilitate his artibus fecit, ad magnum exemplorum insignium documentum. Circa pœnitentiæ Sacramentum cùm esset non minùs

minùs peritus rerum quàm assiduus, illud ei rarum certè contigit. Quendam vindictæ grauis immodicè retinentem, absoluere detrectârat, & inexpiatum dimiserat cùm necdum benè subactus esset, paratusque ad accipiendam veniam, corde furenter accenso. Hunc sub noctis ferè mediæ tempus adiit P. Assensij formâ personatus dæmon pater mendacij; & pulsatâ turbidè portâ cùm se P. Assensium esse mentiretur, admissus, viro illi dixit se religione perpulsum adesse: non citra iniuriam se illi negasse absolutionem, quo circa se illi nunc eam impertiri; ageret, ac diuinæ mensæ tutus accumberet. Tu enim, aiebat dæmon, tu es qui ab hoste illo tuo es læsus: habes cur vindictam de illo expetas. Ita petitâ, quòd adeò seuerè cum illo egisset, veniâ, discessit. Sed alter ille sagacior id quod erat suspicatus, benè manè ad P. Assensium adiit, & veteratoris insidias ei exposuit; ac ritè peccata confessus, id egit quod verus P. Assensius suadebat, non verò quò eum præcipitare moliebatur dæmon Assensij vultu ac nomine personatus, cui charitas nostra odio est, & odia sunt amori.

Confessar.

Damon. insidia.

P. MARTINVS XAVERIVS.

HVncin manu scripta à P. Nicolao del Techo Paraquariæ historia (parte 1. cap. 23.) reperio. Ait ille, Nicolaum se post mortem præbuisse spectandum quasi Indos catechesi erudiret; Iosepho Cataldino visum adesse amouisseque periculum quo à barbaris cingebatur; alteri socio, ob solitudinem, & cætera Apostolicæ vitæ incommoda mœsto, in veste splendida apparuisse, monuisseque vt animo erecto esset, eos qui constanter laborarent, talem qualem oculis conspiceret gloriam adepturos. Fuit Martinus clarissimæ in Nauarra, & S. Xauerium sanguine attingentis familiæ hæres vnicus. Inuitâ Matre Societatem amplexus, annuum trium millium aureorum censum dimisit: & Paraquariam impetrauit. Ibi Guairanis operam & fidelem, & laboriosam præstitit insigni linguæ peritiâ, magnis ac arduis itineribus exantlatis. Peste infectis ministrantem oppressit morbus, & mors, cùm se incruentâ morte mori doleret. Aiebat moriens; nihil se vnquam, nisi ex obedientiæ sanctæ nutu fecisse. Aiunt etiam ab omni grauiore noxâ semper fuisse immunem.

Hispanus in Paraquaria tempore incerto.

Charitas.

Charitas.

Obed.

XI. DIE DECEMBRIS.

LVDOVICVS VICECOMES.

11. Decemb Italus Mediolani. 1613 ætat. 20. Soc. 4.

NObilissimâ domo natus, notatus nonnunquam est, tum adhuc paruulus, clam se verberare flagello. Postea diuino instinctu ad Societatem vocari se sensit, sed cùm differret, sensim elanguit; vsque dum anno 1607. nocte vigiliæ natiuitatis Christi, se minaciter argui sensit quòd ingratus esset; inferni quoque tormentis menti viuidum quendam in modum ita obiectis, vt expergefactus à somno, pudore ac tremore plenus è

Vocatio.

lectulo exilierit, veniam surditatis suæ petierit, morem Deo vocanti gerere constituerit, ac nullâ morâ interpositâ generalem de vita vniuersa exomologesim peregerit. Moram illi tamen iniecit caro & sanguis; quam ipsam sapienter atque constanter superauit, & anno 1608. 16. Aprilis Societatem tandem impetrauit, & iniit, desiderio tanto accensus, vt ad eius qui religiosas vestes ei afferrebat se pedes abiecerit, vt illos exosculatus gratias ei ageret pro *vestimentis salutis*. Illud verò longè molestissimum & admirabile visum est Ludouico quòd cùm se toto spiritu exultare gauderet, tamen nocte illâ quam felix induendæ sacræ vestis dies sequebatur, coniuratus in optimi adolescentis salutem cum carne dæmon erubescendis ignibus illum accenderit quasi totum eius sanguinẽ immundus genius immunda suggerens occupasset. At ille quâ erat & erga Deum, & erga Magistrum suum fiduciâ, se de lectulo protipuit, & ad Magistri Nouitiorũ cubiculum adiit, atque consueto signo edito admitti petiit & impetrauit. Vbi posteaquam id quod erat verecundè simul candidèque narrauit, paucis verbis plurimum leuamenti accepit, voto etiam castitatis, eius permissu, concepto, perpetuone an verò ad tempus tantùm, incertum. Illud certum est, affirmasse Ludouicum, se admirabili suauissimæ castissimæque voluptatis rore tunc fuisse perfusum, restinctis etiam vltimis quibusque turpis illius flammæ scintillis. Ita postridie veste Societatis amictus, pane Angelorum refectus, & in sacrum tyronum ephebium relatus est. In quo lingua illi eucharis, & cauta semper ne quid vllâ suæ laudis parte aspersum efferret. In ascetico anni 1609. secessu flagrantissimo desiderio accensus est vt pereret Coadiutorum officiis numeroque adscribi, arque in Marthæ sorte vitam degere in Societate. id quod licèt non impetrârit, persæpè tamen cum singulari gaudij significatione infima quæque munia obibat, etiam tyrocinio iam peracto. Consanguineis nunquam volebat scribere, nisi ter priùs consuluisset Deum, & Superiores semel. Præter pias chartas, coronam, & officium B. V. nihil habere volebat. Vesperi post examen benedictionem Dei Matris implorabat supplex quotidie coram illius imagine: seque illi in lectulo commendabat consuetâ illâ formulâ: O *Domina mea, S. Maria, me in tuam benedictam fidem* &c. Sabbato gratias Deo per illam agebat pro beneficiis per illam, illâ hebdomadâ, & per omnem vitam, acceptis; & conceptam prolixam se illi dedicandi formulam bis, quotannis 25. Martij, & 15. Augusti instaurabat; petebatque singularem erga illam tenerumque amorem pro se, ac pro Societate vniuersa. Ad cælestem mensam se præparabat oratione, ieiunio, disciplinâ. Humilitatem amabat vnicè. Aiebat ita se Deo valdè gratum fore: & B. Aloysium rogabat, vt ipse apud humillimam cæli Reginam pro illo hac virtute instruendo satageret. Valdè se incitari aiebat ad illam illis Bullæ verbis: *Requirit hoc institutum homines verè humiles in Christo.* Optabat habere catalogum eorum qui in odium fidei cæsi sunt è Societate: ac illorum dies insigni ardore colebat, vitis quoque illorum lectis, & adiectâ quot hebdomadis aliquâ corporis afflictatione.

Humilit. *Castitas.* *Humilit.* *Paupertas.* *B. V.* *Eucharist.* *Humilit.*

Magno flagrabat desiderio Deo excellenti quadam ratione ita seruiendi, prout ille id agendum conceperat. Vnde cùm id per morbum quo sensim atterebatur, minùs posset, mœrore languebat. Cùmque à suo in Philosophia Magistro causam doloris explicare iuberetur, in tenerrimas lachrymas

chrymas vbertim erupit, ac dixit: Quia per adeò afflictas corporis vires Deo seruire non possum ita vt desidero, atque vti ei seruiendum esse mente concipio!

In morbo extremo pietas tenerior, patientia solidior, & quicquid in infirmis desiderari potest in Ludouico emicuit. Votorum formulam suâ manu descriptam ritè pronunciauit priùs quam extremo viatico muniretur, & illam lectulo appendi iussit. Cùm ægrorum oleo vngeretur, Crucifixum complexus eam quâ vngebatur corporis partem osculabatur in Christo, id est, oculos, aures, os, manus, pedes, latus; idque tanto animi æstu, ac si verè animam in illa vulnera immigrantem exspiraret.

Anniuersariâ post Ludouici mortem nocte Posnaniæ in Polonia (quò missus erat Pater Ludouici in Philosophia Professor) eidem per quietem apparuit cultu splendido, & vultu sereno, eumque lucido quodam & ad diuina experrecto gaudio plenum reliquit.

Mort. *Paupertas.* *B.V.* *Eucharist.* *Humilit.*

P. CONSALVVS GOMIVS.

Hispanus Caravacæ incerto die. anno 1581. Societ 19.

CVm Caravacensi Collegio præesset, ægro licèt morbis corpusculo non parcebat. Partitè hebdomadam distribuerat, ita vt quotidie suum corpori afflictatione aliquâ demensum daret, plura facturus nisi valetudo prostrata vetuisset. Duos dies præstitutos habebat quibus se verberaret; duos quibus cilicio indueretur; duas noctes, quibus vestitus cubaret in scamno; duas quibus non nisi cilicino lectulo vteretur. Suâ inediâ pauperibus opitulabatur. Vnde alij quoque Rectoris exemplo atque permissu egentibus dabant quibus suum genium ipsi fraudârant. Iaculatoriis precibus adeò assueuerat, vt consilij aliquid daturus petenti cuipiam non priùs responderet, quàm mente in cælum sublatâ decies SS. IESV & MARIÆ nomina imploraſſet. id quod factitabat etiam cùm se ad officium canonicum persoluendum accingeret. Præter orationem quæ voce depromitur, orabat mente per horas omninò quatuor: & concepta istic lumina, simulque omnes conscientiæ suæ rationes accuratè notabat. Pro morte quam ea anno se oppetiturum à fœmina pietate illustri audierat, omnem apparationem conscripserat quid sibi legi vellet. Plura de illo Societatis historia.

Mortific. *Hebdomada.* *Charitas.* *Oratio.* *Iesus Maria.* *Iaculat.* *Mort.*

BARTHOLOMÆVS WAGNER COAD.

Germanus Græcij 13. Dec. 1607. ætat 69. Societ 40.

IN hoc eas virtutes laudat Græcense Collegium quæ Coadiutorem Societatis commendare solent; candorem, simplicitatem religiosam, pietatem in sartoris officio istic totos 37. annos administrato: charitatem quâ ille omnes, & omnes illũ complectebantur. Cùm velocem præuideret sui tabernaculi depositionem, præclaro diuinæ Eucharistiæ cultu se ad mortem parabat quotidie. nullum enim diem prætermittebat quin præstitutâ horâ coram SS. Sacramento supplex de genibus diutiùs precaretur, constanti pietate quotidiano more firmatâ vsque ad mortem ob eximiam religiosi exempli pietatem charus erat vnicè ipsi etiam Sereniſſimæ Matri Archiducum: idcirco pro mortuo suo Bartholomæo illa ad Altare, quod priuilegiatum vocant, 30. sacrificia suo ære curauit.

Eucharist. *Mort.* *Præparatio ad mortem.*

P. IACO-

IACOBVS DE PAISTRE NOVIT.

Belga Mechlinij v. 11. Decembris 1620 ætat. 50. Soc. 1.

BEllioli præclarè Curati partes egit, eximio planè studio animarum. Aiunt illum peditem nocte intempestâ ad aliquot passuum millia excurrisse, vt illos quæreret, iuuaretque, qui erant de peste suspecti item è suæ Parochiæ finibus familias hæreticas plusquàm 70. exegisse; vt ne grex reliquus fœdam scabiem traheret ab hæretica illa peste. Idcirco illo vehementer adnitente Societati istuc aditus est apertus, & Collegium à magistratu fundatum. Societatem vix erat amplexus cùm sexto tyrocinij mense inter excelsa planè humilitatis, & solidæ, ac teneræ in B.V. & cælites pietatis documenta felicem animam æternitati transcripsit. *Charitas. Fides.*

XII DIE DECEMBRIS.

P. FRANCISCVS FABRICIVS.

12. Decemb. Belga Suldæ 1597. ætat. 46. *Charitas.*

GLorioſæ apud peſte laborantes ſpartæ immortuus eſt poſt labores longe pulcherrimos. Ibat quacunque diei vel noctis horâ vocabatur promptus & expeditus. Illud heroicæ charitatis fuit facinus, quòd etiam inter dirâ tabe corruptorum cadauera medius, ægrorum, & morientium peccata exceperit charitatis vi leniente horrendi ſpectaculi diritatem.

P. THOMAS STEPH. BVBSTEN.

Anglus Goę incerto die ac menſe. 1619. ætat. 70. Soc. 44.

ROmæ poſt Philoſophiæ curriculum ſtudẽdo confectum per quietem domicilium quoddam vidit, ad procurationem illius inuitatus. Indias impetratas vt adiit; conſpecto Societatis domicilio Salſetano, agnouit illud ipſum eſſe quod olim ſibi dormienti oblatum fuiſſe meminerat. illud ipſe poſtea rexit quinquennio, & in illa vinea per ipſos 40. annos nauiter laborauit, Apoſtoli nomine honoratus, ac vnicè amatus ab omnibus Salſetanis.

Somnium. Fides.

P. EMMANVEL MARTINEZ.

TAntâ religioſæ, atque ad minima quæque attentæ conſcientiæ accuratione, tantâ ſui demiſſione cum Hiſpanis ac Indis in Philippinis inſulis verſabatur, vt communi apud omnes elogio Sanctitatis nomine celebraretur. Mira in illo vitæ innocentia, & ſuauiſſimæ de cælo inter orandum deliciæ; quas inter illud cæleſtis fauoris pernobile documentum fuiſſe perhibetur, quòd (vt de illo teſtes ſunt annuæ Philippinæ) Chriſti humanitatem clarè viderit aliquando. Nempe virgineos illius oculos hoc præmio voluit Deus etiam in hac vita honorare. Hiſpanus in Philippinis. 12. Dec. 1626. ætat. 67. *Chriſtus.*

Diuini officij preces animo mirum in modum attento exequebatur. Aiunt qui rem cum admiratione videre, Breuiarium eius, ſeu librum Eccleſiaſticarum precum, aliquando in mare delapſum fuiſſe. id quod cùm Emmanueli *Oratio.*

nueli nunciatum esset, instanter Deum precatus est, vt prouideret ac repentè breuiarium innatans conspectum fuisse; quod Emmanuel vbi conspexit, iussit illud à pueris ad se afferri: qui id cùm facerent, aduertêre librum ab aqua nihil omninò passum fuisse, adeò vt siccus vndequaque sit repertus.

Extremum quod de illo addo (reliquis quæ afferri possent, sed ei cum aliis multis communia sunt, omissis) habet fidem ab eo qui ipse rem narrauit Hispano, viro magnæ virtutis. Aderat is morienti patri Emmanueli, tunc adhuc mundo & iis quæ amat mundus nugis nugarum plus æquo illigatus: cumque morientis Emmanuelis sanctimoniâ se perurgeri, ac magno ad meliora non tam desiderio accendi sentiret, quàm illud sibi desiderium impetrari percuperet; rogauit P. Emmanuelem quantâ potuit efficacitate, vt æternitatem illam ingressus, ne se desereret, verùm coram Deo instanter ageret, ac inter mundi tricas hærenti gratiam, id est, magnanimam & constantem sui victoriam, ac earum quas malè deperibat vanitatum contemptionem obtineret.

Mori.

Vix felicem animam egerat P. Emmanuel cùm Hispanus ille altissimo peccatorum dolore saucius, & in lachrymas obertim effusus, generalem de vita vniuersa confessionem instituit, & animum ad sequenda Christi signa conuertit; fassus id sibi à Deo P. Emmanuelis precibus imperatum.

Hispanus in Philippinis. 12. Dec. 1616. ætat. 67.

Christus.

LVDOVICVS MENDIVS.

Lusitanus in ora Piscaria incerto mense. 1552.

MIssu Xanerij in piscatoriam oram profectus, ibi perquàm diligenter operarij boni munus impleuit. Cùm autem in pusillum Christianorum gregem, innato in eam quam susceperant religionem odio Ethnici cæde miserabili grassarentur, ac templo Christiano ignem circumdarent, blandè illos rogabat Ludouicus, vt ædi sacræ ac innoxiis Christianis parcerent. Hæc agentem Maurus in ceruice, ac in femore vulnerauit: mox præcisum illi caput à barbaris asportatũ.

Fides.

ANONYMI DVO PATRES ET ALII QVATVOR.

In Salsettis incerto mense. 1554.

IN Salsettis ad Goam duo è Societate Patres lapidibus obruti sunt ab Ethnicis, & internecti: quorum nomina nobis ignota in libro vitæ sunt, vt speramus: vti & *duorum Conditorum* anonymorum in Brasilia in odiũ fidei peremptorum. Memorantur etiam *Patres Antonius Fernandius, & Ioannes Beira*, incertum quo mense, die, loco in Christi ciusque fidei odium cæsi.

1555.

1556.

P. MICHAEL PONCE.

Incerto anno, & mense.

PRæfuit, Palapagensi nostro domicilio in Philippinis opere strenuo satagens pro animabus, adactâ in latus lanceâ postea ab ethnicis internectus: habuitque in ea rectione successorem P. Vincentium Damianum de quo 11. Nouembris dixi. De Michaële plura his hactenus nanciscì non potui.

XIII. DIE DECEMBRIS.

P. ARNOLDVS CATHIVS.

23. Decemb. Belga Ruremundæ. 1630. ætat. 34. Soc. 18.

POst nobiles in Hollandia labores annis vndecim exantlatos aliaque officia benè gesta, pepigit cum germano suo, vt qui prior migrasset è vita, breuem hinc à Deo migrationem superstiti (si è salute animæ id esset) impetraret, 18. Octobris ille obierat, cùm iste hodie secutus est. Fuit vir felicis memoriæ, quâ diuinam scripturam ita tenebat, vt quid quouis capite contineretur ediceret. Ad officia charitatis fuit flagrans, & assiduus. Inde pestis ab illo non semel contracta. Nulla illi hora præterfluebat, quâ Christi patientis mysterium aliquod non recoleret adiunctâ Christi salutatione, ac laude. Per *Cor* Iesu B. Virginis auxilium implorabat; cuius Virginis rosarium quotidie recitatum noctu è brachio suspendebat. Sacerdotum cuipiam libens cùm poterat quotidie ministrabat singulari tunc è cælo solatio delibutus. In Beatissimæ Virginis & in Societatis laude diserus, bonus vtriusque filius esse nitebatur exemplo recto & sancto. Aiebat; opinari se, quòd si Angelus in carne viueret, illum hoc vitæ genus inituturum. Flagellum illi è carenulis nodo, radio aculeoque consertum, quo in se bis quotidie sæuum in modũ animaduertebat vsque ad sanguinem affluenter effusum: nec vnam semper in partem sæuiebat, vt aliâ & aliâ quæsita in parte dolor esset acutior atque recentior. Atque hæc etiam cùm cholicâ, calculo, herniâ torqueretur.

Mors.

S. Scriptura.

Sing. horis, Oratio.

Cor.

B. V.

Sacrum.

Vocatio.

Mortific.

Mortific.

P. IOANNES GARGANVS.

PRæfuit tyronibus, Collegiis, Professis, Prouincijs, Siculæ ac Neapolitanæ; & interfuit decimæ Congregationi Generali. vir cuius religiosa semperque sui compos prudentia, & constans pietas, in illo cælestem quandam indolem ostendebat: quippe qui nunquam extimescere sit conspectus, nunquam perturbari; nihil agebat iratus, aut inconsultè, nihil non cum charitate coniunctum, quam ille religiosæ vitæ iucunditatem esse aiebat. Non defuêre qui illum conspectum fuisse radiis coronatum ferant.

Italus Tropæ 13. Dec. 14.

Oratio.

P. ALEXANDER LOPEZ.

Hispanus ætat. 57. Societ. 24.

P. IOANNES MONTIEL.

ANno 1645. Cachil Corralatus Mindanai Rex pacem cum Hispanis iuratus pepigerat, præsente ac teste P. *Alexandro Lopez*, qui Regnum illud Apostolicis sudoribus rigârat; à Corralato tunc non nisi *Fratris* nomine appellatus. Huius pacis (quam Corralatus variè turbabat) firmandæ ergò P. Alexander, & P. Ioannes Montiel (qui anno 1654. Româ istuc appulerat) ad Corralatum Manilâ ire iussi, omnes itineris comites Sacramento pœnitentiæ expiauêre; Patre Alexandro se ad ascēticum S. P. Ignatij recessum recipiente, ac variis quà precibus ad

Italus Mindanai, 13. Dec. 1655. ætat. 24. Societ. 8.

Mortificat.

ad Deum fusis, quà voluntariis corporis afflictationibus in rem illam arduam comparato. Cùm verò Alexander, vnà cum socio, atque comitibus, flumen (quod iam in Corralati Regno erat) ingressi, iter ad eum intenderent, sed è claro repentè obscurus, & in maiorem sensim circulum, vt videbatur, increscens, cruentus apparuit: id quos & Indos Patrum comites, & Corralatum exterruit. Appulsi ad Corralatum Patres, dum ille literas aperit & P. Alexandro, suo illi amico *Fratris* etiam nomine honorato, loquitur; Alexander opportunam eam occasionem ratus, blandè sermonem de Christiana religione induxit, eum verbis quàm mollissimis exhortatus, vt rationum momenta pro fide ac baptismo militantia sapienter expenderet, ac in tam veræ, tam necessariæ fidei lucem venire, adeoque baptismo expiari, ne cunctaretur; maximè cùm ingraueſcens iam ætas curam salutis maturè habendam esse admoneat. Quare ageret, ac daram in articulis pactionis pacis anno 1645. fidem de permittendis, vt in suo statu erigantur, Christianorum templis liberaret, imò ipse quoque fidem illam æternæ vitæ adipiscendæ tam necessariam complecteretur. Exarsit ad hæc sibi tam confidenter dicta Corralatus; & elato vocis accentu ferocior dixit; tantum se à Christiana fide abesse, vt ipse priùs Patres & Hispanos ad Maurorum sectam sit traducturus, quàm ab illis ad Christiana sacra conuertendus. Sed cùm amanter (vt aliàs agere cum illo consueuerat) pro Christiana religione amplectenda rationes plures adduceret Alexander, & explicaret; furenter à sede prosiliit Corralatus, minaciter circumspectans & quærens quidpiam quod in illum posset conijcere: simulque signum dedit cuidam, vt illum è vestigio trucidaret. At ministro illo ecquid Corralatus innueret minimè assecuto, accurrit Regina, quæ aderat, & Regem coniugem amplexu stringens, familiarem, qui illi de cingulo pendebat pugionem, seu aliud quodpiam enchiridion militare, illi adimere nitebatur; affirmante Rege, se in eius gratiam illos illicò non trucidasse, qui sibi authores fuissent suscipiendæ fidei Christianæ: Patri simul comminatus, quòd si vnquam de simili argumento dicere sibi quicquam deinceps auderet, se tam illum, quàm socium contrucidaturum, instar animalium immundorum. Gloriæ id religiosis & Christianis esse, martyrio potiri, dicente Alexandro; eo ardentiùs furens Corralatus, respondit; breui vtrique martyrium minimè defuturum: eosque inde abstrusos abegit. Et ne longum faciam; Patres non ita multò post quàm ex aulâ cessêre, ad Reginam, seu re vera, seu fraude euocati sunt; & per iter Alexander se in humeris ictum sensit, lanceâque percussum: atque illicò vnà cum socio à frequentissima irruentium Maurorum manu circumdati, eo in loco perempti sunt Alexandro clamante; se libenter vitam ponere in prædicatione baptismi: ac mox expirante in amplexibus & osculo eius, quem de pectore eduxerat Crucifixi. Tametsi verò reliqui etiam eorum comites ferè omnes deinde sint cæsi, hos tamen odio fidei esse trucidatos, & ex iis liquet quæ dicta sunt; & ex eo quod ipse Corralatus ad Samboangensem Gubernatorem perscripsit: *Patres illos à Mauris suis Ministris esse morte affectos, quòd eos ad fidem Christianam adducere laborassent*; cùm eorum maiores minimè fuissent id genus fidei sectatores. Patrum corpora Indus quispiam Christianus terræ mandauit; quæ ab eodem Indo post mensis integri curricu-

Italus Tropæx. 13. Dec. 1. §4.

Fides.

Oratio.

Hispanus ætat. 57. Societ. 14.

Fides.

Italus Mindanai, 13. Dec. 1655. ætat. 14. Societ. 9.

Crucifixus.

Mortificat.

lum exarata, vt in Samboangam mitterentur, sanguine ac vulneribus tam recentibus purpurea sunt reperta, quasi tum primùm fuissent occisi. Fama est, P. Alexandrum iam olim dixisse; se ad martyrum properare. Sed & P. Ioannes Montiel non vni disertè affirmauit, se in Mindanai missione compotem fore martyrij. Etiam P. Mastrillus P. Alexandro prædixisse fertur Crucem ibi paratam esse in loco in quo est interemptus.

XIV. DIE DECEMBRIS.

P. DIDACVS DE SANTIAGO.

14. Decēb. Hispanus in Mari Manilano 1600 ætat. 29. Societ. 15.

ANte Manilanum portum commisso cum Barauis prælio cùm omnes propè confitentes audisset, iamque in periculo ipse quoque se in aquas dare vellet ad enatandum, à Centurione quopiam confiteri volente vocatus, confitentem audiuit capitis periculo saluti posthabito. Nam ex eo tempore nusquam comparuit, submersus in præclaræ exercitatione charitatis.

Charitas. Mors.

P. MARTINVS DE ARANDA VALDIVIA.

Hispanus apud Elicuranos. 14. Dec. 1612 ætat. 51. Soc. 20.

PErillustri ex Hispanis domo in Chile natus, literariæ aliquid, plus militari disciplinæ studij adhibuit adolescens, dux equitum. Anno 1592. dum Prætoris munus pararet capessere, Limæ in tyrocinio sacræ exercitiorum solitudini se tantisper dare constituit: in qua vbi altiùs fluxam opum gloriam introspexit, Societatem se initurum voti religione firmauit; eamque impetrauit, sed non ita vt optabat, ad Coadiutorum officia obeunda. Studiis vtcunque perfunctus, ad Ciuncios abiit: vbi reptabat per asperrima montium & siluarum, ac per aquas non semel. Araucanis deinde pestilentiæ lue tabescentibus obsequia sua nauauit; quibus charitatis officiis multos Christo lucrifecit. Demum ad Elicuræ populos cum P. Horatio Vecchio, & Didaco Montalbano missus, tertio die à barbaris neci est datus. Accusabantur, & odio erant Patres, *quòd nouæ legis seminatores essent; & quòd vxores à Christianis è medio barbarorum acceptæ Christiano ritu sint expiatæ* hisce authoribus. Ergo genibus religiosè nixos inuasêre sicarij, & clauas ligneas ferreis muricibus amētatas, atque refertas, illorum capitibus illisêre: humi iacentes hastis confixêre; ceruicibus quoque præcisis. Lætissimos, atque fortissimo animo cecidisse affirmat Indus, qui inter cadauera iacebat viuus. Aiunt alia aliorum cadauera ab auibus vorata; trium horum intacta relicta.

Charitas.

Fides.

P. HORATIVS VECCHI.

Italus ibid. 14. Dec. 1612 ætat. 55. Soc. 15.

MIti, semper virgine, ac pio erga Dei Matrem ingenio fuit Horatius. Romæ cùm inter tyrones exerceretur, optatam futuræ suæ mortis gloriam diuinitùs intellexit, diuinâ synaxi perceptâ. Anno 1603. in Americam abiit, Limæ Philosophicis Theologicisque disciplinis probè imbutus. Postea in Chile, Christi legem explicuit; demum apud Elicuranos, non

Eucharist.

non nisi Christiano sanguine molliendos, & subigendos ad fidem. Ibi arbori alligatus, disiecto pectore, corde euulso per quartam horę partem Christum prædicauit; id quod de P. Martino Valdiuia etiam affirmatur. Primi eius percussores ferè post annos 30. conuersi. Antonius Rangelius religiosæ planè virtutis Coadiutor, cùm hoc die anni eiusdem aquam hauriret è puteo Cordubæ, dixit: eadem horâ alicubi gentium longissimè dissitarum Nostros in odium fidei cædi, sanguinemque profundere. Cæsus cum his.

Cor loquens.

Fides.

Or.

Charitas.

DIDACVS MONTALBVS COAD.

Fidu.

Indus ibid. 14. Dec. 1612

NAtus in noua Hispania, arte sarcinator, Sociis Arauci seruiuit. Inde ad Societatem admitti, ac Elicuram cum Patribus proficisci obtinuit. Primus cæsus est, cùm in genua se demittens gratiam à Deo flagitaret ad mortem fortiter pro illius gloria opetendam.

Oratio.

P. PETRVS ANTONIVS SPINELLVS.

Italus Romæ. 14 Dec. 1615 ætat. 60. Soc. 42.

DVcibus Seminarię, & Principibus Cariati natus, cùm septimum ætatis annum ageret virginitatem vouit; cùm octauum, noctu ad recitandum B. V officium consurgebat. In schola docentis vultum, pectus, ac reliquum corpus videre discipuli quodam lucis radio illustrati: id quod illi Setiæ quoque aiunt contigisse, dum S. Synaxim populo in templo porrigeret; quo tempore Iesum paruulum etiam visus est in sacra pyxide circumferre. Deiparæ Matris cultui totus addictus, præclaro ingenio, & calamo erudito ad pietatem: Lauretanam domum septies inuisit, & pedes aliquando, atque mendicus: ac in ea per duas noctes orauit vigil, vt nescio quid honoris à se auerteret. Interpam vestem vnam tam sæpè resarciendam curauit vt ea illi per 18. annos suffecerit. Virginitatem perpetuâ oculorum etiam à Consanguineis Fœminis auersorum custodiâ, quotidianâ sui verberatione vel cilicio, quaternis hebdomadâ quauis ieiuniis: Paupertate arctissimâ, somno quatuor tantùm horarum spatiis definito custodiebat, pro lectulo terrâ vsus, vel assere. Addit in sua Neapoli sacra Dengenius pag. 231. illum cuipiam apparuisse post mortem, eique solatij plurimùm attulisse. Plura de illo, & imitatione digna in eius vita.

B. V Schola.

Euchar.

Euchar.

Castitas.

Mortific.

P. EVANGELISTA DE GATTIS.

Italus Neapoli. 14. Dec. 1643. Societ 39.

HVnc animi anxium de statu vitæ ineundo Deipara vt fama est, inuisit cælesti lumine spectabilis: quo ille viso statim animum ad Societatē adiecit: eamque iniit postquam domi pedes famulorum abluit in genua prouolutus, & lachrymarum plenus. Admirabilis ad dolores patientiæ, atque in charitate ardoris vir fuit. In diuino Sacramento sumendo cælesti odore ac suauitate sibi nares, & os perfundi sentire, & aliquando interno quodam lumine impleri, ac nomen suum in Catalogo Beatorum legere sibi est visus. Reliqua de illo in vita.

B.V.

Eucharist.

Mors.

P. IOANNES FLAXIVS.

Bohemus Gitzinij. 14. Dec. 1635. ætat. 61.

ERrantes ad veritatem orthodoxam reducebat insigni ad hoc facultate felix. Conscientiam Sacramento expiabat ferè quotidie. Cùm (vt inquiunt Annuæ) fœminæ morienti viaticum porrigeret, hæretica infirmæ filia, & gener catholicus Sanctam Hostiam cruentam vidêre, Filiâ hostiam rubro vino intinctam, vt admirabili tatem rei eluderet, affirmante. At vbi eadem in P. Ioannis sacrificantis manu purpuream iterùm hostiam vidit, veritatem agnouit; conuersa est. *Euchar.*

XV. DIE DECEMBRIS.

P. MARCVS ANTONIVS MVSTONI.

15. Decemb. Italus Forliuij. 1589.

PIetate, silentio, paupertate, atque obedientiâ, fuit apprimè ornatus. Mortem obiit planè piam, iamque ante prædictam. A fœmina ægra, quæ in extremis esse putabatur, domum redux, dixit socio: illam ex eo morbo minimè obituram; sibi verò paucis post diebus esse in Domino moriendum. Et verò ita euenit. In morbo suauissimis plenus deliciis cantabat, & præsentes velut cælitum choros inuitabat ad respondendum. Eo mortuo, fœminam, quam ille ab anxiis quibusdam conscientiæ curis liberauerat spinæ illæ iterùm inuasêre: sed illâ ad Patris Marci memoriam & documenta recurrente omnis illa edax cura iterùm in suauem mentis tranquillitatem conuersa est.

Mort.

Scrupuli.

P. THOMAS WERNER.

Germanus in Monte S. Gothardi. 15 Dec. 1654 ætat. 50. Societ. 29.

ADmotis tumidæ suæ tibiæ Lipsanis S. Xauerij, & orientalium Indiarum petendarum voto concepto tibiâ sanâ è lecto surrexit lætus. Populo, militi, nostris gratus Ecclesiastes, Confessarius, Superior, Bellezonæ præerat cùm per iter necessarium, horridâ hyeme, dùm aliorum istic aliàs oppressorum pericula narraret, mole niuium repentè cum vno seculari ipse quoque oppressus est. Erat vir ad ardua quæque penetranda prompto animo, & felici dexteritate, suique demissione insignis. *S Xauerius.* *Mort.*

P. ANTONIVS DE TORRES.

IN Indiis, & postea in Hispania magno zelo plurimos conuertit, in missionibus potissimùm: vbi pluribus in locis instituit, vt sextâ quauis feriâ historia seu exemplum aliquod pium narraretur, & pia flagellatio fieret. Lectus illi scamnum erat; cui indormiebat vestitus. Quotidie voluntarium de se supplicium sumebat flagris sibi inflictis. A concione sudans, cilicium aliud exuebat, & aliud non minùs asperum induebat. Licèt tardiùs circa meridiem à concione rediret, positis humi genibus examini conscientiæ plenum quadrantem horæ dabat: neque singulare aliquid admittebat quo se reficeret. Per quatuor horas orabat quotidie. Cùm aliquando de inferno ad concionem diceret, multis visus est Angelico

Hispanus Palentiæ incerto mense ac die anno 159.

Feria VI.

Mortific.

Concionatur.

Examen.

Oratio.

Infernum. Concio.

Angelico vultu, magno splendore collucens. Palentiæ cùm esset Rector, ac extra Vrbem ægrum pauperem, qui Vrbem ingredi non poterat, reperisset; illum in humeros sublatum per Vrbẽ ad Xenodochium deportauit. Ibid. Sodalitatem Charitatis instituit, atque in eam ferè nobiliores adlegit, pro adiumento pauperum verecundorum. *Charitas.*

XVI. DIE DECEMBRIS.

MARCVS PVRCHLEVTNERVS COAD.

16. Decẽb. Germanus Olomucij. 1596. ætat. Soc.

DE hoc Olomucenses multa. Inter alia illud, quòd cùm foris latomus esset, iterùm & tertiò sibi visus sit ab homine ignoto capillis trahi ad Societatem, monerique vt eam susciperet religionem. Addunt compertum esse, in percipiendo SS. Eucharistiæ Sacramento illum sæpiùs cælesti viso recreatum esse: illum certè, qui Sacram Hostiam ei porrigebat existimasse se illam cælesti cuidam viro porrigere: adeò rara, & iucunda pietas illi in facie relucebat. Si foras prodeundum erat; id faciebat rosario armatus in manibus, & literarum licèt rudis esset, adeò tamen pius erat, & efficax ad loquendum, vt multos ad peccatorum dolorem & confessionem, non paucos ad orthodoxam fidem adduxerit.

Vocatio. *Eucharist.* *B V.* *Colloquia.*

P. VINCENTIVS REGIVS.

Italus Panormi. 16. Dec. 1614. ætat. 70. Societ 56. *B V.*

TOtum corpus, totum animum ad omnem regularum normam componebat, seu doceret, seu regeret, seu subesset. Sua opera quæ typis dedit, B. Virgini dedicauit, illi mirâ quadam suauitatis efficacitate addictus. S. P. Ignatium colebat vnicè, maximè regulis ab illo conscriptis accuratè seruatis. Castam oculorum illius modestiam illud quoque laudat, quòd cùm depictam Sanctimonialis (illius Sororis) imaginem illi quispiam ostẽderet, peteretque num hæc illam satis referret; candidè responderit, se id nescire, quippe, qui Sororem suam nunquam aspexerit. Morienti putant spectabilem S. P. Ignatium adfuisse. *Modestia.* *Mortific. affectus erga consang.* *Mors.*

NICOLAVS ROTIFICIS COAD.

Prutenus Camenecẽ 16. Dec. 1624. ætat. 56. Soc. 33.

EGregiè ad omnes labores, & pietatem propensi, ac impigri Coadiutoris partes impleuit, eò ad omnia magis incitatus, quo magis clarâ Dei benignitate se vocatum agnouit. Sentiebat ille olim se ad Societatem arcano quodam instinctu impelli: sed cogitabat, neminem admitti nisi literarum gnarum. Quocirca hoc ipsum, tanquam Dei se in Societate collocare volentis indicium experiit vt breui aliquid literarum posset perdiscere, quod mirabiliter obtinuit. Ita repentè velut signo à Deo accepto Societatem petiit, & impetrauit. *Vocatio.*

P. FRANCISCVS SACCHINVS.

Italus Romę. 16. Dec. 1625. ætat. 55. Societ 37.

VIr modesti planè, ingenij. Per annos plures Secretarij Societatis munere functus est fideli accurati one, religioso

religioso exemplo, memor humilium natalium, ac Domus è qua prodierat. Vnde aiunt illum cùm à Patre mulione rustico in Coll. Romano viseretur, *Humil.* nostris illum passim digito indicasse, ac dixisse: En meum Patrem. Inde illi chara paupertas quòd in illa natus, & quòd in Societate à S.P. Ignatio illam *Paupertas.* pro Matre acceperit, vt est in legibus ab illo conscriptis. Aiunt, per septem annos non nisi vnis calceis, & duobus calamis vsum. Certum est, imitatione B. Borgiæ illum complura in epistolarum segmentis conscripsisse, amore paupertatis: cuius etiam studio nullum ab vllo donum admittebat. Ad exhortandum socios pro more accitus, id fecit sæpè feliciter. Semel benè inchoatam exhortationem ingenuè *Humil.* abrupit, petitâ absistendi venâ, quòd memoriâ falleretur. Mutius Vitelleschus Præpositus Generalis laudabat, amabarque in homine illam demissionem, diligentiam, labores Secretarij ac historici muneribus exaggeratos, temporis denique parsimoniam tantam, vt familiari ioco diceret, Sacchinum ne vnciam quidem temporis, aut otij vnquam deperdere. Ipse de se fassus est; se toto religiosæ vitæ suæ tempore nunquam surgendi horam, examina, & quicquid distributis à Societate horis faciendum præscribitur ipso præscripto tempore neglexisse, etiam cùm extemporanea propè panegyris illi esset præproperè adornanda. A Sacro redux, obuio P. Generalis administro Coadiutori disertè dixit; iret ac P. Generali diceret, se ad valetudinarium ire, breuì moriturum. Iuit, & Sacramentis intra triduum instructus quarto ferè die religiosè decessit.

LAVRENTIVS ORTEGA COAD.

CVm ægrorum curam haberet, seruiuit etiam Seni cuidam Patri per ipsos quinque annos morbis miserè afflicto. Hic Pater adfuit post mortem, vt audit Laurentio lætâ specie, illumque amplexus, illi gratias egit pro tam effusis diuturnæ charitatis officiis in morbo sibi præstitis, hortatus est vt persisteret: illum enim in suo illo officio valdè gratum esse Deo, *Charitas.* ac insigni præmio honorandum. Dixit & dato illi pacis osculo in fronte, videri desiit. Sacerdos secularis illi post mortem conspectus, dixit se 14. sacris *Purgator. Paupertas.* egere. Semper occupatus, nunquam ad festa, vel quicquid curiosum est, ibat. Nihil vnquam illi adhæsit ex icunculis, vel aliis, quæ Superioribus conniuentibus ægrorum curatores è mortuorum rebus accipiunt. Illud mirum, quòd iam inde à puero nunquam sitierit (nisi extremo in morbo) adeòque nec biberit, cùm videret id stomacho suo multùm officere. Domi humilitas, labores, charitas; foris castissima modestia illi perfecti viri opinionem passim fecit. *Hispanus Placentiæ 16. Decemb. 1644 ætat. 62. Soc. 45.*

P. HIERONYMVS DE RIBERA.

MVrtiæ ortu nobili, ac magnis animi dotibus, optimi tam Religiosi quàm Theologi nomen virtute, ingenio, & doctrinâ in scholis perdiu, aliâsque impleuit. Nobilium quorundam religiosæ vitæ *axiomatum* ductu, euasit ad insignem sui coërcitionem, indolis præseruidæ ardore subacto, vsque ad maximè virtutis opinionem quâ insigni exemplo fragrabat. *Hispanus Toleti 16. Dec. 1655.*

actu.

bat. Oculorum lumen illi hebescens primùm, deinde planè ademptum, orandi in eo assiduitatem intendit, adeò vt sine intermissione oraret, vel de conscientia interrogantibus responderet; ad rectionem animorum, & charitate & sapientiâ virtuteque suâ, vt peridoneus ita promptus. Euangelij, ac reliquæ diuinæ Scripturæ peritia pabulum illi præbebat mentem cælestibus occupandi. Officium verò diuinum memoriâ tam fideli tenebat vt illud citra libri adminiculum recitaret. Denique suis illis oculorum tenebris religiosè ac sapienter vsus, nulli molestus, omnes in sui amorem, reuerentiamque adduxit. *Oratio.*

XVII. DIE DECEMBRIS.

P. IACOBVS BENEDICTVS.

17. Decēb. Hispanus Barcinonæ. 1586 Soc. 16.

Amor Dei. D.V.

MAgno Dei amore flagrans, cùm tonaret, ex altiore, ac apertâ domus parte cælum spectabat, eâ diuinæ maiestatis significatione vnicè delectatus. Beatiss. Virginis imago semper illi habitabat in sinu: quam ille cùm solus esset, sæpè inde depromptam aperto capite, ac positis gumi genibus tenerrimè conceptis verbis salutabat. ab illa in cubiculo (vt opinio est) aliquando visitatus, eiusque allocutione recreatus. Fassi sunt moribundi, tetros spiritus, à quibus terrebantur, solo illius aduentantis aspectu conterritos, & fugatos. Diuinum amorem frequenti quadam per hypotheses, vt vocamus, industriâ exercebat: si opes tantæ mihi essent, sic illas pauperibus Deo amore impenderem &c. Denique fuit vir ab eximiæ virtutis laude percelebris: & eius faciem post mortem splendore illustrem nobilissimæ ac religiosissimæ cuidam conspectam esse aiunt. Visus etiam est aliquid dicere illi quæ hæc videbat.

Moribūdus.

P. VBERTVS GHETEL DIACON.

ELogia Siciliæ hunc ante initam Societatem Diaconum fuisse, atque hoc die vitâ perfunctum aiunt. Vocant illum annuæ magnum probitatis exemplum; adduntque rem exempli egregij: nempè quòd cùm ad leuiticum gradum ascendisset nunquam tamen adduci potuerit vt Sacerdos fieret, humilem hilariter vitam amplexus, & se tanto munere indignum prædicans; mundus, simplex, & innocens. Belga Panormi 17. Dec. 1601. ætat. 75. Societ 53. *Humil.*

P. PAVLVS HOFFÆVS.

INter primos Collegij Germanici alumnos à S. P. Ignatio adscriptus, deinde ab eodem ad Societatem admissus est. Fuit Rector, Prouincialis, Visitator, Assistens. Quatuor Congregationibus generalibus interfuit Triduo antequàm extremum ægrotare inciperet, medici nostri vxor nuper vitâ functa, matrona optima, se illi spectandam dedit similis inuitanti. Anno 1600. in sacello oranti dæmon sæltu gestiens conspectus est. aiebat se

Germanus Ingolstadij. 17. Decēb. 1608 ætat. 85. Societ. 51. *Morr.* *Dæmon.*

se inexpectatum aliquid moliri. Illud fuit, quòd ferè post triduum à muro cadente duo de Sociis sint oppressi, & plures grauiter sauciati: vnâ ante alios horâ surgebat; per tres horas in orando persistens. Verborum, ciborumque fuit parcissimus. Animæ defunctorum ad eius portam non rarò ab illo subsidium petiêre. Videtur, & causas cur paterentur aliquando intellexisse. Nam iuuenes nostros nonnunquam suauiter admonebat, quòd citra obedientiæ veniam indulgenter aliquid sibi nonnunquam permitterent, quæ flammis mortui expiarent & ad se venirent suffragia postulatum. Moriens cohortatus est nostros ad liberaliter seruiendum Deo. Deinde vnà cum P. Claudio Aquauiua post mortem Patri Balthasari Agelio per quietem apparuit specie decorâ spectabilis.

Oratio. *Purgat.* *Mors.* *Mors.*

P. IOANNES SVAREZ.

Hispanus Compluti. 17. Decemb. 1625. ætat 79. Soc. 56.

AD omnem obedientiæ nutum promptus, & idoneus ad agendum cùm esset, eoque variè occupatus, adeò tamen diuino conspectui semper aderat Deo attentus, vt cuidam familiari suo dixerit, se persæpè ad singulos passus vnum amoris Dei actum elicere. Vnde non nisi de Deo loquebatur: etsi aliud quid in medium offerretur, dextrè abibat. In cubiculo nihil quod splendori, nihil quod gulæ quoquomodo seruiret patiebatur. nec aliud in conclaui illius ab eius morte repertum est quàm Breuiarium ac B. V. rosarium. Perpetuam illius virginitatem loquebatur pudica illa oculorum, linguæ corporisque totius pax, atque modestia. Attendebat sedulò vt effugeret occasiones fœminarum confessiones audiendi; ne quicquam vini vnquam biberet, vel ne quicquam comederet vino imbutum; vt corpus afflictatione perpetuâ Deo in hostiam iugem offerret. Nescio quid à superioribus exspectabat imperij durioris: à quo cùm se abhorrere sentiret, vt se peruincęret, illicò ad SS. Sacramentum adiit & illic voti religione spopondit se quicquid illud esset citra vllam tergiuersationem facturum; nec vllo verbo excusaturum. Et præstitit, licèt res fuerit ardua, & cum non mediocri eius despicientiâ coniuncta; sed victoriæ tam insignis nobile pretium tulit. quippe qui per 12. annos postea miris, & magnis à Deo cæli diuitiis, ac deliciis fuerit cumulatus. Linguæ adeò semper fuit attentus custos, vt per omnem vitam nunquam vllius mendacij sibi conscius fuerit. Assidua illius occupatio in corde erat gratulari Deo de omni eo quod est. Eucharisticæ illæ formæ, seu hostiæ viginti, & quatuor, quæ per ipsos octo ac viginti annos ante illius mortem in Complutensi collegio integræ perstitere, ac etiamnum persistunt, à scelerato illo, qui eas nescio vbi furto sublegerat, huic Patri Ioanni Suarez sunt restitutæ, ac istic ab illo admirabili pietate cultæ, colunturque ab illo Collegio tanquam perpetuum, & amabile miraculum: pro quo cultu firmando, & latè propalando Ioannes eximiè laborauit.

Pia colloquia. *Modestia.* *Mortific.* *Obedient.* *Euchar.* *Lingua.* *Amor Dei.* *Eucharist.*

Fuit ante hunc alius P. *Ioannes Suarez* in vita B. Borgiæ, ac P. Balthasaris Aluarez vir celebris, cuius annum ac diem mortis non reperio. Salmanticæ quidam de Societate, Patris Ioannis Suarez precibus fisus, ægro de vitæ spe depositio dixit intra octo dierum spatium conualiturum. Orauit pro infirmo illo rogatus P. Suarez, & octo diebus necdum euolutis æger Dei ope planè conualuit, ac ex voto se Societati adiunxit: Hispalim ab occultis hæreticis variâ industriâ perpurgauit.

Hispanus Vallisoleti incerto anno. ætat 70. Societ. 52.

Oratio.

Repentè

Repentè in pulpito cuncionis dicendę oblitus, Deo locuturo se dedit pro instrumento; & de fide ita dixit vt duo Canonici (occulti hæretici) dixerint similem illi sermonem Hispali ex quo Hispalis esset Hispalis non esse auditum. Domum redux, ea quæ dixerat in chartam referre voluit: sed nihil occurrebat, memoriâ eorum quæ dixerat planè amissâ Ad Constantinum hæreticum in carcere conuertendum ingressus, hæc tantùm dixit quæ illi inter diuinum officium recitandum altiùs inhæserant: *Lex Domini immaculata conuertens animas.* & Constantinus fassus est in Lutheri lege maculas multas esse, atque adeò illam Dei legem esse non posse. Ita resipuit priùs quàm à Quæsitoribus plecteretur. Castellæ Prouinciæ primus fuit Præpositus, eamque pedes toto sui officij tempore visitauit. idem fecit cùm eidem iterum præesset, Prouinciæ verè Pater exemplo ac verbo. In Gallia captus ab hæreticis in Romano itinere, vidit vt fassus est Deiparam grauis matronæ specie de componendo P. Martini Guttierrez cadauere loquentem, suamque operam offerentem atque præstantem, vt est in P. Martini vita, eique interrogauti ipse respondit. Nec resciscere vllo studio potuit quæ illa fuisset, negantibus etiam hæreticis vllam fœminam istic visam vlli. Cùm Prouinciam viseret; in vrbe quadam templum ingresso dæmon ex energumeno dixit; *Fui in Domo tua: & heri vesperi modicum aliquid lucratus confestim illud perdidi.* Et verò reperit Suarez duos in eo Collegio inter se verbis charitati parum consentaneis fuisse locutos: verum facto examine vespertino petitâ veniâ redintegratam fuisse in iis mutuam charitatem. Nouitius qui post meridiem ad quartam vsque horam scribendo laborârat, & capite fatigato cogitabat: Fierine potest, vt sanctus hic senex non aduertat me nonesse ex ferro? Ita cogitanti respondit P. Suarez, & dixit: Omninò ita est: vnde, quiesce, ac præberi tibi iube quò vires lassas reficias.

Fides. *Mortific.* *Superior.* *B.V.* *Charitas.* *Examen.*

XVIII. DIE DECEMBRIS.

P. ADAMVS GORSKI.

Hispanus Vallisoleti incerto anno. ætat. 70. Societ. 52.

18. Decemb. Roxolanus Cracouiæ 1619. ætat. 37. Soc. 24.

PRo ætis tam incitato spiritu & pectoris totius conatu faciebat, vt præsentibus cælestē pietatis flammam iniiceret; ipse verò sacrificio diuino perfunctus, totus fessus langueret. In officij diuini penso positis humi genibus particulatim syllabis pronunciandis immorabatur: & Breuiarium identidem exosculatus, aiebat: *ô quàm ignorant Sacerdotes. quantas delicias habeant in onere isto!* Coram SS. Sacramento plures horas duxit saxi planè instar immotus. Paupertatis adeò studiosus, vt singula rimaretur, in quibus eam posset insignitè exercere. Vnde nec Breuiarium habebat: sed communi quopiam vtebatur. Conditos cibos aceto corrumpebat: & sibi præscripserat, vt corpori suo dolores occultos, ceu debitum consuetūque vectigal, accerseret: vnde aiebat se pro regulæ illius reuerentia, quæ continuam nostri mortificationem in omnibus præcipit, præter occultos alios modos, illud habere, vt suum corpus nunquam acri aliquo dolore carere permittat. hinc illi vulneratæ manus, & exustæ, infusa in plagas ardens ce-

Oratio. *Sacrum.* *Oratio.* *Paupertas.* *Mortif.*

Mortific. ra, vnguium particulæ vnà cum carne auulsæ, ac similia supra imitationem. Totum corpus in menses distribuerat vt singuli menses aliquam sibi assignatam partem corporis cruciarent. Elenchus Sanctimoniæ illi fuit illud decretum, quo statuit, per omnem vitam ita viuere sicut in tertiæ probationis anno vixit. Inter alia ita scribit: *Iuro, Domine ac testor, quòd nihil velim nisi maximam gloriam nomini tuo, & maximam confusionem faciei meæ.* Dæmon piam, & nobilem matronam insederat: ex hac disertè fassus est, P. Adamum esse *inuiolabilis & sanctæ vitæ virum.* Cracouiæ Theologiæ decendæ se accingentem morbus, & mors omni apparatione nobilis occupauit.

Humilit.

P. SEBASTIANVS SCHALLER.

Germanus Ingolstad. 18. Decemb. 1648 ætat. 32. Soc. 13.

INcredibili legum ordinis nostri obseruantiâ fuit planè insignis: animarum autem quærendarum desiderio tantus, vt voto concepto promiserit se animam in animarum obsequium, quà quidem liceret, impensurum. Lue Ingolstadiensi vrbi atque Collegio minaciter imminente, se ad sanguinem vsque cecîdit; & illo ipso sanguine Sacramenti formulam conscripsit, quâ se in victimam pro vrbe atque Collegio deuouebat. quod ille votum per biennium è collo suspensum circumtulit; & visus est impetrasse. nam eodem ipso morbo è vita sublatus est, quem vt ab aliis auerteret se in voluntariam charitatis victimam sponte obtulerat.

Mortific.

Charitas.

P. FRANCISCVS BVLDRINVS.

ROmæ natus, in Indiam, deinde in Iaponiam profectus, dum istic pace frui licuit magno ardore incubuit in vtilitates animarum. Interceßit præclaris conatibus Daifusama, cuius imperio extorris Macaum deportatus est. Inde clam redux, toto ingenio in artes incubuit quibus & latere posset cultu vario, & prodesse quamplurimis, idque abundè præstitit vsque ad mortem nobis incerto loco ac tempore obitam; inter sacros illos labores, ærumnas, atque pericula.

Italus in Iaponia incerto mêf. 1631. ætat. 58. Soc. 4.

XIX. DIE DECEMBRIS.

IOANNES DE S. IACOBO NOVIT. SCHOL.

19. Decemb. Hispanus Hispali. 1609

DVo in hoc adolescente laudant potissimùm literæ Hispalenses: alterum, quòd velut Crystallino pectore syncerus fuerit Superioribus, & vndequaque apertus, atque perspicuus; alterum, quòd in se inediâ flagris, ciliciis adeò inclementer sæuierit vt se confecturus fuerit nisi frenum illi regula iniecisset. Ægro medicus iusserat cucurbitulas applicari. Ioannes quò plus pateretur, quàm enixè potuit rogauit, vt incideretur, & excarnificaretur caro, ac excarnificatæ parti omnes cucurbitulæ apponerentur, ad ciendum dolorem acriorem pro expiantium peccata ignium compendio, vt ipse aiebat.

Mortific.

Merito.

P. IOAN-

P. IOANNES DE TORRES.

Hispanus Granatæ. 19. Decemb. 1610. ætat. 45. Soc. 29.

PRæclarè ministri, ac Rectoris officiis fungebatur, cælesti semper vitæ intentus. Dulcissimis obsequiis honorabat B. Dei Matrem, S. Agnetem, & selecta quædam è cæli albo nomina ac ad eundem cultum aliis etiam author erat verbo, atque exemplo. Si quod animæ cuiuspiam lucrum speraret, ab eo non illum occupatio vlla, non valetudo corporis auertebat. Statim atque nuncium mortis accepit; Lætatus sum, inquit, in his, quæ dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus. Fama est, dæmonem cuidam authorem fuisse ne cum illo suo inimico (ita Ioannem appellabat) de salute tractaret. Dies toti ab illo expensi pro sacro pœnitentiæ tribunali: neque tamen adeò se foras effundebat, vt sui esset immemor. Etenim diuinis rebus meditatè in corde voluendis, expendendisque adeò assueuerat, vt nonnunquam noctes integras consueto, somno eriperet, ac peruigilatione Sanctissimâ illas duceret in rerum cælestium cogitatione. Adeò ille dies animabus, & charitati dabat in terris, noctes autem totas habitabat in Cælis. Morti proximus, lætus dixit: *Nunquam existimassem, mori rem adeò dulcem esse. Nec dubito hanc esse vocationis gratiam.*

Charit.

Oratio.

Mortific.

P. PETRVS D'HOLLANDRE.

Belga in Roon Hollandiæ. 19. Dec. 1620.

ACerba huius mors magnas de illo conceptas spes interuertit. Quippè ingenio erat ad summa omnia experrecto, exquisitè obseruans legum omnium: & vt semper de virtute in virtutem proficeret etiam extremo vitæ suæ die obseruatus est ad horæ campanæque sonum attendere, vt distributorum in horas Crucifixi Mysteriorum meminisset. Eodem die scripsit Præposito Prouinciali, se protestari quòd ex ea quam semper summam coluisset suæ voluntatis cum Superiorum voluntatibus coniunctione tantum per omnem vitam in Societate actam hauserit iucundissimæ, liquidissimæ, solidissimæ voluptatis, quanta omnes mundi delicias longissimè antecedat.

Morbus.

Passio Christi.

Mors.

XX. DIE DECEMBRIS.

P. IOANNES NVNNEZ ÆTHIOPIÆ PATRIARCHA.

10. Decemb. Lusitanus Goæ. 1561. ætat. Soc.

HVicde iucundo vitæ Sanctioris statu deliberanti, & promisso in Deiparę honorem aliquot sacrificiorum numero auxilium Dei Matris flagitanti, alterâ Nouembris die visa est spectabilis Beatissima Virgo Mater comite P. Petro Fabro, & P. Francisco Strada. Et; *vis*, inquit, *seruire Filio meo vsque ad defatigationem?* Annuente Ioanne; sequere ergò, ait illa, hos viros. Paruit; & Conimbricæ Fabro conspecto, agnouit hunc esse Magistrum suum, famulum Virginis Matris, & comitem; præcipuè cùm Faber Ioanni diceret; *Vis seruire Christo vsque ad defatigationem?* Ita Deiparâ Consultrice, ac Fabro Magistro, Societatem amplexus, post præ-

B V.

Vocatio.

Assidua.

clara virtutis exhibita documenta datus est Æthiopiæ Patriarcha : quod munus quantâ cum modestiâ, studio animarum, paupertatis amore gesserit latè in eius vita explicat Historia Societatis, Alegambe, ac alij.

P. HIERONYMVS DOMENECEVS.

Hispanus 20 Decēb. 1592 ætat. 60.

ROmæ S. Xauerio confessario vtebatur. Suauissimæ simplicitatis, & obedientiæ perstudiosus fuit semper. A signo campanæ dato ad orandum in horto deprehensus, ibi genibus humi positis, aperto capite, iunctis manibus orans perstitit, dùm à S. P. Ignatio conspectus est, & euocatus. Societatem in Sicilia præclarè omninò erexit; eique præfuit magnâ laude benigni Patris, accurati Superioris, periti Medici, & amantis, adeò, vt siculæ Societatis Angelus diceretur. Orandi studium tanti fecit, vt diceret, sanctum quoque Franciscum à suæ illius Sanctimoniæ eminentiâ prolapsurum fuisse, nisi hoc alimento animam sustentassel : sine hoc nullam virtutem esse securam. Dæmones ab illo ex energumenis pulsi clamabant, se illius *mansuetudinem* ferre non posse. Vesperi antequam cubitum concederet sese ita componebat, quasi verè nocte illâ esset migraturus è vita.

Obed.

Oratio.

Mãsuetudo.

Mors. Vespers.

FRANCISCVS HORTVLANVS COAD.

MAter, & Obstetrix affirmant illum statim atque est natus iunctis instar orantis manibus, clarâ voce distinctè dixisse MARIA, MARIA! Is classe humanitatis ad Societatem impetrauit pro Coadiutore admitti, post fædas calumnias semper Virgo vsque ad mortem. Præsente Beatiss. Virgine, ac Sanctis Angelis à Sacerdote ignoto, cælesti pane refici sibi visus est aliquando, cùm obedientiæ opus vrgeret, nec posset diutius expectare. A dæmonibus quâ terriculamentis, quâ minis, qua plagis multa perpessus, ab Angelis defensus est; voce quoque audita, quæ canebat: *Smite illum mihi, quia meus est, & non Vester.* In repentino quodam mortis periculo ab equo iam opprimendus, S. P. Ignatium enixè inuocans, illum vidit; qui apprehenso equi fræno Franciscum in securo collocans benè illum sperare iussit: breui enim se ab Ecclesia ritè in Sanctorum Catalogum referendum : id, quod Franciscus vehementer desiderabat semper, & postea vidit. Ægro cuidam nostro cum seruiret, Crucifixum apertis ad amplexum brachiis vidisse ferunt, & se ab eo nunquam deserendum audiuisse Plura de illo, & mira, vide in eius vita. Elogia Bœticæ Prou. hoc die ponunt P. Franc. Gomez. Alij crastino die.

Hispanus Calati 20. Dec. 1621. ætat 79. Societ. 57.

B V.

Eucharist. Obedient.

Angeli fiducia.

S. P. Ignat.

Charitas. Crucifixus. Ægri.

XXI. DIE

XXI. DIE DECEMBRIS.

P. FRANCISCVS GOMEZ.

21. Decemb. Hispanus Cordubæ. 1576. ætat. 52. Soc. 17. alius ponit 10 Dec

Hic verè omnes religiosè, ac doctè docendi, & persanctè gubernandi artes ingenio, modestiâ, facilitate, orandi assiduitate coniunxit. Dæmonem aliquando in lectulo suo repertum dicitur humilitate fugasse. Illud illi pium accidit, ac iucundum, quòd cùm Cordubensi Collegio præesset Rector, & ipso Pentecostes die pro aris diuinum Sacrificium celebraret, super celebrantis caput pulcherrimo candore amabilem Columbam consedisse ferant. Cumque illa inde aspelleretur, illam volatu iterùm repetito ad caput P. Francisci rediisse; seque istic, vt priùs, blandè collocâsse; iterumque depulsam, tertiùm istuc reuersam ibidem quieuisse: donec Ioannes de Caizedo ædituus, illam è Patris capite acceptam in Sacrario deposuit. Et verò columbinæ omninò simplicitatis ingenium fuisse Francisco aiunt omnes, qui eo, vel Magistro vsi sunt, vel Rectore.

Sacrum. *Columbæ.* *Superior.*

P. PETRVS CANISIVS.

Belga Triburgi. 21. Dec 1589. ætat. 77. Societ. 55.

NAtus est eo anno, & mense quo S. P. Ignatius vulneratus, à B. V. visitatus, denique conuersus est. Eius Matrem monuit fœmina opinione eximiæ virtutis vulgo notæ, vt illum attentè educaret: illum enim referendum in censum religiosæ familiæ prodituræ in Ecclesia Dei, eidemque vtilitates maximas allaturæ. Pro re Catholica, pro bonis moribus, pro Societate præclara gessit apud Principes sacros, & alios; voce, calamo, ac exemplo. In Italia, Austria, Bohemia, Bauaria Societatem doctrinâ suâ, & virtute apprimè ornauit: oblatam sibi à Rege Insulam Viennensem non admisit: ab aquarum periculo per iter aliquando ab apparente, & mox euanescente Angelo Custode creptus est. Laurentium Surium adolescentem incautè à Lutheranis seductum ad bonâ mentem reduxit. Anno 1570. ad B. V. Betinganam dæmonem è virginis nobilis corpore, ope Beatiss. Virginis mirificè tortum ea quæ contra Deiparam dixerat recantare coëgit, & abegit. Marci Fuggeri Dynastæ vxor Lutherana dixit; noctu oblatam sibi Canisij speciem per quietem seque ab illo monitam, vt animæ suæ consuleret. Accersito deinde, visoque Canisio illum eundem fuisse quem somnians vidisset agnouit; & ab eo instructa conuersaque ad fidem, suæ animæ benè consuluit. At Canisium nemo nouerit, nisi vitam illius legat; vbi præter alia, quæ imitationem, admirationemq; merentur, obedientię vndequaque numeris omnibus exaggeratæ laus reliquas ferè illius laudes, multas licèt magnasque, supergressa resplendet. Morbus illius, & mors descripta est in pretiosis occupationibus morientium in Societate.

Angelus. *B. V.* *Fides.* *Obedientia.*

P. ALE-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

P. ALEXANDER VOIT.

Germanus Commotouij. 21 Dec. 1595.

CVm valeret, à modestia, & prudentia còque singulari apud Proceres gratiâ; cùm ægrotaret, ab egregia patientia insignitè laudatus est. Regebat Pragense Collegium cùm Commotouij decessit. De quo (inquiunt Pragenses literæ in annum 1593.) mirum quiddam Regni Præfectus, idemque Commotouiensis Collegij Conditor nobis retulit. Eadem nocte quâ P. Alexander decessit, per quietem sibi eius speciem oblatam, iubentis eum bono animo esse; se quia parem illi gratiam in hac vita referre non potuerit, certè in Cælo cumulatissimè relaturum. Adeò manet immortaliter viua memoria beneficiorum in Sociis etiam vitâ functis, quæ certè otiosa non est in Cælo.

Gratus animus erga benef.

Mors.

P. IOANNES DE PLAZA.

Hispanus in noua Hispania. 11. Dec. 1602. ætat 75. Societ 49. *Superior.*

ARte, seipsum, Collegia, Nouitios ac Prouinciam regendi fuit planè insignis. Dixit aliquando; se per tres annos à Deo petiisse gratiam, & modum alios aptè coarguendi, ac emendandi. Nihil in illo nutus, aut verborum erat quod iocum, quod aculeum, quod minorem de quopiam existimationem præseferret. In concionibus potens, ac solidus, aiebat Angelum Custodem cliente vno à Deo assignato esse contentam; quare Concionatori quoque sufficere debere paucos auditores. Conciones illius mirum in modum alebant virtutem, ceu solidum alimentum. Sacrum illius audire, erat incendi tantâ eius modestiâ, reuerentiâ, lachrymis quæ illi aliquando verba ipsa interrumpebant. Morborum, ac dolorum plenus, Tu, aiebat, percute me tuo flagello, Domine, & ego dicam *Miserere*. Per annos integros nec pedes, nec manus, nec caput poterat commouere, altero etiam oculo captus, & lætus quòd oculorum peccata sic expiaret. Si quid virium persentiscceret in manibus, conabatur flagello sibi ictus infligere, & cùm non posset, dicebat: Domine, facio quod possum. Magnus Magister spiritus cùm esset, Sanctimoniæ firmitatem ponebat in obedientia, & oratione, ita vt disciplina domestica sanctè seruetur. Inter multos parùm, & nihil nugarum, nihil de vllo non benè dicendum aiebat. Nihil bonæ inspirationis in diem posterum differendum, si hodiè fieri possit, &c.

Sacrum. Morbi.

Mortific.

P. IOANNES ISENBRANT.

VIr impiger, & promptus ad omnia, licèt plurima faceret, se tamen existimabat nil agere. Pridie morbi vltimi ad ægros euocatus, pro more, ibat libenter. Et Socio; Ego; inquit, hac nocte benè vigil tantum lumen in cubiculo meo vidi, vt diem illuxisse arbitrarer. quid hoc lumen portendere voluerit, ignoro. Ego sanè in manu Dei sum. Breui morbo ab ægris hausto è vita sublatus, cùm in Sarcophago septem iam, vel octo à morte horis iaceret cadauer, & idem eius socius illac fortè transiret, audiri visæ sunt claræ, ac distinctæ tanquam viuentis Patris Ioannis voces in hoc verbum tertiò repetitæ. *Libenter! libenter! libenter!* quibus ille verbis, velut antiphonâ solemni singulis Superiorum imperiis respondere solebat, quidquid agere iuberetur, dicens ageuisque *libenter*. Ita hæc, & ex viui, &

Belga Antuerpiæ. 11. Decembris 1614. ætat. 36. Soc. 17.

Obedient.

& ex mortui P. Ioannis ore audiuit idem frater. P. Francisco Bray etiam visus paulò post augustiore quadam formâ, & veste immortaliter splendidâ glorioſus, eundem obeundæ breui mortis admonuit : cui etiam euentus respondit.

P. IORDANVS CASCINI.

Italus Panormi. 21. Decembris 1635. ætat. 70 Soc. 48.

CVm Collegia, & Prouincias gubernaret, regebatur æternis rationibus, non humanis. Humilitate fuit insigni : quâ etiam languidos quosdam ad studium virtutis accendit, ad eorum pedes proiectus, & supplex in genua. Confessiones pauperum excipiebat perlibenter : ac persæpè abluebat illorum pedes, & vestiebat. Aiunt eum, cùm præesset, veste sibi detractâ pauperem aliquando induisse, Angelo etiam aliquando illi se inter pauperes offerente. Angelus tutelaris cuidam auctor fuit vt P. Iordanum ducem sequeretur, & eius rectioni consiliisque pareret.

Humilit.

Angelus.

Obedient.

P. IOANNES BAPT. WENDELINVS.

Belga Audomari. 21. Decembris 1643 ætat. 73. Soc. 52.

AB omni recreatione, ac interspiratione alienus, quâ Flandricè, quâ Gallicè dicebat ad concionem : cùm tamen confessiones benè manè audire inciperet; ac Sodalitatem Flandricam per ipsos 25. annos gubernaret. Neminem visitabat, nisi ægrum; domi seuerè ad communis ordinis obseruantiam attentus. Nullum diem abire sinebat, quo flagellis in se non sæuiret. Multi maleficiis, dæmonibusque obnoxij, fassi sunt, se illius consiliis liberatos. Eapropter dæmon illum pessimè aliquando toto corpore concussit, nec priùs illum, quàm ille ad Superioris cubiculum (velut ad asylum) conuolasset, deseruit. Pudicitiâ fuit circumspectâ valdè, licèt se ad sordes illas diuino munere tam non procliuem fateretur, vt sibi ipsi saxum ad similia videretur. Persæpè rogârat Deum, vt stans in laboribus morte non ignauâ moreretur. Et impetrauit. Etenim hoc ipso die cùm in Parochiali templo Flandricè ad Populum diceret; lapsus in deliquium, ita vt optâuerat in labore ipso requieuit à laboribus suis : atque ita vt erat concionali, vt aiunt superpelliceo stolâque (pro more) amictus, magnâ Cleri populique frequentiâ, latè personante omni ære campano, ad Collegium est deportatus.

Mortific.

Dæmon.

Superior.

Castitas.

Mors.

P. IVDOCVS ANDRIES.

Belga Bruxellis. 21. Decembris. 1658. ætat. 70. Soc. 52.

ECclesiastæ munere adeò valuit vt licèt frequentissimè, audiretur, semper tamen plenum ad non ieiunè dicendum pectus afferret, atque à celebrioribus Vrbibus certatim expeteretur. Cùm Gandaui de B. Virginis doloribus per octo dies illi sacros diceret ad concionem, visa est eius facies quadam luce circumfusa, & quasi radios fundens; idque affirmantibus testibus oculatis & fidem à magna virtute commeritis. Alius eo audito dicebat; mirabilem esse illum Iesuitam qui ad populum dixerit. Vidi enim, aiebat, quasi stellam fulgentem dicentis vertici insidere. Pios libellos plures conscripsit, qui libenter leguntur. Sanctî nomen vulgo illi datum. Virginitatem perpetuam fidelis custos magnâ oculorum modestiâ, omnis fœmineæ familiaritatis fugâ, orandi ac se afflictandi assiduitate circumsepsit. Paupertas illi arcta, nitida, & ad

B.V.

Concionat.

Stella.

Mortif. minima quæque cauenda intenta. Inedia crebra, etiam cùm quotidie concionem haberet. Cilicium aspectu quoque horridum. Flagra vel intra diem vnicum non semel repetita, quibus in se adeò sæuiebat vt sanguine affluenter maderet, cubiculumque perspergeret; noctu quoque sæuire in se auditus.

XXII. DIE DECEMBRIS.

P. IOANNES ROGERIVS.

22. Decēb. Hispanus Calari 1609 ætat. 30. Societ. 15.

ATeneris Deiparæ deuotus, ante initam Societatem voto se in obsequium Virginis Matris obstrinxit. Reperta est scheda, in qua conceptis verbis votum suum descripserat; nihil se eorum vnquam denegaturum, quæ à se B. Virginis interposito nomine efflagitarentur, si posset annuere. In studendo, & aliis quæcumque occurrebant officiis fuit assiduus; & multa in Deiparæ honorem, velut apis argumentosa eruditè collegerat quibus eius mors lucem inuidit.

B V.

Humilit. Humilitate fuit tantus, vt quemadmodum superbiæ Angelus Coadiutoribus tentatis persuadet, vt ad Sacerdotum dignitatem aspirent; ita illi humillimæ Virginis Matris amor atque humilitas persuaserit vt apud Superiores enixè contenderet in Coadiutorum album adscribi, & abiectissimis ac difficillimis quibusque laboribus admoueri.

P. THOMAS HOLLANDVS.

Anglus I. Ō dini. 22. Decembris 1642. ætat. 42. Soc. 19.

MOrum elegantiâ, ac virtute in placido ingenio magis gratâ & enitescente fuit eximius. Puer olim in Audomarensi ephebio cùm Sodalium Deiparæ albo esset inscriptus, cum duobus aliis è Parthenio illo cœtu in præstitutum locum conueniebat. Ibi preces ad cæli Augustam fusæ, habitaque de illâ pia colloquia. Tum in eiusdem Virginis honorem ea humilitatis exercitatio est inita, vt vicissim alter alterum commonefaceret de erratis, si quidpiam in Socio aduertisset. In Societate quoque tantâ pollebat gratiâ & eruditione in serendis diuinis colloquiis, vt *conflatus è spiritu, & Bibliotheca librorum Spiritualium* diceretur. Cùm iuuenes in Seminario regeret, illos præclarè in spiritu educabat, & persæpè se pro salute illorum flagris accipiebat. In Anglia totus licèt in Catholicorum salutem esset intentus, tamen dexteritate mirâ se ab hæreticis tuebatur, alium pro alio scitè simulans, citra mendacium. Londini ab Apostata fidei proditus, 14. Octobris tentus, postea capitis damnatus est; Iudice ipso disertè fassо pro tribunali palàm: nihil criminis illum habere quàm *quòd sit Sacerdos Catholicus*. Auditâ capitali sententiâ Thomas lætè respondit: *Deo gratias!* In carcere autem, Socios ad *Te Deum laudamus* vnà recitandum inuitauit. Moriturus, aiebat se esse Catholicum Sacerdotem, & Iesuitam; paratum autem religionis causâ pro Deo ponere vel tot vitas quot haberet capillos in capite, quotque in Oceano essent guttæ, ac perfectiones in Deo. Cùm iam suspendendus esset, clausit oculos tantisper; ac mox apertos in quendam de

B V.

Humil.

Pia colloquia.

Mortificat.

Fides.

Amor Dei.

de Societate istic præsentem coniecit ex initâ pactione; quod erat signum eum peccata fatentem è formula Ecclesiæ absoluendi. Tum appensus, strangulatus, deiectus è furcâ, & in partes quadrifariam sectus est, pro more Anglicano.

XXIII DIE DECEMBRIS.

PAVLVS ALACZKAI. SCHOL.

13 Decemb. Hungarus Græcis. 1602

HVius obitum, hoc die signant Stratius & Alegambe, eumque vterque ornat laudibus ferè illis, quas habent annuæ quæ de illo sic. Paulus Alaczkai iuuenis eo ingenio, câ spe qualem in Societatis Scholastica requiras. Hic in Hungaria præter diligentiam in informanda literis iuuentute probatam, zelum etiam animarum concionando non vulgarem ostendit tùm festis diebus cælo siue miti, siue tempestuoso, & magnis, vt plurimum imbribus, & niuibus infesto per agros prataque sæpè ad medium crus aquis ex imbre collectis stagnantia vada transire coactus, non minus leucam ab oppido itabat, & subditos nostros ab hæresi ad auitum religionis cultum alliciebat. Animam iam proximè redditurus, cum Deo, cum Virgine matre, cum Diuis Societatis tutelaribus sermocinationem Religioso congruam coram binis Sacerdotibus instituit. Percurrit deinde vniuersa Redemptoris nostri mysteria eaque omnia veluti in vnum collecta fascem æterno Patri pro occultis apertisque delictis obtulit, & spei plenus ad Christum cui seruierat, demigrauit.

Zelus.

Patientia.

Mors.

P. ROBERTVS CVISSOTVS.

DEo admirabiliter familiaris totus inde tam altam sui despicientiam hauriebat, vt se non nisi inferno dignum opinaretur. Vnde negabat se vllis dæmonis machinis posse ad arrogantiam eleuari vel inflari, introspecto suo Crucifixo, de quo tam crebrò meditabatur, vt plures P. Costeri de Christo patiente meditationes memoriâ tenuerit. Ante sacrum duas orationi horas dabat deinde duobus tribusue sacris intererat. Quoties noctu expergiscebatur, toties præstitutum iam ictuum numerum sibi infligebat. Aiebat Ruthenensis Antistes, solo huius Patris aspectu aspicientibus cælestem quendam diuini amoris igniculum iniici. Pro morte, præparata iam ante librorum capita sibi prælegi voluit, inter quæ fuit B. Aloysij mors. siue viuimus, aiebat, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur, &c. Sæpè illi in ore cælites tutelares post Christum vt B.V.S. Ioseph, Robertus, Ign. Xauerius.

Gallus Mauriaci. 23. Dec. 1610 ætat. 65. Societ. 40.

Humilit.

Sacrum.

Noctu.

Mortific.

Mors.

P. BALTHASAR DE BVS.

NEpos hic fuit magni illius Cæsaris de Bus, cuius illustre in Gallia nomen & vita conscripta passim celebratur ab existimatione summæ virtutis.

Gallus Carpentoracti. 23. Decemb. 1658. ætat. 68. Soc. 51.

Vocatio. tutis. Hic Cæsar aiebat se per ipsos quatuor annos à Deo supplicem petiuisse, vt Balthasarem ad Societatem Iesu adsciisceret. id quod etiam obtinuit.

Mortific. Ab ipso aditæ Societatis exordio totus erat vt austero viuendi modo carnem spiritui subderet, ac diuino amori in holocaustum daret. Vn-

Lectio. de perdiligenti librorum volutatione inuestigabat exempla tum veterum Patrum, tum domi recentia, in quibus heroicæ quædam carnem afflictandi artes potissimum elucerent, eaque collecta seruabat pro inuitamento ad imitatricem industriæ suæ incitationem. Et verò adeò fortiter summos quoq; in illo virtutis genere est imitatus, quoad ei per obedientiam, id licuit, vt iis quos latere non poterat fuerit magnæ admirationi.

Interea verò dum Balthasar carnem tantâ duritie cruciaret, Deus eius animum eò maioribus è cælo voluptatibus perfundebat: adeò vt ei suspectæ visæ fuerint aliquando tantæ illæ deliciæ quibus toto animo æstuabat.

Obedient. Parendi studium in illo maius erat quàm vt quocunque quantumlibet arduo imperio labefactari posset. Neque quicquam infra dignitatem suam esse putabat quod diuinæ voluntatis interpres obedientia nunciabat. A Theologicis disciplinis, quas cum laude tradebat, ad Rhetoricam cathedram redire iussus, eâ alacritate animi obtemperauit quâ decebat eum qui in hoc & aliis obedientiæ documentis vir erat omnium temporum, seu horarum, paratus vbique semper ad omnia.

Tametsi sese ad infimos quoslibet potiùs demitteret, ac illos præ aliis quæreret; tamen à summis etiam quærebatur, & amabatur; ob suauissimam quandam scientiam Sanctorum quam ex eius ore legebant audientes, nunc verò discunt è libris qui eius lucubrationes cælesti nectare conditas voluunt.

Anno ætatis quadragesimo potissimum videtur ad excelsiora quædam diuini amoris adyta penetrasse in Deo vbique præsente amanter cogitando assiduus; longo vsu facilem ei reddente illam diuini amoris industriam, vt semper habitaret in abscondito vultus præsentis Dei; fatereturque cupiam aliquando, se per amorem Deo adeò adhærere, vt haud facilè posset mentem ab illo ad creata hæc auocare. *Amor Dei.*

Biennio ante mortem videbatur eius venientis tempus non ignorare. Quicquid sibi in tempus illud extremum præparauerat exercitationum, cum magna tranquillitate est executus. Sub extremum, hymno, *Te Deum laudamus* recitato, gratias egit Deo quòd in Societate moreretur. Cruci affixo Christo arrepto ea dixit quæ Dei sui amantissimus animus dictabat, & quæ decebant virum verè humilem corde. Adiecit demum velut pro coronamento vitæ suæ actus amoris Dei, & doloris, recitato solenni illo Ecclesiæ carmine, *Dies iræ, dies illa*, magnâ cordis teneri ac dolentis significatione. *Mors.*

Aiunt cordium secreta quædam introspexisse nonnunquam; & Sanctimoniales aliquando monuisse, vt è loco in quo congregatæ erant omnes illicò discederent. Paruisse illas: & fornicem corruisse, illas oppressurum nisi Patris consilio obtemperassent.

XXIV. DIE DECEMBRIS.

PETRVS CORREA, ET IOANNES SOSA.

14. Decēb. Lusitanus in Brasil. 1554. Soc. 5.

HOs hoc die collocat Stratius in Menologio; Catalogus tantùm in Decembri ponit. Correa vir nobilis, Brasilos cum ea quam ductabat militum manu capiebat, & ad Lusitanorum seruitutem venales damnabat Monitus, resipuit, & Societatem iniit, ad eosdem pro cælo capiendos, id quod per annos quinque impensè præstitit, ad Carigios vnà cum Sosa coquo Coadiutore profectus, & Brasilis *Doctor eloquentiæ* appellatus. Ceruix ei vesperi lethali vulnere saucia, postridiè repentè sana, & oculorum dolor accerrimus confestim extinctus, precibus Sociorum. Homines epulis barbaris destinatos: clam dextrè baptizabat, aquâ è strophiolo expressâ. Apud Carigios cum socio feliciter rem gerebat: sed quidam furens libidine (quem ille à deuoraturorum illum Brasilorum cultro carnario liberârat) qui auulsam à se (è ritu legis Christi) pellicem dolebat, barbaris in eos concitatis effecit, vt mortem illis conscisceret. Ergo Sosam primùm, deinde Corream, vtrumque in genua procumbentem, sagittis interimunt; Christianis cum lugentibus, & vnicum veritatis interpretem, omniumque Patrem, fratrem, amicum do lenter clamantibus.

P. GEORGIVS ALVAREZ.

MOrientem Rodericum de Flores rogabat P. Georgius vt mortem illi citam à Deo impetraret. An non posses, aiebat, mihi à Deo obtinere, vt proximum Christi nascentis diem in cælo celebrem? Recepit Rodericus id se facturum. Et P. Georgius è sano breuì (11. Decembris) æger, 24. Decembris optatâ morte migrauit è vita. Visus est non ab vno sæpè in nouo quodam sacello; clausâ fenestrâ & portâ, ad aram quodam lumine, ac decore insigni circumdatus. Magnâ siti animarum ardebat, magnâ in permouendis ad lachrymas obstinatis efficacitate pollebat. Persuasit suo parenti vt se ad exercitia apud nos facienda reciperet. Sed ne istic otio nimio torperet, P. Rectorem rogauit, vt illi calceos faciendos vel reficiendos mitteret: illum enim arte suâ sutorem esse, nec debere tempus otio terere. Eius vita dabitur ad annum 1584. quo anno eius laudatè meminit Societatis historia.

Hispanus Hispali. 24. Dec. 1584. ætat. 55. Soc. 28.

Mors.

Humilis.

P. CLAVDIVS MATTHÆVS.

HVmili stirpe, ac paupere domo natus, virtute, ac ingenio tamen eò euasit, vt Henricus III. Gall. Rex frequenter per duas tresue horas ab eius ore penderet; Et Guisianus Dux ferè quotidie cum illo versaretur familiariter, ac iucundè, atque ab eodem per dies 40. asceti S. P. Ignatij,

Gallus Anconæ 24. Dec. 1587.

Exercitia. exerceretur, per eos dies nemine ad se, nisi famulorum vno, admisso. Romæ in Comitio generali de Præposito Societatis vniuersæ deligendo agebatur. Aderat & Claudius; atque vt suffragatio è Dei gloria cederet, Deum flagrantiùs precabatur; eò tempore Beatissimam Dei Matrem conspexisse fertur cum S. Bernardo è Cælo venientem, quæ P. Claudium Aquauiuam Christo sistebat, & pro ea præfectura vnicè commendabat. Videbatur verò haud ignarus Claudium in eâ rectione diu victurum. Etenim aiebat Sociis in Gallia; Bono vt animo essent: neque enim (vt fit) pro Generali eligendo illos disciplinam subituros, ante annos facilè triginta elapsos. Et vates fuit. Cùm Prouinciam gubernaret certior fiebat diuinitùs quoties aliquis in Prouincia moriebatur. In postremo Romam itinere quotidie per horæ dimidium exhortationem habebat ad Comites, vel ad aliquem famulorum; quotidie item se acriter verberabat. Redeuntem Anconæ mors occupauit.

Oratio.

P. Aquau.

B.V.

Mors.

Mortific.

Iter.

P. ANDREAS CARO.

Italus in Philippinis. 24 Decēb. 1620. ORandi studio assiduus fuit efficacitate mirabilis. In Philippinis apud Tagalos fœmina mortuali quodam deliquio (alij mortuam opinabantur) absorpta, orante Deum instanter Andrea, velut à profundo somno experrecta, Sacramentis munita requieuit in pace, magnâ omnium admiratione. Totus erat in Deo, totus in studiis vitæ Apostolicæ, adeò vt cognomentum *Patris Spiritualis* illi adhæserit etiam inter domesticos. Franciscus Colin Prouincialis in sua historia impressa de Philippinis ait illum diuino amore arsisse: ac circa festa Pentecostes delectorum quorundam è Sociis opem, velut pacto mutuo inito, imploraſſe, vt in partem venirent apparationis & impetrationis amoris diuini à Spiritu sancto, qui amor est. Mirabilis erat viri ardor ac teneritas cùm de Christi vulneribus, ac potissimùm de vulnere lateris, loqueretur. Extremâ ante supremum suum diem nocte ijs qui ægro aderant narrauit exempla eorum quorum singularem erga Christi vulnera pietatē variis deliciis, & morte suauissimâ coronauit Deus. Et disertis verbis hortatus est omnes vt quàm maximoperè amarent Deum: addebatque momenta rationum quibus audientium pectora, & cordium veluti meditullium penetrabat. Vitæ ac virtutis eius compendium in eo situm erat, vt communem Societatis viuendi normam vndequaque persanctè impleret. Rogabat Superiores vt securi de illo disponerent, & eum quando ac vbi vellent adhiberent. Vnde solatium erat omnium, atque refugium. Deiparæ in Monteserrato per iter olim visitatæ fuit longè addictissimus; & in S. Michaële, altare illi erexit, in quo Deiparæ de Monteserrato imaginem collocauit ad incitandam populi quem ipse Christo genuerat, pietatem in Philippinis.

Amor Dei.

Mors.

B.V.

XXV. DIE

XXV. DIE DECEMBRIS.

P. DANIEL PAEIBRVCK.

25 Decēb. Belga Panormi 1558. Societ. 14.

AD opus animarum, & ad regendum fuit apprimè solers, atque idoneus, vt habet latiùs Societatis historia. Ante mortem diebus aliquot significauit P. Paulo Achilli Rectori, & P. Domenecio Prouinciali, se ad cælum à tribus adolescentibus inuitatum. Apparuisse sibi iuuenem cum duobus Comitibus, qui dixerit; migraturum è vita die natali Christi post prandium. Vaticinationi respondit euentus. Non caruit tamen aliquo conscientiæ morsu moriens P. Daniel, ne fortè quid studij contulisset in peregrinas linguas quod animis potuisset impendi. Elogia è Sicilia missa, aiunt illum à cælitibus, & ante mortem de morte tali die obeunda monitum, & ipso mortis die ab iisdem cultu splendido glorioso, in ipso agone visitatum; ac ad cælestem felicitatem deductum. Ad hæc post mortem etiam cuipiam, cui confitenti aures dabat cùm viueret, promissi memorem apparuisse.

Amor Dei.

Angelus.

Mors.

Mors.

B. V.

P. EMMANVEL FERNANDEZ.

Lusitanus Fremonæ. 25. Decemb. 1593. Soc. 40

PAndreæ Ouiedo superstes socius multa cum illo, multa post illum tolerauit, & fecit apud Indos, ac Æthiopes; non sine præsentissimo capitis periculo. Nestoriano Monacho contra Catholicos Imperatorem concitare contendente, prædixit Catholicos ab eo quod illis ille machinaretur intactos fore; illum autem breui de vita exiturum. Ita euenit. Octauo ante mortem die iam æger affirmauit sperare se vitam inchoaturum in cælo ipsâ die Christi nascentis in terris. Morienti adfuisse aiunt præsentem, & solatam Virginem Matrem; id quod ille ipsâ suæ mortis horâ Francisco Lopez Coadiutori disertè dixit. Ad B. Virginem; *Ah*, aiebat, *Domina mea! Ah Domina mea!* Roganti Francisco Lopez, ecquid esset; *Vidi*, inquit, *Virginem Deiparam pulchritudine diuinâ mirabilem. Sine, me abeuntem sequi.* Et secutus est.

B. V.

MICHAEL NACASCIMA.

Iapon. in Vrgenio Monte. 25. Dec. 1628.

PEr annos quindecim, Patribus seruiens multùm operæ contulit ad Christianam rem benè gerendam, & ipse quoque Christianos erudiuit, adiuuit. Ea propter captus, fustibus non semel vapulauit; & aliquando ex alto in aquas deiectus est. Supinus, aquâ in os infusâ, & vi rursum cum sanguine de corpore arctè compresso expressâ cruciatus, Soli torrendus expositus, ibi leni aurâ è cælo aspirante recreatus est. In Vrgenio, ad Nangasachum monte præalto, & intus igneo instar Vesuuij, atque bullientes aquas quæ in stagnum confluunt, effundente, aquis illis perfusus est. Sunt autem aquæ illæ noxiæ, bestiis etiam auibusque illac fortè volantibus. Si verò illis tingantur humana corpora, vlceribus doloribusque miserè cruciantur.

Fides.

Mõs igneus.

antur. Hos cruciatus expertus est persæpè Michaël, etiam per bullientia illa stagna traductus : atque inter hæc tormenta, cùm Christum ac fidem semper profiteretur, extinctus est. Lubet hac occasione hîc offerre legendum.

EDICTVM IAPONICVM.

Toxogunus Imperator, comperto Lusitanos Macaënses violare legem toto Iaponico imperio promulgatam, aduersus legem Dei, *missis Macao clam Pradicatoribus Euangelicis, qui inducendo Iapones ad mutandam Religionem, susceptâ Christianorum lege grauissima admittunt scelera morte digna.* Ad hoc, eosdem Lusitanos Macaënses annonam, & alia necessaria submittere, ac succurrere prædictis *Prædicatoribus, & Christianis, qui occultè viuunt in Iaponia id quod eadem lege vetitum est.* Idcirco publico edicto Lusitanis omnibus interdicit absolutè nauigationem & commercium Iaponiæ sub pœna mortis, & comburendæ nauis ac merciũ. Die 4. Augusti 1639.

Hinc liquidò patet, exilium, & mortes Christianis apud Iapones odio fidei irrogari.

XXVI. DIE DECEMBRIS.

IACOBVS VASSEROT COAD.

26. Decẽb. Gallus Carpentoracti. 1628. ætat. 41. Soc. 22.

INgenij ad omnem industriam, & labores nati vir ; cùm luem publicam ardere videret, vt suppetias ferre posset laborantibus, impetrauit. Pridie quàm egrederetur ad opitulandum infectis, Dominum IESVM habuit secundùm quietem præsentem, inquit in anni 1628. heroibus Alegambe, sed aduersum, ac sibi terga vertentem : quem ille cùm flexis genibus sequeretur, obsecrareque sua sibi vt peccata remitteret, visus est sibi eum videre rursus conuersum ad se, audireque dicentem : *Dimittuntur tibi peccata tua* ; quo facto euigilauit actutum, tantâ animi suauitate delibutus, vt dictu incredibile sit. Mox anteactæ vitæ noxis generali confessione expiatis, cùm sacro vesceretur epulo, tantum profudit lachrymarum, vt eas quoque Sacerdoti exprimeret opetanti. Porrò curâ omnium ægrorum in Limodochio susceptarum, ita corpora singulorum curabat & animos, vt Pater esse videretur vniuersorum. Dein Chirurgis morte sublatis, eorum ipse munus subire, venam ictis pestilentiâ sine metu laxare. His in operibus ipse bis eo malo appetitus est ; quo demũ etiam superatus, Sacramentis ex more perceptis, inter iteranda contritionis, & Charitatis officia vitam terminauit.

Christum.

Confessio.

Charitas.

MARCVS GRANDL. COAD.

Germanus Ratisbonæ 16. Decẽb. 1649. ætat. 63. Soc. 35.

AD officia Charitatis prompto semper obsequio sedulus fuit. De illo sic in pretiosis occupationibus morientium : Vitæ feliciter finiendæ quotidie intentus, ipse sibi Sandapilam construxit ; vt illam præ oculis, mortem verò præ corde haberet. Profuit viro ea prouidentia, ne mors aliud agentem opprimeret. Nam dum vniuersæ vitæ labes confessione diligenti

Mors.

Confessio

diligenti ad Sacerdotis aures deponeret, ipso illum in opere apoplexia, & mox ritè absolutum, mors oppressit, in ipsâ suâ intempestiuitate maximè tempestiua.

P. PETRVS CELLOT.

Gal'us Rhemis.16.Dec. 1654.ætat. 70.Soc.50.

CVm sacras literas explicaret. pro tribus quatuorue auditoribus quos habebat, non minùs diligenter parabat omnia(vt in annuis 1654.pag. 107.latiùs dixi) quàm si frequens esset auditor. Humaniora per annos nouem, Philosophiam, moralem Theologiam, ac diuinas literas perdiu explanauit. Rituum Ecclesiæ accuratus obseruator, & propositorum benè conceptorum tenax in paucis. Annis plus quàm octo ad ignem nunquam accessit. Ante absoluta studia, imò ante professionem nuncupatam, vix ad vllum literas dedit. Quicquid ei committebatur, perdiligenter ac religiosè exequebatur. Per ipsos 40. annos ne semel quidem repertus est publicæ consuetudini defuisse in surgendo ad primum æris campani sonum cum primis.

Charita.

Mortific.

Mand.

P. IGNATIVS FIALHO.

IN Mogoris imperio cùm secundo successu res fluere viderentur, Rege mortuo, filius, Mahometi æquò tenacior suffectus est; qui rem Christianam miserè perturbauit, & multos ad vomitum redire coëgit. In ea tempestate P. Ignatius cùm Christianos ad retinendam in suscepta religione constantiam acriter hortaretur, & Cruci affixi Christi effigiem manu efferens ostentaret, gladiis pluribus vulneratus, in opere nobili vitæ finem imposuit.

Lusitanus in Mogorea incerto mẽse.1633.

Fides.

XXVII. DIE DECEMBRIS.

PETRVS ALDEA NOVIT. SCHOL.

27.Decẽb. Hispanus Gadiæ. 1570

ANte initam Societatem liberioris vitæ pertæsus, iam se totum virtuti dederat, insigni exemplo. Tyrocinium illi ardens, maximas de illo virtutis accessiones promittebat sed altero mox anno Gandiæ ereptus est. Eodem verò tempore, quo ille Gandiæ moriebatur, Valentiæ Catharina Ferreria pia mulier (cuius hospitio vsus fuerat Petrus ante quàm ad Societatem reciperetur) nocte intempestâ orans, odore suauissimo perfundi sibi videbatur. Postridie eiusdem mane rito Francisco speciosus apparuisse fertur: & manu prehenso dixisse; se illius memorem esse, vt olim promiserat. Franciscus ad Petrum spectandum Catharinam coniugem excitauit. Negabat illa se videre quicquam: sed eorum filius octo annos natus aiebat: Petrum adesse, sibi videri & cubiculum totum esse præclarâ luce perfusum. Adesse cum illo socios ferè 40. sertis floreis redimitos palmisque instructos. Manè Catharina in Collegio hæc Sociis nostris retulit: & postea Gandiâ literæ mortis Petri nunciæ appulêre; vbi mortis tempus cum his benè congruere compertum est.

Odores.

Mors.

Sertaflorea.

IACOBVS BIRVVA COAD.

Belga Lādspergæ 27. Dec. 1596. ætat 82. Societ, 44.

ROmæ à Laynio Societatem obtinuit. Landspergæ Magistro Nouitiorum adiutor datus, id officium per annos 23. ita gessit, vt exemplo doceret Nouitios. Per ipsos 40. annos non iocus, non linguæ aliqua prolapsio, non aliud quicquam in eo notatum est quod aliquam peccati vel vmbram præseferret. Inter labores assiduos fuit in oratione. aquam lustralem vino, esculentis, & pharmacis piè permiscebat; putantur inde in magnâ vini caritate, vasa potum consuetum & pluribus, & diutiùs præbuisse. Herniâ cruciatus, eam voto ad S Bennonem facto ita mitigatam reperit, vt eius dolores rarò deinde persenserit. Dolores illos haud adeò acres esse dicebat quispiam; & sequenti nocte calculo grauiter cruciatus, temeritatis suæ pœnas se dare agnouit, ac postridie à Iacobo veniam & preces petiit, impetrauit, nec multò post conualuit. Si Patrem, quem comitabatur, diutiùs alicubi hæsurum arbitrabatur, se in aliquem Domus angulum recipiebat, piam aliquam Deiparæ, aut aliam, imaginem è sinu educebat, & positis humi genibus coram illa preces fundebat insigni emolumento exempli.

Linzua.

Aqua ben. ned.

S. Benno.

Oratio.

P. ANDREAS VITVS.

PRo re Catholica in Anglia propaganda multa tulit fecitque; carceres quoque perpessus, atque ad suspendium destinatus. Seuerus in corpus, illud, cùm aliis afflictationibus, gemino quorhebdomadis, eoque arcto ad panem vsque & aquam ieiunio, atterebat: neque sibi parcebat cùm iam octogesimum ætatis annum ageret, corpore valdè fracto ac tenui In carcere id factitantem cùm attonitus miraretur carceris custos & diceret; vt quid tam grandi natu corpusculum aspero adeò ieiunio afflictaret? Si ita rem ageret, viribus minimè parem fore vt è Tiburni furcâ rectus, pendeat. Mihi verò, respondit senex, istud ipsum ieiunium abundè virium submministrat ad quidlibet causâ Christi mei Domini perferendum. Postea perdiu toto corpore adeò languebat, vt dies quilibet illi fore vltimus crederetur. Sed ille, Nondum, aiebat, nondum venit hora mea, aut dies S. Ioanni Euangelistæ sacer. Eo die diluculo inter preces illa ei vox audiri visa est: *Hodie mecum eris.* Ergò Sacramenta quantocyùs expetiit, & impetrauit, licèt nihilo peius habere illo die quàm aliàs videretur. Et perceptis mysteriis breui eodem die diem iuit immortalem.

Anglus in Anglia 27. Dec. 1656. ætat. 80.

Mortific.

Ieiunium.

S. Ioannes Mors.

XXVIII. DIE

XXVIII. DIE DECEMBRIS.

P. MICHAEL GVBERNVS.

28. Decēb. Hispanus Valentiæ. 1583. Soc. 32.

Anglus in Anglia. 17. Dec. 1656. ætat. 80.

Mortific.

Ecclesiastes dulci tranquilloque dicendi modo amabilis at ob solidas, quas afferebat rationes aprimè efficax, atque acceptus in aula, & vbique, sed negabat se obiurgare quenquam posse. Incredibili amore tenebatur erga infantem IESVM, cuius in cubiculo effigiem, habebat semper, eamque sæpè lachrymis irrigabat. Ab illo aiebat se suas discere conciones, & omnia: Bibliothecam ingredienti aliquando apparuit vt credunt, infans IESVS: & cum P. Michael illi diceret sibi esse prohibitum. iam de illius infantiæ mysteriis meditari. Respondit paruulus: *I & pete veniam vt agere mecum possis*: Iuit, petiit, impetrauit, rediit; & eum postea cum IESV dulcissimè tractasse fama fuit. Plura de illo in vita ad annum 1583.

Conciones.

Infans Iesus.

Ieiunium.

Biblioth.

Obedient.

S. Ioannes, Mors.

ANTONIVS RODERICVS COAD.

Lusitanus Pernābuci in Brasilia. 28. Decēb. 1615 ætat. 90. Soc. 32.

De hoc sic annuæ Pernambucensis Collegij: Hac peculiari floruit pietate, vt quotquot ei Beatos singulorum mensium primordiis toto hoc tempore sors obtulerat inuariato ordine memoriâ retinens per dies singulos Litaniæ instar percurrerit, & quoties rogaretur, id etiam facilè præstiterit: Hic autem diuorum numerus ad trecentos supra nonaginta excreuit. Sic Deo vacabat, vt vnâ vel duabus horis ante alios è lecto surgens vsque ad solitam deprecationis horam precibus coram augustissimo Sacramento intenderet. Postea verò lætus (vt de more solebat) suum obibat munus, & laborem. Interrogatus semel de mœrore, ac lachrymis quas fundere visus est; mortis, inquit recordatione paulò ante pulsatus cùm essem, timui: quare ipsam timoris ignauiam his fletibus castigo. Nec immeritò ita respondit, quia ingentem gerebat spem salutis vnde crebro dictitabat: *Si me damnatum fore præscius esset Deus nequaquam in suam recepisset Societatem, huc verò delatus desperare iam non audeo.* Eô diem suum obiit, quô sanctorum Innocentiam solemnitas agitur.

Sancti.

Oratio.

Mors.

Vocatio.

P. NICOLAVS POLLIENVS.

Sabaudus in Gallia. 28. Decemb. 1623. ætat. 62. Soc. 34.

AD virtutem magis quàm ad literas natus; & silentij, cælitum, Deiparæ potissimum, amantissimus. Refert vir grauis è Clero, vt ferunt literæ, quòd cùm æger se inuisentis P. Nicolai precibus commendasset, die postera luce plenâ sub vesperum visam sibi Dei Matrem Maiestate magnâ cubiculum suum ingredi, quam pone sequeretur P. Nicolaus. Vigilanti sibi id euenisse spectaculum: & tunc à Diua Virgine se esse admonitum, vt filium suum, seque, imposterum coleret impensiùs. Eodem tempore ab eadem augusta Virgine iussum esse P. Nicolaum ad ægrum accedere propius, eiusque pectus tangere quod & fecit nec sine fructu manifesto. Æger P. Nicolaus nostros duos Anicium euntes rogauit vt ad B. Francisci de Sales Episcopi cineres id sibi

B V.

ægro impetrent, quo anniuersaria illius mortis id est SS. Innocentium die euocetur è vita. Et verè desiderato illo die excessit.

Mors.

P. PETRVS ANDREAS DE ZAMORA NOVIT.

Hispanus in Philippinis 28 Dec. 1639.

IN insula Mindanao videbatur semen fidei Christianæ nuper à Marcello Mastrillo iactum bonam messem promittere. P. Petrus Societate iterùm impetratâ, in ea secundùm tyros ad eius agri cultionem destinatus est, quia virtute iam benè maturus. Apud Buhayenses milites egregia de illius sanctimonia fuit opinio, cùm suo corpori pessimè faceret, aliis verò quàm optimè facere pro viribus conniteretur, nobili flagrantiâ charitatis. In omni rerum ad vitam degendam necessariarum penuriâ superabundabat gaudio, & valebat firmus corpore, animo firmior. Nitebatur omni operâ Mahometanos inter & Hispanos amicitiam componere; quò viam aperiret, ad eos Christo sic addicendos. Hoc agentem adorti Mahometani, vulneribus ita confecêre, vt tertio post die animam exhalârit.

Charitas.

P. ANTONIVS SOCIRO.

IN Ceilano insula per annos multos Christo militans multos ad eius fidem adduxit, pedes itinera ingentia exantlauit. Magnum in illo fuit orandi studium; incredibilis amor arctissimæ paupertatis. Opinio sanctimoniæ de illo tam erat peruulgata, vt sine illo in barbaros mouere Lusitani nollent: dicerentque; Deum ab eo exoratum dare victorias. Sitienti exercitui aliquando, veluti nouus Moyses fuit, quando fusis ad Deum precibus rupem baculo percussit, & aquam affluentissimè inde elicuit. Captus à victoribus barbaris, viuus ad eorum ducem adductus est. At ille indignatus est, quòd eum non trucidassent qui suorum Pagodum (idolorum) hostis esset tam acerbus, tamque infestus, ac noxius. Eo veluti signo necis dato, adactis in eius pectus hastis, cùm in genua prolaberetur atque oraret, perfossus est, & extinctus.

Lusitanus in Ceilano, incerto mê. se. 1637. ætat. 61. Societ. 45.

Oratio.

Oratio.

Fides.

XXIX. DIE DECEMBRIS.

MAG. IOANNES ROSENPLVEM.

29. Decêb. Germanus Græcij. 1620 ætat. 25. Societ. 7.

DOcebat Græcij ætatem teneriorem primâ Grammaticæ rudimenta, magnum Academiæ decus, & Angelicæ modestiæ documentum, eoque omnibus longè charissimus. Leobiensem probationis domum patrimonij sui hæredem scripsit. Mors illius plena fuit floridæ pietatis, quâ cælites patronos suos nominatim tenerè compellebat. Aiebat. *Veni, veni, veni, veni Domine veni: vbi es? Quare mihi non ades? Ad te desiderat Anima mea, Deus meus!* Hærebat in aspectu imaginis dulcissimæ Virginis Matris vsque ad extremum, aiebatque identidem: *In manus tuas, Domina mea, commendo spiritum meum.* Dicebat enim se Societatem ingressum, *ad Deo seruiendum & benè moriendum.* Nomen illi erat flos rosæ: & profectò suauissima

Benefactor.

Mors.

B V.

Mors.

sima eius virtus domi cum nostris, in schola, & in templo cum discipulis, ac vbique cum omnibus, optimo singularis exempli odore fragrabat, amabili ad sanctimoniam inuitamento tantæ quæ istic literis eruditur iuuentutis.

IOANNES DANIEL COAD.

Belga Montibus. 29. Dec. 1652. ætat. 63. Soc. 41.

IN variis versatus muneribus, in omnibus maximè sedulus fuit. Orandi simul, ac Deiparæ colendæ studio eximiè addictus; quam ille matrem admirabilem appellabat. si de illa vel ipse loqueretur, vel alios loquentes audiret; in suaues lachrymas soluebatur. Inde coram illius imagine genua flectere, illam floribus ornare pro deliciis habebat. Per plures hebdomadas coram eiusdem *Consolatricis* imagine supplex petebat curari ab hernia, quâ miserè torquebatur, cùm ecce illi inter orandum consopito adfuit Virgo Mater, *& dixit: Ioannes, vis sanari!* Respondit; se cupere, si id placeret Deo. Et euigilans gaudio lachrymisque perfusus, se penitus persanatum inuenit: id quod ab ordinario Cameracensi ritè examinatum, approbatum est, & confirmatum.

B.V.

P. BERNARDVS OPPEL.

Morauus Pragæ. 29. Dec. 1651.

E Canonico, Societatis religiosus, & mirè ad egregias animorum vtilitates natus, doctrinæ sacræ rudimenta fructu tanto, ac plausu per vrbicas plateas Pragæ tradidit, vt Archiepiscopus aliquot millia libellorum pro illis diuinioris doctrinæ rudimentis idoneorum typis edi ære suo curauerit, ac in paruulos disperserit. Magna in hoc viro fuit nobilissima quæque capita ad Catholicam fidem adducendi felicitas. Neopragæ Rector cùm esset, suas etiam vestes dabat suis, cùm aliunde prouidere per bellorum incommoda minùs posset. Pro Sociis peste ictis curandis, calices aliquot conflari curauit, ne quid charitati deesset. Egeno vltimâ necessitate presso vltimos quos habebat decem nummos argenteos dedit, & eorum loco totidem aureos nummos inuenit in scriniolo, doni authore diu quæsito, nec reperto, vt dixi in annuis.

Catechoses.

Charitas.

Eleemosyn.

P. IOANNES NVNNIVS.

Lusitanus Vlyssipponæ 29 Dec. 1656. ætat. 61. Soc. 45.

ASsidua illi erat cum Deo consuetudo: etiam noctu coram SS. Sacramento diu precabatur. Horas Canonicas nonnisi de genibus recitabat. Dorsũ flagris adeò cõcîderat, vt plagæ à tyrone quodam fortè conspectæ, nutantem eius animum in benè cœptis firmârint. Cùm primus in Aula Confessarius esset, submissas inde lautitias horrebat, magnâ anni parte cibario tantùm pane frigidâque soluens seuera ieiunia. Præter consueta cilicia, crucem aculeis asperam fouebat, stringebatque complexu, quæ cadaueri quoque illius affixa reperta est. Pro lectulo nihil è lino admisit. Voto nuncupato se obligauit ad fugam honoris omnis, etiam in Societate. Sed maiorum imperio compulsus præfuit Conimbricæ Nouitiis & Magister & Rector, ac Professis Præpositus; quæ ille munia quàm inuitus adiit tam religiosè obiuit. Palàm cum Nouitiis orabat immotus. Nec deest qui eum tunc sibi splendore quodam circumfusum conspectum affirmet. Quotidie se a criter verberabat: in quadragesima non nisi herbis vescebatur, & pane.

Mortific.

Aula.

Mortific.

pane. Conscientiam confessione quotidianâ perpurgabat, & flebat. Ad aulam eundum illi erat persæpè, non rarò ad tria vel quatuor millia passuum dissitam: neque tamen vnquam vehiculum iumentumue admisit. Inde illi maior tum in aula, tum domi authoritas. Multi proceres eius consilio vsi, liberali munificentiâ pauperes adiuuêre, religiosis familiis id luculenter expertis. Aulæ mores in pluribus emendauit. Multę fœminę principes ab eo didicêre vsum orationis quæ mente peragitur, & conscientiæ explorandæ. Vnde mira earum modestia, & in templo religio admirationi fuit; pluribus quàm vnquam ferè alias, etiam in sacra cœnobia sese abdentibus. Mortuum, in feretro per proceres adornato sex primæ dignitatis optimates humeris extulêre. Tota cubiculi illius supellex erat Christi flagris concisi effigies. Cilicium setis asperis horridum (quod ille vix vnquam ponebat) certatim à summis quibusque est expetitum.

Humil.

EMMANVEL
HENRIQVES COAD.

HVnc extremus vitæ dies ad B. Virginem de *Lapa* dictam inuenit, virum eidem Virgini apprimè addictum. Si tantum otij nanciscerętur, tres ipsas horas quotidie in oratione ponebat: ter se flagris cædebat quotidie: omnibus sextis feriis, & sabbatis ieiunabat: nihil omninò vel omittebat, vel faciebat quod non ex nutu maiorum esse putaret. Exquisitas carnis perdomandæ artes inueniebat, & adhibebat. Paupertati seuerè studebat adeò vt vestem intimam ducentis circiter frustulis centonis in modum consutam gestaret; videreturque vix vnquam mutasse vestes ab iis quas Societatem olim ingressus tyro acceperat. Eius vitam fusius perscriptam in Lusitania legi aiunt, quàm mihi videre necdum licuit.

Lusitania ad Conimbricam. 19. Dec. ætat. 60. Societ. 36.

Mortifc.

Paupertas.

XXX. DIE DECEMBRIS.

P. IOANNES
MONTOYA.

30. Decēb. Hispanus Potosij. 1590. ætat. 80.

AB ipso S. P. Ignatio ad Societatem admissus, ab Euerardo Mercuriano Peruanam Prouinciam impetrauit, cùm in Europa Prouincialis esset. Rebus desperanter afflictis ipse orando remedium inuenit. Iam 70. annos natus duas Indorum linguas didicit; adeò desiderabat animarum illarum lucris intendere. Eadem de causâ in missionibus plusquâ centum leucarum iter confecit pedes. Vnde pedes illi putrefiebant, & tibiæ plagis exulcerabantur. Famem, sitim generosè patiebatur, & paupertatem. Negabat tamen se pauperem esse: quippè cui ea quæ ad vitam degendam necessaria sunt non desint.

Oratio.

Zelus. Animarū.

Itinera.

P. EMMANVEL
SA.

ADolescens licèt iam tamen scientias sublimes docuit, B. Borgiæ quoque Magister domi. Scientiam singularem singulari cum virtute coniunxit. Aliquando à Iesv paruulo, & B. Virgine visitatum, & recreatum aiunt.

Lusitanus Aranæ. 30. Dec. 1539. ætat. 55. Societ. 16.

Iesus.

aiunt. Obitûs extremo die (quem prædixerat) illum Beatiss. V. Mater, & S. P. Ignatius inuisêre, vt fama est.

S. P. Ignat. B. V.

P. IOANNES STREMOSIVS.

Lusitanus Eboræ. 30. Dec. 1600. ætat. 110.

DE hoc duo præ aliis memorabilia comperio. Alterum quòd centesimum decimum ætatis annum viuendo excesserit: alterum, quòd cùm agere iam nihil posset, pati certe voluerit. Etenim, vt scribunt Eborenses, non obtusus illi erat animi ad pietatem vigor; vnde senile corpus multis quotidie flagris iuuenili prorsus, & hostili brachio feriebat.

Mortific.

P. PETRVS DE VRTEAGA.

Hispanus Hispali. 30. Dec. 1644. ætat. 76. Societ. 61.

AD populum plausu admirabili, & fructu dicebat. Cùm præesset, oratio illi erat asylum in egestate. Vnde in mensura bonâ, & præsenti inopiæ opportunâ domi purum triticum repertum est vbi ante non erat: neque resciscere vllus potuit vnde istuc aut à quo fuisset allatum, nisi à Deo cui Petrus rem domesticam in arctum redactam impensiùs commendârat. Extremo vitæ biennio cùm illi per paralysim diuinis operari non liceret, quotidie diuino epulo reficiebatur. Hispalensi Professorum Domui Præpositus, cum deliberaretur an in luto, ac turbato cælo exeundum esset ad catechesim per plateas rudibus, ac pueris faciendam. Respondit Petrus; Eundum esse: Deum rebus non defore. Vidit socios tunc ad templi principis gradus elementa doctrinæ Christianæ tradentes nobilis quispiam & locuples cantaber, & illicò ad P. Petrum aduolauit, seque illo Patrum docentium exemplo permotum dixit vt consuetæ aliàs eleemosynæ alterum tantum adiici iuberet à domesticis suis pro sustentandis Patribus tam sanctis. Syngrapham quoque P. Petro restituit, & simul dimisit quod in ea continebatur trium millium regalium debitum.

Oratio.

Eucharist. Morbus.

P. BERNARDVS NVGVEIRA.

Æthiop. in Regno Goiamæ. mense, ac die incerto. 1653.

LVsitano Patre viro nobili Fremonæ in Æthiopia natus, ab Emmanuele Almeida nostro diuinis literis egregiè imbutus, Alphonsi Mendez Patriarchæ comes, deinde Vicarius, & Rasselæ Christos in fidei odiũ à nepote Imperatore sui fratris filio postea suspensi confessarius fuit. Demum Societatem impetrauit; & in Regno Tygrè, ac deinde in Regno Goiamæ Catholicis magno fuit præsidio. Proditus tandem, ac tentus, detentus, decreto Catholicis qui Romanam fidem deserere nolunt supplicio, suspensus est; fassis ipsis quoque Schismaticis, & Rasselam Christos, & P. Bernardum eâ quę Romanæ fidei cultoribus infligi solet morte mulctatos.

Fides.

XXXI. DIE

XXXI. DIE DECEMBRIS.

MARCELLVS SCAGLIONE COAD.

31 Decemb. Italus Messanæ. 1630. ætat. 81. Societ. 56.

AB hoc, dum de iucunda Societate deliberaret, radium splendidum Societatis meundæ indicem in medio duorum obscuriorum visum ferunt in aëre; tunc animum ad Societatem adiecit: in qua dicunt eum ab Angelis & ab ipsa Beatissima Virgine visitatum. Consanguineorum literas (ne lectas quidem) discerpebat aut comburebat. Cùm & nobilis esset, & Sacerdotio idoneus, tamen elegit Coadiutoris in munere abiectus esse in Domo Dei. Ad perseuerantiam à Deo in Societate obtinendam, quotidie vnum è Sanctis præsentis diei eligebat, per quem id à Deo postularet. Intra 32. annos non nisi semel petiit exire domo. Per omnem vitam in prandio, & cœna eligebat aliquid melius à quo abstineret, illudque diuino amori offerret. Lachrymarum dono adeò pollebat, vt illas nec aliis præsentibus posset continere. Angelos, adolescentum instar, Beatissimam verò Virginem vidisse fertur in solio excelso, & veste aureis stellis distinctâ. Elogia Prouinciæ Bœticæ hoc die collocant P. Alphonsum Barzænam. Nos plures secuti, de illo egimus 1. Ianuarij.

Mortific. aff. consang.

Humil.

Sanctis.

Vocatio.

Mensa.

Amor Dei.

Mortific.

Angeli.

B. V.

P. IOANNES FRANCISCVS REGIS.

Gallus Laboueſci. 31. Dec. 1640. ætat 44. Societ 25.

MAgno animarum studio iam inde à iuuentute ardebat; Dei amore, ac sui odio plenus. In schola & artes Dei Matrem colendi, & modum eliciendi actum contritionis docebat suos discipulos: id quòd cùm ageret aliquando, in lachrymas affluenter effusus est. Paupertatis, ac pauperum erat amantissimus: & qui erat filius paupertatis vt Matris; etiam Patris pauperum, ac Sancti nomine vulgo appellabatur. Area pauperum in qua apud Ciuem quendam Anicij frumentum pauperum condebatur, illo id procurante, cùm propè iam exhausta esset, eamque videre optaret, plenam inuenit, stupente fœminâ quæ ipsa frumentum inde in pauperes erogârat. Missionum sanctè cum fructu exantlandarum viua imago erat, Sodalitiis erectis, labore magno per altas niues, per plura pericula & ærumnas, montes perreptans, & sudore glorioso, fame, siti gloriosus. Incisa æri Antuerpiæ illius effigies epigraphem habet in qua ab animarum zelo, ab obedientia, & humilitate laudatur. Cuidam peccata confesso pollicitus est, se pro eo sibi verbera quadragies inflicturum, illi leui pœnâ impositâ, cùm ita res postularet. Teterrimis morbis afflictos amantissimè procurabat: pesti quoque sese offerens ad infectos, quod tamen haud potuit obtinere. In asserе ferè cubabat, & veste non positâ: neque nisi tres horas dormiebat; sed in sacris expeditionibus foris sæpè vix duas, vt confitentes audiret, diuini officij pensum persolueret, ac ad populum dicenda meditaretur, parabili quidem apparatu, sed efficacitate omnis artis industriam supergressâ. Cùm foris ageret, neglecto prandio, vesperi tantùm reficiebat fessum corpus, idque ferè lacte, pomis

Amor Dei.

Charitas.

Mortif.

mis &c. non carnibus; Et vino parcè ac rarò; pane autem cibario, & mendicato; singulis propè noctibus acri sui verberatione adiectâ. Huic sui afflictationi orationem addebat. In pago S. Boniti missionem celebrabat; ibi cum nocte intempestâ Parochus crudâ hieme reperit pro templi foribus pernoctantem in oratione Dei. Quare, templi clauibus illi datis, potestatem ei fecit ingrediendi cùm vellet. Fecit id P. Franciscus; noctiumque partem maximam sæpiùs istic egit nunc stans, nunc nixus genibus, nunc humi prostratus, dum illum somnus opprimeret. Inde illi efficacitas ad morbos animi, pellendos; & lumẽ ad arcana quædam introspicienda, & ex vero prædicenda absentia. Questum rusticum raptos sibi à grassatore milite boues, monuit vt adiret militem, suosque boues reciperet: neminem prohibiturum. Iuit: recepit: nemo prohibuit. Flagitiosæ cuidam, item alteri probæ improbi mariti coniugi de illo, prædixit fore vt mores pessimos cum optimis commutarent: vtrumque ita euenit. Matri cuidam de sanoadhuc eius filiò prædixit non diu victurum: & anno necdum elapso puer mortem oppetiit. Quædam ab illo monita non recipiscebat, effrons, & procax, huic repentinam mortem prædixit; quam illa obiit non ita multo post, quando sclopus in eius caput explosus illam in eo ipso loco peremit cùm illa iuuenes erubescendis illecebris ad flagitium inuitaret. Libenter monebatur, imò & carpebatur, ac ridebatur. Ad missionem profecturus, flexis genibus benedictionem à Confessario flagitabat. Ad nutum legum & Superiorum erat totus, adeóque cùm loqui per legem nostram non licet, ne verbulum quidem ab eo poterat extorqueri. Carnem spiritui obedientem habuisse aiunt citra vllam rebellium motuum perturbationem; nunquam illam expertum: imò id genus sordes familiari suo sermone in aliis extinguebat; perditis fœminis quoque id fassis; quarum plures ad pudicitiam reuocauit, eapropter à procis noctu aliquando ægri alicuius expiandi obtentu foras euocatus vt malè vapularet: sed aiebant postea tam illi quam alij (qui eadem de causa ficam eius gutturi, sclopum capiti admouerant) se arcanâ vi prohibitos ne illum interimerent. Aiunt nonnulli, obscœnas cogitationes eius ope extinctas. Si Confessarij copiam haberet, confitebatur (vt Xauerius olim) quotidie.

Oratio. Humil. Silentium. Castitas.

Ad Maiorem Dei Deiparæ S. P. Ignatij Xauerij & omnium Sanctorum gloriam.

Serius exhibita sunt hæc duo elogia quàm vt possent suo loco excudi.

P. IOANNES YONGVS.

Hibernus Romæ 13. Iulij 1664. ætat 75. Societ 54.

POst Latinas, & Græcas literas per plures annos diligenter traditas, præfuit pluribus, vt vocant, Residentiis, ac deinde Hibernicæ missioni; ad quam illicò profectus est, cùm auocaretur ab ipso Philosophici curriculi, cui docendo se præparabat, vestibulo. Nouitios quoque ibidem, ac postea Patres tertiæ Probationis in Romana Prouincia instituit, verbo, ac exemplo, velut ambabus manibus mutuò sese iuuantibus. Denique post annos facilè triginta in Missione ardua variè exantlatos, Romæ per octo annos Rector præfuit Collegio Hibernorum, optimo semper exemplo.

Regulæ. Legum nostrarum iam inde à tyrocinio vsque in senectam, & senium fuit mirabili accuratione obseruans, ne in legem illam quâ iubetur quilibet eius in qua versatur regionis linguam edisceere, peccaret; in tyrocinio, facultate ad id ritè obtentâ, voto promisit, se Latinè non locuturum. Etiam per sex illos menses quibus vltimùm æger decubuit, vt legi regulas singulis mensibus legere vel audire imperanti pareret, nullum mensem omisit quin legentem quempiam audiret, regulas communes, Sacerdotum, atque Rectoris. Si quid agendum esset; ante omnia legebat regulas, quæ ad rem aggrediendam pertinere videbantur. Vestes illius locupletes fuêre testes positæ ob omnium oculos paupertatis, quæ in illo splendebat, cum pura quadam luce maturæ perpetuæque modestiæ. Ne in legum accuratione elanguesceret, admirabili ei stimulo fuit id quod Louanij contigit. Constituerat ille, cùm Theologiæ studia inchoaret, vt ad illa esset magis expeditus, de tanto illo regularum obseruandarum rigore, confessario etiam annuente, non nihil remittere, *Renouatio votorum.* cùm ecce in triduo renouationis votorum, vidit in suo cubiculo parietes, ac omnia, & particulatim etiam regularum libellum, lurido colore mucescere: cumque attonitus mucorem è regularum pagellis vellet, nec posset, abstergere, ideoque folium è libello euellere; sanguinem inde erumpentem vidit: ac se moneri ratus, decreuit ad amussim summâ contentione seruare quicquid vllo regulæ cuiuscunque apice continetur; nullo studiorum, alioûe obtentu ab ea mente abducendus.

Dicente quopiam; difficilem, & *Mortific.* Metaphysicæ speculationi quàm praxi propiorem videri legem illam quâ sancitur, vt maius, ac impensius studium cuiusque sit, quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem; respondit ille: Sanctionem illam non esse speculatiuam tantùm, sed verè posse executioni mandari: neque meminisse se illam vnquam fuisse transgressum.

In Hibernia inter tot Missionis la- *Oratio.* bores, duas quotidie horas dabat manè orationi quæ mente peragitur; quam sæpè de Christi cruciatibus instituebat, plenam dulcium lachrymarum; quibus persæpè se in oratione perfusum testis est in gemino suo libello in quem retulit arcanos suos sensus quos in oratione de cælo hauriebat.

bat. Inde illi per 30. annos ad concionem dicenti efficax ad persuadendum neruus; Corcagię potissimum: vbi permolesta sed longè vtilissima adolescentum institutio plurimum debuit P. Yongo; & nobilis illa ciuitas ab illo in fide firmata, magna dedit documenta constantiæ cum heroicis illis Ecclesiæ temporibus conferendæ.

Charitas. Ibidem cùm lues in secretissimo ergastulo grassaretur, humi prostratus inter illa cadauera potiùs quàm corpora, ægros expiabat pœnitentiæ Sacramento. Ibidem vt Catholicis adesse posset flagrante quàm maximè incendio persecutionis; molitoris personâ tectus, ad eorum domos cum equis & saccis penetrabat, & vigiles hæreticorum oculos eludebat. Ibidem Anglum hæreticum ægrum sæpiùs inuisit, iuuit, solatus, ac demum lucratus est, & ille Sacramentis munitus, vno alteroúe post die de vita migrauit. Infantem vix natum baptisauit, sinè baptismo aliàs morituru. id quod Ioanni magno solatio, & in arduis quibusdam rebus illi suo paruulo commendatis, cùm aliàs tum illâ ipsâ nocte, præsentissimo auxilio fuit; vt ipse postea testabatur. Corcagia denique ab ore illius pendebat, & si quem abusum tolli vellet Ioannes, efficacitate suâ id peruincebat. Romæ in Collegio Hibernorum, pios illos adolescentes ad insignem Deiparę cultum excitare conabatur: & in morem induxit vt quolibet die Sabbati exemplum vnum narretur de B. Virgine tempore recreationis. Aiunt, illam ei aliquando exercitiorum tempore se dedisse spectandam: de quo tamen certiora expecto. In morbo, SS. Eucharistiâ reficiebatur quotidie, quâ vltimum perceptâ, & oleo Sancto vnctus, ad SS. Iesv nomen manus bis eleuauit, & expirauit: ac Superiorum iussu in loculo ligneo præter consuetum aliàs morem, & in Collegij Romani triclinio funebri laudatione, demum incisâ quoque æri effigie honoratus est, vir dignus qui viuat in omnium imitatione. Perfertur ad nos ex Hibernia id quod magnus quidam Catholici illius Regni Dynasta, vir omni fide longè dignissimus, affirmauit. Ait ille; se, cùm quodam die manè P. Ioannem in Hibernia tunc agentem inuisisset, pulsatoque sæpiùs cubiculi ostio nihil responsi acciperet, pro veteri sua cum eo familiaritate ingressum, & repertum à se P. Ioannem positis humi genibus orantem, cælesti lumine circumfusum, cum Angelo, qui oranti adstabat. Alius dixit; eum à terra visum in altum eleuatum cùm oraret.

Renouatio votorum. *Mortific.* *B.V.* *Oratio.* *Euchar.* *Ang. Oratio.*

Etiam fœmina quædam de se fassa est, sibi peccatum quoddam tacere in confessione volenti, à P. Ioanne illud quod, & quale esset, disertè fuisse dictum? & fuisse peccatum cogitationis: neque alio modo quàm diuinitus innotescere potuisse. *Confessio.*

Paruulum quemdam, hominis hæretici, ac obstinati, filium, cùm pro mortuo haberetur, P. Ioannes mortuum non credebat; sed præstolabatur orans, dum ederet aliquod signum vitæ: quo edito, paratâ ad id aquâ eum illicò baptizauit, & cùm ille confestim è vita migrasset; per innocentem illam animam rogauit P. Ioannes Deum, vt obstinati illius hæretici cor domaret, ac flecteret. Mirum dictu! Postridie manè vir ille hactenus peruicax ad P. Ioannem vltrò adiit; ac instructus, Ecclesiæ Catholicæ se adiunxit.

Adm. R. P. GOSWINVS NICKEL DECIMVS PRÆPOSITVS GENERALIS.

Germanus obiit Romæ 31. Iulij 1664. ætat. 83. Soc. 61.

NObili, ac locuplete apud Iuliacenses domo natus, in Societate; post explicatas quà humaniores, quà Philosophici curriculi disciplinas, magnâ prouidæ prudentiæ ac religiosæ ad omnes officij partes integritatis laude rexit Aquisgranense, Colonienſe, aliaque Collegia: vbique de Collegiis & spiritu, literis, ac œconomia bene, sed Aquisgrani & Coloniæ de templis istic erectis optimè meritus; solitus dicere, se quicquid templis dedisset, non sine cælesti auctario recepisse. Gubernauit pari laude postea bis inferioris Rheni Prouinciam; tum Vicarij Generalis nomine Societatem vniuersam. Etenim Romam, suæ Prouinciæ nomine, Procurator primùm, deinde ad Congregationem Generalem destinatus, electo in Societatis Præpositum Francisco Piccolomineo, pro decem Prouinciis Germaniæ Assistens datus, adeò se probauit, vt supremo chirographo ille ita scripserit de Goswvino: *Societatem ei commendo, quem Vicarium nomino, & iudico iuratus aptissimum, P. Goswvinum Nickel Assistentem Germaniæ. Romæ* 13. *Iulij* 1650 Vicarij Generalis munus tam laudatè gessit, vt post breuem D. Alexandri Gottifredi (cui etiam pro Germania fuerat à Congregatione datus Assistens) in supremo Societatis Magistratu Præfecturam, eidem, plurimâ cœtus maximi suffragatione, succesſerit, creatus decimus Præpositus Generalis; ad quod fastigium quasi per gradus ascendit, sæpius Rector, bis Prouincialis, bis Assistens, semel Vicarius. Quod quidem Generalis Præpositi officium quia per modestiam non admissurus credebatur, amico vnius & alterius Cardinalis hortatu peruinci se passus est, vt se nihil contra id acturum receperit: Anno 1652. 17. Martij in Præpositum Generalem electus, Societatem gubernauit vsque ad annum 1661. quo currente, mense Maio cùm conuocatæ à se Congregationi Generali ostendisset, se ob senij grauitatem; & corporis impedimenta, non posse amplius tot ac tantis officij, sui laboribus parem esse; ac eo vigore, quo oporteret, Societatis gubernationem administrare; adeoque vltrò rogaret, vt Vicarius sibi daretur vel ad tempus, vel perpetuus, & cum iure vel sine iure successionis, prout ipsi Congregationi videretur præsenti statui, rebusque Societatis magis conducere: Congregatio obsequendum duxit voluntati charissimi, optimeque meriti Parentis sui. Quocirca die 7. Iunij omnis vniuersa Societatis gubernatio ritè data est P. Ioanni Paulo Oliuæ electo Vicario Generali perpetuo, cùm iure succedendi id quod permagno ad valetudinem hactenus prostratam emolumento fuit P. Goswvino; qui tranquillum illud otium ad optimam felicis æternitatis apparationem conuertit; vsque dum anno 1664. ipso S. P. Ignatij die iam cadente, diem æternum ingressus est, vt speramus. Exequias illi 1. Augusti celebranit nouus Præpositus Generalis, eius Successor, magnâ vrbis frequentiâ, præsentibus religiosis ac etiam Generalibus: & 2. Augusti sacrum solenne cantatum. Postea in Collegio Romano, præsente Præposito Generali, de illo habita est laudatio luculenta. Parentatum illi etiam per Prouincias pro more: in nonnullis domiciliis etiam supra morem; vt Monasterij, Eistiæ, ac Pragæ, vbi à Collegio S. Clementis, illi castrum doloris, vt vocant, erectum est, quod tamen plus habuit splendoris ab elegantia.

gantia pietatis, atque ingenij, quàm à sumptuosa ostentatione.

Vir erat animo pacato, atque tranquillo, suique semper compos, ne intemperie aliquâ se abripi sineret. Aiebat quidem aliquando: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* ducto altiore suspirio, cùm triste quidpiam nunciarent literæ, seu Europææ, seu Indicæ; tamen etiam in acerbissimis casibus animum tranquillabat, memor Dei paternâ manu mortificantis & viuificantis. Non optimè de se meritum quempiam, postea cùm eidem præesset, summis humanitatis officiis est prosecutus, ad magnam eorum qui rei conscij erant admirationem. Nec rarò dum ab illo seuerius quodpiam responsum ad literas expectaretur; sedatè placideque iubebat bonas literas illi scribi qui acerbiores merebatur; & vinci in bono malum. Certè cùm ab afflicto quodam, sed pœnam commerito, literas aliquando accipe-ret, ac videret, in illum paulò acriùs decernendum; auditus est dicere: Ne addamus afflictionem afflicto; non confringam quassatam illam arundinem: adeoque literis ad illum dandis iubebat plus olei quàm vini adhiberi.

In officio Præpositi Generalis, instituto, literisque legendis affixus, vnicè hoc agebat assiduâ totius animi applicatione, omni tædio peruicto, ne valetudini quidem parcens. Erat cùm in rectione, tum aliàs, vndequaque rectus, & qui decipi mallet quàm vellet deciperet. Omnis facundiæ artificijque supellex in eo fuit, *est, est; non, non.* adeò vt de illo exierit sermo inter domesticos, & latè percrebuerit, ac facilè fidem inuenerit; in ore illius nunquam fuisse inuentum mendacium; id est, ne ante initam quidem Societatem eum vnquam fuisse mentitum. Quapropter securus erat, candidè secum agi cuicumque seu promittebat aliquid, seu negabat.

Factis ostendebat, magni se facere studia literarum, & eos quos videbat non ingenio tantùm, sed & doctrinâ in aliqua disciplina excellere, & tamen non esse refractariolos in accuratione domesticæ disciplinæ. *Splendor charitatis*, quem S. P. Ignatius in successoribus suis requirit, elucebat in Gosvvino etiam in tuenda perseue- *Charitas.* ranter innocentia eorum quos aliquando traduci videbat. Eos ille defendit, etiam contra iras potentium, quantâ potuit modestiâ & efficacitate, licèt non sine suo incommodo, feliciore tamen successu quàm timidus quispiam expectasset. Aiebat verò, se paterna charitatis lege teneri ad suorum existimationem cordi habendam, quantò magis eam ipsi negligerent. Externorum quoque dignitati fauebat: neque parum ad id conferebat. Memini me non semel audisse; illum apud summa quædam nomina adeò fuisse amabilem, vt ipsum etiam *Nickel* nomen absque vlla sanguinis necessitudine, cuipiam profuerit; dicente Principe: à se, in illo viro, aliàs quoque idoneo, P. Gosvvini *Nickel* cognomen honorari.

Cùm Domus Professa gemeret sub tanto onere æris alieni, vt quicquid ab eleemosynis quotannis corrogabatur subsidij, par non esset vel censibus annuis exoluendis; misertus mendicissimæ paupertatis, iussit Patribus necessaria non deesse: vtque id fieri posset, domum omni censuum pendendorum onere liberauit, curâ illâ in se translatâ; magno & eorum qui Præpositi vices gerebant solatio, & Procuratorum leuamento. Et verò id perinsigni demûs commodo præstitis; debitis quoque ita scitè accommodatis, vt diceretur, Domum Professam Romanam, post S. Ignatium

primum eius Præpositum, nulli Præpositorum Generalium plus debere quàm P. Gosuino, circa paternam œconomiæ curam ac nomina.

Societatem, ac eius pro auctorem Ignatium amabat, æstimabat, colebatque summoperè. Et quia paupertatem Matrem Societatis, ac murum firmum vocat Ignatius; de huius perfectione accuratam epistolam dedit ad Societatem vniuersam, strinxitque calamum in sententias quæ in paupertate laxamentum quærunt, & faciunt.

Paupertas. Omnia è Christi & Ignatij Magisteriis, ac spiritu, actuosâ institutione ostendit. Eiusdem veluti reuerentiâ ductus, ne in Breuiario quidem quicquam auri ferre volebat, iubebatque colore obduci.

Alteram, ac eam etiam apprimè luculentam epistolam scripsit de Nationali, Prouincialique, pernicioso spiritu in Societate vitando. In vtraque disertè demonstrauit quantum dilexerit decorem Domus Dei, seu Societatis: precaturque ibi Deum, vt excitet in Societate sua spiritum cui B. Ignatius Loyola seruiuit: singulos verò de Societate obsecrat, vt succurrant periclitanti Societati à Nationalibus affectibus, & contendant *reaccendere charitatem*. Noua in Societate induci onera, vel disciplinæ laxamenta non patiebatur. Volebat ire quemlibet more maiorum per vestigia impressa in legibus, exemplisque domesticis. Aiebat enim, satis superque prouisum esse Societati à legibus profectis à magna mente Ignatij. Qui eas constanter & exquisitè obseruet; nihil in eo desiderari posse ad veram Sanctimoniæ laudem, atque splendorem. Non contemnendam auri vim aliquando oblatam, non accepit; quòd conditionem quampiam appositam Instituti nostri amussis haud satis probaret; licèt id videretur posse benignâ interpretatione leniri.

Leges quanti faceres, ostendebat authoritate constantis exempli. Cùm non nemo in morbo nescio quid illi obsequij blandiùs exhiberet, non admisit, aiebat enim id regulæ cuidam satis consentaneum haud videri. Amabat, & obseruabar in se ac aliis id quod recti exempli erat. Magnificiebat disciplinæ domesticæ sanctam seriem; velut catenam auream, quæ nos tenet cum Deo inuicemque coniunctos. Vnde, quamdiu per valetudinem (quæ illi ante omnia omnem pedum vsum ademit) prodire de conclaui potuit, ad commune cœnaculum itabat; gaudebatque ijs vesci quibus vescuntur omnes. Vidimus illum ibidem, pro more in Societate recepto, exercitationes virtutis varias obeuntem. Imminentibus celebrioribus quibusdam festis, ad humilia culinæ officia (iuxta vsum ab aliis Præpositis Generalibus vsurpatum) descendebat, & alios trahebat exemplo. In publica verò, vt moris est, verberatione, primus nos in triclinio anteibat iam Præpositus Generalis. Licèt in mensa cibi ac potûs esset adeò modicus, vt moneri debuerit consilio medicorum, vt plus cibi, & potus potissimùm caperet, ac necessitati indulgeret; tamen extra prandij ac cœnæ tempora, nunquam vinum, aquam, edulia, vllo obtentu admittere visus est illi qui ei ministrabat. Volebat, etiam æger, ea sibi præberi quibus alij vescerentur: & siquid pretij maioris videretur; ad ægros mittebat. *Mortific.* Cùm verò in siti, linguâ, faucibusque aridis, iubēte medico, niuatum potum aliquando admisisset, postea reiecit. Dicebat; nolle se iis refici quæ alij non haberent: neque in refrigeratione illa specie necessitatis delicias admissurum. Placebat illi mirum in modum cùm nostris in corona iis exercitationibus adesse quæ palàm in omnium

nium cœtu fiunt, vbi quædam Societatis imago relucet. Vnde menstruæ Sanctorum sortitioni, exhortationibus domesticis, consuetæ litaniarum comprecationi aderat diligenter. At illas postea in cubiculo recitabat, cùm iam in publicum prodire non posset. Nam & in priuato conabatur se accommodare vitæ communi. Societatis Venetias reducendæ spem nunquã deponebat: quæ tunc illi potissimùm increuit, quando Fabium Chisium Cardinalem, Sedis Apostolicæ olim Coloniæ Nuncium, at Societatis vnicè amantem, ad Sedis Apostolicæ fastigium euectum, non sine insigni lætitiæ significatione aspexit. Et verò multis apud Deum precibus fusis id cum illo tractauit, ac rem ab eo ex animi sententia confectam vidit, & gauisus est.

Exercitia. Ab eodem, anno 1657. 12. Octobris indulgentiam plenariam impetrauit pro iis qui per octo dies obeunt exercitia S. P. Ignatij in aliquo domicilio Societatis. Aliam item pro cubiculo in quo habitauit, & diem extremum clausit S. P. Ignatius, cuius etiam sepulchrum augustius reddere desiderabat magnoperè; neque labori pepercit ac operæ: sed rem omnem reliquit in spe. Optabat nempè, vt sicut Bononia Dominicum, Assisium Franciscum, aliæ Vrbes alios colunt Religiosorum Ordinum Fundatores, quorum habent corpora, & sepulchra: ita Roma videret sepulchrum sui Ignatij glorioſum; quippe quem Deus vnicum huic Vrbi dedit, aliis Religiosarum familiarum Fundatoribus per Italiam ac Orbem reliquum dispositè dispertitis.

Mortific. Eiusdem S. Fundatoris honori propagando eius imaginem æri Romæ incidi curauit cum hac epigraphe: *Vera effigies S. Ignatij Fundatoris, & primi Generalis Societatis* IESV, *expressa à Iacobo del Conte, pictore sui æui valdè excellente, ipso die quo Beatus sanctam suam animam Deo reddidit.* 31. Iulij 1556. æt. 65.

Eiusdem Sancti sui Patris examinis particularis vsum ad mortem vsque retinentis exemplo, in eodem fuit ad extremum vsque assiduus: cumque hospes Nouitius illum aliquãdo quidpiam notantem videret, ac diceret videri sibi eum in adnotando particulari examine esse occupatum; non negauit Gosvvinus! & adiecit; se toto sexaginta & amplius annorum spatio quo in Societate vixisset, examen particulare quod in tyrocinio didicerat, nunquam omisisse, quod quidem quanti momenti sit, æstimabunt ij qui sciunt in pondere Sanctuarij artes asceticas suis momentis expendere. *Io. Maximil. ab Althan.* *Examen particulare.*

Do ad extremum id quod in Successoribus suis primum esse vult S. P. Ignatius, & est, amor Dei, oratio, seu familiaris cum illo vsus. *Inter dotes*, inquit Ignatius, *quibus ornari Præpositum Generalem optandum est, prima hæc erit, vt cum Deo, ac Domino nostro quàm maximè coniunctus, & familiaris, tam in oratione quàm in omnibus suis actionibus sit.* Videbat illam dotem nulli hactenus nouem Generalium defuisse, vt in loco dixi de S. P. Ignatio, Lainio, B. Borgia, Euerardo, Claudio, Mutio, Carafa, Piccolomineo, Gotifredo. Ante alios surgebat iam inde à primis annis, tum quoque quando in itineribus fessus ad Collegium quodpiam appellebat: quam consuetudinem tenuit etiam dum Societatem gubernaret; vt nec officio deesset, & tamen orationi & Sacrificio Missæ tempus præstitutum daret, nullâ eius decerptâ particulâ. Atque vt fidelitatis suæ sibi esset magis conscius, clepsydram adhibebat; quam inclinabat vt sisteret, si fortè inexpectatum aliquid orandi tempus abrupisset. Tum redi- *Oratio.*

bat;

bat; ac ad clepsydræ mensuram, orandi spatium omne explebat. Cùm Rheni inferioris Prouinciam inuiseret, illi per duodecim annos Præpositus; vel aliàs iter susciperet; celebre fuit P. Gosvvini itinerarium; in quo præscriptis consuetis clericorum iter agentium precibus addebat Lauretanas B. Virginis & Sanctorum omnium litanias, cum antiphona: *Sub tuum præsidium confugimus*; Oratione, *Defende quæsumus, Domine* &c. ac altera de SS. Ignatio atque Xauerio: *Deus, qui glorificantes te glorificas.* In quo cum nonnulli sunt feliciter imitati contra pericula, hostesque infestos.

Cùm per plures annos sedi affixus hæreret, aliis quoque ingraescentis ætatis, & morbi non vnius molestiis valdè obnoxius, si difficiles Ministri cuiuspiam (nec defuit occasio) mores ac ingenium experiretur; amor Dei, ac oratio ei fuit serenæ ac longæ patientiæ condimentum: id quod verbis quoque apud conscios testabatur. Ad mensam sibi prælegi iussit libellum *de pretiosis occupationibus morientium in Societate*: tum alios; & semper eos qui ad pietatem incitandam essent idonei. Vnde & in morbo extremo, quà pretiosas illas occupationes, quà S. Augustini meditationes aut soliloquia audiebat, sibi præsens, nunquam querulus, & pudicissimæ verecundiæ semper memor. Id quod valetudinarij præfectus in eo non sine admiratione suspexit, atque laudauit; qui etiam longum eius virtutum catalogum conscripsit. Legebat perlibenter in suo illo otio libros, & vitam P. Ludouici de Ponte latinè ab Henrico Lamparter editam, & sibi dedicatam. Excitabat se identidem ad ea ætatis, & morborum incommoda cum lucro ferenda, illis P. Ludouici de Ponte verbis, quæ suâ manu descripta habebat præ oculis: *Fiat, Domine, in me, de me, per me, circa me, & circa mea omnia, sanctissima voluntas tua, in omnibus, & per omnia, nunc & in æternum; Amen.* De Deo, & Deiparæ, de vocationis religiosæ pretio, ac centuplo, ita scitè, & cum sapore quodam loquebatur, vt à nonnullis ea in re *insatiabilis* diceretur. Illo in otio SS. Eucharistiam, in sella eò proiectus, visebat identidem; & diuino illo epulo, in sacello Deiparæ quotidie reficiebatur: voluendæ postea Dei Matris corollæ, ac aliis precibus, iaculatoriis potissimùm, impensè addictus.

Patientia.

Euchariſt.

Addo pro coronamento ea quæ Sfortia Pallauicinus (postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis) vir ab ingenio, ac Theologico, & Historico calamo eminentissimus, de illo inter alia laudis plena impressit in octauo Theologicarum suarum assertionum libro, quem ei dedicauit: vbi ait; *eum præclarissimum de se iudicium à Societate vniuersa, ab externis Magnatibus, & à Magnatum maximo reportasse.* In Societate omnem ei præfecturam: cum plausu creditam, cum plausus incremento peractam esse: vtpote qui semper eas administrârit *Subditis charus, imperantibus probatus, successibus felix.*

INDEX

INDEX

MEMORIALIS MENSIVM,

ET DIERVM QVORVMDAM

MEMORABILIVM

SOCIETATIS IESV.

1. IANVARII.

ODie de Christo Euangelium Lucæ 2. ait: *Vocatum est nomen eius Iesus.* S. Ignatius condidit Societatem, & ab hoc nomine *Vocatum est nomen eius* Societatis Iesu, sic vocante illam Ignatio; idque nomen probantibus summis Pontificibus, & Concilio Tridentino. Vnde Gregor. XIV. in Bulla *Ecclesiæ Catholicæ* &c. ait *Nomen Societatis Iesu, quo laudabilis hic ordo nascens à sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum esse.*

Hoc Iesv nomine gaudet Farnesianum Domus Prof. Romanæ templum. Eius portæ sunt ex arbore Indica è syluis Cocinensibus, quam Angelicam vocari aiunt, quæ dicitur nunquam consenescere, ac firma esse contraimbres. Missa verò est Romam à Rege Lusitaniæ.

3. IANVARII.

Anno 1634. 3. Ianuar. persanatus est Nepoli à S. Francisco Xauerio, P. Marcellus Mastrillus; Xauerio se illi diu spectabilem exhibente, & conceptis verbis, consuetam *votorum simplicium Societatis Iesu formulam* ita recitante, vt Mastrillus, eo præeunte illam totidem verbis pronunciaret; vti dixi hic 17. Octobris. Vnde illi *formulæ* nouum è cælo decus accessit, quòd à Sancto de cælo veniente sit pronunciata, & velut consecrata.

5. IANVARII.

Anno 1586. 5. Ian. Sixtus V. extendit facultatem erigendi scholarium Congregationes in Collegiis, etiam ad alias non scholarium Congregationes, erigendas & aggregandas in quibusuis Soc. locis.

7. IANVARII.

Anno 1646. 7. Ian. Vincentius Carraffa ritè electus est in Præpositum Generalem Soc. Iesu de quo 8. Iunij hic.

12. IANVARII.

Anno 1544. 12. Ian. S. Xauerius Cocino Societati Romam scribit de mi-

ris cæli deliciis quibus inter Apostolicos illos labores perfundebatur.

14. IANVARII.

Festum S. Felicis Nolanorum patroni: è cuius corpore latex (manna vocât) sacer & saluber manauit noctu, Dominicâ 4. Aduentus anno 1558. quo die primum Societas Nolam ingressa, ingenti nobilissimæ vrbis gratulatione accepta est. Persuasum autem habent ciues; laticem illum S. Felicis, quoties manat felicitatem nunciare.

17. IANVARII.

Anno 1657. 17. Ian. Alexander VII. Pont. Max. dedit Breue ad Remp. Veneram de Societate Venetiis receptâ.

21. IANVARII.

Anno 1652. 21. Ian. electus est in Soc. Præpositum Generalem Alexander Gottifredus de quo dixi 12. Martij.

25. IANVARII.

Dies S. Pauli conuersi; qui (vt habet Io. Eusеb. Nierembergius in vita B. Borgiæ l. 5. c. 22. pag. 316.) P. Ioanni Fernandez ad concionem dicturo, & iam eunti dixit Latinè: Eia, Ioannes, esto bono animo: ambo enim hac horâ simul concionabimur. Et eâ totâ horâ ei adfuit præsens in pulpito.

Anno 1540. 25. Ian. Londini natus est Edmundus Campianus, de quo dixi 1. Decemb.

27. IANVARII.

Anno 1545. 27. Ian. S. Xauerius Cocino Societati Romam scribens, ait; spatio mensis vnius, à se plus quàm decem mortalium millia baptismo expiata.

29. IANVARII.

Anno 1552. (qui fuit supremus eius vitæ) S. Xauerius 29. Ian. Cocino Romam ad S. P. Ignatium literas dedit, cum hac inscriptione foris (quam in archiuo Romano vidi) manu suâ in hæc verba: *A my en Christo Santo Padre Ygnatio.* id est: Meo in Christo Sancto Patri Ignatio. Tota epistola est ipsius Xauerij manu scripta.

1. FEBRVARII.

B. Franciscus Borgia, tum adhuc Dux Gandiæ, Professus est vota Societatis è formula quæ seruatur in archiuo Rom. Dixi de illo 1. Oct.

8. FEBRVARII.

Hoc die celebratur in Martyrol. Francisc. memoria B. Ioannis Texedæ; qui B. Francisco Borgiæ author fuit, vt Societatem Iesu ingrederetur. Idem B. Ioannes de S. Ignatio sibi noto, ita loquitur: Ignatius ad se accedentes, aspectu ipso solatur, verbis animum satiat, consiliis explet: templum est pacis: magnâque libertate spiritus omnia perficit. Vide plura de illo in Nierembergio vitæ B. Borgiæ l. 1. c. 28. Aiebat idem Societatem à Deo amari eò impensiùs quò plures eam infectabantur.

9. FEBRVARII.

Anno 1621. 9. Febr. electus in summum Pont. Gregorius XV. Ludouisius, qui BB. Ignatium & Xauerium in Sanctorum catalogum ritè retulit.

19. FEBRVARII.

Anno 1581. 19. Febr. Claudius Aquauiua

uiua electus est in Præpositum Generalem Societatis Iesu ope Beatissimæ Virginis S.Bernardi,& S.P.Ignatij. Vide 31.Ian.hîc.

23. FEBRVARII.

Anno 1526.23.Febr. natus est Gonsaluus Silueria. De quo 15.Martij hîc.

25. FEBRVARII.

Romæ anno 1588. 25. Febr. in Basilica Lateranensi, primâ tonsurâ initiatus est B. Aloysius Gonzaga, cum AbrahamoGeorgio Maronita,& aliis. 28 Febr. ostiarius; 6.Martij, Lector; 12. Martij exorcista; 29. Martij Acolythus est inauguratus.

VLTIMA FEBRVARII.

Anno 1573.data est Societati à Gregorio XIII. Max. approbatio,& noua concessio facultatum,horas canonicas extra chorum recitandi, & sacros ordines post emissa vota, etiam ante professionem suscipiendi.

1. MARTII.

Anno 1579. 1. Martij, prima quam Societas habuit vniuersitas erecta est Gandiæ à B.Francisco Borgia.

3. MARTII.

Anno 1590. 3. Martij B. Aloysius Castilione ad concionem dixit, ardore ac efficacitate tantâ vt necesse fuerit Sacerdotes, & religiosos totam eam noctem audiendis confessionibus distineri.

Anno 1591. 3. Martij idem B.Aloysius Romæ supremùm æger decubuit.

Anno 1599.3.Martij Robertus Bellarminus, metu anathematis & noxæ lethalis intentato, flens, coactus est à Clem. VIII. purpuram induere.Pontifex de illo ad Collegium Cardinalium in hæc verba est prolocutus: Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam; & quia est nepos optimi & Sanctissimi Pontificis; nempe Marcelli II. auunculi.

9. MARTII.

Anno 1568. (quo ipso anno Romæ 15. Augusti mortuus est B. Stanislaus Kostka Soc. Iesu Nouitius) natus est 9. Martij vesperi paulò ante signum salutationis Angelicæ (siue quartâ horæ parte ante horam vigesimâ quartam) in arce sua Castilionensi, feriâ tertiâ,B.Aloysius Gonzaga Ferdinandi Marchionis Castilionensis S.R. Imp. Principis primogenitus. Natus, horam ipsam tacitus iacuit,& immotus: postea vnico vagitu edito, conquieuit. Cùm verò Aloysij Mater in partu illo periclitaretur; in desperatione opis humanæ, voto ad B. Virginem Lauretanam vnà cum nascente prole visendam suscepto, breui periculum omne depulsum est, & Aloysius natus est ope Dei Matris. Natus verò est iam baptismi Sacramento expiatus, quod olim S. Mechtildi nascenti euenerat. Etenim cùm vrgeret periculum, ne sine baptismo è vita decederet, ab obstetrice baptisatus est priùs quàm toto corpusculo editus fuisset in lucem.

12. MARTII.

Anno 1622. 12. Martij B. Ignatium Fundatorem, & B. Franciscum Xauerium Indorum Apostolum, in Sanctorum Confessorum album ritè retulit Gregorius XV. Pont. optimus, maximus.

Anno 1658. 12. Martij S. Franciscus

Xauerius Maceratę Alexandrum Philippuccium, Societatis Iesu Scholasticum, depositæ valetudinis, persanauit miraculo repentino ; quod Papirius Siluestri Episcopus Maceracensis ritè examinatum approbauit, & ibidem typis vulgari permisit.

13. MARTII.

Anno 1533. 13. Martij Parisiis in Collegio S. Barbaræ, S. P. Ignatius, completo Philosophię cursu, eiusdem laureâ insignitus est doctor.

15. MARTII.

Anno 1530. 15. Martij S. Franciscus Xauerius Parisiis Philosophiæ Magister creatus, eandem per tres annos cum dimidio, præcipuâ ingenij commendatione professus est.

16. MARTII.

Anno 1540. S. Xauerius à S. P. Ignatio Romæ 15. Martij monitus pro Indico itinere adornando, 16. Martij Româ discessit.

17. MARTII.

Anno 1652. 17. Martij Gosvvinus Nickel in Societatis Præpositum Generalem electus est.

21. MARTII.

Anno 1540. S. Franciscus Xauerius in Indiam profecturus, 21. Martij, Laureti in sacro illo Deiparæ sanctuario sacris operatur, & Legato Lusitano, ac aliis itineris comitibus, diuinam Eucharistiam impertit.

24. MARTII.

Anno 1522. In Monte Serrato 24. Martij S. P. Ignatius de Loyola ad celebrem illam Dei Matris imaginem, factâ diligentissimâ de vitę totius peccatis exomologesi, donatis vespere pauperi suis vestibus, sacco indutus, funę præcinctus, more nobilitatis antiquæ peruigilium armorum ad aram Virginis totâ hac nocte peruigil, orauit, arma Deiparæ aris, seipsum Virginis obsequiis dedicauit nunc erectus, nunc ad altaris pedem in genua prouolutus.

28. MARTII.

Idem S. P. Ignatius diluculò sacrâ synaxi refectus, equum suum cœnobio donauit, & pauperis peregrini cultu discessit, alius ab eo qui istuc appulerat.

Anno 1661. 25. Martij Romæ edita est encydica parœnesis Ioannis Bapt. de Marinis Generalis Magistri Ordin. Prædic. in qua hortatur vniuersum Ordinem Prædicatorum, *vt cum inclyta Societate* IESV sit illis *vtrimque anima vna, & cor vnum in Domino*: Laudatâ etiam hanc in rem admonitione 4. Capituli Generalis Valentini, anni 1591. & ordinatione 21. Capituli Generalissimi Romæ anno 1644. habiti: & ibidem anni 1656. confirmatione decimâ. Vbi præuaricatores huius legis *mox ipso facto incurrunt, & incurrisse declarantur priuationem vtriusq; vocis, graduum, & officiorum cum perpetua inhabilitate, quam solus Magister Ordinis, vel Capitulum Generale auferre possit. Prouinciales quoque, & alij Superiores quicunque has pœnas transgressoribus infligere dissimulârint, à suis officiis absoluantur.* Ita ibi. Seruatur hæc epistola in archiuo Domus Profess. Romæ.

4. APRI-

4. APRILIS.

Vide Ital. p. 3 c. 3. pag. 233.

Anno 1600. 4. Aprilis Florentiæ B. Maria Magdalena de Pazzi vidit gloriam B. Aloysij Gonzagæ, & dixit in mensis excessu Italicè: O quam gloriam habet Aloysius filius Ignatij! Nunquam id credidissem, nisi mihi ostendisset meus IESVS! &c. Ego dico quòd Aloysiolus sit magnus sanctus. &c. Vellem posse proficisci per totum orbem, & dicere quòd Aloysius filius Ignatij sit magnus Sanctus; & vellem posse ostendere illius gloriam vnicuique, vt glorificaretur Deus. Habet tantam gloriam, quia operabatur ab intrinseco. Quis posset vnquam explicare prætium & vim operum internorum. Non possunt cum externis interna conferri. Aloysius cùm esset in terris, tenebat os apertum ad aspectus verbi; & idcircò habet tantam gloriam. (id est, parebat inspirationibus bonis.) Aloysius fuit Martyr incognitus, quia qui amat te Deum meum, nouit te esse tam magnum, & infinitè amabilem, vt magni martyrij instar ei sit videre quòd te non amet, quantum suspirat & desiderat te amare; & quòd à creaturis non cognoscaris, nec ameris, imò quòd offendaris. Etiam ipse seipsum Martyrem faciebat. (nempe per mortificationem.) O quantum amauit in terra; & idcircò nunc in cælo gaudet ac fruitur Deo in magna quadam plenitudine amoris. Sagittabat (id est crebris actibus diuini amoris, velut sagittis in cælum missis amabat) cor Verbi, quando erat hîc inter mortales & nunc, dum iam est in cælo, sagittæ illæ conquiescunt in corde illius, quia ijs quæ merebatur per actus amoris, nunc fruitur. Cùm autem Beata hæc videret quòd glorioſus Aloysius oraret pro ijs à quibus olim in vita aliquid adiumenti acceperat ad proficiendum in spiritu; dixit: Ego quoque connitar vt iuuem animas: vt vbi earum aliqua in cælum abierit, pro me oret; sicut facit Aloysius pro illis à quibus in terra est adiutus. Amen.

5. APRILIS.

Anno 1523. Ignatius Romæ nobilis peregrinus ab Adriano VI. Pont. Benedictione susceptâ, Venetias primùm deinde Hierosolymam contendit. Relatio facta in Consistorio p. 7.

7. APRILIS.

Anno 1541. in Indiam soluit è Lusitania S. Xauerius.

10. APRILIS.

Anno 1585. 10. Aprilis moritur Gregorius XIII. Pap. Max. Collegij Romani Fundator, & Pater. Vnde quotannis ibidem celebris de illo habetur panegyris.

19. APRILIS.

Anno 1541. S. P. Ignatius creatur Societatis IESV primus Præpositus Generalis.

22. APRILIS.

Anno 1541. S. P. Ignatius Romæ vnà cum Sociis visit septem Ecclesias: in quarum vna, quæ est S. Pauli, ad aram B.V. ipse, ac Socij in eius manibus, Solennia Professionis vota ritè nuncuparunt. Tum per 46. dies in templo Domus Professorum, quod S. Mariæ de Strada nuncupabatur, doctrinam Christianam docuit S. Ignatius iam Præpositus Generalis.

Anno 1612. 22. Aprilis Gregorius XV. Pont. Max. Carolo de Lorena

Episcopo Virdunensi facultatem vt Societati nomen dare posset petenti, eam concedens ita scribit in Breui ad eum hac die expedito : Quod igitur Reip. Christianæ bono fiat, abiectis humanarum curarum, opumque impedimentis, proficiscere ad eam sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticis excidiis clarissimam : quam quidem quanti nos faciamus, duo illi Christiani Imperij propagatores Ignatius, & Xauerius Sanctorum cognomento nuper à nobis aucti, cunctis terrarum Prouinciis, sæculorumque ætatibus declarabunt.

7. MAII.

Anno 1539. 7. Maij fuit dies Conuersi ad longè maius Sanctimoniæ studium B. Francisci Borgiæ Ducis Gandiæ, viso Isabellæ Imperatricis cadauere. Hoc die Franciscea de Iesu Gandiæ Sanctimonialium Præfecta pro nepote suo Francisco Duce Borgia orabat, & vidit Franciscum velut coram Christo Crucifixo prostratum, ac petentem veniam peccatorum. Et Christum Francisco supplici manum porrigentem, auxilium promittentẽ, ac cum subleuantem.

8. MAII.

Anno 1543. P. Petrus Canisius hoc natali suo die quo ante annos 22. natus fuerat, Societatem amplexus est, Germanorum primus, Coloniæ.

10. MAII.

Anno 1616. 10. Maij prohibitus est liber cui titulus : Monita priuata Societatis Iesv.

11. MAII.

Anno 1647. P. Vincentius Caraffa Præp. Gen. literis ad Prouinciales datis, ait decretum 21. Congregationis de pileo clericali à Coadiutoribus temporalibus non gestando, à Cardinalibus iussu Pontificio congregatis expensum, & tum ab illis, tum postea ab ipso Pontifice, dato Breui Apostolico, fuisse confirmatum.

15. MAII.

Anno 1544. Venerabilis Carthusianorum ordo, datis ad S. P. Ignatium literis 15. Maij, Societatem impensè laudat, eique piorum suorum exercitiorum omnium participationem concedit.

18. MAII.

Anno 1653. 18. Maij. Neapoli in sacello S. Xauerij, quod est in templo Domus Professorum, S. Francisci Xauerij coram Deipara flectentis imago visa est oculos nunc sursum erectos, nunc deorsum deiectos habere, ac vultu velut mortuali mœrorem præseferre. Alius in eiusdem fronte facem stellæ instar collucentem, alij alia vidêre : de quibus longum testium omni exceptione maiorum, quorundam etiam iuratorum, catalogum vidi.

20. MAII.

Anno 1521. 13. Kal. Iunij qui fuit Feria 2. Pentecostes, Ignatius Loyola Pompeiopolim fortissimè defendens, murali pilâ, excussoque ab ea lapide læsus in pede, Sanctioris militiæ Dux factus est sub vexillo nominis Iesv, condita postea Societate Iesv.

25. MAII.

25. MAII.

Dies B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentinæ Carmelitanæ, quæ B. Aloysij gloriam vidit, & missi ad se à Beatissima Virgine S.P. Ignatij exhortationem de humilitate audiuit.

26. MAII.

Festum S. Philippi Nerij, qui vultum S. P. Ignatij cælesti luce radiantem vidit; & eum, tanquam summũ etiam in arte orandi Magistrum, summo in pretio habuit.

8. IVNII.

Anno 1622. Indulgentia plenaria perpetua pro festis SS. Ignatij, & Xauerij à Greg. XV. concessa in templis Societatis Iesu.

24. IVNII.

Anno 1537. S. Ignatius, Xauerius, & alij quidam è primis sociis, Venetiis sacris initiati sunt ab Episcopo Arbensi.

27. IVNII.

Anno 1537. 27. Iunij. Venetiis Ignatio de Loyola, & Sociis datum testimonium ordinum collatorum ad titulum scientiæ, ac voluntariæ paupertatis.

28. IVNII.

Anno 1521. Supremis ad mortem Mysteriis 28. Iunij communitus Ignatius, nocte proximâ (quam vel salutarem, vel decretoriam expectabat) à S. Petro Apostolo visitatus est, aspectu recreatus, & persanatus.

2. IVLII.

Anno 1558. 2. Iulij P. Iacobus Laynez electus est in Præpositum Generalem Soc. Iesu.

Anno 1565. B. Franciscus Borgia hoc eodem die creatus è Vicario Præpositus Generalis pedes omnium osculatus, omnes flexis genibus est amplexus.

3. IVLII.

Anno 1642. 3. Iulij Coloniæ piè decessit Maria Medicea Regina Francię, è cuius destinatione Ludouicus XIII. Rex Christianissimus, eiusdem filius, Collegio Colonienſi donauit Rosariũ seu Coronam quâ olim vsus fuerat S. Franciscus Xauerius. Cùm sua Majestas ex Hollandia in Angliam nauigaret, in periculosâ turbati maris tempestate, P. Suffrenus Reginæ Confessarius, dictum S. Xauerij rosarium manu tenens, Mari immisit; & Mare tranquillatum est, manifesto Dei per S. Xauerium beneficio. Videri de hoc potest Ægidius Gelenius de sacra & ciuili magnitudine Coloniæ lib. 3. syntagmate 46. num. 23. pag. 511.

5. IVLII.

Anno 1537. 5. Iulij Hieronymus Verallus Legatus in Venetiis in testimonio quod dat Ignatio de Loyola in artibus Magistro, inter alia sic habet: Volentes te, ob præclara virtutum dona, ac sacrarum literarum peritiam, quibus te nouimus insignitum, beneuolo fauore prosequi &c. tum dat illi facultatem sacras literas interpretandi, concionandi, confessiones audiendi &c. Ita seruatur in Archiuo Romano.

7. IV-

7. IVLII.

Anno 1571. à Pio V. Pont. Max. declaratur *Societas Iesu* ex instituti sui ratione *Mendicans*; aliisque Mendicantium ordinibus connumeratur, & priuilegiis æquatur.

8. IVLII.

Anno 1623. 8. Iulij moritur Gregorius XV. Pont. Opt. Max. Ludouisius, qui SS. Ignatium & Xauerium Sanctorum tabulis ritè adscripsit.

12. IVLII.

Anno 1631. 12. Iulij. Anna 19. annos nata clauda virgo, manifesto S. P. Ignatij miraculo repentè persanata est Monachij; posteaquam illi, die S. Iacobi, S. P. Ignatius apparuit in sacrificali veste, alterâ manu SS. IESV nomen, alterâ librum tenens. Fusius hæc narrat, ac examinata ritè probat Vitus Adamus Episcopus Frisingensis, vt patet in narratione eius nomine typis vulgata Monachij anno 1631.

15. IVLII.

Anno 1570. 15. Iulij S. Theresia P. Ignatium Azeuedum, & Socios 39. ab hæreticis occisos, vidit in cælo, Martyrum coronis illustres. Ita Yepes Episcopus in eius vita, & idem hæc iuratus affirmat in Processibus, vt habet Iosephus Totius in informatione de illis impressa Romæ pag. 31.

Eodem die (vt 15. Iulij hic dixi) cæsus est cum sociis P. Rudolphus Aquauiua; de quo Greg. XIV. Pont. Max. anno 1590. ad Octauium Aquauiuam, Cardinalem, Rudolphi germanum, in hæc verba scripsit: Rudolphi, *qui Superioribus annis pro fide Catholica apud Indos mortem constantissimè pertulit*, frater Germanus existit.

16 IVLII.

Anno 1619. 16. Iulij Compluti Christophorus de la Camara y Murga Vicarius Generalis Archiepisc. Toletani, typis vulgari permisit, probatum à se miraculum particularum seu formularum 23. Sanctissimi Sacramenti; quas cùm impij Mauri effudissent, Catholicus quispiam ad P. Ioannem Iuarez Societ. IESV detulit; & dixit, eas esse hostias consecratas, ac à Mauris ex argentea theca effusas. Hæ in Collegio Complutensi seruatæ sunt integræ vsque ad annum 1619. per annos plus quàm viginti duos. Hæc è narratione ibid. typis datâ.

22. IVLII.

Anno 1567. 22. Iulij Claudius Aquauiua Romæ ad Societatem admissus est.

27. IVLII.

Anno 1609. 27. Iulij datum à Paulo V. Pont. Max. decretum de beatificatione, officio, missa B. Ignatij S. I. Fundatoris.

30. IVLII.

Anno 1627. Imago Crucifixi, coram qua olim orans mira viderat S. P. Ignatius Manresæ ad eiusdem antrum (in quo seueriſſimam vitam duxerat) translata 30. Iulij, in vigilia S. Ignatij, sanguinem rubicundum velut è viuo corpore fudit, potissimùm è vulnere lateris.

Calari in Sardinia 30. Iulij (vt Escobar, & Engelgraue Panthei parte 2. pag. 53. affirmant) infans hactenus non

non locutus, disertè dixit: Crastinâ die S. Ignatij solennia celebrantur.

31. IVLII.

Anno 1548. Paulus III. Pont. Max. Farnesius, rogatu Franciſci Borgiæ Ducis Gandiæ, Exercitia S. P. Ignatij examinari curauit, & 31. Iulij approbauit; vocans ea *pietate ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spiritualem profectum fidelium valdè vtilia & salubria.* ait ea esse *maximum adiumentum* ad fructus vberes quos Societas in Ecclesia Dei vbique gentium producere non cessat. Hic est primus liber impressus in Societate IESV.

2. AVGVSTI.

Ludouicus Card. Ludouisius templum pro Collegio Romano Soc. Iesu, S. Ignatij nomine, iacto ab se primo lapide fundauit 4. nonas Aug. 1626.

Anno 1647. impressum est officium S. Ignatij Conf. quod 2. Augusti celebrat, ac Ambrosiano Calendario insertum habet Mediolanensis clerus. In nobili eius vitæ compendio, lectione 3. dicit, Ignatio S Petrum, deinde B. Virginem, apparuisse; Iesum sibi patrocinium illis verbis spondentem propè vrbem audisse: *Ego vobis Romæ propitius ero:* Minorestæ delineationem Societatis Iesu cælitus accepisse. Oratio, quâ præter ordinariam vtitur, est hæc: *Deus qui B. Ignatium Confessorem, gloriæ tuæ propagatorem eximium, Societatis Iesu Fundatorem effecisti; concede propitius, vt eo intercedente, cælestis gloriæ tuæ participes esse mereamur. Per Dom.*

10. AVGVSTI.

Decimâ die Augusti, anni 1663. Panormi Franciscus Castiglia Panormitanus, Soc. Iesu religiosus Scholasticus, cùm animam propè iam ageret, visus sibi est coram tribunali lucis immensæ aspici benigno vultu à præsentibus istic Deipara, S. P. Ignatio, & S. P. Xauerio: etiam Angelo custode in lectulo iacentem velut complexo, & ei loquente de SS. Eucharistia piè accepta. Accessit ægri lectulum ex alto propius S. Rosalia V. &; Franciscæ, aiebat, moriendum tibi nunc erat: & ego tibi obtinui à Deo sanitatem, si eam velis. erit illa ad maiorem Dei gloriam. Fac votum eo modo quem ego tibi dictabo. Tum Latinè in hæc verba præibat; ægro quoque ita singula pronunciante vt ab illa audiebat: *Voueo me seruum tuum in vita mea laudem & gloriam tuam promoturum in vniuerso mundo.* Adiecit Sancta Italicè: Venies ad meum antrum pedes; ac sacrâ communione piè reficieris. & attende vt impleas id quod est ad maiorem Dei gloriam. Et post pauca: Iam, inquit, sanus es. ac videri desiit; Franciscò ita sano relicto, vt nullum doloris, vel debilitatis vestigium persentiscerer. Hæc omnia fusè descripta, examinata, & ab Illustrissimo ac Reuerendiss. Panormitano Archiepiscopo Petro Martinez ritè approbata, typis variis non semel edita, pro concione laudata, æri Panormi ac Romæ incisa, ac mihi ab ipso Francisco Romæ particulatim narrata sunt.

13. AVGVSTI.

Anno 1647. 13. Augusti Alexander Caccia Episcopus Pistorienſis, solenni ritu primum lapidem posuit templi, quod in Collegio Societatis Iesu liberalis nobilissimæ Pistorienſium vrbis pietas S. Ignatij Loyolæ honori fundauit. Hoc templum idem Episcopus gemmam Pistorienſium coronæ & gloriæ appellauit: multa in Societatis laudem disertè dixit vir 86. annos natus,

tus, quæ omnia ibidem Italicis typis vulgata sunt.

15. AVGVSTI.

S. Ignatius cum Sociis anno 1534. Parisiis in monte Martyrum Deo se per prima vota deuouit per Dei Matrem: anniuersario deinceps vota instaurandi more seruato.

Anno 1549. S. Xauerius 15. Augusti in Iaponiam est appulsus.

Caparicus vitæ Lat. lib. 1 c. 19.

Anno 1583. B. Aloysius ætatis suæ anno decimoquinto & dimidio, Madriti hoc die cælesti cibo refectus, cùm gratiis Deo agendis, obsecrandoque per Virginis Matris merita insisteret, vt se, quid ipsi placitum esset eruditet, ecce tibi vox clara & manifesta allabitur, quæ ipsum religiosum in Societate Iesu fieri, & id quamprimum suarum Confessionum præsidi aperire iuberet: quod Aloysius postea Matri, aliisque in religione narrauit.

Eodem anno ac die quo hæc Madriti fiebant cum Aloysio, Romæ prima hostia consecrata est in summa ara noui templi à Iesu dicti, præsente Gregorio XIII. Pont. Max cum Patribus purpuratis.

21. AVGVSTI.

Anno 1655. 21 Aug. Alexander VII. Pont. concessit indulgentiam plenariam accipiendam vnâ aliquâ feriâ sextâ singulis mensibus, & liberationem animæ è purgatorio, pro inscriptis in album Bonæ Mortis, vt vocant in templo Domus Professorum Romæ.

25. AVGVSTI.

Anno 1584. 25. August. Greg. XIII Pont. Max. condidit celebrem illam Bullam pro Societatis confirmatione, quæ incipit: Ascendente Domino.

29. AVGVSTI.

Anno 1541. 29. Augusti S. P. Ignatius hoc die mortui Ioannis Coduri animam in cælesti luce ab Angelis in cælum ferri conspexit in Ponte Sixti, vt nunc pons ille appellatur.

3. SEPT.

Anno 1539. 3. Septemb. Paulus III. Pont. Max. porrectam sibi Tiburi à S. P. Ignatio instituti Societatis formulam, vbi legit & expendit, *Digitus*, inquit, *Dei est hic*. Adiecit; sperare se, hanc Societatem afflictæ Ecclesiæ fore præsidio, & ornamento.

Anno 1565. 3. Septemb. Congregationi Generali ab electo in Præpositum Generalem B. Borgia finis impositus; posteaquam ille, præmissis consuetis precibus, & exhortatione, pedes omnium osculatus est & amplexus.

6. SEPT.

Anno 1624. 6. Septemb. Vrbanus VIII. concessit, vt de Francisco Borgia, tanquam de Beato, possit officium recitari, & sacrum celebrari à nostris.

11. SEPT.

Anno 1625. 11. Sept. Vrbanus VIII. extendit indultum de officio, & missa B. Francisci Borgiæ Conf. non Pontif. ad omnes Sacerdotes tam sæculares, quàm regulares.

15. SEPT.

Anno 1627 15. Sept. Vrbanus VIII. edito (quod etiam typis Cameræ Apostolicæ impressum est) indulto, dedit facultatem celebrandi missam, & recitandi

recitandi officium de tribus Martyribus Paulo Michi, Ioanne de Goto, & Didaco Æuisai, è Societate IESV.

20. SEPT.

Anno 1565. 20. Septemb. data prima initia à B. Borgia, constituendæ Domus Probationis Romanæ S. Andreæ in monte Quirinali.

25. SEPT.

Anno 1583. 25. Septemb. celebrata est Dedicatio templi Domus Professorum Societatis Iesu Romæ, à IESV appellata.

27. SEPT.

Anno 1540. 27. Sept. Paulus III. Farnesius Pont. Max. Societatis Iesu institutum, & nomen, authoritate Apostolicâ confirmauit; & Societatē verè esse Religionem declarauit.

Anno 1640. Romæ Antonius Card. Barberinus, Vrbano VIII. Pontif. Patruo suo id probante, primum confirmatæ Societatis seculum, in templo Domûs Professorum Societatis Iesu, exquisito apparatu, ac magnificâ liberalitate celebrauit: & pro ara S. P. Ignatij, vbi eius corpus conditum est, donauit pallium, quod frontale vulgo dicitur, è solido argento, quinque millibus scutorum æstimatum.

29. SEPT.

Anno 1587. data est Societati bulla & facultas erigendi Congregationes, ac eas primariæ quæ in Collegio Romano est, aggregandi.

30. SEPT.

Festum S. Hieronymi; qui anno 1537. Vicetiæ S. Xauerio ægro & vigili se spectabilem præbuit; prædixitque illum hyeme proximâ Bononiæ laboraturum, & multa passurum, Sociorum verò alios Romam, alios Patauiū, Ferrariam, Senas concessuros, quæ omnia euentus confirmauit.

4. OCTOBRIS.

Anno 1604. 4. Octobris Don Vincentius Caraffa (postea Præpositus Generalis) vndeuigesimo ætatis anno Neapoli tyrocinium Societatis Iesu ingressus est.

11. OCTOBRIS.

Anno 1621. 11 Octobris Gregorius XV. Ludouisius Pont. Max. concessit (& id Cameræ Apostolicæ typis vulgatum est) vt de Beato Aloysio Gonzaga, Societatis Iesu Religioso, ab omnibus eiusdem Societatis Sacerdotibus possit 21. Iunij officium & missa, tanquam de confessore non Pontifice celebrari. Item vt sacrum de eodem celebrare liceat omnibus Sacerdotibus eo die in templis Societatis.

12. OCTOB.

Anno 1657. 12. Octob. Alexander VII. per Breue Apostolicum concessit indulgentiam plenariam pro ijs qui per octo dies obeunt exercitia S. P. Ignatij in aliquo domicilio Societatis.

13. OCTOB.

Anno 1537. 13. Octob. scripta est (quæ in Societatis archiuo Romæ seruatur) sententia Vicarij Nuncij Apostolici Venetiis, pro innocentia Ignatij de Loyola; contra calumniatores. Vbi ait; Ignatium ab omnibus susurratis, friuolis, vanis, falsis per præsen-

tes absolui, ac liberari; declarando, *P. Ignatium fuisse & esse Sacerdotem bonæ ac Religiosæ vitæ, & sanæ doctrinæ, qui in Ciuitate Venetiarum doctrinam & bona exempla docuit.*

15. OCTOB.

Festum S. Theresiæ Seraphicæ Virginis, quæ (vt ait Maurolicus Abbas in fine sui Oceani) Societatem Iesu, sub expanso Beatissimæ Virginis Matris pallio vidit. Hæc eadem (vt in vita P. Balth. Aluarez cap. 53. habet Ludouicus de Ponte) è cælo cuidam conspecta, dixit: Ego quoque sum filia Societatis: & habui in illa Confessarium, quam nunc in cælis agnosco, & veneror. Plura quæ de Societate adfert, omitto.

25. OCTOB.

Anno 1619. 25. Octobris Paulus V. Burghesius Pontif. Max. dedit Breue Apostolicum, & facultatem celebrandi officium ac missam de Francisco Xauerio, vt Beato Confessore non Pontifice.

28. OCTOB.

Anno 1510. 28. Octob. nascitur B. Franciscus Borgia, & à Matre angeli nomine salutatur.

Anno 1567. 28. Octob. idem B. Borgia Præpositus Generalis in Domo Professorum Societatis Iesu, B. Stanislaum Kostka in eandem Societatẽ recepit Romæ. In libro Nouitiorum ingredientium, de illo latinè sic lego: Venit 28. Octobris 1567. attigit 18. annum. Habet votum ingrediendi Societatem, iam est sesquiannus. Vacauit literis per tres annos. 1. Grammaticæ: 2. Humanitati: 3. Rhetoricæ. Videtur habere bonum ingenium. Nullum habuit impedimentum: & est indifferens ad omnia quæ Superiores illi iniunxerint, licèt sit in ministerio rerum humilium, cum diuino auxilio. Hæc ibi ad verbum, quibus propriâ manu nomen suum adiecit beatus Nouitius, sic:

Stanislaus Kostka.

1. NOVEMBRIS.

B. Aloysius Gonzaga in Collegio Romano hoc die de omnibus Sanctis in triclinio concionem habuit: quæ habetur impressa Placẽtiæ anno 1630. ad calcem vitæ illius pag. 306.

2. NOVEMB.

Anno 1585. 2. Nouembris B. Aloysius Mantuæ abdicat se suo Marchionatu: & necdum licèt ingressus tyrocinium, tamen induit vestem Societatis.

10. NOVEMB.

Anno 1549. 10. Nouemb. moritur Paulus III. Farnesius Pontif. Opt. Max. qui Societatem confirmauit, & paternâ semper in se ac suis beneuolentiâ fouit, magnum exemplum Domus Farnesiæ, in Societatem Romæ, Parmæ, Placentiæ, alibique beneficæ.

15. NOVEMB.

Anno 1615. 15. Nouembris P. Mutius Vitelleschus creatur Præpositus Generalis Societatis Iesu.

19. NOVEMB.

Hoc die anni 1587. cùm P. Claudius Aquauiua Præpositus Generalis sacra S. P. N. Ignatij ossa in Farnesianam IESV Basilicam illaturus, in sacri-

stia-

stia, sociis spectanda proponeret; viderunt nonnulli è plurimis qui aderant Patribus, ossa illa velut aspersa stellis, communis ducati aurei magnitudinem æquantibus, & viuo quodam splendore micantibus.

20. NOVEMB.

Anno 1552. 20. Nouemb. S. Xauerius missæ sacrificium vltimùm celebrauit, idque pro mortuo. Post sacrũ febri correptus, & 2. Decembris vitâ defunctus est.

25. NOVEMB.

Anno 1585. 25. Nouembris B. Aloysius Gonzaga, Romæ ad S. Andreæ, Societatem Iesu ingressus est: & biennio post, è consueta votorum simplicium formula, vota nuncupauit in sacello Collegij Romani apud Iuniores quod etiamnum est in veneratione. vbi etiam visitur cubiculum in quo habitauit.

2. DECEMBRIS.

Anno 1552. 2. Decembris in Xauerio castro Crucifixus sanguineo sudore manans conspectus est: & postea nunciatum, eodem die Xauerium in Indiis obiisse.

Anno 1574. 2. Decemb. P. Ludouicus de Ponte Societatem ingreditur.

3. DECEMB.

Anno 1609. 3. Decemb. Paulus V. dat Societati Breue Apostolicum Beatificationis P. Ignatij Fundatoris.

4. DECEMB.

Dies S. Barbaræ V. M. Sacer. quæ Viennæ B. Stanislao apparuit cùm ei Angeli diuinam Eucharistiam ministrarent; aliàs aliis quoque de Societate conspecta.

18. DECEMB.

Anno 1594. 18. Decemb. (vt habet Vincentius Puccinus in vita B. Magdalenæ de Pazzis pag. 2. cap. 12.) B. P. Ignatius, eidem Beatæ, Florentiæ spectabilis adfuit cum Beatissima Virgine, & S. Angelo Carmelita: ac, Deiparæ iussu, ei exhortationem fecit de humilitate.

21. DECEMB.

Anno 1649. 21. Decemb. P. Franciscus Piccolomineus Societatis vniuersæ Præpositus Generalis creatus est.

25. DECEMB.

Anno 1538. natali Christi nocte, S. P. Ignatius Romæ ad præsæpe, in S. MARIÆ Maioris Basilica, ad Niues dictâ, primum sacrificium missæ Deo obtulit post præmissam plus quàm vnius integri anni præparationem.

Ad maiorem Dei Deiparæ Virginis S. P. Ignatij, Xauerij, & SS. omnium gloriam.

INDEX NOMINVM,

ET COGNOMINVM

IN ANNVM DIERVM

MEMORABILIVM

SOCIETATIS IESV.

P. Abrahamus Georgius. 30. April.
P. Achilles Gagliardi. 6. Iulij.
P. Adalbertus Bauſech. 3. Maij.
P. Adamus Cieciersk. 30. Nouemb.
Adamus Fraciſcus. 2. Ian.
Adamus Gorski. 18. Decemb.
P. Adamus Krauarski. 30. Aug.
P. Adrianus Arboreus. 3. Octob.
P. Adrianus Cheſſoy. 9. Maij.
P. Adrianus Crucius. 13. Aug.
P. Adrianus Horn. 1. Octob
P. Adrianus Knudde. 15. Febr.
P. Adrianus Mangotius. 15. Nou.
P. Ægidius de Abreu. 24. Nou.
P. Ægidius Anglus. 4. Iulij.
Ægidius Claromontius. 16. Maij.
P. Ægidius Gonz. de Auida. 15. Ian.
Ægidius Montanus. 25. Mart.
P. Ægidius Mouton. 8. Febr.
P. Æmilianus Garzia. 30. Nouemb.
P. Albertus Chanouuski. 16. April.
P. Albertus Meſcinski. 23. Martij.
P. Albertus Ruffinus. 22. Apr.
P. Albertus Wiglocki. 17. Maij.
P. Alexander Briantus. 1. Dec.
Alexander Coëllius. 27. Febr.
P. Alexander Dobokai. 13. Octob.
P. Alexander Georgius. 4. Iunij.
P. Alexander Gottifredi. 12. Martij.
P. Alexander Heller. 2. Oct.
P. Alexander Hunnæus. 28. Martij.
P. Alexander Lopez. 13. Dec.
P. Alexander Valignanus. 20. Ian.
P. Alexander Voit. 1. Dec.
B. Aloyſius Gonzaga. 20. & 21. Iun.
P. Aloyſius Lanuza. 21. Octob.
P. Aloyſius Ponce. 2. Nou.
Aloyſius Hernandez. 15. Iunij.
P. Alphius Manſitus. 26. April.
P. Alphonſus de Aragona. 10. Iul.
P. Alphonſus de Auila. 16. Octob.
Alphonſus de la Barrera. 28. Octob.
P. Alphonſus Barzena. 1. Ian.
P. Alphonſus de Caſtro. 6. Ian.
P. Alphonſus Cortes. 17. Nou.
P. Alphonſus Cyprianus. 1. Auguſt.
P. Alphonſus Eſquerra. 17. Iul.
Alphonſus Fernandius. 14. Sept.
P. Alphonſus Giannotti. 19. Sept.
Alphonſus Guerra. 15. Auguſt.
P. Alphonſus Guerrerus. 18. Mart.
P. Alphonſus Guillermus. 2. Febr.
P. Alphonſus Hernandez. 6. Iulij.
P. Alphonſus de Madrano. 5. Sept.
P. Alph. Mendez Patriarcha. 29. Iun.
P. Alphonſus Miranda. 3. Iulij.
P. Alphonſus Nunnius. 12. Februar.
P. Alphonſus Ouandus. 6. Nou.
P. Alphonſus Paciecus. 15. Iulij.
Alphonſus de Prado. 8. Dec.
P. Alphonſus Rodriguez. 21. Febr.

Alphon-

Alphonsus Rodriguez. 31. Octob.
P. Alph. Rodriguez. 15. Nouemb.
P. Alph. Salmeron. 13. Febr.
P. Alph. Sandoicalius. 11. Nouemb.
Alph. de Soto. 19. Ianuar.
Alph. Vasius. 9. Nouemb.
P. Aluarus Ledesma. 25. Iun.
P. Aluarus de Monsalue. 8. Iun.
P. Amarus, seu Maurus Moureira. 30. Septemb.
Ambrosius Belga. 1. Aug.
Ambrosius Fernandez. 7. Ian.
P. Ambrosius Gaudinus. 23. Ian.
P. Ambrosius Gerardinus. 20. Iulij.
P. Andreas Almeida. 22. Ian.
Andreas Annes. 3. April.
P. Andreas Asensius. 10. Decemb.
P. Andreas Barpi. 1. Iunij.
P. Andr. Bottelberch. 17. Iul.
P. Andr. Bruchman. 23. April.
P. Andr. Brunner. 20. April.
P. Andr. de Cacorla. 2. Iun.
P. Andr. Caro. 24. Decemb.
P. Andr. Galuanellus. 6. Martij.
Andr. Gomesius. 14. Iun.
P. Andr. Gualdanes. 5. Decemb.
P. Andr. Leomanus. 9 Sept.
P. Andr. Lutius. 29. Martij.
Andreas Martini. 15. Febr.
P. Andr. Metsch. 23. Febr.
Andreas Mexia. 23. Martij.
P. Andr. Ortiz. 28. Martij.
P. Andr. Ouiedus. 14. Sept.
Andreas Pais. 14. Sept.
M. Andr. Paulichich. 23. Maij.
P. Andr. Rudomina. 5. Sept.
P. Andreas Saa. 22. Iun.
Andreas Saito. 28. Febr.
P. Andr. Spinola. 10. Iun.
P. Andr. Vitus. 27. Decemb.
Andreas Wilsonus. 15. Ian.
P. Andr. de Zea. 1. Ian.
P. Angelus Armanus. 31. Maij.
P. Angelus Sibylla. 27. April. 21. Sept.
P. Annas de Noue. 2. Febr.
P. Anneus Maupeou. 6. Maij.
Anonymi. 8. Decemb.
Anonymus Hispalensis. 30. April.
Anonymus Iapon. 18. Iun.
Anonymi duo PP Ruthenēses 8. Maij.
Anonymus Tarraconensis. 13. Martij.
P. Anselmus Crucius. 3. Ian.
Antonius Ambrosius. 21. Sept.
P. Anton. de Andrade. 19. Martij.
P. Anton. Aragonius. 15. April.
P. Anton. Araozius. 30. Ian.
P. Anton. Arias. 1. Martij.
P. Anton. Barisonus. 7. Dec.
P. Anton. Bellauia. 4. Aug.
P. Anton. Blandi. 27. Martij.
P. Anton. Boschus. 8. Octobris.
Antonius de Camera. 18. Sept.
Anton. Cansadus. 25. Martij.
P. Anton. Capecius. 25. Martij.
P. Anton. de Cardenas. 22. April.
P. Anton. Cordeses. 16. Martij.
P. Anton. Cordona. 26. Ian.
P. Anton. Correa. 1. Sept.
P. Anton. Criminalis. 7. Febr.
P. Anton. Critana. 28. Nouemb.
P. Anton. Daniel. 4. Iulij.
P. Anton. Fernandius. 12. Nou.
P. Anton. de Tour. 2. Maij.
P. Anton. Franciscus. 15. Iulij.
P. Anton. Gallegus. 13. Iun.
P. Anton. Garaudel. 30. Aug.
P. Anton. Gaudier. 14. April.
P. Anton. de Greft. 1. Maij.
Anton. de Henricis. 24. Iun.
P. Anton. Hurtadus. 31. Octob.
P. Anton. Ioannez. 17. Aug.
P. Anton. Iseida. 3. Sept.
Antonius Kiuni. 10. Sept.
Antonius de Leon. 8. Aug.
Antonius Loffredus. 26. Maij.
P. Anton. Lopez. 14. Martij. 23. Iulij.
P. Anton. Macciadus. 4. Sept.
P. Anton. Madridius. 12. Ian.
Antonius Madridius. 1. Maij.
P. Anton. de Matros. 25. Octob.
P. Anton. Mazerus. 15. Iul.
P. Anton. de Mendoza. 24. Maij.
M. Anton. Milo. 9. Febr.
P. Anton. Morales. 30. Nou.

P. Anton. de Padilla. 29. Nou.
P. Anton. Pinnas. 3. Nou.
P. Anton. de Rhodes. 6. Maij.
M. Anton. Ridolfinus. 12. Octob.
P. Anton. Riparius. 1. April.
M. Ant. Riualta. 18. Iun.
Anton. Rodericius. 28. Dec.
Anton. Romerus 3. Dec.
P Antonius Ruz de Montoya. 11. Apr.
P. Anton. Rubinus. 22. Martij.
P. Anton. Sanchez. 18. April.
P. Anton. Sardus. 8. April. 2. Iun.
P. Anton. Sauignacus. 8. Sept.
P. Anton. Sedennus. 1. Sept.
P. Anton. Sotiro. 12. Dec.
P. Anton. Souſa. 26. Octob.
P. Anton. Sucquet. 15. Febr.
P. Anton. Suffrenus. 10 Nou.
P. Anton. Torrentinus. 1. Maij.
P. Antonius Torres. 15 Dec.
P. Ant. Vaſconcellus. 16. Aug.
P. Anton. Zannetti. 6. Iulij.
P. Apollinaris Almeida. 14. Iun.
P. Arnoldus de Berg. 19. Maij.
P. Arnoldus Boecop. 19. Febr.
P. Arnoldus Cathius. 13 Dec.
P. Arnoldus Procurerius. 22. Nou.
P. Arnoldus Vicinus. 8. Iulij.
P. Auguſtinus Canus. 23. Sept.
P. Auguſtiuus Eſpinoſa. 4 Febr.
P. Auguſtinus Iuſtinianus. 2. Martij.
Auguſtinus Ota. 10. Auguſt.
Auguſtinus Petraſancta. 2. Febr.
P. Auguſtinus Sancius. 24. Martij.
P. Auguſtinus de Villaza. 30. Iulij.
P. Aymarus Guerinus. 29. Nouemb.

Balduinus Cuuillonius. 3. Ian.
P. Balthaſar Aluarez. 25. Iulij.
P. Balth. Barreira. 2. Februar.
Balthaſar Diaz. 15. April.
P. Balthaſar Gagus. 9. Ianuar.
Balthaſar Mayr. 26. Martij.
P. Balthaſar Pinna. 29. Iulij.
Balthaſar van Surck. 11. Martij.
Baptiſta Coadiutor. 13 Iunij.
P. Barnabas la Vecchia. 19. Auguſt.
Bartholomæus Aluarus. 24. Aug.
Bartholomæus Borgarellus. 16. Febr.
P. Barthol. Buſtamantius. 21. Iun.
Barthol. Camerlenghus. 10. Febr.
P. Bartholomæus Cocchius. 21. Iul.
P. Barthol. de Eſcobar. 3. April.
Barthol. Gonzalus. 8. Martij.
P. Bartholomæus Iacobi. 13. Ian.
P. Bartholomæus Iſla. 7 Octob.
P. Barthol. Oleikieuuicz. 16. Iun.
Bartholomæus Perez. 28. Ian.
P. Bartholomæus Perez. 24. Nou.
P. Barthol. Petraccius. 22 Maij.
P. Bartholomæus Polus. 10. Maij.
Bartholomæus Puzzolus. 27. Ian.
Bartholomæus Sanchez. 19 Martij.
P. Bartholomæus Sanchez. 7. Iun.
P. Barthol. de Saura. 9. Iulij.
Barthol. Valditarus. 25. Martij.
Bartholomæus Wagner. 11. Dec.
P. Baſilius Alph. de Auila. 17. Oct.
Baſilius Lazzari. 25. Febr.
Benedictus Caſtrius. 15. Iul.
P. Bened. Fernandez. 2. Oct. 8. Dec.
Benedictus Goëz. 11. April.
P. Benedictus Herbeſtus. 4. Martij.
P. Bened. Martellangæus. 11. Nou.
P. Bened. Moletus. 21. April.
P. Benedictus Palmius. 14. Nouemb.
P. Bernardinus Caſtorius. 15. Martij.
P Bernardinus Pecius. 15. Sept.
P. Bernardinus Piccinus. 8. Nou.
P. Bernardinus Realinus. 2. Iulij.
P. Bernardinus Roſignolius. 5. Iun. j.
P. Bernardinus Stephanus. 8. Dec.
P. Bernardinus Zanorius. 29. Mart.
P. Bernardus Aubaſius. 11. Iul.
Bernardus Cantaber. 4. Ian.
P. Bernardus de Ciſneros. 18. Nou.
P. Bernardus Colnagus. 22. April.
P. Bernardus Creſcentius. 19. Nou.
P. Bernardus Nugueira. 12. Nou.
P. Bernardus Oliuerius. 22. Aug.
P Bernardus Oppel. 29. Dec.
P. Bernardus Pereira. 22. Sept.
P. Bernardus de Ponte. 27. Ian.
P. Bernardus Reuſſ. 11. Iun. 17. Iul.

P. Ber-

P. Bernardas Venegas. 20. Octob.
Bertandus Cornelius. 2. Ian.
Bertrandus Monodelius. 11. Auguſt.
P. Bertrandus Parra. 27. Martij.
P. Blaſius Plozzynius. 22. Octob.
Blaſius Ribera. 15. Iul.
Blaſius Schelling. 1. Iunij.
P. Bonauentura Paradinas. 5. Octob.
P. Briantus Cransfeldus. 3. Auguſt.
P. Brunus Brunus. 12. April.

Cæſar Boſcus. 15. Septemb.
Cæſar Caietanus. 5. Aug.
P. Cæſar Coſſus. 7. Nouemb.
P. Camillus Conſtantius. 15. Sept.
P. Carolus Carlantinus. 10. Febr.
Carolus Caſarius. 2 April.
P. Carolus Cluſellus. 9 Iulij.
P. Carolus Garnier. 7. Dec.
P. Carolus à Lotharingia. 28. April.
P. Carolus Paulinus. 12. April.
M. Carolus de Pauu. 5. Sept.
P. Carolus Pharao. 6. Febr. 24. Sept.
P. Carolus de Rebreuiettes. 29. April.
P. Carolus Rolandus. 11. Iun.
P. Carolus Romanus. 16. Aug.
P. Carolus Sagerius. 24. Maij.
P. Carolus Sanguinot. 7. Aug.
P. Carolus Scribanius. 24. Iun.
P. Carolus Spinola 10. Sept.
Celſus Finettus. 21. Sept.
P. Chriſtianus Mayr. 28. Aug.
Chriſtianus Schacher. 26. April.
P. Chriſtoph. Carnoſtacicus. 5. Maij.
P. Chriſtophorus Clauius. 6. Febr.
P. Chriſtoph. Clezlin. 23. Sept.
P. Chriſtoph. Colladus. 12. Sept.
P. Chriſtoph. Ferreira. 26. April.
P. Chriſtoph. Ferrerius. 29. Aug.
P. Chriſtoph. Cleinigh. 4 Sept.
P. Chriſtoph. Corquera. 21. Iul.
P. Chriſtoph. Mendez. 23. Martij.
P. Chriſtoph. Mendoza. 25. April.
P. Chriſtoph. Pflaumer. 12. Iun.
P. Chriſtoph. Rodriguez. 12. Febr.
P. Chriſtoph. Spotecus. 14. Iun.
P. Chriſtophorus Viuenus. 13. Iun.
P. Claudius Aquauiua. 31. Ian
P. Claudius Cantheu. 18. Iun.
P. Claudius à S. Columba. 1. Nou.
Claudius Eſtrangin. 6. Febr.
P. Claudius Granerius. 22. Aug.
P. Claudius Iaius. 6. Auguſt.
P. Claudius Matthæus. 24. Dec.
P. Claudius Panceotus. 30. April.
P. Clemens Puiolius. 9. Sept.
P. Claudius Viola. 29. Iul.
Claudius Voley. 22. Iun.
P. Conſaluus Eſquiuel. 18. Aug.
P. Conſaluus Gomius. 11. Dec.
P. Conſaluus Melendius. 24 April.
P. Conſaluus Vaz. 14. Maij.
P. Conſtantinus Pulcharellus. 13. Ian.
P. Coſmus Alamannus. 21. Iulij.
Coſmus Meacenſis. 22. Sept.
P. Cornelius Beudin. 4 Iun.
Cornelius Duyſtius. 21. Febr.
Cornelius Ix. 22. April.
P. Cornelius de Moor. 8. Iun.
P. Cornelius Murgia. 12. Ian.
P. Cornelius Onnckinck. 12. Maij.
P. Coſmus Turrianus. 2 Oct.
P. Cornelius Vishauæus. 25. Aug.
Cubertus Preſcottus. 20. Febr.
P. Damianus Fucaye. 9. Octob.
P. Daniel Paeibruck. 25. Dec.
Daniel Roſner. 18. April.
P. Daniel Stigelius. 3. Iulij.
P. Daniel Stullius. 16. Nou.
Darius Gerla. 21. Iun.
P. Deſiderius Colinus. 5. Mart.
P. Didacus de Alfaro. 17. Ian.
Didacus Alphonſus. 13. Aug.
P. Didacus Andrada. 15. Iul.
P. Didacus Barreto. 24. Sept.
P. Didacus Borraſa. 20. Nou.
Didacus Bohemus. 29. Maij.
P. Didacus Caruallius. 22. Febr.
Didacus Caruallius. 14. Sept.
P. Didacus de Caſtillo. 7. Aug.
P. Didacus Daza. 16. Octob.
P. Didacus Fernandes. 28. April.
P. Didacus Garzia. 12. Sept.
P. Didacus Hoſius. 31. Martij.

P. Didacus Mantinez. 2. April.
Didacus Mendoza. 19. Maij.
Didacus Montalbus. 14. Dec.
P. Didacus Monterus. 27. Maij.
P. Didacus de Morales. 15. Martij.
P. Didacus de Orosco. 18. Nou.
P. Didacus Puellas. 4. Ian.
P. Didacus Ruiz. 15. Martij.
P. Didacus Samaniego. 7. Maij.
P. Didacus de Sautiago. 14. Dec.
Didacus Sarabias. 27. Iun.
P. Didacus Sotus. 11. April.
P. Didacus Torres. 13. April.
Didacus Torres. 8. Aug.
P. Didacus Yuki. 8. Feb.
Dionysius Fugixima. 1. Nou.
P. Dionysius de Sannois. 10 Iulij.
Dionysius Yamamoto. 22. Sept.
Dominicus Colinus. 31. Octob.
Dominicus Faber. 18. Iul.
Dominicus Fernandez. 21 Feb. 8. Maij.
P. Dominicus Gonzalez. 21. Febr.
Dominicus Ioannes. 2. Sept.
Dominicus de Onnate. 4. Oct.
P. Dominicus Pierius. 8. April.
P. Dominicus Simon. 4. Nou.
P. Dominicus Valesius. 9. Iunij.

P. Edmũdus Arousmithæus. 7. Sep.
P. Edmũdus Campianus. 1. Dec.
P. Edmundus Donatus. 30. Ian.
Edmundus Renard. 31. Ian.
P. Eduardus à Costa. 2. Martij.
P. Eduardus Oldcornus. 7 Apr.
Eduardus de Silua. 5. Ian.
Eduardus Trogmortonus. 18. Nou.
P. Eleutherius Pontanus. 31. Ian.
M. Elias Nitsch. 7. Martij.
P. Emondus Augerius. 19. Ian. 19. Iun.
P. Emmanuel de Arteaga. 24 April.
P. Emman. Barrettus. 11. Martij.
P. Emman. de Barros. 11. April.
P. Emman. Borges. 16. Aug.
Emman. à Costa. 18. Iul.
P. Emman. Fernandius. 18. Febr.
P. Emman. Fernandez. 15. Aug. 25. Dec.
Emman. Henriques. 29. Dec.
P. Emman. Martinez. 1. Febr. 12. Dec.
P. Emman. Martius. 22. Iul.
P. Emman. Miona. 4. Martij.
Emmanel Niger. 9. Iun.
P. Emman. de Nobrega. 18. Oct.
P. Emman. de Ortega. 21. Octob.
P. Emmanuel Saa. 30. Dec.
P. Emanuel Sequeira. 24. August.
P. Emaman. Texeira. 17. April.
P. Engelbertus Keilerr. 13. April.
P. Erardus Mainbrurg. 1. Sept.
P. Ernestus Mairhofer. 2. Aug.
P. Euangelista de Gattis. 14. Dec.
P. Euerardus Mercurianus. 1. Aug.

P. Fabius de Fabiis. 12 Nou.
P. Fabius Iustinianus. 13. Mart.
P. Felix Malaspina. 17. Iun.
P. Ferdinandus de Alamo. 22. Nou.
P. Ferdin. Aluarez. 14. Sept. 2. Oct.
P. Ferdin. Capecius. 31. Iul.
P. Ferdin. Crendelius. 30. Maij.
P. Ferdin. Garzia. 7. Martij.
P. Ferdin. Gomez. 17. Martij.
P. Ferdin. Guillem. 13. Nou.
P. Ferdin. de Herrera. 22. Ian.
P. Ferdin. Marchesius. 3. Iulij.
P. Ferdin. Melchiorius. 22. Octob.
P. Ferdin. de Mendoza. 16. Iulij.
P. Ferdin. Monroy. 25. Sept.
P. Ferdin. Paterno. 6. Febr 26. Mart.
P. Ferdin. de Santarcn. 20. Nou.
P. Ferdin. Suarez. 28. Sept.
P. Ferdin. de Touar. 16. Nou.
P. Ferdin. Vasques. 19. Iulij.
P. Florentius Bonchorstius. 14. Iun.
P. Florentius Montmorency. 12. Aug.
P. Florent. Tennier. 31. Aug.
P. Florentius Vaillant. 30. Sept.
Franciscus Abbas. 19. April. 20. Maij.
P. Franciscus Adornus. 13. Ian.
P. Franciscus Aguadus. 15. Ian.
P. Franciscus Albertus. 11. Ian.
P. Franciscus Andrada. 15. Febr.
P. Franciscus Antonius. 15. Febr.
Franciscus Aranea. 15. Iul.
P. Franciscus Arias. 23. Maij.

P. Fran-

P. Franciſcus de Barry. 5. Aug.
P. Franc. Baſilius. 16 Iul.
P. Franc. Bazanus. 28. Octob.
P. Franc. Benauides. 3. Dec.
P. Franc. Bencius. 6. Maij.
P. Franc. Bianchettus. 30. Nou.
P. Franc. Bordeſius. 19. Maij. 18. Iun.
B. Franciſcus Borgia. 1. Octob.
P. Franc. Boutonus 17. Octob.
P. Franc. Buldrinus. 14. Dec. 23. Dec.
Franciſcus Caguinus. 11. Aug.
Franc. Caietanus. 20. April.
P. Franc. Calderon. 9 Dec.
P. Franc. Cardoſus. 20. Sept.
P. Franc. Carion. 2. Auguſt.
P. Franc. Caſtrius. 13. Sept.
Franciſcus Coello. 27. Maij.
P. Franc. Corcionus. 20. Iulij.
P. Franc. Cordubenſis. 28. Iul.
P. Franc. de Coſta. 10. Ian.
P. Franc. Coſterus. 6. Dec.
P. Franc. de la Croix. 2. Aug.
Franciſcus Diaz. 19. Martij.
Franc. Dominicus. 27. Ian.
P. Franc. Enzinas. 2. Ian.
P. Franc. Faber. 26. Sept.
P. Franc. Fabritius. 12. Dec.
P. Franc. Farſia. 30. Octob.
P. Franc. Fernandez. 10. Ian.
Franciſcus Fernandez. 25. Ian.
P. Franc. Fernandius. 14. Nou.
P. Franc. Folianus. 29. Sept.
P. Franc. Franciſchinus. 25. Maij.
P. Franc. Gardinerus. 18. Ian.
P. Franc. Garzia. 3. Sept.
P. Franc. Gomez. 21. Dec.
P. Franc. Gonzalez. 10. Mart.
P. Franc. Goueanus. 28. Iun.
P. Franc. Graſſus. 14. Iun.
P. Franc. Henriquez. 6. Iun.
Franciſcus Hernandez. 14. Nou.
P. Franc. de Herrera. 12. Nou.
Franc. Hortulanus. 20. Dec.
P. Franc Icart. 24. April.
P. Franc. de Laredo. 13. April.
P. Franc. de Lerma. 6. April.
Franciſcus Lopez. 5. Iun.
P. Franc. Lopez. 29. Octob.
P. Franc. Lupius. 15. Maij.
P. Franc. Macciadus. 22. Sept.
P. Franc. Marinus. 24. Sept.
Franc. Martinez. 31. Mart.
P. Franc. Marquez. 25. Mart.
P. Franc. de Mendoza. 7. Maij. 3 Iun.
P. Franc. Miroldus. 26. Aug.
Franc. Montalbus. 22. Iul.
P. Franc. de Montmorency. 5. Febr.
P. Franc. de Mora. 30. April.
P. Franc. de Morales. 20. Febr.
Franc. Morenus. 19. Octob.
P. Franc. de la Motte. 31. Aug.
P. Franc. Netus. 20. Febr.
P. Franc. Orlandinus. 9. Dec.
P. Franc. de Otazo. 16. Aug.
Franc. Paulus. 13. Sept.
P. Franc. Paciecus. 20. Iun.
P. Franc. Pagius. 29. April.
Franc. Paglia. 16. Mart.
P. Franc. Paliola. 29. Ian.
P. Franc. de la Parra. 12. Iul.
P. Franc. Pauonus. 24. Febr.
P. Franc. Perez. 12. Febr. 22. Mart.
Franc. Perez. 15 Iul.
P. Franc. de Petris. 5. Nou.
P. Franc. Piccolomineus. 17. Iun.
P. Franc. Pintus. 11. Ian.
P. Franc. Raulinus. 13. Auguſt.
Franc. Reuoulz 20. Iun.
P Franc. Ribera. 24. Nou.
P. Franc. Riberius. 14. Nou.
Franc. Rigault. 20. Maij.
Franc. Rodes. 31. Mart.
Franc. Rodriguez. 16. Febr.
P. Franc. Rodriguez. 22. Mar. 14. Iun.
P. Franc. Roſillus. 28. Octob.
P. Franc. Saboya. 3. Nou.
P. Franc. Sacchinus. 16. Dec.
P. Franc. de Soto. 30. Ian.
P. Franc. Strada. 26. Octob.
P. Franc. Suarez. 25 Sept.
P. Franc. Tamburinus. 22. Iul.
P. Franc. Torreſius. 7. Mart.
P. Franc. Trento. 18. Maij.
P. Franc. Turrianus. 21. Nou.

P. Franc. vanden Berghen. 1. April.
M. Franc. vanden Branden. 22 Iul.
P. Franc. de Vbierna. 5. Maij.
Franc. à Villa Regali. 8. Ian.
P. Franc. Vincentius Pucho. 15. Oct.
S. Franciscus Xauerius. 2. Dec.
Fridericus Simon. 6. Sept.
P. Fuluius Androtius. 27. Aug.

P. Gabriel Baëza. 15. Maij.
P. Gabriel Bolicher. 19. Aug.
P. Gabriel Crucius. 6. Febr.
P. Gabriel Lalemant. 17. Mart.
P. Gabriel Portier. 9. Maij.
P. Gabriel Sanchez. 1. Ian.
Gabriel de Solis. 3. Febr.
Gabriel Vayle. 29. Mart.
Gabriel Vasia. 11. Iun.
P. Gabriel de la Vega. 21. Maij.
P. Garcias de Alarcon. 10. Oct.
P. Gaspar Almeida. 26. Sept.
P. Gaspar Azeuedo. 21. Nou.
P. Gaspar Barzæus. 18. Octob.
P. Gaspar de Castro. 7. Maij.
P. Gaspar Coëllo. 25. Maij.
P. Gaspar Fonseca. 1. Mart.
Gaspar de Garay. 14. Febr.
Gaspar Göes, 13. Sept.
P. Gaspar Hernandez. 5. Aug.
P. Gaspar Loarte. 8 Octob.
P. Gaspar Mauritius. 4. Aug.
P. Gaspar Osorius. 1. April.
P. Gaspar Paëz. 25. Apr.
P. Gaspar Paranymphus. 23. Ian.
P. Gaspar Perez. 15. Octob.
P. Gaspar Perkotoski. 16. Feb.
P. Gaspar Sanchez. 11. Mart.
P. Gaspar Sanctius. 16. Nou.
P. Gaspar Satalia. 8. Iun.
P. Gaspar Vasquez. 23. Sept.
P. Gaspar Woyniez. 5. Maij.
Gaspar Zelosus. 23. Ian.
P. Georgius Aluarez. 24. Dec.
P. Georgius Caruahal. 5. Maij.
P. Georgius Colibrant 2. Nou.
P. Georgius Combes. 3. Nou.
P. Georgius Federus. 17. April.
P. Georgius Fernandez. 24. Sept.
P. Georgius Forro. 18. Octob.
P. Georgius Giedroye. 12. Iul.
Georgius Gilbertus. 3. Aug.
P. Georgius Hosser. 16. Ian.
P. Georgius Iustinianus. 3. Dec.
P. Georgius Kaldi. 30. Octob.
P. Georgius Rigius. 15. Iul.
P. Georgius Schorichius 20. Oct.
P. Georgius Schenbergher. 1. Aug.
P. Georgius Skarsinski. 17. Febr.
P. Georgius Tauora. 5. April.
P. Georgius Valier. 28. Octob.
P. Georgius Vonderau. 5. Feb.
Gerardus Angelinus. 25. Iul.
Gerardus Dominique. 14. Iul.
P. Gerardus Florientij. 21. Mar.
P. Gerardus Hero. 1. Martij.
P. Gerardus Paësman. 20. Iul.
Gilbertus Midletonus 12. Aug.
P. Godefridus Thelen. 25. Sept.
P. Gonsaluus Aluarez. 21. Iul.
P. Gonsaluus Barnouus. 23. April.
P. Gonsaluus Cardosus. 22. Maij.
Gonsaluus Fusai. 10. Sept.
P. Gonsaluus Gomez. 14. Nou.
Gonsaluus Iuste. 19. Octob.
P. Gonsaluus Marinus. 4. Dec.
P. Gonsaluus de Medeiros. 4. Apr.
P. Gonsaluus Sylueria. 15. Mart.
P. Gosvvinus Nickel. pag. 356.
Gregorius de Arroyo. 13 Maij.
Gregorius Cabedus. 5. Febr.
P. Gregorius Roseslius. 15. Maij.
P. Gregorius Rumer 29. Sept.
P. Gregorius de Valentia. 25. April.
P. Gregius Weilharmer. 24. April.
P. Guido Roilettus. 21. Maij.
M. Guilielmus Asseliers. 28. Oct.
P. Guil. Aubergeon. 23. Ian.
P. Guil. Bailius. 27. Octob.
P. Guilielmus Batheus. 17. Iun.
P. Guilielmus Boytonus. 13. Sept.
Guilielmus Brunus. 20. Aug.
P. Guilielmus Critonus. 9. Iun.
Guilielmus Elphinstonius. 18. Apr.
P. Guilielmus Leonius. 27. Iul.

P. Gui-

P. Guil. Leueſquius. 11. Mart.
P. Guil. Limburgus. 29. Ian.
P. Guil. Lynden. 14. Sept.
P. Guil. Metternich. 30. Mart.
P. Guil. Murdochus. 21. Aug.
Guilielmus Oben. 3. April.
P. Guil. de Pretere. 10. Nouemb.
P Guil. de la Rongere. 14. Octob.
P. Guil. Roſe. 25. Iul.
Guilielmus Saltamochius. 7. Febr.
P. Guil. Thomas. 8. Ian.
P. Guil. Treboſius. 14. Octob.
P. Guil. Veſtonus. 9. April.
P. Gundiſaluus de Tapia. 10. Iul.
P. Guttierres de Caſtro. 15. April.

P. HEctor Lupatius. 23. Nou.
P. Henricus Carlier. 16. Sept.
P. Henricus Dionyſius. 8. Nou.
P. Henricus Garnetus. 3. Maij.
P. Henricus Henriquez. 6. Febr.
P. Henricus Hollandus. 29. Febr.
P. Henricus van Honſen. 13. April.
P. Henricus Huiskenius. 20. Sept.
P. Henricus Mors. 1. Febr.
P. Henr. Schachtius. 2. Ian.
P. Henr. Sommalius. 30. Mart.
Henricus Werden. 22. Febr.
P. Henr. Walpolus. 17. April.
P. Hermannus Bauing. 14. Febr.
P. Hermannus Hugo. 11. Sept.
P. Hernandus Marquez. 3. Iul.
P. Heruæus Maluesius. 21. Febr.
P. Hieremias Drexelius. 19. April.
P. Hieronymus Aluarez. 20. Ian.
P. Hieronymus de Angelis. 4. Dec.
P. Hieronymus Anſaldus. 2. Febr.
Hieronymus ab Arca. 2. Ian. 12. Oct.
Hieronymus Bignottus. 7. Aug.
P. Hieron. Carualius. 24. Octob.
Hieronymus Cignardus. 1. Febr.
P. Hieron Diaz. 15. Aug.
P. Hieron. Domeneccus. 20. Dec.
P. Hieron. Fiſcher. 23. Maij.
P. Hieron. de Florentia. 12. Mart.
P. Hieron. Galitia. 9. April. 13 Maij.
P. Hieron. de Mercado. 2. Maij.
P. Hieron. Monteſittos. 6. Dec.
P. Hieron. Moranta. 19. Nou.
P. Hieron. Ottellus. 4. Martij.
P. Hieron. Platus. 14. Aug.
P. Hieron. Queyrot. 8. Sept.
P. Hieron. Ramirez. 12. Ian.
P. Hieron. Ribera. 16. Dec.
P. Hieron. Rubiola. 21. Aug.
P. Hieron. Ruiz. 2. Febr.
P. Hieron. van Seurck. 27. Sept.
Hieronymus de Sylua. 14. Oct.
P. Hieron. Torrenſis 9. Ian.
P. Hieron. Xauier. 17. Ian.
P. Hieron de Zara. 27. Ian.
P Higerus Archenius. 29. Iun.
P. Honoratus Abella. 10. Oct.
P. Horatius Vecchi. 14. Dec.
P. Hyacinthus Franciſci. 14. Iun.
P. Hyacinthus Grillus. 22. Maij.

IAcobus de Alagon. 3. Ian.
P. Iacobus Aluarez. 17. Ian. 1. Iulij.
P. Iacobus Ant. Baſile. 1. Martij.
P. Iac. Ant. Giannonius. 28. Aug.
Iac. Ant. Tacuſima. 30. Sept.
P. Iac. Baunach. 8. Ian.
P. Iac. Benedictus. 17. Ian. 17. Dec.
P. Iac. Beutex. 10. Maij.
Iacobus Biruuia. 27. Decemb.
P. Iacobus Brentus. 15. Ian.
P. Iac. Cerutus. 28. April.
P. Iacobus Chiſai. 5. Febr.
P. Iacobus à Coſta. 21. Iul.
Iacobus Danthonus. 29. Ian.
Iacobus Dei. 20 Octob.
Iacobus Diaz. 8. Sept.
P. Iacobus Eguia. 15. Iun.
P. Iacobus Franciſcus. 2. Nou.
P. Iacobus Garzia. 20. Aug.
Iacobus Goffetti. 17. Maij.
P. Iacobus Gordonus. 16. April.
P. Iacobus Granadus. 5. Ian.
P Iacobus Gretſerus. 29. Ian.
P. Iac. de Guſman. 8. Maij.
P. Iac. Habbens. 1. Aug.
P. Iac. Herrera. 27. Nouemb.
P. Iac. Lainez. 19. Ian.

P. Iacobus de Ledesma. 18. Nou.
P. Iacobus Leuantus. 12. Ian.
Iacobus Lopez. 30 Iun.
Iacobus Magnus. 24. April.
P. Iac de Mesquita. 4. Nou.
P. Iacob. Miro. 25. Aug.
M. Iacob. Mloczki. 12. Febr.
P. Iacobus Morellus. 17. April.
P. Iac. de Paistre. 11. Dec.
P. Iac. Perez. 27. Febr.
P. Iac. Rem. 12. Octob.
P. Iac. Rho. 27. April.
Iacobus Ruiz. 1. Iun.
P. Iac. Salesius. 7. Febr.
P. Iac. Salazar. 25. Aug.
P. Iac. de Samaniego. 7. Martij.
P. Iac. Sancius. 19. Febr.
P. Iac. Sluyskens. 23. Aug.
P. Iac. de Sotomaior. 4. Maij.
P. Iac. Stratius. 7. April.
P. Iac. Suarez. 1. Iunij.
P. Iac. Tonera. 5. Iun.
P. Iac. Tyrius. 20. Mart.
P. Iac. Valesius. 4. Iun.
Iacobus Vassert. 26. Dec.
P. Iac. Vuiecus. 27. Iul.
P. Iac. Vuilichius. 1. Sept.
Iacobus Yeuenes. 22. Ian.
P. Iac. de Zuniga. 3. April.
P. Ianuarius Duchus. 16. Sept.
P. Ibertus Fecennius. 1. April.
S. Pater Ignatius. 31. Iulij.
P. Ignatius Azeuedius. 15. Iul.
P. Ignatius Balsamon. 2. Oct.
P. Ignatius Blancus. 3. Maij.
P. Ignatius Fialho. 25.
P. Ignatius de Fonseca. 23. April. & 1. Decemb.
P. Ignatius Garganus. 13. Dec.
P. Ignatius de Iulijs. 13. Febr.
P. Ignatius Martinius. 28. Febr.
Ignatius Mendoza. 15. Aug.
P. Ignatius Ponce. 1. Febr.
Ignatius de Rasinghem. 7. Dec.
Ignatius Soier. 26. Ian.
Ignatius Xindo. 16. Aug.
P. Ildephonsus Lopez. 15. Ian.
P. Ildephonsus de Miranda. 11. Maij.
P. Ildeph à Pozo. 29 Ian.
Innocentius Fontana. 12. April.
P. Ioachimus Arents. 12. Iul.
P. Ioannes Acosta. 8. Oct.
Ioannes Ackerman. 16. Iul.
P. Ioannes Adamus. 22. Oct.
Ioannes Adamus Scholtzen. 3. Maij.
P. Ioan. Aguerri. 31. Oct.
P. Ioan de Aguilar. 7. Nou.
P. Ioan. Albotodus. 14 Maij.
P. Ioan. Alphonsus. 15. Oct.
Ioannes Aluarez. 14. Sept.
P. Ioan. Amadeus. 21. Sept.
P. Ioan. Amieu. 6. Nou
Ioan. Ant. Apulus. 7. Aug.
P. Ioan Andr Manconius. 23. Oct.
Ioan. Ant. Oliuerius. 8. Maij.
P. Ioan. Argentus. 26. Nou.
P. Ioan. Arnoldi. 11. Nou.
P. Ioan Arnulphus. 14. Maij.
P. Ioan. Aspilqueta. 17. Ian.
P. Ioan. de Atienza. 1. Nou.
P. Ioan. Auellaneda. 9. Febr.
P. Ioannes Augustinus Confalonerius 10. April.
Ioannes de Bannos. 27. Sept.
Ioannes Baptista. 28. Oct.
Ioan. Bapt Archintus. 7. Sept.
P. Ioan Bapt. Baëza. 7. Maij.
P. Ioan. Bapt. Barma. 3. Maij.
P. Ioan. Bapt. Bisthoue. 7. Aug.
P. Ioan. Bapt. Boddens. 20. Iul.
P. Ioan. Bapt. Carminata. 16 Iun.
P. Ioan. Bapt. Ceccottus. 20. Sept.
P. Ioan Bapt. de Codt. 12. Oct.
P. Ioan. Bapt. Elianus. 3. Martij.
Ioan. Bapt. Lechner. 3. April.
P. Ioan. Bapt. Macciadus. 22. Maij.
Ioan. Bapt. Mayr. 29. Ian.
Ioan. Bapt. Mendez. 3. Febr.
Ioan. Bapt. Mocchius. 10. Mart.
P. Ioan. Bapt. Puruscus. 8. Sept.
P. Ioan. Bapt. Piscator. 7. Iulij.
P. Ioan. Bapt. Sanchez. 26. Nou.
P. Ioan. Bapt. Segura. 8. Febr.
Ioan. Bapt. Spinosa. 21. April.

Ioan. Bapt. Tuballinus. 10. April.
P. Ioan. Bapt. Vaninus. 17. Ian.
P. Ioan. Bapt. Velatus. 26. Febr.
P. Ioan. Bapt. Vendelius. 21. Dec.
P. Ioan. Balsterer. 13. Febr.
Ioan. de Bannos. 12. Mart.
P. Ioan. Bathæus. 16. Aug.
Ioannes de Bazco. 11. Mart.
P. Ioan. Beira. 4. Ian. 8. Dec.
P. Ioan. Bentiuoglius. 23. Sept.
P. Ioan Bernard. Thankausen. 12. Aug.
P. Ioan. Bernard. del Campo. 27. Ian.
M. Ioannes Bitter. 12. Aug.
P. Ioan. Bonnet. 28. Febr.
P. Ioan. Bonifacius. 4. Mart.
P. Ioan. Bordesius. 2. April.
P. Ioan. Bonuetus. 28. Ian.
Ioannes Braccus. 3. Febr.
P. Ioan. Brebeuf. 16. Mart.
P. Ioan. Bredanus. 25. Iun.
P. Ioan. Brennerus. 10. Maij.
P. Ioan. de Bretesche. 20. Nou.
Ioannes Brienne. 22. Sept.
Ioannes de Briones. 27. Ian.
P. Ioan. Callant. 23. Sept.
P. Ioan. à Campis. 20. Febr.
P. Ioan. à Campo. 11. Aug.
P. Ioan. del Campo. Iulio.
P. Ioan. de Cannas. 19. Iun.
P. Ioan. del Carpio. 3. Dec.
Ioannes Carrera. 7. Ian.
P. Ioan. Carrera. 16. Mart.
P. Ioan. de Casarrubios. 23. Ian.
P. Ioan. Castaneda. 12. Iun.
P. Ioan. de Castillo. 4. Maij. 17. Nou.
P. Ioan. de la Chausee. 6. Febr.
Ioannes Ciucogo. 10. Sept.
P. Ioan. Cnapius. 17. Oct.
P. Ioan. Codurius. 29. Aug.
P. Ioan. Collignon. 1. Aug.
Ioannes Cornelius. 26. Maij.
P. Ioan. Cornelius. 3. Iulij.
Ioannes de Cruce. 15. Ian.
P. Ioan. Cardim. 18. Febr.
P. Ioan. Carlier. 16. Sept.
Ioan. Carolus Berchmans. 13. Aug.
Ioannes Creuel. 20. Maij.
Ioannes Daniel. 29. Decemb.
P. Ioan. Darius. 8. Iun.
P. Ioan. Dauid. 9. Aug.
P. Ioan. Deckerius. 10. Ian.
P. Ioan. Delgado. 25. Maij.
Ioannes Diaz. 6. Ian.
P. Ioan. Dionysius. 16. Maij.
Ioannes Dissel. 19. April.
Ioannes Domagalski. 5. Maij.
P. Ioan. Dominicus Aresius. 19. April.
Ioannes Domyne. 23. Aug.
Ioannes Eggre. 3. Sept.
P. Ioan. Emmanuel. 29. Iulij.
P. Ioan. Emman. Leon. 9. Ian.
P. Ioan. Encontra. 6. April.
Ioannes Esto. 14. Iun.
P. Ioan. Eusebius Nieremberg. 7 A. pr.
P. Ioan. Fagot. 18. Sept.
P. Ioan Falco. 14. Sept.
Ioannes Farina. 8. Sept. 7. Oct.
Ioannes le Febure. 12. Oct.
P. Ioan. Fernandez. 9. Mart. 26. Iun.
P. Ioan. Ferrus. 22. Aug.
P. Ioan. Flaxius. 14. Dec.
P. Ioan. de Fonseca. 29. Sept.
P. Ioan. Fonte. 19. Nou.
P. Ioan. Francisci. 7. Ian.
P. Ioan. Franc. Ioannellus. 25. Iun.
P. Ioan. Franc. Regis 31. Dec.
P. Ioan. Franc. Suares. 7. Maij.
P. Ioan. Frias. 20. Iun.
P. Ioan. la Garde. 15. Aug.
P. Ioan. Garruchius. 31. Iul.
P. Ioan. Georg. Voglerus. 26. Iun.
P. Ioan. Gerardinus. 12. Ian.
P. Ioan. Gondinus. 2. Iulij.
P. Ioan. Gonzales. 6. Iun.
Ioannes Gonzales. 31. Aug.
B. Ioannes Goto. 5. Febr.
P. Ioan. Grossus. 27. Febr.
P. Ioan. de Guadarrama. 9 Nou.
P. Ioan. Gualbertus. 29. April.
P. Ioan. Guerer. 24. April.
Ioannes Guindora. 29. Aug.
P. Ioan. Ignat. Beizana. 5. Mart.
P. Ioan Hamelius. 14. Febr.
P. Ioan. de la Haie. 14. Ian.

P. Ioan.

P. Ioannes Harlemius. 1. Octob.
P. Ioan. Harti. 14. Maij.
P. Ioan. Herennius. 16. April.
P. Ioan. de Herrera. 19. Sept.
P. Ioan. Hieronymus. 1. Iulij.
P. Ioan. Hubatius. 13. Iun.
P. Ioan. Ignatius. 9. Decemb.
Ioannes de S. Iacobo. 19. Dec.
P. Ioan. Isenbrant. 21. Dec.
P. Ioan. Iacobus Roche. 18. Mart.
P. Ioannes de Krackere. 5. Febr.
P. Ioan. Labrador. 30. Ian.
Ioannes Laparus. 6. Sept.
Ioannes Lascouuski. 20. Iul.
P. Ioan. Lauardus. 23. Ian.
Ioannes Lauermans. 20. Ian.
P. Ioan. de Ledesma. 12. Octob.
P. Ioan. Ledesi. 26. Febr.
P. Ioan. Leonius. 8. Febr.
Ioannes Ligeois. 29. Maij.
P. Ioan. Lucena. 2. Octob.
Ioannes Cardinalis de Lugo. 21. Aug.
P. Ioan. de Lut. 14. Aug.
P. Ioan. Magirus. 8. Sept.
P. Ioan. Maldonatus. 5. Ian.
P. Ioan. Manuel. 8. Ian. & 29. Iul.
Ioannes Marinus. 21. Iun.
Ioannes Marquesius. 27. Iun.
Ioannes Martinius. 18. Maij.
Ioannes Massonet. 10. Iun.
P. Ioan. Meagh. 31. Maij.
P. Ioan. Meda Almeida. 24. Sept.
P. Ioan. Mendoza. 20. Sept.
P. Ioan. Mesegner. 6. Ian.
P. Ioan. Metella. 6. Decemb.
P. Ioan. de las Missas. 4. Oct.
P. Ioan. Montiel. 13. Decemb.
P. Ioan. Montoya. 30. Dec.
P. Ioan. Mortaigne. 25. Maij.
P. Ioan. Mulhusinus. 18. Sept.
Ioannes Naues. 27. Aug.
P. Ioan. Nerouius. 25. Aug.
Ioannes de Neue. 8. Octob.
P. Ioannes Nicolaus Pedelongus 11. Octobris.
P. Ioan. Nunnez. 20. & 29. Dec.
P. Ioan. Ogilbæus. 10. Mar.
P. Ioannes de Oliua. 13. Ian.
Ioannes Ortunius. 28 Iul.
P. Ioan. Parisot. 9. Sept.
Ioannes Parnesius. 29. Maij.
Ioan. Paruus. Vide Nicol. Odœnus.
Ioannes Pauegeau. 11. Nouemb.
P. Ioan. Paulus Aluarez. 23. Mart.
P. Ioan. Paulus Carlettus. 17. Iul.
P. Ioan. Paulus Fons 29. Iun.
P. Ioan. Paulus Nauarola. 18. Maij.
Ioannes Paulus Vinatione. 31. Maij.
P. Ioan. Peletarius 1. Ian.
P. Ioannes de Peralta. 7. Oct.
P. Ioan. Pereira 2. Maij.
P. Ioan. Perez 24. Aug.
P. Ioan. Perez Menaco. 20. Ian.
Ioannes Petrus Diuitia, 3. Febr.
P. Ioan. Pineda. 27. Ian.
P. Ioan. Pla. 2. Martij.
P. Ioan. de Plaza. 21. Decemb.
P. Ioan. de la Quadra. 31. Mart.
P. Ioan. Puiolius. 30. Ian.
P. Ioan. Ramirez. 4. April.
P. Ioan. Raphael Cobenzel. 18. Ian.
P. Ioan. Rastellus. 15. Iun.
P. Ioan. Rebellus. 14. Iul.
P. Ioan. Renaudianus. 1. Aug.
P. Ioan de Renesse. 11. Febr.
P. Ioan. Ribera. 5. Iun. 19. Iul.
P. Ioan. Ricus. 18. Oct.
P. Ioan. Riserius. 16 Mart.
P. Ioan. Riuulinus. 2. Iulij.
P. Ioan Robe. 13. Martij.
P. Ioan. Rodericius. 25. Sept.
P. Ioan Rogerius. 22. Decemb.
P. Ioan Rorvvolff. 31. Iulij.
P. Ioan. Rosenpluem. 29. Dec.
P. Ioan. Roxas. 29. Sept.
P. Ioan. Ruiz. 9. Ian.
P. Ioan à Salcedo. 12. Febr.
P. Ioan Saller. 24. Mart.
P. Ioan. Sandæus. 3. Martij.
P. Ioan. Sangenotius. 10. Aug.
P. Ioan Sanzius. 18. Sept.
Ioannes Schellæus. 22. Nou.
P. Ioan. Seb. à Campo. 6. Aug.
P. Ioan. Sebast. Parricius. 21. Maij.

P. Ioan.

P. Ioan. le Sec. 24. Octob.
Ioan. Seuilla. 20. Maij.
P. Ioan. Sigerstreiter. 15. Iulij.
P. Ioan. Sfostouuski. 25. Apr.
Ioan. Soppius. 16. Octob.
Ioan. de Soria. 23. Octob.
Ioan. Sosa. 24. Dec.
P. Ioan. Suarez. 17. Dec.
P. Ioan. Suffren 15. Sept.
P. Ioan. Syluorstius. 30. Octob.
P. Ioan. Teinzerus. 30. Nou.
P. Ioan. Tellerius. 17 Sept.
Ioan. Thenensis. 13. Maij.
P. Ioan. Tollenarius. 3. April.
P. Ioan. Turrius. 19. Dec.
P. Ioann. de Valle. 18. Nou.
P. Ioan. Vaseus. 23. Iun.
P. Ioan. Vazin. 8. Sept.
Ioan. Verutia. 3. Ian.
P. Ioan. de Viana. 29. Febr.
P. Ioan. de Villalobos. 5. & 29. Mart.
P. Ioan. Voëllus. 10. Mart.
P. Ioan. Vuaëls. 8. Ian.
P. Ioan. Vuarlichius. 27. Mart.
P. Ioan. Vueis. 27. Sept.
P. Ioan. Wortingtonus. 25. Ian.
Ioan. Xarai. 15. Octob.
Ioan. Ximenius. 24. Febr.
P. Ioan. Xuares. 10. Maij.
P. Ioan. de Zunniga. 2. Febr.
P. Ioan. Yongus. pag. 354.
P. Iodocus Mayering. 15. Febr.
P. Iordanus Casini. 21. Dec.
P. Iosephus Anchieta. 9. Iun.
P. Ioseph. de Calatayud. 15. Iul.
P. Ioseph Cataldinis. 10. Ian.
Ioseph Cladera. 21. Mart.
P. Iosephus à Costa. 15. Febr.
P. Ioseph de Escalza. 6. Sept.
P. Ioseph Furlanettus. 34. April.
P. Ioseph Guimeranus. 4. Oct.
P. Ioseph Gustapane. 28. Iun.
Ioseph Martinius. 23. Iun.
Ioseph Matthæus. 20. Ian.
Ioseph Reomuy. 10. Aug.
P. Ioseph Saniulianus. 30. April.
P. Ioseph Scamacca. 8. Ian.
P. Isaacus Iogues. 18. Octob.
P. Isidorus Bellinus. 4. Iulij.
P. Isidorus de Saauedra. 10. April.
P. Iudocus Andries. 21. Dec.
P. Iudocus Scapelinck. 21. Ian.
Iulianus Flander. 4. Febr.
P. Iulianus Nacaura. 21. Octob.
P. Iulius Cæsar Coturius. 9. Aug.
P. Iulius Cæsar Margicus. 8. Dec.
P. Iulius Cæsar Recupitus. 8. Aug.
P. Iulius Cussola. 28. Mart.
P. Iulius Fatius. 5. Ian.
P. Iulius Mancinellus. 14. Aug.
P. Iulius Pasqualis. 1. Febr.
P. Iulius Vrsinus. 9. Dec.

Ladislaus Craplinski. 18. Aug.
Lælius Nichesolius. Nou. 17. Aug.
Læuinus Wouters. 28. Octob.
P. Laurentius Bartilius. 28. Aug.
P. Laurentius Brixianus. 24. Ian.
Laurentius Chodorolouz. 3. Oct.
P. Laurentius Euerardi. 2. Iulij.
P. Laurentius Godefridus. 30. Sept.
Laurentius Gorzyn. 8. Aug.
P. Laurentius à S. Ioanne. 10. Nou.
P. Laurentius Massonius. 19. Iul.
Laurentius Ortega. 16. Dec.
P. Laurentius Passoscius. 2. Nou.
P. Laurentius Pratanus. 28. Aug.
P. Leo Henriquez. 8. April.
Leonardus du Bois. 28. Iun.
P. Leonardus Kesselius. 26. Octob.
Leonardus Kimura. 28. Nou.
Leonardus Krauschart. 25. Sept.
P. Leonardus Lessius. 15. Ian.
P. Leonardus Nunnez. 30. Iun.
P. Leonardus Perinus. 10. Febr.
Leonetus Gagliardus. 28. Maij.
Leopoldus Frey. 15. Sept.
P. Lopius de Castillo. 19. Mart.
P. Lucas Ellentz. 1. Ian.
P. Lucas Zampellus. 27. Iul.
P. Ludouicus de Alabes. 18. Nou.
P. Ludouicus Almeida. 5. Octob.
P Ludouicus Aluarez. 25. Nou.
P. Ludouicus Ballester. 1. Maij.

Ludouicus Cafucu. 22. Sept.
P. Ludouicus Caldeiro. 12. April.
P. Ludouicus de Camera. 15. Mart.
Ludouicus Cauara. 10. Sept.
P. Ludouicus Cerqueira Ep. 20. Febr.
M. Ludouicus Chiesa. 13. Sept.
P. Lud. Corbinellus. 2. Iun.
P. Ludouicus Flocardus. 23. Oct.
Ludouicus Freredoux. 23. Febr.
P. Ludouicus Froës. 8. Iulij.
P. Ludou. Gagliardus. 9. Mart.
P. Ludouicus Goueanus. 18. Febr.
P. Ludouicus Gusmannus. 10. Ian.
P. Ludouicus Lallemant. 5. April.
P. Lud. Maignet. 19. April.
P. Lud. Mendius. 8. Dec.
P. Ludouicus Molina. 12. Oct.
P. Lud. de la Palma. 20. April.
P. Lud. Pelingottus. 6. Dec.
P. Lud. de Ponte. 16. Febr.
P. Ludou. Quiros. 3. Febr.
P. Lud. Richeomus. 15. Sept.
Ludouicus Ruiz. 4. Iul.
P. Ludouicus Vanackere. 2. Aug.
P. Ludou. Vngria. 6. Octob.

MAgnus Angerer. 25. Oct.
P. Mancius Firabayasci. 20. Mar.
Mancius Mizogucci. 8. Febr.
Mancius Taichicu. 20. Ian.
P. Marcellinus Albergottus. 10. Nou.
P. Marcellinus Bompar. 4. Febr.
P. Marcellus de Lorenzana. 12. Sept.
P. Marcellus Mastrillus. 17. Oct.
Marcellus Scaglione. 31. Dec.
Marcus Antonius. 11. Iun.
P. Marc. Anton. Mustoni. 15. Dec.
P. Marc. Ant. Soldanus. 23. Nou.
P. Marcus Guzzonus. 1. Aug.
Marcus Grandi. 26. Dec.
Marcus Laynez. 30. Iul.
Marcus Purchleitnerus. 16. Dec.
P. Marcus Salinas. 6. Sept.
P. Marcus van Tympel. 17. Maij.
P. Marianus Piscis. 7. April.
P. Martinus de Agorreta. 7. Aug.
P. Martinus Alberro. 1. Sept.
Martinus Apparitius 2. Sept.
P. Martinus de Aranda. 14. Dec.
P. Mart. de Bannos. 5. Nou.
Martinus Beccaert. 3. Aug.
P. Martin. Benedictus. 25. Iul.
P. Martin. Gostensis. 22. Ian.
P. Martin. de S. Dominico. 1. Maij.
P. Martin. Ertmerus. 22. Febr.
P. Martin. Gomez. 15. April.
P. Martin. Guttierrez. 21. Febr.
Martinus Ignatius. 31. Maij.
P. Mart. Lascius. 23 Maij.
P. Mart. Laterna. 30. Sept.
P. Mart. L'Hermite. 16. Octob.
P. Martinus Mello. 14 Ian.
P. Martin. Olauius. 17. Aug.
P. Martin. Pelaëz. 9 Febr.
P. Martin. Smigletius. 26 Iul.
P. Martin. Stredonius. 26. Aug.
P. Martinus Xauerius. 10. Dec.
P. Matthæus Albenoza. 22. Ian.
P. Matthæus Boys. 24. Ian.
P. Matthæus Couros. 29. Oct.
P. Matthæus Cramerus. 2. Nou.
P. Matthæus Cuberus. 4. Feb. 4. Mart.
Matthæus Fernandez. 22. Mart.
P. Matthæus Fernandez. 15. Sept.
P. Matthæus Grimes. 11. Aug.
Matthæus Nouitius. 21. Oct.
P. Matthæus Preittenberger. 6 Apr.
P. Matthæus Riccius. 11. Maij.
Matthæus de Vos. 2 Ian.
P. Matthias Burnatius. 9. Aug.
Matthias le Cousti. 12. Maij.
P. Matthias Klinka. 2 Iulij.
Matthias Marius. 25 Iul.
P. Matthias Roriue. 9. Ian.
Matthias Sanga. 24. Febr.
Matthias de la Saulx. 27. Nou.
Matthias Vitriarius. 28. Iun.
Matthias Wagner. 14. Aug.
P. Mauritius Vinnas. 8. April.
Maximilianus Grimaldus. 2. Ian.
P. Maximilianus van Habbeke. 8. Febr.
P. Melchior Carnerus. 19. Aug.
P. Melchior Consaluius. 2. Oct.

P. Melchior Franciſcus. 22. Ian.
P. Melchior Gadea. 30. April.
P. Melchior Grodecius. 8. Sept.
Melchior Honnius. 23. Febr.
P. Melch. Hurtadus. 27. Aug.
P. Melchior de Mora. 18. Oct.
P. Melch. Nunnez. 10. Aug.
P. Melch. Ruiz. 20. Ian.
P. Melch. de Sant Iuan. 3. Nou.
Melchior de Sequeira. 26. Ian.
P. Melch. de Venegas. 19. Iun.
P. Melch. Vitrimontanus. 26. Ian.
Michaël Aragonenſis. 13. Sept.
Michaël Bonfil. 16. Mart.
P. Mich. Caruallius. 25. Aug.
P. Mich. Coyſſardus. 10. Iun.
P. Mich Ferrer. 10 Maij.
Michaël Florius. 4. Nou.
P. Mich. à Fontibus. 4. Ian. 11. Febr.
P. Michaël Gubernus. 28 Dec.
Michaël Herrera. 2. Iun.
P. Michaël Iulianus 3. Octob.
P. Mich. Lætauallius. 5. Oct. 5. Nou.
P. Mich. Lauretanus. 12. Mart.
Mich. Martius. 30. Maij.
P. Mich. Montaltus. 25. Oct.
Michaël Nacaſcina. 25. Dec.
P. Mich. Ochoia. 1. Octob.
Michaël Perez. 6. Iun.
P. Michaël Pineda. 22. Sept.
P. Mich. Ponce. 12. Dec.
P. Michaël de Reyno. 20. Iul.
P. Mich. Rhodes. 20. Mart.
P. Mich. Ruelius. 14. April.
P. Mich. Ruggerius. 11. Maij.
P. Mich. Sanchez. 12. Sept.
Mich. Sratre. 23. Iulij.
P. Mich. Soler. 20. Aug.
P. Mich. Sonnet. 15. Febr.
P. Mich. Torres. 23. Octob.
Michaël Victor. 19. Mart.
P. Mich. de Vrrea. 28. Aug.
Mich. Xuccan. 2. Octob.
Mich. Xumpo. 10. Sept.
P. Mutius Vitelleſcus. 9. Febr.

P. NAtalis Chabanel. 7. Dec.
P. Nicolaus Amari. 1. Mart.
P. Nic. Bobadilla. 23. Sept.
Nicolaus Bouille. 27. Mart.
P. Nicol. Buri. 26. Maij.
Nicolaus Cematius. 7. Febr.
P. Nicolaus Conde. 5. Octob.
P. Nicol. Cuſanus. 20. April.
P. Nicol. Cyzouuski. 23. Maij.
P. Nicol. Gallettus. 12. Febr.
P. Nicol. Gracida. 6. Sept.
M. Nicol Hagais. 2. Febr.
P Nicol. Heningius. 26. Iul.
Nicolaus Keyan. 31 Iulij.
P. Nicolaus Iamot. 8. Nou.
P. Nicol. Longobardus. 1. Sept.
Nicolaus Luillerius. 15. Iul.
P. Nicol. Magnienus. 19. Sept.
Nicol. Martius. 21. Nou.
P. Nicol. Nugentius. 22 Nou.
Nicol. Odoënus. 12 Nou.
P. Nicol. Perrius. 23. Iul.
P. Nicol. Placeus. 28. Aug.
P. Nicol. Pollienus. 28. Dec.
M. Nicol. Reginaldus. 27. Sept.
Nicol. Rotificis. 16. Dec.
P. Nicol. de Schmidt. 18. Mart.
P. Nicol. Sufius. 8. Iulij.
Nicol. Taſſar. 15. Aug.
Noë Leo. 18. Iul.
P. Nunnius Riberius. 22 Aug.
P. Nunnius de Villauicentius. 10. Auguſt.

P. OCtauius Boninus. 5. Dec.
P. Octauius Caietanus. 8. Mar.
P. Octauius Nauarola. 15. Sept.
P. Oliuerius Manaræus. 28. Nou.
P. Onuphrius Saracus. 29. Sept.
P. Organtinus Brixienſis. 8. Nou.
P. Otho Eiſenreich. 4. Maij.
P. Otho Campenſis. 2. Iulij.

P. PAſchaſius Broët. 14. Sept.
P. Patritius Lea. 24. Mart.
Paulinus Ceccottus. 21. Ian.
P. Paulus Achilles. 7. Maij.

P. Paulus Æmilianus. 1. Iulij.
Paulus Alaczkai. 23. Dec.
P. Paulus Citus. 6. Sept.
Paulus Hacce. 4. Dec.
P. Paulus Heutin. 7. Oct.
P. Paulus Hoffæus. 17. Dec.
P. Paulus Ioseph Ariaga. 6. Sept.
Paulus Kostka. 13. Nou.
P. Paulus Mantuanus. 3. Iulij.
B. Paulus Michi. 5. Febr.
P. N. Paschalis. 11. Oct.
Paulus Rioin. 17. Febr.
P. Paulus Saito. 2. Oct.
P. Paulus Schefferus. 23 Iun.
P. Paulus de Valle. 10. Ian.
P. Paulus Vallius. 5. Febr.
P. Petrus Ægidius. 15. Sept.
P. Petrus Albitius. 11. Mart.
Petrus Aldea. 27. Dec.
P. Petrus Aloysius. 5. Mart.
P. Petrus de Anasco. 12. April.
P. Petrus Ant. 15. & 24. Febr.
P. Petrus Ant. Martinez. 17. Iul.
Petrus Angelus Bonchristianus. 17. Nouemb.
P. Petrus Ant. Spinellus. 14. Dec.
Petrus de Artiaga. 2. Nou.
P. Petrus Azebedius. 12. Ian.
P. Petrus Paulus de Azeuedo. 31. Ian.
P. Petrus Balbas. 2. Ian.
Petrus Bastus. 1. Martij.
P. Petrus Bellidus. 27. Oct.
P. Petrus Berna. 15. Iul.
P. Petrus Bernal. 18. April. 22. Nou.
P. Petrus Bernardus. 28. Nou.
Petrus Brocqueuille. 3. Sept.
P. Petrus le Brun. 19. Febr.
P. Petrus Buzelinus. 2. Iulij.
P. Petrus le Camus. 3. Ian.
P. Petrus Canisius. 21. Dec.
Petrus Carillus. 5. Iul
P. Petrus Carlerius. 5. Iul.
P. Petrus Cassui. Iulio.
P. Petrus Cellotius. 26. Dec.
P. Petrus Clauerus. 8. Sept.
P. Petrus Clutius. 30. Aug.
P. Petrus Codacius. 7. Dec.
Petrus Colet. 22. Martij.
P. Petrus Continens. 26. Sept.
Petrus Correa. 24. Aug. 24. Dec.
P. Petrus Cotonus. 19. Mart.
P. Petrus Cutioneus. 30. Ian.
P. Petrus Diaz. 13. & 14. Sept.
Petrus Doligier. 18. Iul.
P. Petrus Ederus. 12. Maij.
P. Petrus de Espinosa. 3. Iul.
P. Petrus Faber. 1. Aug.
P. Petrus de Fan. 9. Octob.
Petrus Fernandius. 14. Sept.
P. Petrus de Fonseca. 14. Nou.
Petrus Fonseca 15. Iul.
P Petrus Fontanus. 27. Nou.
P. Petrus Foucardus. 25. Nou.
Petrus le Franq. 4. Oct.
P. Petrus Gascon. 18 Iun.
Petrus Gomez. 4. Aug.
P. Petrus Grauina. 15. Ian.
P Petrus Groffius. 8. Ian.
P. Petrus Halloix. 30. Iul.
P. Petrus de Hollandre. 19. Dec.
Petrus Huckmisuuagen. 19. Ian.
P. Petrus Iustinellus. 31. Iul.
P. Petrus de Lem. 24. Sept.
P. Petrus de Lorma. 6. April.
P. Petrus Maillefer. 4. April.
P. Petrus Manrique. 12 Ian.
P. Petrus Marius. 2. April.
P. Petrus Martinez. 18. Febr. 28. Sept.
Petrus Martinus. 2. Sept.
P. Petrus Mascarenia. 7. Ian.
P. Petrus Maturus. 15. Febr.
P. Petrus Michael Brilmaker. 25. August.
P Petrus de Molina. 3. Aug.
Petrus Monerius. 28. Maij.
P. Petrus de Monroi. 27. April.
P. Petrus Nauarrus. 1. Nou.
Petrus Nouitius. 21. Oct.
Petrus Ochoa. 2. Decemb.
Petrus Onizucca. 1. Nou.
P Petrus Paëz 20. Maij.
Petrus Cardinalis Pazmanij. 19. Mart.
P. Petrus Pequet. 11. Iul.
P. Petrus Plempius. 15. Maij.

P. Petrus

P. Petrus Pradus. 20. Nouemb.
P. Petrus Ribadeneira. 22 Sept.
P. Petrus Romerius. 22. Mart.
P. Petrus Saauedra. 24 Iul.
Petrus Salazar. 4. Decemb.
Petrus Sampo. 10. Sept.
P. Petrus Sanchez. 14. Nou.
P. Petrus Sancius. 16. Iul.
P. Petrus Scarga. 27. Sept.
P. Petrus Schmidt. 10. Dec.
Petrus Siluius. 10. Iul.
P. Petrus Spiga. 8. Decemb.
P. Petrus Stopellus. 3. Sept.
P. Petrus Tablares. 6. Mart.
P. Petrus Torrentinus. 5. Ian.
Petrus de Vega. 1. Febr.
Petrus Vellon. 17. Sept.
P. Petrus Venustus. 19. Oct.
P. Petrus Vespinus. 18. Ian.
P. Petrus Vidal. 29. Mart.
P. Petrus Villar. 31. Aug.
P. Petrus Vitalis. 12. Iul.
P. Petrus Uragouitius. 3. Iun.
P. Petrus de Vrteaga. 30. Dec.
P. Petrus Vurichtus. 29. Maij.
P. Petrus Ximenez. 29. Nou.
P. Petrus de Zamora. 28. Dec.
Philibertus van Luyck. 6. Oct.
P. Philippus Capponagus. 2. Febr.
Philippus le Fort. 25. Febr.
M. Phil. Franc. Pennant. 13. Oct.
Philippus Nottin. 14. Iul.
P. Philippus Pantaleon. 18. Aug.
P. Phil. Streidt. 12. Nou.
Pompeius Capuanus. 3. Oct.

P. Quintinus Charlartus. 27. Iul.
P. Quintinus Cousin. 3. Iun.

P. Raimundus de Funes. 21. Ian.
P. Raimundus Guirbal. 22. Iul.
P. Raimundus de Prado. 17. Febr.
P. Raphaël Ferrer. 18. Mart. 27. Iun.
P. Raphael Oller. 19. Febr.
P. Raphael Pereira. 31. Oct.
Reinerus Stratius. 16. April.
Remigius Somer. 21. Maij.
P. Renatus Cotorellus. 30. Aug.
P. Renatus Menard. 10. Aug.
Renatus Nouitius. 5. Aug.
Richardus Biler. 16. Oct.
P. Rich. Bradlæus. 30. Ian.
Robertus Card. Bellarminus. 17. Sept.
P. Robertus Cuissotus. 23. Dec.
P. Robertus Neteruillius. 15. Iun.
Rob. Cardin. Nobilius. 17. Ian.
P. Robertus Nobilius. ~~24~~ 31. Ian.
P. Rob. Pechamus. 25. Ian.
P. Rob. Personius. 15. April.
P. Rob. Planteroſe. 9. Mart.
P. Rob. Southuuellus. 3. Mart.
P. Rochus Gonzalez. 15. Nou.
Rochus Mannara. 15. Iun.
P. Rochus Pirrhinger. 30. Mart.
P. Rodericus Aluarez. 14. April.
P. Rodericus Deza. 15. Ian
Rodericus Flores. 19. Aug.
P. Rodericus Gonzalez. 12. Iun.
P. Rodericus Hurtadus. 13. Maij.
Rodericus Menesius. 11. Febr.
P. Rogerius Filcocus. 27. Febr.
P. Rudolphus Aquauiua. 15. Iul.
P. Rud. Corbæus. 17. Sept.
Rudolphus Emersonus. 12. Mart.
Rudolphus Russellus. 23. Oct.

P. Saluator Pisquedda. 27. Mart.
P. Saluator Susa. 29. Ian.
P. Samuel Richter. 22. Oct.
Sancius de Ausa. 13. Febr.
P. Sancius de Mendoza. 31. Ian.
P. Sebastianus Barradas. 14. April.
Sebastianus Barrettus. 24. April.
P. Sebastianus Cabarasius. 13. Iul.
P. Sebastianus Diaz. 27. Sept.
Sebastianus Garzia. 19. Iun.
Sebastianus Menzel. 28. Aug.
P. Sebast. Molinæus. 7. Aug.
P. Sebast. Morales Ep. 7. Iulij.
Sebast. de Ontiueros. 14. Oct.
P. Sebastianus Quimura. 10. Sept.
P. Sebast. Romæus. 13 Oct.
P. Sebast. Sarmiento. 8 Aug.
P. Sebast. Schaller. 18. Dec.

P. Sebast Vieira. 6. Iun.
P. Seneca. Schreiber. 29. Maij.
P. Sertorius Caputus. 11. Sept.
P. Sigismundus Pachamer. 10. Mart.
Simon Acosta. 15. Iul.
P. Simon Berendt. 16. Maij.
Simon Bucceri. 16. Iun.
Simon Courouble. 5. Dec.
P Simon de Esquiuel. 13. Febr.
Simon de Espalza. 11. Iun.
Simon de Liuonia. 20. Ian.
P. Simon Riuiere. 7. Febr.
P. Simon Rodericius. 15. Iul.
P. Simon Vipperman. 25. April.
Simon Yempo. 4. Dec.
P. Stanislaus Brunouius. 5. Maij.
P. Stan. Domanievvski. 11. Sept.
P. Stan. Gauronssci. 11. April.
P. Stan. Herbestus. 14. Maij.
B. Stanislaus Kostka. 15. Aug.
P. Stan. Varseuicius. 3. Oct.
P. Stan. Voysza. 20. Oct.
P. Stephanus Arator. 3. Iul.
P. Steph. de Auila. 14. April.
P. Steph. Baroelius. 19. Iul.
P. Steph. Benasai. 16. Ian.
P. Steph. Faber. 10. Maij.
P. Steph. Kabes. 12. Aug.
P. Steph Paëz. 26. Mart. 5. Nou.
P. Steph. Pongraez. 7. Sept.
P. Steph. Sini. 14. Sept.
P. Steph. Staroscirisk. 5. Dec.
P. Steph. Tuccius. 27. Ian.
Steph. Zurara. 15. Iul.
P. Sylvester Landinus. 3. Mart.

P. Theodoricus Canisius. 27. Sept.
P. Theodoricus Gerardi. 1. Oct.
P. Theodorus Busæus. 27. Febr.
P. Theodorus Mantels 11. Oct.
P. Theodorus Massimans. 11. Nou.
P. Theodorus Risvvig. 4 Iul.
Thomas Acafoxi. 10. Sept.
P. Thomas Albicher. 6. April.
Thomas Athinas. 29. Aug.
P. Thomas Conierus. 24. Ian.
P. Thom. Cottamus. 30. Maij.
P. Thom. Garnetus. 23. Iun.
P. Thom. Hollandus. 22. Dec.
Thomas Kannonius. 17. Iun.
P. Thom. Methamus. 18. Iun.
P. Thom. de Montoya. 14. Iul.
Thom. Nicosori. 22. Iul.
Thom. Riocan. 22. Sept.
P. Thom. Saillius. 8. Mart.
P. Thom. Sanchez. 19. Maij.
P. Thom. de Soto. 20. Aug.
P. Thom. Stanneus. 28. Maij.
P. Thom. Steph. Bubsten. 11. Dec.
P. Thom. Stephensonus. 23. Mart.
Thomas Stillintonus. 15. Sept.
P. Thom. Tzugi. 6. Sept.
P. Thom. Viringus. 3. Oct.
P. Thom. Vuerner. 15. Dec.
P. Thom. Zdelarichius. 8. April.

P. Valentinus Forsterus. 6. Mart.
Valentinus Sanier. 5. Febr.
P. Valerius de Ledesma. 6. Maij.
P. Valerius Reginaldus. 14. Mart.
Vasæus Ferras. 23. Mart.
Vbertus Chetel. 17. Dec.
Vincentius Aluarus. 18. Ian.
P. Vincentius Campanilius. 28. Iun.
P. Vincentius Carrafa. 8. Iun.
P. Vincentius Castagnola 30. Mart.
P. Vincentius Damianus. 11. Nou.
P. Vincentius Magius. 4. Mart.
P. Vincentius Matrese. 30. Sept.
Vincentius Morellus. 8. Maij.
Vincentius Nouitius. 9. April.
P. Vincent. Regius. 16 Dec.
Vincentius de Rocha. 4. Ian.
P. Virgilius Ceparius. 14. Mart.

VV Enceslaus Kolouurat. 9. Oct.
P. Wenceslaus Sturmius. 27. April.
Wenceslaus Trnoska. 31. Maij.
P. Wolffgangus Grauenegg. 20. Aug.

P. Ximenius Bertendona. 8. Aug.
P. Xystus Tocuum. 9. Oct.

FINIS.

ANNUS

Dierum memorabilium SJ.

Th
2326